9. 5. 175

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA PATRUM SCHOLASTICO-DOGMATICA,

TOMUS OCTAVUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA PATRUM SCHOLASTICO-DOGMATICA, SED MAXIME POSITIVA,

AUCTORE R. P.

ANTONIO BOUCAT BITURICO,

Ordinis Sancti Franciſci de Paula Religioſo, Provinciæ Franciæ Profeſſo atque Alumno, & veterano apud Pariſios in ſacra Theologia Profeſſore.

TOMUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTIS,

CONTINUATIO TERTIÆ PARTIS, ATQUE PARS QUARTA;
In quarum Prima agitur de Inſtitutione Materia, Forma, Miniſtro, ſubjecto, atque effectibus Sacramentorum Extremæ-Unctionis, Ordinis, & Matrimonii; in poſteriori vero, de diſpoſitionibus, Ritibus, & Caſibus Conſcientiæ circa quodlibet Sacramentum occurrentibus.

EDITIO PRIMA VENETA
accuratior & emendatior.



VENETIIS, MDCCXXXVII.
Apud PETRUM BASSALEAM
In Via S. Bartholomæi ſub Signo Salamandræ.
SUPERIORUM PERMISSU, ATQUE PRIVILEGIO.

SERIES

Diſſertationum, Sectionum, Punctorum, Paragraphorum, Concluſionum, & Argumentorum, quæ in hoc vigeſimo Tomo de Sacramentis in particulari, continentur.

DISSERTATIO QUINTA.

De *Extrema-Unctionis Sacramento, materia, forma, Miniſtro, ſubjecto, & ejus effectibus.* 1

Articulus I. *De nomine, diviſione, definitione, & unitate Sacramenti Extrema-Unctionis.*

Nomen. ibid.

Definitio. 2

Unitas. ibid.

Synopſis contentorum in præſenti articulo. 3

Articulus II. *De materia Extrema-Unctionis.* ibid.

Sectio prima. *Utrum oleum ſit materia remota hujus Sacramenti.*

Concluſio affirmativa. *Probatur auctoritate, & ratione.* ibid.

Concluſio ſecunda. *Oleum debet eſſe benedictum, ſeu ab Epiſcopo conſecratum.*

Probatur auctoritate, & ratione. 4

Concluſio tertia. *Oleum poteſt benedici à ſimplici Sacerdote per commiſſionem aut privilegium.*

Probatur variis momentis. ibid.

Proponuntur objecta contra tertiam concluſionem. 5

Synopſis probationum. Materia remota Extremæ-Unctionis eſt oleum olivarum benedictum ab Epiſcopo, vel Sacerdote. 6

Synopſis difficultatum & explicationum. ibid.

Sectio ſecunda. *De materia proxima hujus ſacramenti, ſcilicet unctione.*

Concluſio. *Unctio eſt materia proxima Sacramenti Extrema-Unctionis.*

Probatur multis momentis. ibid.

Diverſa unctiones referuntur. 7

Synopſis probationum. Unctio olei eſt materia proxima. 9

Synopſis objectionum. ibid.

Articulus III. *De forma Sacramenti Extrema-Unctionis.* ibid.

Forma non nihil diverſa Extrema-Unctionis. 10.

Concluſio prima. *Formam abſolutam ſufficere probabilis eſt opinio.*

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Auctoritate.* 12

2. *Rationibus Theologicis.* ibid.

Concluſio altera. *Forma Extrema-Unctionis eſt deprecatoria.*

Probatur multis momentis. ibid.

Ex rationibus D. Thomæ. 13

Synopſis utriuſque concluſionis.

Forma Extrema-Unctionis eſt deprecatoria, indicativa tamen poteſt ſufficere. 14

Articulus IV. *De Miniſtro.*

Quiſnam ſit miniſter hujus Sacramenti.

Concluſio. *Eſt ſolus Sacerdos.*

Probatur multis momentis. ibid.

De numero Miniſtrorum. 15

Fit ſatis objectionibus. 16

Synopſis probationum. Solus Sacerdos eſt Miniſter Extrema-Unctionis. 17

Synopſis difficultatum, & explicationum. ibid.

Articulus V. *De ſubjecto Extrema Unctionis.*

Concluſio prima. *In Eccleſia Occidentali adulti in extremis poſiti inunguntur ſacramentaliter.*

Concluſio ſecunda. *Orientales, maximè Græci, etiam ſanis nonnunquam concedunt Extremam-Unctionem.*

Probatur multipliciter. 18

Synopſis eorum quæ in hac ſectione continentur.

Extrema-Unctio ſolis conferenda eſt infirmis adultis. 20
Articulus IV. De effectibus Extremæ-Unctionis. 21
Concluſio prima. Extrema Unctio remittit peccata venialia.
Probatur auctoritate, & ratione.
Auctoritates. ibid.
Rationes. 22
Concluſio ſecunda. Extrema-Unctio habet etiam pro effectu ſanitatem corporalem, ſi expediat ſaluti.
Probatur multis momentis. ibid.
Concluſio tertia. Extrema-Unctio remittit etiam reliquias peccatorum. 23
Concluſio probatur multis argumentis. ibid.
Idem probatur rationibus Catechiſmi Romani. ibid.
Synopſis contentorum in ſectione. 24
Articulus VIII. Utrum Extrema-Unctio poſſit reiterari? ibid.
Concluſio. Extrema-Unctio poteſt reiterari in diverſis morbis.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones. 25
Synopſis probationum. Extrema-Unctio in diverſis morbis iterari poteſt. 26
Synopſis difficultatum, & explicationum.
Articulus VIII. De neceſſitate Extremæ Unctionis.
Concluſio prima. Extrema Unctio non eſt neceſſaria neceſſitate medii. ibid.
Concluſio ſecunda. Qui periculosè infirmatur, jure divino, ſimul & Eccleſiaſtico tenetur Extremam-Unctionem ſuſcipere.
Probatur prima pars. Scilicet quod præceptum divinum tunc urgeat. ibid.
Probatur ſecunda pars. Scilicet, quod præcepto Eccleſiaſtico extrema agens teneatur recipere Extremam-Unctionem. 28
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. Datur præceptum divinum, ſimul & Eccleſiaſticum de Extrema-Unctione ſuſcipienda. 29
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.

DISSERTATIO SEXTA.

De Sacramento Ordinis, tum ſecundùm ſe, tum ſecundùm ſuos gradus. 30
Articulus I. De Ordinationibus ſecundùm ſe ſpectatis. ibid.
Sectio prima. Utrum diſtincti ſint Clerici à Laicis. ibid.
Concluſio. Eſſentialiter Clerici diſtinguuntur à Laicis. ibid.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum. 31
Synopſis probationum. Clerici à Laicis ſegregantur. 33
Synopſis objectionum & reſponſionum. 34
Sectio ſecunda. Utrum ſacrorum Miniſtrorum electio pertineat jure divino ad plebem. ibid.
Concluſio. Sacrorum Miniſtrorum electio non convenit populo jure divino.
Probatur multis momentis.
1. Ex ſacris Scripturis. ibid.
2. Ex praxi Eccleſiæ. 35
3. Ex Conciliis. ibid.
4. Ratione. 36
Solvuntur objectiones Proteſtantium. ibid.
Synopſis probationum. Electiones ſacræ jure divino plebi non competunt. 40
Synopſis difficultatum. ibid.
Articulus II. Quot ſint Eccleſiaſtici ordines?
Concluſio. Septem ſunt Ordines communiter dicti: videlicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus &c.
Probatur ex multis momentis.
1. Ex figuris veteris Teſtamenti. 40
2. Ex modo loquendi ſcripturarum novi Teſtamenti. 41
3. Ex antiquitatis conſenſu. 42
4. Ex definitione Concilii Tridentini. 43
5. Ratione Theologica. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. Sunt ſeptem Ordines. 48
Synopſis objectionum & reſolutionum. ibid.
Articulus III. De Miniſtro ſacræ Ordinationis. ibid.
Sectio I. Quis ſit Miniſter ordinarius ſacræ Ordinationis?
Concluſio. Ordinarius Miniſter Ordinationis eſt ſolus Epiſcopus.
Probatur multipliciter.
1. Ab exemplis, ibid.
2. Eadem veritas munitur SS. Patrum calculo. 49
Solvuntur objectiones. 51
Synopſis probationum. Solus Epiſcopus eſt Ordinationis ſacræ Miniſter. 53
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Sectio II. An præter Epiſcopos dentur Miniſtri extraordinarii Ordinum.
Concluſio. Cor-epiſcopi fuerunt Ordinationis Miniſtri extraordinarii.

Pro-

Probatur multis momentis. ibid.
Solvuntur objectiones. 54
Synopſis probationum. Cor epiſcopi non ſemel fuerunt ordinationum aliquarum Miniſtri extraordinarii. 56
Synopſis difficultatum, & reſponſionum. ibid.
Sectio tertia. *Utrum Abbates ex privilegio quatuor minores poſſint conferre? immò & majores Ordines.* 57
Concluſio. I. *Abbatibus ex privilegio conceſſum eſt, ut ſui monaſterii Monachis tonſuram Clericalem, & minores Ordines poſſint conferre.*
Probatur canonum auctoritate. ibid.
Concluſio II. *Simplices Sacerdotes nequeunt abſolutè majores Ordines conferre.* ibid.
Synopſis eorum quæ in concluſionibus continentur. Quandoque Abbatibus conceſſum eſt minores, ſed non majores Ordines ſuis Monachis conferre. 58
Sectio quarta. *Num ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, & degradatis factæ, licitæ ſint?* ibid.
Concluſio negativa,
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Synopſis concluſionis, & probationum.
Ordinationes factæ ab Hæreticis &c. ſunt illicitæ. 59
Articulus IV. *De ſuſcipientibus Ordines.*
Difficultas eſt de ſexu, de ætate, & qualitate. ibid.
Sectio prima. *Num mulieres ſint ſacrorum Ordinum capaces?* ibid.
Concluſio negativa.
Probatur multis argumentis. 60
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis ſectionis. Mulieres non ſunt Ordinis ſuſcipiendi capaces. 64
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Sectio ſecunda *Quinam inter maſculos Ordinationem poſſint ſuſcipere.* ibid.
Concluſio I. *Secundùm multos valida eſſet Ordinatio, quæ pueris, vel etiam amentibus lucida intervalla habentibus, conferretur.* ibid.
Concluſio II. *Hæretici, Schiſmatici, Simoniaci, & ſcelerati ſunt Ordinis capaces.*
Probatur rationibus Theologicis. 65
Solvuntur objectiones contra primam concluſionem. ibid.
Solvuntur objectiones contra ſecundam concluſionem. 66
Synopſis probationum. Pueri ſunt ſacræ Ordinationis capaces, immò Hæretici, ſchiſmatici, & ſcelerati. 69
Synopſis difficultatum, & explicationum. ibid.
Sectio tertia. *Utrum promoti ad ſacros Ordines teneantur ad cælibatum.* ibid.
Articulus I. *Votum continentiæ juſta de cauſa ſacris Ordinibus annexum eſt.*
Probatur multis momentis.
Primum argumentum ex Scriptura ſacra deſumitur. ibid.
Secundum argumentum conſenſu omnium Eccleſiarum innixum eſt. 70
Tertium argumentum ſit ex decretis ſummorum Pontificum. 71
Quartum argumentum ex traditione Patrum procedit. ibid.
Patres Græci. ibid.
Patres Latini. 72
Quintum argumentum ex variis rationibus conflatur. ibid.
Solvuntur objectiones. 73
Quo jure Clerici majores teneantur ad cælibatum?
Concluſio II. *Lex cælibatus pro Clericis eſt dumtaxat juris Eccleſiaſtici.*
Probatur hoc ratiocinio Theologico. 76
Fit ſatis objectionibus. 77
Synopſis ſectionis. Cælibatum annexum habent Ordines ſacri, non tamen ex jure divino. 78
Synopſis objectionum, & reſponſionum. ibid.
Articulus V. *De Epiſcopatu in particulari.* ibid.
Sectio I. *Utrum Epiſcopi jure divino ſint Presbyteris ſuperiores.* 79
Concluſio. *Epiſcopi jure divino Presbyteris ſunt ſuperiores.*
Probatur multis momentis.
1. *Ex Scripturis ſacris.* ibid.
2. *Ex ſanctis Patribus.* ibid.
3. *Ex Conciliis.* 80
4. *Ex rationibus D. Thomæ.* 81
Solvuntur objectiones Heterodoxorum, ex ſcriptura prodeuntes. 82
Objectiones ex Patribus. 84
Aperitur mens divi Hieronymi. 85
Explicatio critica mentis S. Hieronymi. 1724
Cenſura diſcurſus ſequentis. 89
De ſeptem gradibus Eccleſiæ &c. ibid.
Objectiones ex aliis Doctoribus proponuntur & ſolvuntur. ibid.
Synopſis probationum. Epiſcopi ſunt Presbyteris ſuperiores. 91

Synopſis objectionum. 92
Sectio ſecunda. Utrum Epiſcopatus ſit Sacramentum, & ordo proprie dictus.
Concluſio. Epiſcopatus eſt Sacramentum, & ordo proprie dictus.
Probatur auctoritate, & ratione.
1. Ex ſcriptura ſacra. ibid.
2. Ex Conciliis. ibid.
3 Ex ſanctis Patribus. ibid.
4. Rationibus divi Thomæ. 93
Solvuntur objectiones. 94
Synopſis probationum. Epiſcopatus eſt ordo ſacer. 95
Synopſis difficultatum, & explicationum. idid.
Sectio tertia. De materia & forma Epiſcopatus. ibid.
Concluſio I. Materia Epiſcopatus in Eccleſia tum Græca, tum Latina, eſt impoſitio manuum, forma vero verba prolata &c.
Probatur multis momentis.
1. Ex ſcripturis ſacris. 97
2. Ex ſanctis Patribus. ibid.
3. Ex Pontificalibus Græcorum. 98
Concluſio ſecunda. Liber Evangelii habet etiam rationem materiæ, orationes vero rationem formæ.
1. Ex Pontificalibus Græcis. 99
2. Ex Pontificalibus & ritualibus Latinis. 100
3. Ex Ordinationibus Syrorum, Maronitarum, & aliorum Orientalium. 102
Solvuntur objectiones. 104
Synopſis probationum. Impoſitio manuum eſt materia Epiſcopatus, inſtrumenta vero major explicatio. 106
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Sectio quarta. Utrum Romanus Pontifex habeat poteſtatem creandi, & inſtituendi Epiſcopos per univerſum orbem Chriſtianum?
Concluſio affirmativa. Probatur multis capitibus.
1. Ex Scriptura ſacra, per SS. Patres explanata. ibid.
2. Ex traditione Patrum. 107
3. Ex ſummis Pontificibus. 108
4. Probatur exemplis. ibid.
5. Rationibus Theologicis. 109
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. Summus Pontifex habet poteſtatem creandi Epiſcopos per univerſum orbem. 113
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.
Sectio V. Quis conſecrationis Epiſcopi ordinarius Miniſter? 114
Punctum primum. De jure Metropolitæ. ibid.
Concluſio. Jus Metropolitæ eſt conſecrare ſuæ Provinciæ Epiſcopos, vel licentiam dare aliis Epiſcopis, ad illud munus obeundum.
Probatur ex praxi Eccleſię. ibid.
Synopſis probationum. Ordinarius conſecrationis Epiſcopi Miniſter eſt Metropolita. 117
Punctum ſecundum. Quot Epiſcopi eſſentialiter ad conſecrationem alicujus in Epiſcopum requirantur? ibid.
Concluſio. Tres Epiſcopi non requiruntur od conſecrationis Epiſcopatus ſubſtantiam.
Probatur auctoritate multiplici. ibid.
Solvuntur objectiones. 118
Synopſis probationum. Non requiruntur abſolute tres Epiſcopi pro conſecratione Presbyteri ad Epiſcopatum promovendi. 119
Synopſis difficultatum, & explicationum. 120
Articulus VI. De Presbyteratu in particulari. ibid.
Sectio prima. Utrum Presbyteratus ſit Sacramentum? 121
Concluſio Affirmativa. Probatur multis momentiis.
1. Ex Conciliis. ibid.
2. Ex traditione Patrum. ibid.
3. Rationibus Theologicis. 122
Solvuntur objectiones. 123
Synopſis probationum. Presbyteratus eſt verum Sacramentum. 125
Synopſis objectionum & ſalutionum. ibid.
Sectio ſecunda. Quænam ſit materia, & forma Presbyteratus? ibid.
Concluſio prima. Materia Presbyteratus in utraque Eccleſia tam Græca, quam Latina, eſt impoſitio manuum, forma vero ſunt verba ab Epiſcopo prolata.
Srobatur multis momentis.
Primo, ex Scripturis. ibid.
Secundo, ex Conciliis, & ſummis Pontificibus. 126
Tertio, ex Patribus tam Græcis, quam Latinis. ibid.
Quarto, ex Pontificalibus Græcis. 128
Quinto, ex Latinis ritualibus. ibid.
Sexto, ex Ordinationibus Syrorum, Maronitarum, Neſtorianorum, Jacobitarum, &

Copti-

Coptitarum. 129
Concluſio ſecunda. *Ad majorem explicationem traduntur inſtrumenta*.
Probatur multipliciter. 130
Concluſio tertia. *Græci in ſuis Ordinationibus utuntur etiam inſtrumentis*. 131
Fit ſatis objectionibus. ibid.
Synopſis probationum. 1. *Materia Presbyteratus eſt impoſitio manuum cum inſtrumentis, forma vero verba ab Epiſcopo prolata*. ibid.
Synopſis difficultatum & explicationum. ibid.
Sectio tertia. *Utrum Parochi ſint de jure divino*. 134
Concluſio prima. *Parochi prout Eccleſiæ Miniſtri, quibus ſummi Pontifices & Epiſcopi uti poſſunt ad curam pro animarum regimine ſunt de jure divino*.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Concluſio ſecunda. *Parochi certo cuidam loco irrevocabiliter affixi cum titulo, ſub hoc reſpectu ſunt ſolum de jure Eccleſiaſtico*.
Probatur multis argumentis.
1. *Ex Scriptura ſacra*. 135
2. *Ex Conciliis*. 136
3. *Ex Theologis*. ibid.
4. *Ex rationibus Theologicis*. 137
Reſpondetur objectionibus contra ſecundam concluſionem. 139
Synopſis concluſionum. *Parochi, ut Miniſtri ad nutum Epiſcoporum Eccleſiæ famulantes, ſunt de jure divino, ſecus vero, ut Paſtores ad certum locum immobiliter alligati*. 144
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Articulus VII. *De Diaconatu*. 145
Sectio prima. *Utrum Diaconatus habeat rationem Sacramenti?*
Concluſio affirmativa. *Probatur rationibus Theologicis*. ibid.
Munia Diaconorum. 146
De Diaconiſſis. 147
Diverſa Diaconiſſarum genera. 148
Munia Diaconiſſarum. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 149
Synopſis probationum. *Diaconatus eſt Sacramentum*. 150
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.
Sectio ſecunda. *De materia, & forma Diaconatus*. 151
Concluſio prima. *Materia huic ordini eſſentialis eſt impoſitio manuum*.
Probatur unico iſto, ſed efficaci argumento. ibid.
Concluſio ſecunda. *Traditio libri Evangeliorum quem Epiſcopus offert tangendum Diacono eſt materia integralis*. ibid.
Concluſio tertia. *Forma Ordinationis Diaconi ſunt verba partim deprecatoria, partim etiam indicativa*.
Probatur prima pars. *Scilicet quod forma ſit deprecatoria*. 152
Probatur altera pars. *Nimirum quod forma ſit partim indicativa & abſoluta*. 153
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. *Materia eſſentialis Diaconatus eſt impoſitio manuum, forma vero verba ab Epiſcopo prolata*. 154
Synopſis difficultatum, & ſolutionum. 155
Sectio tertia. *Utrum Miniſtratio menſarum Laicarum, ſit primarium Diaconorum officium?*
Concluſio negativa. *Probatur rationibus Theologicis*. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 156
Synopſis probationum. *Diaconi Ordinati ſunt primario ad miniſterium ſacrum*. 158
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.
Articulus VIII. *De Subdiaconatu, & quatuor Minoribus*. 159
Materia & forma juxta Pontificale Romanum. ibid.
Concluſio. *Opinio quæ propugnat Subdiaconatum, & quatuor Minores non eſſe Sacramenta, valde probabilis eſt*.
Probatur rationibus Theologicis. 160
Fit ſatis objectionibus. 163
Synopſis probationum. *Valde probabile eſt Subdiaconatum, & quatuor minores non habere rationem Sacramenti*. 166
Synopſis argumentorum in contrarium & reſponſionum. 167

DISSERTATIO SEPTIMA.

De inſtitutione, materia, forma, Miniſtro, dotibus &c. Sacramenti Matrimonii. 168.
Articulus I. *De nomine, & definitione Matrimonii*.
Nomen. ibid.
Definitio. ibid.
Synopſis contentorum in articulo. 169
Articulus II. *De cauſa inſtitutrice & motiva Matrimonii*. ibid.
Concluſio prima. *Matrimonium in ordine natura*

*natura ſumptum habet pro cauſa inſtitutri-
ce Creatorem.*
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Cauſa motiva Matrimonii. 170
Concluſio ſecunda. *Matrimonii ut Sacramenti inſtitutor eſt Chriſtus.*
Probatur variis momentis. ibid.
Synopſis contentorum in articulo. 171
Articulus III. *De cauſa materiali, formali, & efficiente Matrimonii.* ibid.
Sectio I. *Num conſenſus abſolutè requiratur ad rationem eſſentialem Matrimonii?*
Concluſio affirmativa. *Probatur rationibus Theologicis.* 172
Diluuntur objecta. ibid.
Synopſis probationum. Conſenſus eſt formalis cauſa Matrimonii. 173
Synopſis difficultatum & explicationum. ibid.
Sectio ſecunda. *Num requiratur ad valorem Matrimonii ut conſenſus ſenſibiliter exprimatur?*
Concluſio affirmativa. *Probatur rationibus D. Thomæ.* ibid.
Ex rationibus Catechiſmi Romani. ibid.
Solvuntur objectiones. 174
Synopſis probationum. Requiritur ad Matrimonium quòd conſenſus exprimatur. 175
Synopſis difficultatum & explicationum. ibid.
Sectio tertia. *Num conſenſus inter abſentes per procuratorem expreſſus ſufficiat ad Sacramentum?* ibid.
Concluſio. *Valet Matrimonium inter abſentes.*
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 176
Synopſis probationum. Matrimonium inter abſentes contractum valet. 177
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Sectio quarta. *Num valeat Matrimonium clandeſtinum?* ibid.
Concluſio prima. *Ante Concilium Tridentinum valebat Matrimonium clandeſtinum.*
Probatur rationibus Theologicis. 178
Concluſio ſecunda. *Poſt Concilium Tridentinum Matrimonium clandeſtinum eſt irritum.*
Probatur variis momentis. ibid.
Diluuntur objecta contra primam concluſionem. 179
Solvuntur objectiones contra ſecundam concluſionem. 180
Synopſis probationum. Matrimonium in occulto factum valebat ante Concilium Tridentinum, è contra vero poſt ejus celebrationem. 181
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Sectio quinta. *Utrum conſenſus parentum requiratur ad Matrimonium contrahendum?* 182
Concluſio prima. *Prioribus ſæculis ad nonum uſque circiter ſæculum, Matrimonia juvenum, & puellarum, abſque parentum conſenſu erant invalida.* ibid.
Probatur multiplici auctoritatum genere.
1. *Ex declaratione ſummorum Pontificum.* ibid.
2. *Ex Conciliis.* 183
3. *Ex edictis Imperatorum tum Orientis, tum Occidentis.*
Edicta Imperatorum Orientis. ibid.
Eadem conſuetudo in Occidente, annuentibus Imperatoribus, ſervata. 184
3. *Ex quibuſdam factis.* ibid.
4. *Ex variis rationibus.* ibid.
Concluſio ſecunda. *Ab undecimo circiter ſæculo ad nos uſque Matrimonium filiorum, prætermiſſo parentum conſenſu, validum fuit.*
Probatur multis momentis. 185
Primum argumentum. *Ex ſcriptura deſumitur.* ibid.
Secundum argumentum. *Ex ſummorum Pontificum & Conciliorum auctoritate.* ibid.
Tertium argumentum. *Ex edictis Regum Franciæ.* ibid.
Quartum argumentum. *Ex variis rationibus componitur.* 186
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. Matrimonium abſque parentum conſenſu à primo ad nonum uſque ſæculum invalidum erat; poſtea vero ratum habitum eſt. 189
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Articulus IV. *Num ſponſalia debeant Matrimonium antecedere?* ibid.
Synopſis articuli. 190
Articulus V. *Quiſnam ſit Matrimonii Miniſter?* ibid.
Sectio prima. *Num vel ipſi contrahentes ſint Sacramenti Matrimonii Miniſtri?* ibid.
Concluſio. *Contrahentes ſunt, vel ipſius Matrimonii Sacramenti Miniſtri.*

Pro-

Probatur rationibus Theologicis. 191
Fit ſatis objectionibus. 192
Synopſis probationum. Contrahentes ſunt Miniſtri Sacramenti Matrimonii. 193
Synopſis difficultatum, & explicationum. 194
Sectio ſecunda. Utrum præſentia Parochi ita requiratur pro Matrimonio contrahendo, ut ſolus ſit hujus Sacramenti Miniſter? ibid.
Concluſio negativa. Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objecta. 195
Synopſis probationum. Parochus non eſt Sacramenti Matrimonii Miniſter. 197
Synopſis argumentorum in contrarium, & reſponſionum. ibid.
Articulus IV. De bonis Matrimonii. ibid.
Sectio prima. De bonis Matrimonii univerſim ſpectati. ibid.
Synopſis eorum quæ continentur in ſectione. 200
Sectio ſecunda. De ſpeciali dote Matrimonii, ſcilicet indiſſolubilitate. ibid.
Punctum primum. Num Matrimonium in officium naturæ, tum ut Sacramentum ſpectatum, ſit indiſſolubile? ibid.
Concluſio prima. Matrimonium ut eſt in officium naturæ annexam habet indiſſolubilitatem.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Concluſio ſecunda. Matrimonium ut eſt Sacramentum ſtrictiſſimam habet indiſſolubilitatem.
Probatur rationibus Theologicis. 201
Fit ſatis objectionibus. 202
Synopſis probationum. Matrimonium eſt indiſſolubile. 203
Synopſis difficultatum, & reſponſionum. ibid.
Punctum ſecundum. De libello repudii, ſeu mulierum dimiſſione.
Concluſio. Quandoque juſta de cauſa permittitur divortium.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Motiva dimiſſionis conjugis. 204
Quidam ſunt caſus in quibus adulteram nequidem dimittere licet. 205
Synopſis eorum quæ complectitur punctum ſecundum, ſeu caput. ibid.
Punctum tertium. Num vir, vivente propria uxore, quam propter adulterium dimiſit, poſſit cum altera nubere? ibid.
Concluſio prima. Vir, vivente propria uxore, alteram nequit ducere.
Probatur multis momentis.
1. Ex ſcriptura ſacra. ibid.
2. Ex traditione Patrum. 206
3. Ex ſanctorum Pontificum decretis. 207
4. Ex Conciliorum definitionibus. ibid.
5. Rationibus Theologicis. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 208
Synopſis probationum. Homo, vivente propria uxore, alteram nequit ducere. 210
Synopſis objectionum, & ſolutionum. 211
Articulus VII. De ſecundis nuptiis. ibid.
Concluſio. Nuptiæ ſecundæ, mortuo uno conjuge, licitæ ſunt.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 212
Synopſis probationum. Secundæ nuptiæ licitæ ſunt. 213
Synopſis difficultatum, & explicationum. ibid.
Articulus VIII. De honeſto Matrimonii actu. 214.
Synopſis articuli. 215
Articulus IX. De impedimentis Matrimonii. ibid.
Sectio prima. De impedimentis prohibentibus Matrimonium. ibid.
§. I. De quinque prioribus. ibid.
§. II. Septem alia impedimenta ex crimine procedunt, & ſequentibus verſibus explicantur. 216
Appendix ſectionis. 217
Sectio ſecunda. De impedimentis dirimentibus. ibid.
§. I. De impedimento erroris. 219
§. II. De errore conditionis. 220
§. III. De impedimento voti caſtitatis. 221
§. IV. De impedimento cognationis. 223
§. V. De impedimento affinitatis. 226
§. VI. De impedimento publicæ honeſtatis. 228
§. VII. De impedimento Ordinis. 229
§. VIII. De impedimento diſparitatis cultus. 230
§. IX. De impedimento ligaminis. 230
§. X. De impedimento metus, quod vocatur vis. 235
§. XI. De impedimento criminis. 237
§. XII. De impotentia. 238
§. XIII. De Matrimonio clandeſtino. 240
§. XIV. De impedimento raptus. 243
§. XV. De peccatis Matrimonium celebran-

Digitized by Google

lebrando, vel eo utendo occurrentibus. 245.

QUARTA PARS.

SEu praxis Sacramentorum. 247

DISSERTATIO PRIMA.

De ſacris cæremoniis ſecundum ſe ſpectatis. ibid.
Articulus I. *Utrum cæremoniæ Eccleſiaſticæ in prima ſui inſtitutione ſint ſymbolicæ?*
Concluſio affirmativa. *Probatur multis momentis*.
Articulus I. *Utrum cæremoniæ Eccleſiaſticæ in prima ſui inſtitutione ſint ſymbolicæ?*
Concluſio affirmativa.
Probatur multis momentis.
Primo, ex figuris quæ illas præluſerunt. 248
Secundo, ex quibuſdam & Chriſti, & Apoſtolorum actionibus. 249
Tertio, ex ſpiritu Eccleſiæ qui totus eſt ſymbolicus. 250
Quarto, ex variis cæremoniis in particulari conſideratis. 251
Quinto, tametſi neceſſitate compellente, quædam cæremoniæ inſtitutæ ſint, non tamen carent myſterio. 252
Solvuntur objectiones D. De Vert. ibid.
Objectiones ex novo Teſtamento. 253
Synopſis probationum.
Cæremoniæ Eccleſiaſticæ ſunt ſymbolicæ. 255
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Articulus II. *Qua lingua & qua voce debeat Miſſæ ſacrificium celebrari*. ibid.
Concluſio I. *Juſtis de cauſis Eccleſia Occidentalis divina Officia latino idiomate perſolvit*.
Probatur variis argumentis.
1. *Ex Scriptura ſacra*. 256
2. *Ex praxi Eccleſiæ Orientalis*. ibid.
3. *Ex praxi Eccleſiæ Occidentalis*. 257
4. *Ex Conciliis*. ibid.
5. *Rationibus Theologicis*. ibid.
Concluſio II. *Eccleſia à ſancto Spiritu gubernata, ſapienter ſtatuit canonem Miſſæ, demiſſa voce recitandum*.
Probatur ex multis capitibus.
1. *Ex Scriptura ſacra*. 258
2. *Ex praxi Eccleſiæ*. ibid.
3. *Ex Miſſis MS. antiquiſſimis*. 259
Solvuntur objectiones contra primam concluſionem. 260
Fit ſatis objectionibus contra primam concluſionem. 251
Synopſis probationum.
Eccleſia juſtis de cauſis ſtatuit 1. *Officium divinum latino idiomate perſolvi*, *Canonem vero Miſſæ voce demiſſa pronuntiari*. 264
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. III. *Utrum ſacri ritus in Anglia ſint practici?* 265
§. I. *Hiſtoria critica Schiſmatis Anglicani*.
Ortus. ibid.
Progreſſus. 266
Extinctio ſeu proſcriptio. 267
§. II. *Num Ordinationes Præſulum Angliæ ſint validæ?* ibid.
Concluſio. *Ordinationes Præſulum Angliæ a Proteſtantibus factæ non ſunt validæ*.
Probatur argumentis Theologicis. ibid.
Fit ſatis objectionibus Anglorum Epiſcoporum Proteſtantium. 269
Synopſis probationum.
Ordinationes Anglorum vacuæ & nullæ ſunt. 271
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.
§. III. *Utrum Ordinationes validæ a ParKeri Ordinatione defecerint?* 272
Concluſio. *Probabiliſſimum eſt ſucceſſionem Epiſcoporum Angliæ Schiſmaticorum defeciſſe in Ordinatione ParKeri*.
Probatur rationibus & factis. ibid.
Scorius non erat Epiſcopus conſecratus quum ParKerum ordinavit. 273
Doctor BarloW, quem aliqui Parkeri inſtituunt conſecratorem, nuſquam fuit Epiſcopus. 274
Reſpondetur objectionibus P. Courayer. 275
Synopſis probationum.
Ordinatio Parkeri fuit invalida. 277
Synopſis difficultatum.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Diſpoſitionibus, Ritibus, & caſibus Baptiſmum ſpectantibus. 278
Articulus I. *De diſpoſitionibus prærequiſitis ad Baptiſmum*. ibid.

Se-

Sect. I. *De diſpoſitionibus in genere Miniſtrorum pro conficiendis Sacramentis.* ibid.
Synopſis ſectionis.
Requiruntur diſpoſitiones in Miniſtris ad conficienda ſacramenta. 280
Sectio II. *De diſpoſitionibus ad Baptiſmum ſuſcipiendum.* ibid.
Ordo I. *Ex antiquo libro Sacramentorum Eccleſiæ Gallicanæ, quem ex vetori codice MS. Bobienſi ante annos mille exarato, edidit Mabillonius in Muſæi Italici Tomo I.* ibid.
Ordo II. *Ex VIII. MSS. libris Sacramentorum, quorum character annos nongentos, aut circiter repreſentat: ſcilicet Gellonenſi, Rhemenſi ſancti Remigii, Anglicano ex Monaſterio Gemmeticenſi, Regio, Colbertino, & Moſaicenſi.* 281
Synopſis eorum quæ complectitur articulus. 283
Articulus II. *De Ritibus obſervandis ad conferendum Baptiſmum.* 284
§. I. *De tempore.* ibid.
§. II. *De loco.* 285
§. III. *De modo baptizandi, ſeu de cæremoniis.* 287
De his quæ præcedunt Baptiſmum. ibid.
De cæremoniis Baptiſmum quaſi concomitantibus. 288
De cæremoniis Baptiſmum ſubſequentibus. 289
Ritus conferendi Baptiſmum.
Ordo I. *Ex antiquo Sacramentario Gallicano quod ex MS. Bobienſi, annorum mille Mabillonius in Muſæi Italici Tomo I. vulgavit.*
Incipit ordo Baptiſmi. ibid.
Ordo II. *Ex libro ſacramentorum Gelaſii Papæ a Thomaſio edito ex codice MS. annorum 908.* 291
Ordo III. *Ex Rituali Rothomagenſis Eccleſiæ excerptus.* 292
Articulus III. *Sequuntur caſus circa Baptiſmum & ſolutiones. A pag. ..... uſque ad ..... incluſive.* 295
De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus conſcientiæ circa Confirmationis ſacramentum. 305
Articulus I. *Diſpoſitiones, tum interiores, tum exteriores ad Confirmationem ſuſcipiendam præroquiſitæ.*
Exteriores. ibid.
Diſpoſitiones interiores. 307
Synopſis eorum quæ in hoc articulo ſcripta ſunt. 308
Art. II. *De ritibus Confirmationis.* ibid.
Tempus, ſeu ætas. ibid.
Praxis Eccleſiæ de confirmandis parvulis ab ipſa vagiente Eccleſia. 309
Hora, locus. 310
Modus confirmandi. ibid.
Ordo I. *Ex antiquo Pontificali MS. Egberti Archiepiſcopi, qui circa medium ſæculum octavum Eboracenſem regebat Eccleſiam.* 311
Ordo II. *Ex Sacramentario Gelaſiano & quatuor MSS. annorum 900. Regio 3866. Colbertino 1348. Gellonenſi & Noviomenſi.* 312
Ordo III. *Ex Pontificali Romano deprompius.* ibid.
Articulus III. *Sequuntur caſus & difficultates explicandæ circa Confirmationis ſacramentum. A pag. ..... uſque ad ..... incluſive.* 314
De diſpoſitionibus, ritibus & caſibus conſcientiæ circa Eucharistiam, tum ut Sacramentum, tum ut ſacrificium eſt. 316
Articulus I. *Quænam diſpoſitiones ad Communionem & Miſſam audiendam requirantur.* 317
Reverentia ſumma ad audiendam Miſſam exigitur. ibid.
§. I. *De compoſitione ſeu modeſtia corporis.* ibid.
§. II. *Diſpoſitiones ex parte animæ ad Miſſam fructuosè audiendam.* 319
Concluſio. *Fideles etiam graviſſimis peccatis detenti debent devote audire Miſſam, nec novum illam audiendo committunt peccatum.*
Probatur multis momentis.
1. *Ex Scriptura ſacra.* 320
2. *Ex ſummis Pontificibus & ſanctis Patribus.* ibid.
3. *Rationibus Theologicis.* 321
Diluuntur Novatorum objecta. 322
Synopſis controverſiæ.
Fideles graviſſimis peccatis detenti novum peccatum non committunt, ſi ſacrum devote audiant. 324
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.
§. III. *Præparationes ad Miſſam celebrandam.* ibid.
Veſtes Sacerdotales. 325
Ordo I. *Ex antiquo libro ſacramentorum Eccleſiæ Turonenſis. ante an. 800. exarato.* ibid.
Ordo II. *Ex antiquo Miſſali Eccleſiæ Bello.*

Bellevacenſi. 326
Ordo III. *Ex Miſſali Romano.* ibid.
Ordo I. *Ex MS. Pontificali Eccleſiæ Cameracenſis quando Pontifex induitur ad Miſſam.* 327
Ordo II. *Ex Miſſali Romano.* 318
§. III. *De Mitræ uſu, & antiquitate.* 329
Articulus II. *De cæremoniis & ritibus Miſſæ celebrandæ.* 330
Sectio prima. *Ritus obſervandi ante Miſſæ celebrationem.* ibid.
§. I. *Veſtes ſacræ.* ibid.
§. II. *De Templis.* 333
De templorum forma. 334
§. III. *De altaribus.* 335
§. IV. *De cereis.* 337
§. V. *De ſanctitate externa templorum.* 338
§. VI. *De inſtrumentis ad Sacramentum peragendum.* ibid.
§. VII. *De veſtibus Sacerdotis celebrantis.* 339
§. VIII. *De hora celebrandi ſacrificium.* ibid.
De variis Miſſis.
§. I. *Nomina.* 341
§. II. *Diviſio Miſſæ multiplex.* ibid.
§. III. *De Miſſis privatis in particulari.* ibid.
Concluſio. *Miſſa privata ritè celebratur.*
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum. 343
Synopſis probationum.
Miſſa privata non eſt reſcindenda. 345
Synopſis difficultatum & explicationum. ibid.
§. IV. *De Miſſa præſanctificatorum in particulari.* ibid.
Miſſa præſanctificatorum. ibid.
Eodem ritu celebratur in Eccleſia Græca Miſſa præſanctificatorum. 346
De Miſſa ſicca ſeu nautica in gratiam peregrinorum & infirmorum inſtituta. ibid.
Antiquitas Miſſæ præſanctificatorum. 347
§. V. *De diebus quibus ab omni ævo Eccleſia ſolita fuit ſacram Miſſam celebrare.* ibid.
§. VI. *De aliis Miſſis.* 348
Sectio ſecunda. *De diſpoſitionibus, ſeu cæremoniis ad Miſſam requiſitis.* 349
§. I. *De acceſſu Sacerdotis ad altare, de Pſalmo judica, & confeſſione.* ibid.
§. II. *De Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, Dominus vobiſcum, & Collecta.* 350
§. III. *De Epiſtola, Graduali.* 351
§. IV. *De Evangelio, Symbolo, Offertorio, Præfatione &c.* ibid.
§. V. *De Hymno Seraphico.* 353
§. VI. *De Canone Miſſæ.* ibid.
§. VII. *De oratione Dominica, & ceteris ſubſequentibus uſque ad dimiſſionem populi.* 355
Sectio tertia. *De Ritibus qui ad Miſſam ſubſequuntur.* 356
Liturgia ſancti Jacobi Apoſtoli fratris Domini. 357
Liturgia ſancti Joannis Chryſoſtomi. 364
Miſſa in feſto ſancti Jacobi ex antiquo Miſſali MS. Mozarabum excerpta. Tribuitur S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo, adeoque eſt ſexti circiter ſæculi. 370
Ordo continens Miſſam à Mathia Flacco Illirico proteſtanti, veritate ſacrificii Miſſæ ſuperato, editam. 376
Articulus III. *Sequuntur caſus conſcientiæ circa communionem, & ſacrificium Miſſæ propoſiti & ſoluti. A pag. ..... uſque ad ..... incluſivè.* 388
De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus circa Pœnitentiam. 400
Articulus I. *De diſpoſitionibus ex parte ſuſcipientium.* ibid.
Synopſis articuli.
Requiruntur ad Pœnitentiam plures animæ diſpoſitiones. 402
Articulus II. *De ritibus Pœnitentiæ.* ibid.
Ordo I. *Ex MS. Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis, cujus character annos circiter nongentos refert.*
Incipit qualiter ſuſcipere debeat pœnitentes Epiſcopi vel Presbyteri. ibid.
Ordo II. *Ex pervetuſto Codice Floriacenſi.*
Modus audiendi confeſſiones à Patribus antiquis traditus. 404
Ordo III. *Ex MS. Gellonenſi ſæculo nono aut decimo exarato.*
Incipit ordo ad dandam pœnitentiam, ex pervetuſto Codice Gellonenſi. 406
Formę Abſolutionis pœnitentis morientis. ibid.
Ordo IV. *Ex Manuſcriptis inſignis Eccleſiæ Ebroienſi annorum* 800. *De Ordine in Cœna Domini.* 407
Articulus III. *Sequuntur Caſus Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantes. A pag. ...... uſque ad ..... incluſivè.* 408
De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus circa Extremam Unctionem.
Articulus I. *De diſpoſitionibus.* 417
Arti-

Digitized by Google

Articulus II. *De ritibus Extremæ Unctionis.* 418
Ordo I. *In quo varii ad ungendos infirmos ritus referuntur ex MS. Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter 900.* ibid.
Ordo II. *Ex MS. inſignis Eccleſiæ Turonenſis ante annos 800. exarato.* 422
Ordo III. *Ex MS. Pontificali Eccleſiæ CP. annos circiter 500.* 424
Articulus III. *Sequuntur caſus circa Extremam-Unctionem propoſiti & ſoluti. A pag. .... uſque ad ...., incluſivè.* 425
De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus circa Ordinis Sacramentum.
Articulus I. *De diſpoſitionibus.* 428
Sectio prima. *De diſpoſitionibus extrinſecis. ex parte mentis & cordis.* ibid.
§. I. *Vocatio ad ſacros Ordines ſuſcipiendos eſt neceſſaria.* ibid.
§. II. *De diſpoſitionibus mentis.* ibid.
§. III. *De diſpoſitionibus ex parte cordis.* 429
Synopſis eorum quæ in ſectione continentur. 430
Sectio ſecunda. *De diſpoſitionibus ex parte perſonæ.* ibid
Synopſis recenſitorum in ſectione. 431
Sectio tertia. *De diſpoſitionibus ab Eccleſia ſpecialiter expoſtulatis.* 432
§. I. *De Tonſura Clericali.* ibid.
§. II. *De examine & electione Clericorum.* 433
§. III. *De interſtitiis, & ætate Ordinandorum.* ibid.
§. IV. *De Ordinationibus per ſaltum.* 435
Concluſio prima. *Ordinationes abſque interſtitiis ſervatis in neceſſitate fieri poſſunt.*
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Concluſio ſecunda. *Superiores Ordines, ut Presbyteratum, omiſſis inferioribus Ordinibus & Subdiaconatu Epiſcopus conferre non poteſt.*
Probatur ratione eaque multiplici. ibid.
Concluſio tertia. *Epiſcopatus, omiſſo Presbyteratu nuſquam potuit dari.*
Probatur rationibus Theologicis. 436
Fit ſatis objectionibus. ibid.
§. V. *De Titulo ab Eccleſia expoſtulato, ut aliquis ad ſacros promoveatur Ordines.* 437
Decretum pro titulo. 438
Synopſis ſectionis. ibid.
Articulus II. *De ritibus ſacrarum Ordinationum.* 439
§. I. *De tempore.* ibid.
§. II. *De loco ſacrarum Ordinationum.* 440
§. III. *Modus ſeu ritus ſacrorum Ordinum.* ibid.
Ordo I. *Ex Pontificali MS. Cadurcenſi ab anno 800. exarato, & in Bibliotheca Colbertina aſſervato.* ibid.
Ordo II. *Ex MS. Pontificali Eccleſiæ Noviomenſis an. circiter 800. quod uſui fuit Radbodo Epiſcopo.* 445
Articulus III. *Sequuntur caſus circa ſacrum Ordinis Sacramentum. A pag. ..... uſque ad ..... incluſive.* 448
De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus, Sacramentum Matrimonii ſpectantibus. 451
Articulus I. *Quænam Diſpoſitiones ad Matrimonium Chriſtianè contrahendum requiſitæ?* ibid.
§. I. *De diſpoſitionibus animæ.* 452
§. II. *De diſpoſitionibus ex parte Eccleſiæ præ-requiſitis.* 453
§. III. *De tempore & loco celebrandarum nuptiarum.* ibid.
Synopſis eorum quæ in ſectione ſcripta ſunt. 454
Articulus I. *De ritibus in celebratione nuptiarum celebrandis.* ibid.
Ordo I. *In quo varii ad benedicendas nuptias referuntur ritus ex Gelaſiano Miſſali & MSS. Codicibus Remenſi, & Gellonenſi ann. 900.* ibid.
Ordo II. *Ex MS. Miſſali Redonenſi ab annis circiter 700. ſcripta, & in Bibliotheca S. Gatiani Turonenſis aſſervato. Incipit ordo ad ſponſum & ſponſam benedicendam.* 456
Ordo III. *Ex MS. Pontificali Monaſterii Lyrenſis an. 600.* 457
Articulus I. *Proponuntur & ſolvuntur caſus de Matrimonio. Hic à pag. 557. uſque 570. incluſivè.* 459
Concluſio totius tractatus adverſus Proteſtantes. 464
Conſenſio Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali circa Sacramenta. 465
Articulus I. *De Baptiſmo.* ibid.
§. I. *De materia Baptiſmi in utraque Eccleſia.* ibid.
§. II. *De forma Baptiſmi in utraque Eccleſia.* ibid.
§. III. *De Miniſtro Baptiſmi in utraque Eccleſia.* 466

Articu-

Digitized by Google

Articulus II. *De Confirmatione*. ibid.
§. I. *De materia Confirmationis in utraque Eccleſia*. ibid.
§. II. *De forma Confirmationis in Oriente & Occidente*. ibid.
§. III, *De Miniſtro Confirmationis*. ibid.
Articulus III. *De Eucbariſtia*. 467
§. I. *De materia*. ibid.
§. II. *De forma in utraque Eccleſia uſitata*. ibid.
§. III. *De præſentia corporis Chriſti in Eucbariſtia, & de Miſſæ ſacrificio*. ibid.
Articulus IV. *De Pænitentiæ Sacramento*. 468
§. I. *De materia Pænitentiæ juxta Orientales & Occidentales*. ibid.
§. II. *De forma*. ibid.
§. III. *De Confeſſione ſacramentali quo ad praxim*. 469
Diſciplina pro Confeſſione ſingulorum peccatorum emittenda in Eccleſia Occidentali. ibid.
Praxis Confeſſionis Sacramentalis in Eccleſia Orientali. 470
§. IV. *De Miniſtro*. ibid.
Articulus V. *De Extrema-Unctione*. 371
§. I. *De materia Extrema-Unctionis*. ibid.
§. II. *De forma*. ibid.
§. III. *De Miniſtro*. 472
Articulus VI. *De Ordine & Matrimonio*. ibid.
Sequuntur Ritualia MSS. à D. Launojo quondam Doctore Sorbonico collecta, tum argumentum ex Monaſtico Anglicano excerptum contra Proteſtantes; ac demum Canones Concilii Tridentini de Sacramentis, A pag. ..... uſque ad finem.

FINIS.

DE SACRAMENTIS

CONTINUATIO TERTIÆ PARTIS,

In qua agitur de Inſtitutione, Materia, Forma, Miniſtro, Subjecto, & effectibus Sacramentorum Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

DISSERTATIO QUINTA
DE EXTREMÆ UNCTIONIS
Materia, Forma, Miniſtro, Subjecto, & ejus effectibus.

HETERODOXI per omnia Sacramentum Extremæ Unctionis temerare moliti ſunt. Quidam errarunt circa eſſentiam, negando eſſe novę legis Sacramentum; ita Waldenſes, ut refert Eberardus Lib. contra eos capite 11. Albigenſes, teſte Alano, L. 1. adverſus Hæreſes; Wicleſus, ut liquet ex Concilio Conſtantienſi, Seſſ. 8. Uſſitæ in eodem errore verſati ſunt, ſi credamus Æneæ Sylvio Epiſt. ad Cardinalem Carvaial. His accedunt Lutherus L. de captivitate Babylonica; Calvinus L. 4. inſtitut. c. 19. §. 18. Dallæus L. de Extrema Unctione. Quidam circa materiam, ut citati Waldenſes, Lutherani, & Calviniſtæ, qui & formam ſubſannaverunt: Iidem Proteſtantes ejuſdem Sacramenti effectum, Miniſtrum & uſum tentaverunt: ſed contra quod dicitur Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Oeconomia Sacramenti Extremæ Unctionis conſiſtit,

Primo, in Materia remota.
Secundo, in proxima, ſeu unctione.
Tertio, in Forma.
Quarto, in Miniſtro.
Quinto, in Subjecto.
Sexto, demum in effectibus. De his ſingulis capitibus impræſentiarum agere, operæ pretium eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine, diviſione, definitione, & unitate Sacramenti Extremæ Unctionis.

Nomen.

QUANDOQUE iſtud Sacramentum nomen a materia accipit; ſic a Græcis appellatur Oleum Sanctum, ſeu officium Olei ſancti, ut habetur in Euchologio: a La-

tinis vocatur Oleum benedictionis : a Paſchaſio in vita Adelardi Abbatis Corbejenſis, Sacra Unctio : a Concilio Moguntino ſub Rabano capite 26. ſacri olei Unctio: In libro 6 Capitul. Caroli Magni cap. 75. Unctio ſacramenti olei : In Concilio Aquiſgranenſi 2. de vita & doctrina, infer. ordin. c. 5. Sacramentum ſacræ unctionis. Ab Osberto in vita S. Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis, Benedictio ſacrati olei : Ab Heraldo Turonenſi cap. 21. Sanctificatio unctionis. Quandoque etiam a materia, & forma ſimul apud Græcos εὐχέλαιον, hoc eſt, oratio cum oleo nominatur. Nonnumquam Latini ad ſubjectum reſpicientes, nomine unctionis infirmorum celebrant idem Sacramentum, ut Goſridus Windocinenſis Epiſt. 19 & 20. libri 2. Epiſtolarum, & ante ipſum Petrus Damianus ſermone de dedicatione Eccleſiæ. Uſus quoque obtinuit ab ordine quem habet ad ceteras unctiones, illud vocare Unctionem Extremam. Sic Prudentius Tricaſſinus de Sancta Maura, Odo Pariſienſis in ſtatutis Synodalibus : Sic Concilium Trident. Seſſ. 14. cap. 3. Non deſunt qui hoc ſacramentum ab effectu in anima producto, medicinam appellent. Ita Concilium Cabillonenſe 11. can. 48. Item & ſanctus Thomas L. 4. contra Gent. cap. 73. ubi de hoc Sacramento ſic loquitur : " Conveniens igitur fuit, ut contra
„ peccatum aliqua ſpiritualis medicina
„ exhiberetur, ſecundum quod ex pecca-
„ to derivatur infirmitas corporalis: Per
„ quam quidem ſpiritualem medicinam
„ ſanatur infirmitas corporalis aliquan-
„ do. „

Non omittenda ſunt quæ Catechiſmus Romanus part. 2. tit. de Extremæ Unctionis nominibus num. 3. dicit : " Pri-
„ mum illud tradendum erit, hoc
„ ſacramentum, idcirco Extremam Un-
„ ctionem appellatum eſſe, quod hæc
„ omnium ſacrarum unctionum, quas Do-
„ minus Salvator noſter Eccleſiæ ſuæ com-
„ mendavit, ultima adminiſtranda ſit.
„ Quare hæc ipſa unctio a majoribus no-
„ ſtris Sacramentum etiam unctionis infir-
„ morum, & Sacramentum exeuntium di-
„ cta eſt : quibus vocabulis Fideles in me-
„ moriam noviſſimi illius temporis facile
„ redire poſſunt. „

Unctio a qua denominatur Sacramentum, illud poteſt ſumi dupliciter : Primo quidem latiſſime, tum ſtricte. Priori modo importat omnem olei & chriſmatis unctionem, in quo ſenſu complectitur chriſmationem verticalem quæ fit in Baptiſmo; unctionem, qua Apoſtoli ungebant infirmos pro ſanitate ſolum corporali reſtituenda, immo & illam, quæ non ſemel applicata eſt, & facta iis qui reconciliabantur Eccleſiæ. In poſteriori vero ſenſu vocatur Extrema Unctio : hinc per iſtam vocem *extrema*, a ceteris ſecernitur unctionibus, & nonniſi pro Sacramento habetur.

Definitio.

Ex Concilio Florentino in Decreto unionis, hæc hujuſce Sacramenti colligitur definitio: *Extrema Unctio eſt Sacramentum novæ legis quo ſanamur ſpiritualiter, immo etiam & corporaliter, prout animæ expedit.* Poteſt etiam iſto ulteriori modo ſic delineari ; *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ut per unctionem certarum partium ægroti, ex oleo benedicto, & per orationem Sacerdotis, illi conferatur ſalus mentis & corporis.* Porro eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum, de fide definitum eſt in Concilio Tridentino Seſſ. 14. can. 1. his verbis : *Si quis dixerit Extremam Unctionem non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum ; anathema ſit.* Tum can. 2. *Si quis dixerit ſacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos ; ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit.*

Unitas.

SACRAMENTUM Extremæ Unctionis eſſe in ſua ſpecie unicum declarat idem Concilium, tum & Florentinum, cum utrumque ſeptem tantummodo agnoſcat Sacramenta, quorum unum eſt Extrema Unctio. Hoc ipſum explicat Catechiſmus Romanus part. 2. de Extrem. Un. num. 4. " Conſtanter itaque, *ait*, do-
„ cendum eſt a Paſtoribus, verum Sacra-
„ mentum eſſe : nec plura, ſed unum,
„ quamvis per plures unctiones adminiſtre-
„ tur : quarum ſingulis propriæ preces, ac
„ peculiaris forma adhibenda eſt. Unum
„ vero

„ vero eſt non partium continuatione ,
„ quæ dividi non poſſint , ſed perfectio-
„ ne : cujuſmodi ſunt cetera omnia , quæ
„ ex pluribus conſtant . Nam quemadmo-
„ dum domus , quæ ex multis & diver-
„ ſis rebus compoſita eſt , una tantum
„ forma perficitur : ita hoc Sacramen-
„ tum , etſi ex pluribus rebus , & verbis
„ conſtituitur , unum tamen ſignum eſt , &
„ unius rei , quam ſignificat , efficientiam
„ habet . „

Synopſis contentorum in præſenti Articulo .

PRIMO : Si de nomine ſermo ſit , recte iſtud Sacramentum Extrema Unctio vocatur , quippe quod animam agentibus conferatur .

Secundo : Unctio in ſe multiplici modo ſumi poteſt , ſed eo ipſo quo apponitur verbum iſtud , *Extrema* , deſignatur unctio ſacramentalis .

Tertio : Definiri poteſt juxta Concilii Florentini mentem , Sacramentum novæ legis , quo nedum anima ſpiritualiter ſanatur , ſed & corpus , ſi expedit ſaluti .

Demum : Tametſi ex multis coaleſcat iſtud Sacramentum , unum tamen eſt ; quandoquidem nonniſi unicam habet ſignificationem , & ſic unicum in ſua ſpecie ſignum gratiæ practicum eſt .

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia Extremæ Unctionis .

SICUT in aliis Sacramentis duplex diſtinguitur materia , remota ſcilicet , & proxima , ſic & in iſto . Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Utrum Oleum ſit materia remota hujus Sacramenti ?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur auctoritate & ratione .

PRIMO QUIDEM ex Scriptura ſacra Jacobi 5. ſic habetur : *Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Eccleſiæ , & orent ſuper eum , ungentes eum oleo in nomine Domini .* Quibus verbis clare aſſignatur materia remota hujus Sacramenti .

Secundo : Concinit Conc. Trident. Seſſ. 14. cap. 1. de Extr. Unct. " Inſtituta eſt
„ autem , *ait* , ſacra hæc unctio infirmo-
„ rum , tamquam vere & proprie Sacra-
„ mentum novi Teſtamenti , a Chriſto
„ Domino noſtro apud Marcum quidem
„ inſinuatum , per Jacobum autem Apo-
„ ſtolum , ac Domini fratrem , Fidelibus
„ commendatum , ac promulgatum : In-
„ firmatur (inquit ,) quis in vobis &c.
„ Quibus verbis , ut ex Apoſtolica Tradi-
„ tione , per manus accepta Eccleſia didi-
„ cit , docet materiam , formam , pro-
„ prium Miniſtrum , & effectum hujus ſa-
„ lutaris Sacramenti . Intellexit enim Ec-
„ cleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo
„ benedictum . Nam unctio aptiſſime Spi-
„ ritus ſancti gratiam , qua inviſibiliter
„ anima ægrotantis inungitur , repræſen-
„ tat . „ Audis Concilium B. Jacobi explanans verba , habere oleum pro materia hujus Sacramenti .

Tertio , ex Theophilacto , qui cap. 6. in Marcum pag. 44. explicans illa verba : *Et ungebant oleo multos ægros , & ſanabant* ; contendit iſtud oraculum intelligendum eſſe de Extremæ Unctionis Sacramento , quod habet pro materia oleum , " Eſt igitur , *ait* , o-
„ leum & ad labores utile , & lucis fo-
„ mentum , & hilaritatis eſt effectivum ,
„ ſignificatque miſericordiam Dei , & gra-
„ tiam Spiritus , per quam a labore libe-
„ ramur , & lucem ac gaudium , hilarita-
„ temque ſpiritualem quam accipimus . „

Quarto ex S. Thoma , qui eam propugnat doctrinam q. 29. art. 4. Supplementi , ubi ad hoc quæſitum , *utrum oleum olivæ ſit conveniens materia hujus Sacramenti ?* Reſpondet affirmative his verbis : " Dicendum ,
„ quod ſpiritualis ſanatio quæ in fine ad-
„ hibetur , debet eſſe perfecta , quia poſt
„ eam alia non relinquitur : & lenis , ut
„ ſpes , quæ exeuntibus eſt maxime neceſ-
„ ſaria , non frangatur , ſed foveatur .
„ Oleum autem lenitivum eſt , & pene-
„ trativum uſque ad intima , & etiam dif-
„ fuſivum , & ideo quantum ad utrumque
„ prædictorum eſt conveniens materia
„ hujus Sacramenti . Et quia oleum prin-
„ cipaliter nominatur olivæ liquor ,
„ cum alii liquores ſolum ex ſimilitu-
„ dine ad ipſum , olei nomen accipiant :

 „ ideo

„ ideo oleum olivæ etiam debet eſſe, quod aſſumitur in materiam hujus Sacramenti. „

Quinto, ratione multiplici: Oleum olivarum eſt hujus Sacramenti materia conveniens, quia ex Tridentino: *Gratia, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat*: quia ex Theophilacto, *miſericordiam, & gratiam Spiritus, per quam a labore liberamur, & lucem & gaudium, hilaritatemque ſpiritualem quam accipimus, (ſignificat.)* quia ex D. Thoma *lenitivum eſt*. Has omnes rationes compendioſe affert Catechiſmus Romanus n. 5. de Extrema Unctione: “ Aptiſſime autem hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur: nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita ſacramenti virtus animæ triſtitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, & lumini tamquam pabulum præbet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires, maxime accommodatum eſt. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiatur, declarant. „ Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Oleum debet eſſet benedictum, ſeu ab Epiſcopo conſecratum.

Probatur auctoritate, & ratione.

PRIMO, ex ſummis Pontificibus. Innocentius I. Epiſt. ad Decentium de hoc momento ſic loquitur: “ Quo, *oleo*, ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo. „

Patrocinatur Gregorius Magnus in Sacramentario his verbis: “ Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit illud tam ipſe quam omnes Presbyteri ad ungendum infirmum. „

Secundo, ex Conciliis. Cabilonenſe noſtram expreſſe docet concluſionem can. 48. in quo ſic loquitur: “ Infirmi oleo quod ab Epiſcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent. „

Aſquiſgranenſe vocat illud *oleum ſanctificatum*: eumdem tenet ſermonem Florentinum in decreto unionis: Sic docet Tridentinum Seſſ. 14. c. 1. “ Intellexit Eccleſia, inquit, *loquens de Extrema Unctione*, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. „

Tertius: Ex ſanctis Patribus & Doctoribus: Rupertus in vita Hereberti Colonienſis, ſanctus Bernardus in vita ſancti Malachiæ vocant illud *Oleum ſacrum*: Hugo in vita Hugonis Cluniacenſis *Oleum ſanctum*: Jonas Aurelianenſis Lib. 3. de inſtitutione Laicali, *Oleum ſanctificatum*; ſubſcribit Hincmarus in capitulis, ſic& Eparchius in vita Caroli Magni.

His accedit S. Thomas in Supplemento quæſt. 29. art. 5. his verbis: “ Et ideo dicendum, quod hoc Sacramentum conſiſtit in ipſa unctione, ſicut Baptiſmus in ipſa ablutione: & materia hujus Sacramenti eſt oleum ſanctificatum: Poteſt autem triplex ratio aſſignari, quare exigitur materiæ ſanctificatio in hoc Sacramento, & in quibuſdam aliis. Prima eſt, quia omnis efficacia Sacramentorum a Chriſto deſcendit: & ideo ſacramenta illa quibus ipſe eſt uſus, habent efficaciam ex ipſo uſu ſuo: ſicut tactu ſuæ carnis vim regenerativam contulit aquis: ſed hoc Sacramento non eſt uſus, nec aliqua corporali unctione; & ideo in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ. Secunda cauſa eſt propter plenitudinem gratiæ quæ confertur non ſolum ut tollat culpam, ſed etiam reliquias, & infirmitatem corporis. Tertia eſt ex hoc, quod effectus, ejus corporalis, ſcilicet ſanatio corporalis, non cauſatur ex materiæ naturali proprietate: & ideo oportet, quod hæc efficacia ſibi per ſanctificationem detur. „

CONCLUSIO TERTIA.

Oleum poteſt benedici a ſimplici Sacerdote per commiſſionem, aut privilegium.

Probatur variis momentis.

PRIMA RATIO; Quod eſt ſolum de præcepto Eccleſiaſtico, poteſt indulgeri pro adminiſtratione Sacramentorum: Atqui benedictio olei eſt ſolum de præcepto Eccleſia-

cleſiaſtico ; nullibi enim legitur , aut in Scriptura ſacra , aut in ſanctis Patribus eſſe abſolute neceſſariam : Igitur ex commiſſione SS. Pontificis , vel etiam Epiſcopi , ſimplex Sacerdos poteſt oleum infirmorum benedicere . Non levius iſtam conſequentiam ſubindigitant Patres , in primis Chryſoſt. Homil. 2. in caput 3. 1. ad Timoth. pag. 342. ubi ait : “ Sola quippe ordinatione ſu- ,, periores illi ſunt (*ſcilicet Epiſcopi*) at- ,, que hoc tantum pluſquam Presbyteri ha- ,, bere videntur. ,, Igitur ſimplex Sacerdos ſaltem poteſt benedicere oleum , cum in quibuſdam conveniat cum Epiſcopo , ſi ordinationem excipias : Subſcribit Hieronymus Epiſt. 5. ad Evagrium, ubi dicit Presbyterum , excepta ordinatione , idem ferme facere quod facit Epiſcopus, eo quod , ut ait Iſidorus de officio Eccleſiaſtico L. 2. c. 7. diſpenſatio Myſteriorum ſicut Epiſcopis , ſic & Presbyteris commiſſa fuerit . Ergo &c.

Altera : Ab actu ad poſſe valet conſequentia; atqui Presbyteri Græci benedicunt oleum infirmorum , & hoc quoties ungendus eſt infirmus , ſumentes de oleo lampadis . Sic refert Renaudotius L. 4. perpet. fidei ubi de Extrema-Unctione . Sic & Arcudius L. 5. de Extrema-Unctione cap. 2. pag. 381. colum . 1. Quem morem ſuo munivit calculo Clemens VIII. in inſtructione directa ad Epiſcopos Latinos , *titulo* circa oleum ſanctum infirmorum : Quem ritum utique probavit Congregatio de propaganda fide , cujus juſſu , & impenſis edita eſt Romæ , *Synopſis vernacula Neophyti Rhodini* , continens verba ſequentia : *Materia Sacramenti Extremæ-Unctionis eſt oleum , ex oliva expreſſum , a Pontifice , vel a Sacerdote benedictum .*

Hæc autem ſunt verba Arcudii in loco citato : “ In illa inſtructione Clementis ,, VIII. ſuper ritibus Græcorum de oleo ,, Catechumenorum , & infirmorum hæc ,, ad verbum traduntur . Non ſunt cogen- ,, di Presbyteri Græci olea ſancta , præ- ,, ter chriſma ab Epiſcopis Diœceſanis ac- ,, cipere , cum hujuſmodi olea ab eis in ,, ipſa oleorum , & ſacramentorum exhi- ,, bitione , ex veteri ritu conficiantur , ſeu ,, benedicantur . ,, Tum ſic concludit auctor : “ Chriſma itaque apud Græcos ſo- ,, lus Epiſcopus conficit , & diu aſſerva- ,, tur ; oleum autem infirmorum tunc tem- ,, poris benedicitur , quando æger ungen- ,, dus eſt .

Tertia : Quotieſcumque agitur de Chriſmate , hoc ſolum ab Epiſcopis conficiendum aſſerunt Concilia, prohibent vero Presbyteris: Igitur cum nulla ſit prohibitio; ſimplices Presbyteri, oleum infirmorum , & catechumenorum benedicere queunt . Sic cenſet S. Thomas opuſculo 65. pag. 109. ubi de ſacramento Unctionis ita loquitur : “ Si oleum, vel chriſma ex frequentiori ,, uſu deficeret , poteſt Sacerdos adhibere ,, oleum non conſecratum oleo conſecra- ,, to , & totum efficitur conſecratum , ut ,, Extra. de conſecr. Eccleſiæ , vel alta- ,, ris . Quod in dubiis . ,, Quia in hoc caſu oleum non conſecratum , ex commixtione cum altero , quamdam contrahit conſecrationem . Quod etiam propugnat Sanbovius hic diſp. 3. de materia Sacramenti Unctionis infirmorum cap. 1. ſub finem , pag. 460.

Proponuntur objecta contra tertiam Concluſionem .

OBJICIES : Presbyteri non poſſunt cuncta facere quæ faciunt Epiſcopi , nedum excepta ordinatione , ſed etiam exceptis conſecrationibus , tum altarium , tum Eccleſiarum , immo & excepta confectione chriſmatis : Igitur nec poſſunt benedicere , & conſecrare oleum infirmorum, maxime cum de hoc momento altum ſit ſilentium , tum in Conciliis , tum in ſanctorum Patrum operibus .

Reſpondeo negando paritatem ; Concilia quippe prohibent Presbyteris expreſſe annuntiata facere, Eccleſia vero non ſemel diſpenſavit cum ſimplicibus Sacerdotibus in benedictione olei laudati .

Inſtabis : Nullibi legitur hoc factum fuiſſe in Eccleſia Latina : Igitur ex abuſu hoc ipſum ſit in Oriente .

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Et Summi Pontifices potuerunt eamdem licentiam facere Presbyteris Latinis,ſicut facta eſt Orientalibus, concedo : & non potuerunt, nego. Quod autem nuſquam fuerit abuſus pro Græcis ,liquet ex Clemente VIII. qui eos in hoc erroris nuſquam inſimulavit .

Urgebis : Hoc poſito , ſequitur Presbyteros Græcos per omnia aſſimilari Epiſcopis , cum & Confirmationem conferant , & oleum infirmorum ſicut & Catechumenorum ex privilegio, vel conceſſione benedicere queant .

Reſpondeo negando antecedens; differunt quippe ab Epiſcopis, quod ne quidem per privilegium poſſint ordinare Sacerdotes, & alia in objeſtione laudata, nonniſi ex indulgentia, & privilegio faciant, Epiſcopi vero ex jure avito, & ut Miniſtri ordinarii, confirment, oleumque conſecrent: His adde quod Presbyteri ne quidem poſſint chriſma conficere, & altaria conſecrare.

Arcudius ibidem, pag. 380. colum. 1. ſolvit hanc difficultatem quam ſibi ipſi proponit: " Reſpondeo, *inquit*, præter ceteras differentias, magnum eſſe quoque „ diſcrimen inter illos quantum attinet „ ad iſta. Etenim Epiſcopus benedicit ex „ officio, ad eumque ſpectat primario, „ & ordinarie; Presbyter vero extraordinarie, & ex præſcripto Eccleſiæ. Non „ ſecus Rex ex officio multa præſtat, „ quæ Prorex ex delegatione Regia exequitur. „ Tum ſubdit, probabile eſſe Epiſcopum poſſe officium conſecrandi oleum ſimplici Sacerdoti committere.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia remota Extremæ Unctionis eſt Oleum olivarum benedictum ab Epiſcopo, vel Sacerdote.

PRIMO: Quod ſit oleum expreſſe habetur cap. 5. Epiſt. B. Jacobi, & in Concilio Tridentino Seſſ. 14. cap. 1. Rurſus in ejus Catechiſmo num. 10.

Secundo: Debet oleum eſſe benedictum, ut declarat Innocentius I. epiſt. ad Decentium, & S. Gregorius in Sacramentario, quibus concinit Concilium Aquiſgranenſe.

Tertio: Quod ſimplex Sacerdos, ex commiſione ſeu privilegio poſſit utique benedicere oleum infirmorum aſſerit Clemens VIII. qui prohibet ne propter hoc agitentur Presbyteri Græci, qui pro more benedicunt oleum infirmorum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM EE EXPLICATIONUM.

PRIMO: Eſto quod Concilia mentionem non faciant de privilegio concedendo ſimplici Sacerdoti ad benedicendum oleum infirmorum, non tamen eum ab hoc excludit munere; cum igitur favores ſint ampliandi, non eſt inconveniens ſimplicem Presbyterum poſſe conſecrare oleum infirmorum.

Secundo: Tametſi in Eccleſia Latina ſoli Epiſcopi conſecrent hujuſmodi oleum, non ſequitur inde ſimplicem Sacerdotem, idem ex commiſſione non poſſe peragere.

Tertio: Nec inde ſequitur Presbyterum per omnia aſſimilari Epiſcopo, cum neque ordinare Sacerdotes, neque chriſma facere, & altaria erigere queat.

SECTIO SECUNDA.

De Materia proxima hujus Sacramenti, ſcilicet Unctione.

CONCLUSIO.

Unctio eſt materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis.

Probatur multis momentis.

PRIMO ex Scriptura ſacra juxta illud Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo.* Audis ex ipſo Apoſtolo unctionem eſſe materiam proximam Sacramenti Extremæ Unctionis.

Secundo ex Conc. Trid. Seſſ. 14. de Extrema Unctione cap. 1. his verbis: " Nam unctio aptiſſime Spiritus ſancti „ gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. „ Hanc reddit rationem ſacra Synodus, ut probet unctionem olei eſſe legitimam Extremæ Unctionis materiam.

Tertio iſta ratione: Materia proxima eſt ipſa materiæ applicatio: ſed unctio eſt applicatio olei, quod probavimus eſſe veram Extremæ Unctionis materiam: Ergo &c.

Obſervat hic Gonetus Diſput. 1. art. 2. §. 2. pag. 466. col. 1. non eſſe neceſſe unctionem fieri per modum crucis. " Tum quia Jacobus referens inſtitutionem hujus Sacramenti, ſolum dicit ungendum eſſe infirmum oleo, neque Concilia aut Patres Eccleſiæ aliquid circa hoc decreverunt. Tum etiam, „ quia non ungimur in hoc Sacramento, ſicut in Confirmatione, tamquam „ mili-

„ milites Chriſti ad portandam, & confitendam ejus crucem coram tyrannis; „ ſed ſolum tamquam infirmi, ad recuperandam ſalutem; propter quod forma „ Sacramenti Confirmationis exprimit unctionem per modum crucis, non vero forma Extremæ Unctionis. „ Uſus tamen obtinuit ut in utraque Eccleſia unctio fiat per modum crucis, tametſi hoc non ſit abſolute neceſſarium.

Quæres I. Quænam corporis partes inungantur?

Reſpondeo non unam eſſe de hoc momento ſententiam; eſt tamen in more poſitum in Eccleſia Latina unctiones fieri in quinque ſenſibus. Sic cenſet S. Thomas hic q. 31. art. 6. in corp. ubi ait: " Quia primum principium operationis humanæ eſt cognoſcitiva; ideo illa unctio „ ab omnibus obſervatur, quæ fit ad „ quinque ſenſus quaſi de neceſſitate Sacramenti: Sed quidam non ſervant „ alias, quidam vero illam ſervant quæ „ fit ad pedes, & non quæ ad renes: „ quia appetitiva & motiva ſunt ſecundaria principia. „ Et probatur hoc ratiocinio: Unctio fit ad tollendas peccati reliquias, & roborandas potentias quæ ſunt actuum humanorum principia, ne declinent ad peccatum, & in periculum veniat ſalus ægroti animam agentis: Sed peccatum regnat in quinque ſenſibus externis: Igitur eſt quaſi de eſſentia, juxta D. Thomam ut in iis partibus unctio fiat ad propellendos inimici rugientis impetus. Dixi quaſi de eſſentia, cum quædam Eccleſiæ non adhibeant quinque, ſaltem ſemper, & in omnibus caſibus: quædam vero e contra præter quinque ſenſus ungunt etiam renes & pedes. Iſtius autem ritus cauſa videtur eſſe quod peccatum radicaliter profluat a renibus, a pedibus vero vim exequendi habeat.

Diverſæ Unctiones referuntur.

Ex Græcis Auctoribus recentioribus habemus Orientales ſolere frontem, genas, mentum, & manus inungere. Simeon Theſſalonic. Lib. de Sacramentis, ait: *Ungit* (Sacerdos) *oleo ad modum crucis ipſius infirmi frontem ob contentas in eo cogitationes, faciem quoque inungit propter ſenſuum organa, poſtremo manus, a pravis cogitationibus, & operibus ægrotum expians, ſanctoque oleo, & ſigno crucis muniens, & perfecte ſanctificans.* Arcudius addit, quod Græci nunc inungant præterea *pectus, & pedes.*

In Occidente unctio fieri ſolet *in quinque ſenſibus:* earum dumtaxat corporis partium B. Gregorius meminit Lib. de Sacram. *Perungunt*, inquit, *in quinque ſenſibus corporis, id eſt, in ſuperciliis, oculorum, in auribus de intus, & in narium ſummitate, ſive exterius, & in labiis exterius, & in manibus exterius, id eſt de foris.*

Vetus Pontificale Anglicanum his adjungit, Unctiones colli, ſcapularum, umbilici, gutturis: Pectus ſilet: *Codex* Ratoldi idem habet eum veteri Pontificali Anglicano.

Codex Tilianus ſeu Sagienſis habet: *In collo & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco ubi dolor plus imminet, & in quinque ſenſibus corporis, & in ſuperciliis oculorum, & in naribus intus, & foris, & in aurium ſummitate exterius, ſive interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id eſt de foris.*

Codex Remigio-Remenſis. *Ungatur a Sacerdote, vel plurimis Sacerdotibus de oleo ſanctificato, facientibus cruces ſingulis in dextro tempore, & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, dicendo: Ungo caput tuum &c. Item in ſuperciliis, & ſuperciliis juxta angulos oculorum. Item aures intus, & foris in ſummitate crucis ſigna recipiant, &c. Item nares in ſummitate, & ſubtus ungantur crucis modo. Item labia dicendo, & exterius crucem ſuper mentum, & guttur faciendam. Item ſuper humeros duos, hoc eſt ſcapulas, &c. Item ſuper manus: Etſi Presbyter eſt, non infra; ſin aliter, & infra. Et ſuper pedes, & ſub plantis cruces fiunt.*

De hoc momento præclara continet Catechiſmus Romanus n. 10. Non ſunt autem, *ait*, omnes corporis partes ungendæ: Sed eæ tantum, quas veluti „ ſenſuum inſtrumenta natura homini attribuit, oculi propter viſionem, aures „ propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, vel ſermonem, manus propter tactum: qui tametſi toto corde æquabiliter fuſus eſt, „ in ea tamen parte maxime viget. „

Rurſus n. 10. " Hunc autem ungendi

A 4 ritum

ritum univerſalis Eccleſia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optime convenit, medicamenti enim eſt inſtar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis univerſum corpus male affectum ſit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua, tamquam a fonte & origine, morbus manat: idcirco non totum corpus, ſed ea membra, in quibus potiſſimum ſentiendi vis eminet, renes etiam, veluti voluptatis, & libidinis ſedes, unguntur: tum pedes, qui nobis ingreſſus, & ad locum movendi principium ſunt.

Quæres II. Num in neceſſitate, hoc eſt deficiente tempore, eo quod ægrotus animam agat, ſufficeret unam corporis partem ungere, nullam in particulari determinando, cum forma univerſali, ut ſi Sacerdos diceret: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ſenſus &c.* vel iſto ulteriori modo: *Quidquid peccaſti per viſum, auditum, guſtum &c.*

Reſpondeo cum multis graviſſimis Theologis affirmative. 1. Quia S. Jacobus non multiplicem, ſed unctionem ſolummodo in genere præcipit his verbis: *Ungentes eum oleo*. Sicut igitur unica ablutione ſeu etiam immerſione fit ſatis illi Chriſti præcepto: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Sic & unica unctione adimpletur D. Jacobi de unctione præceptum. 2. Extrema-Unctio a Græcis collata, valet, tametſi non inungant organa quinque ſenſuum, ſeu partes vicinas illorum. Sic enim loquitur Arcudius L. 5. de Extrema-Unctione cap. 7. de Unctionibus quas Orientales ægris adhibent: " Græcorum vero Sacerdotes, *inquit*, ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte poſtremo pedes. " Quandoque tamen prætermittunt pectoris, & pedum unctionum, ut ſcribit Simeon Theſſolonicenſis Lib. de Sacramentis ſupra laudatus.

His rationibus iſta adjungitur. Multa Ritualia permittunt unica unctione ungi peſte laborantes, ut Miniſtri e periculo mortis liberentur. Idem fieri approbant, cum mors proxima non ſinit per omnes ſenſus fieri unctiones. Inter Ritualia Launoji unum duas ſolum commemorat unctiones. In codice Remigio-Remenſi habetur ritus hujus Sacramenti, in quo mentio fit unctionis unicæ his verbis: " Cum vero ingravari cœperit ad ſuccurrendum, facta aqua benedicta dicatur oratio hæc: *Domine, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui es via, veritas, & vita, exaudi nos, & conſerva famulum tuum N. hunc, quem vivificaſti, & redemiſti pretio, & magno munere ſanguinis Filii tui. Qui tecum vivis, & regnas.* Tunc ungatur oleo. *Ungo te de oleo ſanctificato, ut ſalveris æternaliter: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Amen. Collecta. *Concede, Domine, nobis famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicere mereamur: Pater noſter, libera nos a malo, cuſtodi nos ſemper in bono. Qui regnas in ſæcula ſæculorum.* Communicet dicens: *Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.* Amen. Poſt hæc dicendum eſt. *Agamus Deo noſtro omnipotenti gratias: quod terrena nos originis, atque natura ſacramenti ſui dono in cæleſtem vivificaverit demonſtrationem. Qui cum Filio, & Spiritu ſancto vivit & regnat.* Videas velim, nihil in hoc ritu haberi de ſingulis unctionibus in diverſis corporis ſenſibus faciendis, ſed de hoc momento redibit oratio in quarta hujuſce tractatus parte ubi de ritibus in particulari.

Non omittenda ea quæ in Paſtorali ſeu Rituali Eccleſiæ Meclinenſis ab Academia Lovanienſi approbato ann. 1588. ubi canone 9. de Extrema-Unctione hæc leguntur: " In morbis contagioſis, & peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum, magis ad unctionem expoſitum, aut detectum dicendo: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.* Et tunc preces quæ prætermittendæ forent, potuerunt in Eccleſia coram venerabili Sacramento devote legi.

Quæres denique quid faciendum ſit quando aliquis, partes in quibus facienda eſt unctio, mutilatæ ſunt.

Reſpondeo cum S. Thoma ungendas eſſe partes organis ungendis propinquiores; tametſi enim hujuſmodi ægroti non potuerint peccare exterius per illa membra quibus orbati ſunt, potuerunt tamen peccare interius per voluntatem.

ob-

Digitized by Google

Obſerves uſum obtinuiſſe in Eccleſia Latina non ungere mulieres in pectore, tametſi viri in iſta regionis parte inungantur, quod non levius eſt argumentum unctiones ad ſingulos ſenſus non eſſe abſolute neceſſarias; omnes tamen ſuæ Eccleſiæ ritum obſervare ſub pœna peccati tenentur.

Dices: S. Thomas hic q. 32. art. 6. videtur innuere unctiones quinque ſenſuum eſſe de neceſſitate Sacramenti: ſic enim loquitur: "Illa unctio ab omnibus obſervatur quæ fit ad quinque ſenſus, quaſi de neceſſitate Sacramenti." II. Uſus Eccleſiæ perpetuus obtinuit, ut inungantur quinque ſenſus. III. Probabilior opinio relicta minus probabili in praxi ſequenda eſt: probabilius autem eſt tot adhibere unctiones, quot numerantur ſenſus & organa.

Reſpondeo ad primum ſolutionem ex terminis ſe prodere: quandoquidem ſanctus Doctor non dicit ſimpliciter quinque unctiones eſſe abſolute neceſſarias, ſed *quaſi de neceſſitate Sacramenti*, quæ vox, *quaſi*, eſt diminutiva: ceterum ſanctus Doctor vult ſolum innuere unctiones quinque ſenſuum non eſſe omittendas ſi per tempus licitum ſit eas peragere: hinc in iſto caſu peccaret Sacerdos omittendo ſuæ Eccleſiæ ritum.

Ad ſecundum diſtinguo: Uſus perpetuus exigit quinque adhibere unctiones ad melius, & ſi fieri poteſt, concedo: ſin minus, nego: & hæc ſolutio ex auctoritatibus laudatis liquet.

Ad tertium, ultro concedimus eſſe opinionem certiorem quinque adhibere unctiones, ſed non eſſe probabiliorem annuntiant Ritualia, & Concilia Provincialia, & ea ratione dicenda eſt probabilior, quia auctoritati Eccleſiæ plurimum affinis eſt. Ceterum controverſia non eſt de quintuplici unctione adhibenda, ſed de validitate Sacramenti, unica adhibita unctione, cum forma generali. Ex Ritualibus autem conſtat cum unica unctione validum eſſe Sacramentum, immo & licitum, ſi deſit tempus ad ſingulas unctiones faciendas.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Unctio olei eſt materia proxima.

PRIMO: Sic habetur Jacobi 5. Concinit Concilium Trid. Seſſ. 14. & Catechiſmus Rom.

Secundo: Sic etiam docet S. Thomas Supplem. q. 29. art: 4. Quia, *inquit*, oleum optime ſignificat hujus Sacramenti effectum, qui eſt conſolari, & confortare ægrotum: "Oleum autem, *inquit*, lenitivum eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam diffuſivum, & ideo quantum ad utrumque prædictorum, eſt conveniens materia hujus Sacramenti."

Tertio: Unctio in quinque ſenſibus fit, cum forma cuilibet unctioni correſpondente. Sic uſus Eccleſiæ obtinuit; poteſt tamen cum forma generali dari illud Sacramentum cum unica unctione, ut habetur in multis Ritualibus, in primis vero in codice Remigio-Remenſi.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

PRIMO: Sanctus Thomas non dicit ſimpliciter quinque unctiones eſſe abſolute neceſſarias, ſed ſolum quaſi neceſſarias.

Secundo: Eſto quod uſus obtinuerit quinque fieri unctiones, quia tamen hoc punctum diſciplinam ſpectat, non damnanda eſt conſuetudo Eccleſiarum, quæ aliquas omittunt unctiones. Quando tamen unica fieri poteſt, melius eſt ut in capite adhibeatur, eo quod ibi locum, & principium habeant ſenſuum omnium organa.

Tertio: Non dicenda eſt opinio, quæ exigit quinque unctiones, probabilior, quandoquidem Conciliorum & Ritualium auctoritatibus ſuffulta eſt, ſed ſolum certior.

ARTICULUS TERTIUS.

De forma Sacramenti Extremæ Unctionis.

SUPPONENDUM eſt Extremam Unctionem ſuam, ſicut cetera Sacramenta, habere formam, ſicut de fide definitum eſt in

in Concilio Florentino: habetur enim in decreto unionis ſacramentum tribus potiſſimum cooſtare, videlicet rebus tamquam materia; verbis, tamquam forma; & perſona Miniſtri habente intentionem faciendi quod facit Eccleſia; Ratio D. Thomæ quam attulimus de Sacramentis in genere ea eſt, quod verba obtinuerint ſignificandi Principatum, adeoque determinandi res in eſſe ſacramenti; quod iſto poteſt adornari exemplo. Aqua de ſe indifferens eſt ad lotionum corporis, vel animæ, ad lotionem, vel ad refrigerium, ſed cum dicitur infundendo aquam ſuper caput hominis, Ego te baptizo in nomine Patris &c. aqua determinatur ad ſignificandam animæ lotionem, & ad Sacramenti rationem. Hinc S. Thomas hic Supplem. q. 29. art. 7. reprobat opinionem veluti erroneam eorum qui tenent nullam formam eſſe de neceſſitate ſacramenti Unctionis infirmorum: " Quidam, *inquit*, „ dixerunt quod nulla eſt forma de neceſſitate hujus ſacramenti, ſed hoc, *ſubdit*, videtur derogare effectui hujus ſacramenti: Quia omne ſacramentum efficit ſignificando: ſignificatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa ſe poſſit habere, niſi per formam verborum: & ideo in omnibus Sacramentis novæ legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet eſſe & res, & verba. Et præterea Jacobus totam vim hujus ſacramenti videtur conſtituere in oratione, quæ eſt forma hujus ſacramenti, ut dicetur. Et ideo prædicta opinio præſumptuoſa videtur, & erronea. Et propter hoc dicendum, ſicut communiter dicitur, quod habet formam determinatam, ſicut & alia ſacramenta. „

Nunc vero ſubnotare juvat formam hujus ſacramenti triplicem diſtingui: una eſt abſoluta tantum, ſeu indicativa, qualis eſt Ambroſiana, qua quarto Eccleſiæ ſæculo Eccleſia Mediolanenſis utebatur his verbis: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates*. Vel iſta: *Ungo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris &c.* Altera eſt deprecativa ſicut iſta in Eccleſia Romana uſitata, ut legere eſt in Ritualibus: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum &c.* Tertia eſt abſoluta ſimul & deprecativa, qualis legitur in libro Sacramentorum S. Gregorii, ubi ſic habetur: *Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam: operare creatura olei: In nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic ſpiritus immundus; neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Dei Altiſſimi. Per eumdem &c.*

Non abſimilis legitur in veteri Pontificali Anglicano, in quo, præter verba libri S. Gregorii ſequuntur iſta: *Quatenus per hujus operationem Myſterii, & per hanc ſacro-ſancti olei unctionem atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive ſanatus, priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem*. Ab iſta non differt hæc altera quæ in codice Arremaroenſi eſt, ubi, accepta Ampulla cum oleo, Sacerdos dicit *Per iſtam unctionem, & Dei benedictionem mundentur ab omni ſorde, & contagione peccati, ac ſanctificentur manus, & os, cor quoque, & tactus, odoratus, ſenſus, viſus, auditus, & guſtus, totumque corpus & anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum nomen ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c.* Poſtea ſubditur: *Sic denique ungat ægrotum dicens illas orationes viciſſim. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificationis ad purificationem mentis, & corporis*. Item. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo te de oleo ſancto in remiſſionem omnium peccatorum in vitam æternam*. Tum ad unumquemque ſenſuum: *Ungo oculos tuos, &c.* Idem habet codex ſanctæ Mariæ Remenſis 500. annis antiquior. Eadem formula reperitur in codice Ratoldi.

Forma alia non nihil diverſa Extremæ Unctionis.

In Tiliano, ſeu Sagienſi, ad Unctiones oculorum, aurium, narium, labiorum, pectoris, ſcapularum, manuum & pedum verba abſoluta proferuntur 1. Ad unctionem capitis dicitur: *Ungo caput tuum oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ut more militis uncti præparatus ad luctam ſuperare poſſis aereas catervas*. 2. In gutture: *Inungo te in guttu-*

gutture de oleo ſancto ; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat ſpiritus immundus &c. Et ubi dolor plus imminet : *Ungo te de oleo ſancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur vita virtus, & ſanitas : quatenus per hujus operationem Myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, priſtinam, & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem &c. III.* Ad omnes compages membrorum : *Ungo te de oleo ſancto, invocata magni Creatoris majeſtate, qui juſſit per Samuelem Prophetam ungi David Regem. Operare creatura olei &c.* Sicut in Lib. Sacram. ſancti Gregorii. Item alia unctio : *Inungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, oleo ſancto, atque ſacrato ; ut virtute Spiritus ſancti tribuat tibi hæc ſacra unctio ſanitatem animæ, & corporis in remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam.* Affinis eſt codex Siculus.

In codice Remigio-Remenſi eadem formula ad unctiones capitis, oculorum &c. Et ſic abſolute prolata dici poteſt : Sed poſtea extat concluſio unctionum ſub hac forma deprecatoria. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati, ad purificationem mentis, & corporis, & ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum.*

Similes ſunt eæ, quas Georgius Caſſander ad Hymnum, in unctione infirmorum, qui incipit, *Chriſte cæleſtis*, obſervat ſe legiſſe, quarum prima eſt : *Ungo te de oleo ſancto : in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam tuam, &c.* ut ſupra in Tiliano. Deinde ſecundam commemorat. *In alio*, inquit, *pervetuſto codice lego ſingulis unctionibus hæc verba præmitti ſolere (N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem.) In pedum vero unctione hoc modo (N. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſurge & ambula in pace.)* De tertia autem ſubjicit. *Alibi inter ceteras hanc formulam reperi (In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem. Hæc unctio per ſignum ſanctæ Crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum Spiritus ſancti, fiat tibi ad ſanitatem.)*

In veteri Sueſſionenſis Eccleſiæ Rituali typis mandato ante 100. annos, quando auris dextra inungebatur, Sacerdos dicebat : *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem, in nomine Domini : Amen.* Et ad pedes : *Accipe ſanitatem in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſurge & ambula.*

Apud Græcos forma pure deprecatoria eſt, verbis iſtis quæ leguntur in Euchologio contenta. *Pater ſancte, animarum & corporum Medice, qui Filium tuum Unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem miſiſti : ſana quoque ſervum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Chriſti tui gratiam : interceſſionibus ſuper omnes ſanctæ Dominæ noſtræ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ protectionibus venerandorum ſupercæleſtium virtutum incorporearum, virtute pretioſæ, ac vivificæ crucis, honorandi glorioſi Prophetæ Præcurſoris & Baptiſtæ Joannis, Sanctorum glorioſorum & victoriis clarorum Martyrum, & Deiferorum Patrum noſtrorum, ſanctorum Medicorum mercede non conductorum Coſmæ, & Damiani, Cyri, & Joannis, Pantaleonis, & Hermolai, Sampſonis, & Diomedis, Photii, & Aniceti, Sanctorum, & Juſtorum Dei, parentum Joachim & Annæ, & omnium Sanctorum. Amen. Quia tu es fons ſanitatum, Chriſte, & Deus noſter, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & ſancto Spiritui : Nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.* Quod enim forma *Extremæ Unctionis* apud Græcos poſita ſit in hac oratione docet Neophytus Rhodinus in ſua Synopſi vernacula, juſſu & impenſis Congregationis *de Propaganda fide*, Romæ edita, & approbata : " Forma, *inquit*, eſt oratio illa, „ quam dicit Sacerdos, cum infirmum un„ git, videlicet, *Pater ſancte, Medice animarum*. „ Idem habet Arcudius L. 5. c. 5.

Jam controverſia inter Theologos magna eſt, quænam ex illis formis ſit abſolute neceſſaria ad Extremæ Unctionis validitatem. Quidam contendunt abſolutam ſeu indicativam ſufficere : quidam e contra exigunt deprecativam. De media, videlicet de illa quæ eſt partim abſoluta, & partim deprecatoria non eſt difficultas, cum utramque complectatur dotem. Et quoniam quid in praxi ſit faciendum ſcire oportet, non abs re erit utramque hic texere. Unde ſit

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Formam abſolutam ſufficere probabilis eſt opinio.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, auctoritate.

FORMA Ambroſiana, ut dictum eſt, indicativa, & abſoluta apparet.

Suffragatur: In Libro Sacramentali Veneto confirmato per Leonem X. hæc legitur forma abſoluta: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus varias catervas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Idem Auctor refert ex Serrario hanc ſe legiſſe formam in antiquo codice manuſcripto Halitgarii, qui florebat Ludovici Pii temporibus: *Ungo te oleo ſanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen aereas poſſis ſuperare catervas; operare creatura olei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat hic ſpiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, ſed operetur in eum virtus Chriſti Filii Altiſſimi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum.* Amen.

Non prætermittendum antiquum Rituale apud Menardum in obſervationibus ad Gregorii Sacramentarium adjectis, in quo hæc forma legitur: *Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quicquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Ungo aures has ſacrati olei liquore, ut quicquid delectatione nexia auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritualis evacuet. Ungo has nares de oleo ſacrato, ut quicquid nove contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta mundet medicatio. Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quicquid otioſa, vel criminoſa peccaſti loquutione, divina clementia miſerante expietur hac unctione, &c.*

Secundo, rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod non eſt determinatum in individuo, & uſum obtinet, conſentiente Eccleſia, poteſt adhiberi pro forma Extremæ Unctionis: Sed nec S. Marcus, nec S. Jacobus, qui de Extrema Unctione loquuti ſunt, aliquam in individuo formam determinavere; Eccleſia vero, ut ex dictis liquet, indiſcriminatim modo abſolutam, modo mere deprecatoriam, modo etiam ex parte abſolutam, & ex parte deprecativam permittit: Igitur probabilis eſt ſententia quæ formam ſolum indicativam admittit.

Altera: Forma eſt ſignum practicum deſignans effectum producendum: Sed per formam abſolutam non ſecus, ac per deprecatoriam deſignatur Extremæ Unctionis effectus. Igitur ſicut abſolutis iſtis verbis: *Ego te baptizo, in nomine Patris &c.* Et iſtis: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, perficitur Sacramentum tum Baptiſmi, tum Pœnitentiæ; Sic, & per iſtam formam laudatam, *ungo oculos tuos de oleo ſanctificato* &c. perficitur Sacramentum Extremæ Unctionis.

Tertia: Non ignoti nominis Theologi propugnant formam Extremæ Unctionis eſſe indicativam, ut Albertus Magnus, Durandus, Paludanus, Richardus: Igitur iſta opinio eſt probabilis. Sic cenſet Navarrus in Summa cap. 22. num. 15. Sic & Beccanus de Sacramentis cap. 27.

CONCLUSIO ALTERA.

Forma Extremæ Unctionis eſt deprecatoria.

SIC cenſet ſanctus Thomas hic q. 29. art. 8. & eſt noſtra ſententia. His verbis concipitur. *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, &c.*

Probatur multis momentis.

PRIMO: Illa forma eſt genuina, quæ eſt juxta mentem divi Jacobi, quippe qui duo commendet, videlicet unctionem, tum & orationem, his verbis: *Ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: Audis Apoſtolum exigere orationem, & ejus efficaciæ remiſſionem peccatorum tribuere: Igitur forma debet eſſe deprecatoria.

Secundo: Quod Ritualia annuntiant, uti genuinum habendum eſt: Sed cuncta prope

prope Ritualia referunt formam deprecatoriam: cuncta quidem apud Orientales, & Græcos; multa vero apud Latinos, ut codex Arremarenſis ſupra citatus, & Remigio-Remenſis ſicut & Sagienſis. Quibus accedit Rituale Monaſticum Gemmeticenſe ſexcentorum annorum & ſupra, in quo quidem hæc forma legitur: *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid vitio &c.*

Tertio: Catechiſmus Rom. juxta Concilii Tridentini mentem hæc de forma Extremæ Unctionis tradit n. 6. & ſic loquitur: " Hæc de materia ſatis ſint. Forma
,, vero Sacramenti, eſt verbum, & ſole-
,, mnis illa precatio, quam Sacerdos ad
,, ſingulas unctiones adhibet, cum inquit:
Per iſtam ſanctam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, ſive narium, ſive tactus vitio deliquiſti.

Pergit ibidem " Quod autem hæc vera
,, ſit, & propria hujus Sacramenti forma,
,, S. Jacobus Apoſtolus ſignificat, cum ait:
,, *Et orent ſuper eum, & oratio fidei ſal-*
,, *vabit infirmum.* Ex quo licet cognoſce-
,, re, formam precationis modo præferen-
,, dam eſſe: tametſi quibus potiſſimum ver-
,, bis concipienda ſit Apoſtolus non expreſ-
,, ſerit. ,,

Tum paulo infra " Verum hoc ad nos fide-
,, li Patrum traditione permanavit, ita ut
,, Omnes Eccleſiæ eam formæ rationem
,, retineant, qua omnium Mater, & Ma-
,, giſtra ſancta Eccleſia Romana utitur.
,, Nam etſi aliqui nonnulla verba immu-
,, tant, cum pro, *Indulgeat tibi Deus*,
,, ponunt, *Remittat*, vel *Parcat*: inter-
,, dum etiam, *Sanet*, *quidquid commiſi-*
,, *ſti*: tamen, quoniam nulla ſit ſententiæ
,, immutatio, conſtat eamdem ab omnibus
,, formam religioſe ſervari. ,,

Proſequitur n. 7. " Nec vero quiſquam
,, miretur, cur factum ſit, aut aliorum
,, Sacramentorum forma, vel abſolute ſi-
,, gnificet quod efficit, ut cum dicimus,
,, *Ego te baptizo*: aut *Signo te ſigno cru-*
,, *cis*: vel tamquam ab imperantibus pro-
,, nuncietur, ut cum in ſacramento Ordi-
,, nis adminiſtrando dicitur: *Accipe pote-*
,, *ſtatem*: hæc una vero Extremæ Un-
,, ctionis forma precatione quadam abſol-
,, vatur: Id enim optimo jure conſtitu-
,, tum eſt. Nam cum hoc Sacramentum
,, propterea adhibeatur, ut præter ſpiri-
,, tualem gratiam, quam tribuit, ſanita-
,, tem etiam reſtituat ægrotis: tamen, quia
,, non ſemper ſequitur, ut ægri a morbis
,, convaleſcant, ob eam cauſam precatio-
,, ne forma conficitur, ut a Dei benigni-
,, tate id impetremus, quod ſacramenti vis
,, conſtanti, & perpetuo ordine efficere
,, non ſolet. ,,

Demum in fine ſic concludit: " Adhi-
,, bentur autem ritus proprii in hujus quo-
,, que Sacramenti adminiſtratione. Sed eo-
,, rum maxima pars precationes continet,
,, quibus Sacerdos ad ægroti ſalutem im-
,, petrandam utitur; nullum enim eſt aliud
,, ſacramentum, quod pluribus precibus
,, conficiatur: ac recte quidem, quoniam eo
,, potiſſimum tempore Fideles piis obſe-
,, crationibus adjuvandi ſunt; quare &
,, alii omnes, quos tum adeſſe contigerit,
,, & præcipue Parochi debent orare Deum
,, ex animo, & ejus miſericordiæ, labo-
,, rantis vitam, & ſalutem omni ſtudio
,, commendare. ,,

Ex rationibus D. Thomæ.

Prima: Unuſquiſque debet ſequi ritum Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt omnium Eccleſiarum mater: Sed forma Eccleſiæ Romanæ, ut dictum eſt, deprecatorie fit: ergo &c. De hoc momento ſic loquitur S. Doctor hic q. 29. art. 8. " Dicendum,
,, quod forma hujus ſacramenti eſt oratio
,, deprecativa, ut patet per verba Jacobi,
,, & ex uſu Romanæ Eccleſiæ, quæ ſolum
,, verbis deprecativis utitur in collatione
,, hujus Sacramenti. ,,

Altera ſic procedit: Suſcipiens Sacramentum animam agit, hinc orationibus exigit adjuvari: Igitur forma Extremæ Unctionis debet eſſe deprecativa. Pergit ibidem S. Thomas: " Cujus ratio multi-
,, plex aſſignatur: 1. Quia ſuſcipiens Sa-
,, cramentum hoc, eſt viribus propriis de-
,, ſtitutus: unde indiget orationibus ſuble-
,, vari. ,,

Tertia: Ægroti in brevi ſiſtendi ſunt ante tribunal Dei, cujus judicia terribilia ſunt ſuper filios hominum: Sed reus ſiſtendus coram tremendo judice, indiget precibus, ut indulgeat illi miſericordia divina: Ergo &c. Proſequitur Angelicus Doctor his verbis: " Secundo quia datur
,, exeuntibus, qui jam deſinunt eſſe de
,, foro Eccleſiæ, & in ſolius Dei manu re-
,, quie-

Digitized by Google

„ quieſcunt : unde & ei per orationem „ committuntur. „

Quarta: Diſcrimen eſt inter alia Sacramenta, & Extremæ Unctionis ſacramentum, quod effectus in illis non ſemper ſequatur ex operatione Miniſtri; nam character in Baptiſmo, & Confirmatione, & Ordine, Tranſubſtantiatio in Euchariſtia, remiſſio peccatorum in Pœnitentia, Unio conjugalis in matrimonio, ſemper producuntur, modo adſit legitima diſpoſitio, tum intentio faciendi, & recipiendi Sacramentum; at vero in Extrema Unctione oratio exigitur, ut producatur effectus, & a Deo optimo, & miſericordi obtineatur: ergo &c. Sic loquitur S. Thomas ibidem: " Tertio quia hoc Sacramentum „ non habet aliquem effectum qui ſemper ex operatione Miniſtri conſequatur, omnibus quæ ſunt de eſſentia ſacramenti etiam rite peractis, ſicut character in Baptiſmo, & Confirmatione, & „ tranſubſtantiatio in Euchariſtia, & remiſſio peccati in Pœnitentia exiſtente contritione quæ eſt de eſſentia Sacramenti „ Pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus ſacramenti: & ideo in hoc ſacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, „ ſicut in prædictis Sacramentis.

Synopſis utriuſque Concluſionis.

Forma Extremæ Unctionis eſt deprecatoria, indicativa tamen poteſt ſufficere.

PRIMUM patet ex iſtis B. Jacobi verbis, & *oratio fidei alleviabit infirmum*: Tum ex uſu Eccleſiæ Romanæ, ut patet ex Ritualibus, maxime ex rituali Monaſtico Gemmeticenſi; quod quidem probat S. Thomas variis rationibus, inter quas iſta plurimum ponderat, quod ægrotus ungendus viribus ſit deſtitutus, & conſequenter indigeat precibus adjuvari.

Secundum, utique patet ex Ritualibus. Sic enim habet Sagiacenſe: *Ungo caput tuum oleo ſanctificato; In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis unctì præparatus ad luctam ſuperare poſſis aereas catervas*. Ratio eſt, quia iſta forma tametſi abſoluta, optime tamen ſignificat affectum a Sacramento producendum, ſcilicet auxilium adverſus obſtrepentes ſalutis inimicos.

ARTICULUS QUINTUS.

De Miniſtro.

Quiſnam ſit Miniſter hujus Sacramenti?

CONCLUSIO.

Eſt ſolus Sacerdos.

Probatur multis momentis.

PRIMO, ex ſancto Jacobo, qui capite 5. loquens de Extremæ Unctionis Sacramento ſic fatur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo*. Nomine Presbyterorum, intelliguntur ſeniores, non ætate, ſed dignitate, & Ordinatione, in quo ſenſu paſſim hæc vox intelligitur in divinis Scripturis, ut primæ Petri 5. ubi ſic habetur: " Seniores, Græce Presbiteros, qui in vobis ſunt, obſecro Con„ ſenior, & teſtis Chriſti paſſionum. „ Rurſus in Epiſt. Joan. 3. quæ ſic incipit *Senior* Græce *Presbyteros*, Electæ Dominæ &c. Quod autem eo loci S. Jacobus non intelligat ſeniores laicos, ſed veros Sacerdotes, ſubdit *Presbyteros Eccleſiæ*. Ergo &c.

Secundo ex Concilio Tridentino, Seſſ. 14. cap. 3. de Extrema Unctione: " Quod attinet, *ait*, ad præſcriptionem „ eorum qui ſuſcipere, & miniſtrare hoc „ ſacramentum debent, haud obſcure fuit „ illud etiam in verbis prædictis traditum: nam & oſtenditur illic proprios „ hujus Sacramenti Miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros, quo nomine, eo loco non ætate ſeniores, aut primores „ in populo intelligendi veniunt, ſed aut „ Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite „ ordinati per impoſitionem manuum Presbyterii. „

Subſcribit Catechiſmus Rom. p. 2. n. 13. his verbis: " Jam vero quis Extremæ Unctionis Miniſter ſit, ab eodem „ Apoſtolo, qui Domini Legem promulgavit, didicimus; inquit enim, *Inducat Presbyteros*. Quo nomine non eos ſignificat, qui ætate provectiores ſunt, „ quemadmodum ſapienter Tridentina Synodus expoſuit, aut qui in populo principem locum obtinent, ſed Sacerdotes „ qui ab ipſis Epiſcopis per manuum impoſi-

,, poſitionem rite ordinati ſunt. Sacer-
,, doti igitur hujus Sacramenti admini-
,, ſtratio commiſſa eſt. ,,

Tertio, ex S. Thoma. S. Doctor q. 31. Suplem. part. 3. art. 1. dicit laicos non eſſe Miniſtros Extremæ Unctionis: " Dicendum, quod juxta Dionyſ. in
,, Eccleſiaſtica Hierarchia, ſunt quidam
,, exercentes actiones Hierarchias, &
,, quidam recipientes tantum, qui ſunt
,, laici: & ideo nullius ſacramenti diſ-
,, penſatio laicis ex officio competit: Sed
,, quod baptizare poſſunt in caſu neceſſi-
,, tatis, ex divina diſpenſatione factum eſt,
,, ut nulli regenerationis ſpiritualis facul-
,, tas deſit. ,,

Rurſus ibidem art. 2. de Diacono hæc profert: " Dicendum, quod Diaconus
,, habet vim purgativam tantum, non illu-
,, minativam: unde cum illuminatio fiat
,, per gratiam, nullum ſacramentum,
,, in quo gratia confertur, Diaconus pot-
,, eſt dare ex officio: & ideo nec hoc,
,, cum in eo gratia conferatur. ,,

Demum ejuſdem quæſtionis art. 3. in quo quærit, utrum ſolus Epiſcopus poſſit ſacramentum Extremæ Unctionis conferre, ſic reſpondet: " Epiſcopus proprie
,, habet perficiendi officium, ſicut Sacer-
,, dos illuminandi: unde illa ſacramenta
,, diſpenſanda ſolis Epiſcopis reſervantur,
,, quæ ſuſcipientem in aliquo ſtatu perfe-
,, ctionis ſuper alios ponunt: hoc autem
,, non eſt in hoc Sacramento, cum omni-
,, bus detur. Et ideo per ſimplices Sacer-
,, dotes poteſt adminiſtrari. ,,

De numero Miniſtrorum.

QUÆRES, quot Sacerdotes neceſſarii ſint ad ungendos infirmos?

Reſpondeo 1. unicum ſufficere; ſic definitum eſt, 1. Ab Alexandro III. capite *quæſivit de verb. ſignificatione*: ubi ſtatuit quod: *Sacerdos uno præſente clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere*. Iſta conſuetudo florebat antiquis ſæculis, ut habetur in vita S. Eugendi: Sic etiam refert Everhelmus in vita Popponis: Sic Conradus in vita S. Wolphelmi: Sic Rupertus in vita Hereberti Colonienſis.

2. *Idem* definitur in Concilio Aquiſgranenſi II. can. 5. Sic propugnat Hincmarus Remenſis in Capitulis, c. 10. Conſtitutionibus Ælfredi, conſtit.

3. *Sic* utique declarat Innocentius I. Epiſt. ad Decentium, ubi aſſerit Epiſcopum ſolum poſſe ungere ægrotum. Eo loci ita loquitur: " Ceterum illud ſuper-
,, fluum videmus adjectum, ut de Epiſco-
,, po ambigatur, quod Presbyteris licere
,, non dubium eſt: quia Epiſcopi occupa-
,, tionibus aliis impediti, ad omnes lan-
,, guidos ire non poſſunt. Ceterum ſi
,, Epiſcopus, aut poteſt, aut dignum du-
,, cit aliquem a ſe viſitandum, & bene-
,, dicere, & tangere chriſmate, ſine cun-
,, ctatione poteſt. ,,

Neque vero quiſquam moveri debet quod S. Jacobus dicat, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Nam ipſa Eccleſia interprete, ſufficit, ut ex pluribus Sacerdotibus unus eligatur, vel etiam iſta vox *Presbyteros* in plurali poſita, ſubindigitat plures diverſi ordinis Sacerdotes poſſe alternatim aſſumi, adhoc Sacramentum adminiſtrandum, non vero abſolute loquendo, plures ſimul.

Reſpondeo 2. in Eccleſia Orientali ſeptem aſſumi Presbyteros, qui, aſſumpta lampade in ſeptem diviſſa ramos, & puriſſimo olivarum oleo referta, unuſquiſque ſuſis precibus modo in Eccleſia, modo etiam in domo ægrotantis, ſi præ infirmitate, illuc adduci non poteſt, benedicunt oleum, & hoc quotieſcumque illud adminiſtrant Sacramentum, tum & ægrotum ungunt. De hac Cæremonia ſic loquitur Arcudius L. 5. capite 3. " Mos
,, eſt, *inquit*, Orientalis Eccleſiæ ſeptem
,, convocare Presbyteros, qui Extremam
,, Unctionem ægrotis adminiſtrent, in eo
,, munere perſungendo, quamvis varias
,, ſinguli orationes recitent, eamdem ta-
,, men formam ſacramenti omnes ite-
,, rant.... Septem autem numero Pre-
,, sbyteros Græcorum Eccleſia exigit, ſi-
,, ve propter ſeptem peccata mortalia,
,, ſive quia ſeptenarius numerus in ſacra
,, Scriptura valde commendatur, & non
,, caret Myſterio. ,, Sic utique refertur in Euchologio.

In Eccleſia quoque Latina quondam plures advocabantur pro adminiſtratione hujus Sacramenti Sacerdotes, ut habetur in libro Sacrament. S. Gregorii apud Menardum, his verbis: " Multi enim Sacer-
,, dotes infirmos perungunt. ,, Aſtipulantur codices Ratoldi, Tillianus, Remigio-Remenſis. Scriptor vitæ Caroli Magni; in

Digitized by Google

in primi vero S. Thomas L. 4. contra Gentes c. 73. ubi ſic loquitur : " Quia, „ shoc ſacramentum perſectæ curationis „ effectum habet, & in eo requiritur copia „ gratiæ; competit huic ſacramento, quod „ multi Sacerdotes interſint, & quod oratio „ totius Eccleſiæ effectum hujus Sacramenti coadiuvet. „

Audiendus eſt de Miniſtro hujus Sacramenti Catechiſmus Rom. qui parte II. de Extrema Unctione n. 13. non leviora pro inſtructione profert : " Jam vero, „ quis Extremæ Unctionis Miniſter ſit, „ ab eodem Apoſtolo, qui Domini legem promulgavit, didicimus : inquit „ enim, *inducat Presbyteros*, &c. „ Pergit infra & declarat non ſine juriſdictione & licentia ab Epiſcopo, aut Parocho petita, & obtenta particularem Sacerdotem proprio marte poſſe ungere infirmos : " Neque tamen ex ſanctæ Ec- „ cleſiæ decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui juriſdictionem habeat, „ ſive alteri cui ille ejus muneris ſungendi poteſtatem fecerit, hoc ſacramentum „ adminiſtrare licet. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Innocentius I. Epiſt. ad Decentium explanans iſta divi Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ*; ſubdit : " Non eſt dubium „ de Fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, „ non Sacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis uti licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate. „ Igitur ex illo ſummo Pontifice, etiam Laicus poteſt ungere.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens : Quilibet etiam Laicus poteſt ſe & alios ungere oleo benedicto ex pietate, & non ſacramentaliter, concedo : ſecus, nego. Non ſemel Fideles magni facientes oleum ab Epiſcopo benedictum, ſeipſos & alios ad ſanitatem aut reſtaurandam, aut prorſus recuperandam ungebant, & popter eorum fidem ſæpius cœlum eorum reſpondebat votis. Hoc ipſum colligitur ex S. Thoma, qui hic q. 31. art. 1. hanc ſibi proponit difficultatem : " De quibuſdam „ Patribus in Ægypto legitur, quod oleum „ ad infirmos tranſmittebant, & ſanabantur : Et ſimiliter dicitur de B. Genoveſa, quod oleo infirmos ungebat : Ergo „ hoc ſacramentum poteſt conferri etiam „ Laicis. „

Tum reſpondet ad 2. quod : " Illæ unctiones non erant ſacramentales, ſed ex „ quadam devotione recipientium talem „ unctionem, & ex meritis ungentium, vel „ oleum ſumentium conſequebatur effectus ſanitatis corporalis per gratiam ſanitatum, non autem per gratiam ſacramentalem. „

Jamvero de mente Innocentii non eſt relictus ambigendi locus, ſcilicet quod ſolus Epiſcopus, & ipſo deficiente ſolus Presbyter poſſit Extremam Unctionem adminiſtrare, ut patet ex auctoritate tanti Pontificis in probatione allata.

Inſtabis : Laicus modo ſit ſenior, poteſt ungere etiam ſacramentaliter : Ergo &c. Probatur antecedens. Venerabilis Beda explicans D. Jacobi locum, ubi mentio fit de Extrema Unctione, ait : " Infirmos „ moneri debere, ut ſeniorum adjutorio „ curari ſe meminerint, neque ad juniores minuſque doctos, cauſam imbecillitatis referant. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem diſtinguo: Et nomine ſeniorum intelligit Beda Presbyteros, concedo : Laicos, & ſola ætate non dignitate ſeniores, nego : Hic ſenſus colligitur ex Innocentio I. Epiſt. laudata ad Decentium, ubi non nominat ſeniores, ſed Presbyteros, dicens : " Hoc & Apoſtolos feciſſe, & „ nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur a Presbyteris, & oratione comitante ſanentur. „

Dices : Diaconus poteſt baptizare : Igitur & ungere.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Poteſt baptizare in neceſſitate, concedo; nam Baptiſmus eſt abſolute ad ſalutem neceſſarius : ex officio ſubdiſtinguo ; ex commiſſione accepta, concedo : jure avito, nego. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 31. ar. 2. ad 2. his verbis : " Hoc Sacramentum non eſt neceſſitatis ſacramentum, „ ſicut Baptiſmus. Unde non ita committitur diſpenſatio ejus omnibus, in articulo neceſſitatis, ſed ſolum illis quibus ex officio competit : Diaconis autem, etiam baptizare non competit ex „ officio. „

Obſervat his Gonetus Diſput. 3. art. 2. in ca-

in caſu quo plures adhibentur ad ungendum infirmum Sacerdotes, unicuique incumbere dum ungit unum ſenſum pronunciare formam ſenſui ungendo correſpondentem, nuſquam vero uni adhibere materiam, & alteri formam pronuntiare: ſicut enim non licitum eſt duobus ſimul unum, & eumdem hominem baptizare, altero infundendo aquam, altero vero pronuntiando formam, ſic nec ungere infirmos; ait enim Apoſtolus Jacobus: *Ungentes eum oleo, in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum*: Igitur forma ſimul pronuntianda eſt quum fit unctio. Hæc autem conſuetudo plures advocandi Sacerdotes reſciſſa eſt propter avaritiam Miniſtrorum, qui pro iſta adminiſtratione pecuniam exigebant.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Solus Sacerdos eſt Miniſter Extremæ-Unctionis.

PRIMO: Sic declaratur a S. Jacobo capite 5. his verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.*

Secundo: Concinit Innocentius I. Epiſt. ad Decentium, ubi expreſſe dicit iſtam adminiſtrationem ſolos ſpectare Epiſcopos & Presbyteros.

Tertio: Sic docet S. Thomas hic q. 31. art. 1. 2. & 3. quia, *inquit*, iſtud ſacramentum perficit hominem ut promptum habeat ad gloriam introitum; ad ſolum autem Epiſcopum ſpectat perficere; ad Presbyterum vero illuminare: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametſi Innocentius I. in Epiſt. laudata dicat licitum eſſe nedum Sacerdotibus, ſed & Laicis ſe ungere, eo loci in iſtis ultimis verbis non loquitur de unctione ſacramentali, ſed de oleo benedicto, quo vel ipſi Laici pietate, & devotione commoti, nonnumquam ad curationem morborum utebantur.

Secundo: Quando Venerabilis Beda officium adminiſtrandi Extremam-Unctionem ad ſeniores remittit, nomine ſeniorum, ut fert traditio, intelligit Presbyteros.

Tertio: Diaconus poteſt quidem baptizare, non tamen ungere ſacramentaliter: quia ad ipſum non ſpectat aut perficere, aut illuminare.

ARTICULUS QUINTUS.

De Subjecto Extremæ-Unctionis.

CONCLUSIO PRIMA.

In Eccleſia Occidentali adulti in extremis poſiti inunguntur Sacramentaliter.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod eſt determinatum in Scriptura, ſic faciendum eſt: Atqui ſic determinatum eſt Jacobi 5. his verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et ante Marci 6. *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.* Ergo &c.

Secunda: Ad Concilia ſpectat determinare credenda: Sed ubi agitur de ſubjecto ſacramenti Extremæ Unctionis, Concilium Florentinum, & Tridentinum ſemper nominant infirmos: Et probatur: Primum in decreto unionis, & inſtructionis Armenorum, ſic habet de Extrema-Unctione: " Hoc Sacramentum non „ niſi infirmo de cujus morte timetur, „ dari debet. „ Alterum vero Seſſ. 14. cap. 3. his verbis ſe explicat: " Declara„ tur etiam eſſe hanc unctionem infirmis „ adhibendam, illis vero præſertim qui „ tam periculoſe decumbunt, ut in exi„ tu vitæ conſtituti videantur: unde „ & Sacramentum exeuntium nuncupa„ tur. „

Subſcribit Catech. n. 9. " Sed docendi „ ſunt Fideles, quamvis hoc ſacramen„ tum ad omnes pertineat, quædam ta„ men hominum genera excipi, quibus „ adminiſtrandum non ſit. Ac primum „ excipiuntur, qui ſano & firmo corpo„ re ſunt: iis enim Extremam-Unctio„ nem tribuendam non eſſe, & Apoſto„ lus docet, cum inquit: *Infirmatur quis in vobis?* Et ratio oſtendit: ſiqui„ dem ob eam rem inſtituta eſt, non mo„ do

„ do ut animæ, ſed etiam ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, „ qui morbo laborant, curatione indigeant: idcirco iis etiam qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut, ne ſupremus illis vitæ dies inſtet, metuendum „ ſit, hoc ſacramentum præberi debet. „

Tertio: Hoc ſacramentum eſt quædam ſpiritualis medicina: Sed remedium non niſi infirmis præbetur. Ergo &c. Sic propugnat D. Thomas hic q. 33. art. 2. " Dicendum, *ait*, quod hoc ſacramentum eſt quædam ſpirtualis curatio, ut „ prius dictum eſt, quæquidem per quemdam corporalis curationis modum ſignificatur: Et ideo illis quibus corporalis „ curatio non competit, ſcilicet ſanis, non „ debet hoc ſacramentum conferri. „

Non tamen expectandum eſt, ut ægrotus animam agat, & pondere ægritudinis ita conquaſſetur, ut ſacramentum diſcernere non queat. Hoc ſubnotat Concilium Bituricenſe anno 1584. " Adminiſtretur, „ *inquit*, tempeſtive a Sacerdote Extrema-Unctio olei ſancti; ita ut Chriſtianus „ mente adhuc integra, ſacramenti efficaciam agnoſcere poſſit. „ Sic & Burdigalenſe eodem circiter anno titulo 13. his verbis: " Non eo uſque differendum „ eſt hoc ſacramentum, dum æger omnibus pene ſenſibus deſtitutus ſit. „ Ita & Mediolanenſe ſub S. Carolo: " Extremæ-Unctionis ſacramentum, *ait*, curet „ Parochus ut ægroto, dum integris eſt „ ſenſibus, adhibeatur. „

Tum Catechiſmus Romanus ibidem n. 19. dicit: " In quo tamen graviſſime „ peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni „ ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim, ad uberiorem ſacramenti gratiam percipiendam „ plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo „ adhuc integra mens & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur. „ Quare Parochis animadvertendum eſt, ut „ eo potiſſimum tempore cœleſtem medicinam adhibeant, illam quidem ſemper „ vi ſua admodum ſalutarem, cum eorum etiam pietate & religione, qui „ curandi ſunt, magis profuturam intellexerint. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Orientales, maxime Græci, etiam ſanis nonnumquam concedunt Extremam-Unctionem.

Probatur multipliciter.

PRIMO QUIDEM, pœnitentes ungere non dubitant, ut remiſſionem peccatorum valeant conſequi; ideo enim hanc illis concedunt unctionem, quia valet ad remittenda peccata, juxta illud divi Jacobi effatum; *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Hoc ipſum innuere videtur Innocentius IV. Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum: " Ne „ Sacerdotes Græcorum, *inquit*, aut Confeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ, „ unctionem aliquam ſolummodo injungant. „

Secundo: Hoc ipſum colligitur ex Euchologio; ſic enim loquitur Arcudius L. 5. cap. 4. " Favet multum auctoritas Euchologii, in quo non tantum ægrotus, „ ſed etiam ſanus qui ſit ungendus introducitur. „ Sic ſcribit Goarius in ſuis ad ſancti olei officium Notis; ſic tandem Allatius L. 3. de conſenſione Eccleſiæ Orientalis cum Latina cap. his verbis: " Non tantum infirmos, ſed ſanos quoque Extrema-Unctione, & ſæpius inungunt. „

Obſervat tamen Renaud. perp. fid. L. 5. quoſdam ſanos adſtantes, dum ægrotus inungitur, oleo benedicto ſeipſos ungere, vel ad præcavendos morbos, vel etiam ad præſentes curandos; ſed hujuſmodi unctiones, inquit, non ſunt ſacramentales.

Tertio: Summi Pontifices conſuetudinem inungendi etiam ſanos, quotieſcumque aliqua emerſit inter Latinos & Græcos controverſia non damnarunt: Igitur apud eos licitum eſt vel ipſos ſanos ad remiſſionem peccatorum ſacramentaliter inungere.

Quæres 1. Quinam infirmi ungendi ſint?

Reſpondeo Extremæ-Unctionis ſacramentum non eſſe adhibendum in leviori infirmitate, ſed ſolum quum vita ægrotantis in periculum venit. Ita communiter SS. Doctores: ſic ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 3. his verbis: " Declaratur etiam eſſe hanc unctionem „ infirmis adhibendam, illis verro præſer-

„ tim

„ tim qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. „ Idem legitur L. 6. capit. c. 75. his verbis: " Si infirmitate depreſſus quis fuerit, nec unctione ſacrati olei careat. „ Concinit Synodus Andegavenſis anno 1293. " Hoc Sacramentum, *inquit*, tantum eſt in extremo vitæ articulo conferendum, quando infirmus in brevi ex hac vita credatur migraturus. „

S. Thomas hic q. 32. art. 2. ſic dirimit quæſtionem: " Hoc Sacramentum eſt ultimum remedium quod Eccleſia poteſt conferre, quaſi immediate diſponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc, quod ægritudo nata eſt inducere mortem, & de periculo timetur. „

Reſpondeo ſecundo, etiam his ſumma ſenectute laborantibus, tametſi non ægrotantibus, Extremam-Unctionem conferri poſſe, ſi eam expoſtulaverint; namque juxta medicorum adagium, *ſumma ſenectus, ſummus morbus*. Hoc ipſum ſtatuit ſanctus Carolus, in 4. Concilio Mediolanenſi tit. 6. *De Extrema-Unctione*, " Parochus, *ait*, Extremæ-Unctionis ſacramentum ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet, periculoſe ægrotantibus, propeque moribundis, ſenio confectis etiam non ægrotis, in diem morituris: ita iſtis ne miniſtret, nempe pueris rationis uſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſunt. „ Quibus verbis [cuncta ſecernit Pius ille Epiſcopus, deſignando quibuſnam concedenda ſit Extrema-Unctio, quibuſnam vero abueganda.

Quæres 2. Num pueris & amentibus ſacramentum Extremæ-Unctionis conferri debeat?

Reſpondeo primo, Pueris non eſſe exhibendum, ut conſtat ex ſancto Carolo, quippe qui non habeant peccata actualia delenda, ad quod ſpecialiter inſtituta eſt Extrema-Unctio, ſic docet S. Thomas ibidem q. 32. art. 4. ubi ſic loquitur: " Hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente, ſicut & Euchariſtia: unde ſicut Euchariſtia non debet dari pueris, nec hoc Sacramentum. „

Reſpondeo ſecundo, Concedendum eſſe etiam illud Sacramentum furioſis, ſi lucida habeant intervalla ut devote illud recipiant, vel ſi ante furiam illud expoſtulaverint. Ita D. Thomas ibid. art. 3. " Dicendum, *inquit*, quod ad effectum hujus Sacramenti percipiendum plurimum valet devotio ſuſcipientis, & perſonale meritum conferentium, & generale totius Eccleſiæ: quod patet ex hoc quod per modum deprecationis, forma hujus Sacramenti confertur. Et ideo illis, qui non poſſunt recognoſcere, & cum devotione ſuſcipere hoc Sacramentum, dari non debet: Et præcipue furioſis, & amentibus qui poſſent irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere: niſi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoſcerent; & ſic eis conferri in ſtatu illo poſſet. „

Non abſimilia profert de hoc momento Catechiſmus Rom. hic n. 9. his verbis: " Nemini igitur, qui gravi morbo affectus non ſit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametſi vitæ periculum adeat, vel quia periculoſam navigationem paret: vel quia prælium initurus ſit, a quo certa mors illi impendeat: vel etiamſi capitis damnatus, ad ſupplicium raperetur. Omnes præterea, qui rationis uſu carent, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt: & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare hujus Sacramenti remedio opus ſit, amentes item, & furioſi, niſi interdum rationis uſum haberent, & eo potiſſimum tempore pii animi ſignificationem darent, peterentque ut ſacro oleo ungerentur. Nam qui ab ipſo ortu numquam mentis, & rationis compos fuit, ungendus non eſt: ſecus vero ſi ægrotus, cum mente adhuc integra hujus Sacramenti particeps fieri voluiſſet, poſtea in inſaniam, & furorem incidit. „

Quæres 3. Num indiſcriminatim, illud Sacramentum ſicut juſtis, ſic & peccatoribus conferendum ſit?

Reſpondeo primo, Omnibus juſtis eſſe concedendum, niſi adſit contemptus: qui enim flocciſacit Sacramentum, ipſe illudit, & effectum impedit propter obicem, quæ quidem irreverentia privatione Sacramenti mulctanda eſt. Nam ex S. Thoma 3. p. q. 65. art. 4. ad 3. Omnium Sa-

cramentorum contemptus, eſt ſaluti contrarius. Dixi omnibus juſtis, cum enim, teſte S. Joanne 1. Epiſt. 1. in multa leviora peccata ſæpius cadat vel ipſe juſtus, dubio procul ad tollendas peccatorum reliquias adhibendum eſt extrema agentibus illud remedium. „

Gravior eſt difficultas de ægrotis qui peccato mortali laborant, de quo tamen morbi pondere nimis aggravati, confiteri non valent, quique etiam ita ſunt ſenſibus correpti, ut doloris ſigna præbere nequeant.

Reſpondet Sambovius Tract. de Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis Pariſiis in lucem edito anno 1686. ubi de Extrema Unctione art. 3. pag. 514. his verbis: " Quarta propoſitio, *ait*,
„ qui ſibi ſunt conſcii peccatorum morta-
„ lium de quibus confiteri nequeunt, ne-
„ que abſolvi ſacramentaliter, quocum-
„ que tandem modo id fieri poſſit, illi
„ tenentur præcepto divino in infirmitate
„ conſtituti recipere Sacramentum Extre-
„ mæ Unctionis. Probatur: quia eſt in-
„ ſtitutum tamquam medium ordinarium
„ ad remiſſionem peccatorum mortalium
„ in hac circumſtantia. „

Juveninus Comment. de Sacramentis Lugduni juris publici facto anno 1686. idem propugnat q. 7. de ſubjecto Unctionis Extremæ cap. 4. pag. 803. ubi ſic loquitur: " Furioſis dari debet Extrema Un-
„ ctio ſi dum eam petunt lucido interval-
„ lo actu fruantur: tunc enim & Sacra-
„ menti, & reverentiæ in Sacramento
„ ſunt maxime capaces. II. Iis quoque
„ adminiſtrare debet qui actu non fruun-
„ tur quidem ratione, ſed antea fruiti
„ ſunt: ſiquidem hoc-ce Sacramentum
„ actualem devotionem in ſuſcipiente non
„ requirit, cum fatentibus omnibus con-
„ ſueverit iis dari piis, qui præ ſubito
„ morbo amiſere rationis uſum. „

Rurſus ibidem. " Præterea pluribus
„ Theologis ratum eſt Unctionem Extre-
„ mam actu receptam remittere peccata
„ lethalia, quorum quis reus eſſe poteſt,
„ quæque præ impotentia confeſſus non
„ fuerit: ut igitur ſaluti hominis furioſi,
„ in quo ejuſmodi peccatorum reatus eſſe
„ poteſt, conſulatur, par eſt ut ipſi hoc
„ Sacramentum adminiſtretur. „

Reſpondeo ad propoſitam quæſtionem, Extremam Unctionem eſſe Sacramentum vivorum per ſe primo inſtitutum ad remiſſionem dumtaxat venialium, adeoque non remittere peccata mortalia niſi ſecundario, & ex his capitibus ſequitur illud Sacramentum exigere diſpoſitionem in ſubjecto tum ad effectum primarium, & a fortiori ad ſecundarium producendum; quæ quidem diſpoſitio debet eſſe attritio amore ſaltem imperfecto Dei, ut ſupra explicatum eſt, formata, quæque innoteſcat ſacerdoti per ſigna, vel ſaltem per bonam vitam ægroti cunctę viciniæ manifeſtatam; tunc enim eſt præſumptio ægrotum, ingraveſcente infirmitate, non ſemel actum contritionis de peccatis elicuiſſe. Ceterum ſi dubium de hoc foret, melius eſſet Sacerdotem conferre Extremam Unctionem cum conditione de præſenti, ne in periculum veniret reverentia Sacramento debita. Sic utique faciendum eſt quum emergit dubium num ægrotus ſit adhuc vivens, vel non, propter rationem mox allatam.

Neque vero abs re eſt hæc addere. Si ægrotus, qui nec confiteri, nec ſigna contritionis dare potuit, male ad hæc uſque tempora vixerit, immo & ſcandaloſe, juxta ſententiam multorum quam non reprobat Auguſtinus ubi de baptizando Catechumeno concubinario, citra peccatum, poteſt ei denegari Extrema Unctio; cum non ſatis conſtet: I. De illa cogitaſſe ægrotum: II. Iſtud Sacramentum, omiſſis debitis actualibus diſpoſitionibus, peccatum mortale remittere.

Synopſis eorum quæ in hac Sectione continentur.

Extrema Unctio ſolis conferenda eſt infirmis adultis.

PRIMO: Hoc ipſum expreſſe dicit D. Jacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis &c.*

Secundo: Id propugnat Eugenius IV. in decreto unionis, & Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 1.

Tertio: S. Thomas hic q. 32. art. 2. " Hoc Sacramentum, *ait*, eſt ultimum
„ remedium quod Eccleſia poteſt con-
„ ferre, quaſi immediate diſponens ad
„ gloriam. Et ideo illis tantum infir-
„ mantibus debet exhiberi. „

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS SEXTUS.

De effectibus Extremæ Unctionis.

SUPPONO Extremam-Unctionem producere augmentum gratiæ, ut dictum eſt de Sacramentis in genere, quandoquidem eſt Sacramentum vivorum, nec ullus, ordinarie loquendo, eam ſuſcipere debeat, niſi ſit per penitentiam a peccatis gravioribus purgatus. Controverſia igitur eſt de aliis momentis videlicet de remiſſione peccatorum venialium, de ſanitate reſtauranda, & aliis ſimilibus.

CONCLUSIO PRIMA.

Extrema-Unctio remittit peccata venialia.

Probatur auctoritate, & ratione.

Auctoritates.

PRIMO, ex D. Jacobo, qui cap. 5. ait: *Infirmatur quis in nobis ... & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quæ verba ita expreſſa ſunt, ut explanatione non indigeant; maxime cum extrema-Unctio non ordinetur per ſe primo ad delenda peccata lethalia: ſupereſt igitur ut remittat peccata venialia.

Secundo: Idem patet ex ipſa forma quam adhibet Eccleſia Romana in adminiſtratione hujus Sacramenti, ut eſt iſta v. g. *Per iſtam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid vitio oculorum deliquiſti.*

Tertio: ex SS. Patribus. S. Chryſoſtomus L. 3. de Sacerdotio, probat: " Presbyteros habere facultatem condonandorum fidelibus peccatorum, ex illo Jacobi 5. *infirmatur &c.* ,, Pontificale Anglicanum, Artemarenſe, Gemmeticenſe, Tillianum, Remigio Remenſe idem dicunt, & ab eis illud Sacramentum vocatur animæ medicina. Auctor Elucidarii apud Anſelmum ſic loquitur: " Peccata .... quotidiana per hanc unctionem relaxantur. ,,

Quarto: ex Conciliis. Cabilonenſe II. dicit Extremam-Unctionem eſſe, *medicinam qua animæ, corporiſque medetur languoribus*. Regiaticenſe, eſſe, *Sacramentum, per quod remittuntur peccata*. Tridentinum inter omnia celeberrimum Seſſ. 14. cap. 2. ſic loquitur de Extrema-Unctione: " Res porro, & effectus hujus Sacramenti, illis verbis explicatur. *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti, cujus Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eu divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur. ,,

Tum canone 2. expreſſe rem de fide definit his verbis. *Si quis dixerit ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema ſit.*

Ex his liquet iſtud Sacramentum non niſi per accidens, & ſecundario remittere peccata lethalia, ſuppoſita in ſubjecto diſpoſitione ſupra explicata. Et in hoc ſenſu debet intelligi Petrus Damianus, dum ſermone in Dedicatione Eccleſiæ ait hoc Sacramentum peccata mortalia dimittere. Dixi modo adſit diſpoſitio, ſcilicet attritio cum amore initiali, & imperfecto quo Deus diligitur, non præciſe propter ſe, ſed ut totius juſtitiæ fons, & hominis beatitudo. Sic propugnat ſanctus Thomas L. 4. contra Gentes cap. 37. Quem ſic explicat Ferrarienſis his verbis: " Ex doctrina S. Thomæ, ſic intelligitur dimitti culpa per Extremam Unctionem, quod tamen adiit Pœnitentia in propoſito ipſam Extremam Unctionem ſuſcipientis, quando ipſam exteriorem pœnitentiam ſuſcipere non poteſt. Tunc enim ex hoc ſacramento, ſimul cum propoſito, & deſiderio confeſſionis, confertur gratia per quam culpa remittitur: & ſic non ſequitur quod Pœnitentiæ ſacramentum ſit ſuperfluum. Attendendum autem, cum vult S. Thomas per hoc ſacramentum emundari hominem a peccatis quæ in memoria non habet: quod hoc intelligendum eſt, quando talia peccata prius per Penitentiam non ſunt dimiſſa, puta

„ quia homo non eſt uſus debita diligentia „ ad recolendum ea : tunc enim homo in „ extremo poſitus, ſi adſit dolor generalis „ eorum, quorum per incuriam fuerit ob- „ litus, per hoc Sacramentum ab omnibus „ emundatur.

Rationes.

PRIMA : Omne ſacramentum eſt ad ſalutem animæ : Sed hujuſmodi effectus non ſine remiſſione peccatorum habetur : Ergo &c.

Secunda : Remiſſio peccatorum fit per charitatem, quæ ſuo calore ferveſcente propellit animæ languorem per peccata venialia cauſatum : Sed in Extrema-Unctione operatur ſpecialiter Spiritus ſanctus, qui gratiæ ſuæ dulcedine erigit, & conſolatur animam : Ergo &c.

Tertia : Sic docet Eccleſia, ſic etiam communiter tenent Theologi : Ergo &c. Hoc ipſum non ſilet Catechiſmus Romanus hic n. 14. : " Docebunt igitur, *ait*, „ Paſtores, hoc ſacramento gratiam tri- „ bui, quæ peccata, & in primis quidem „ leviora, &, ut communi nomine appel- „ lantur, venialia, remittit : Exitiales „ enim culpæ, Pœnitentiæ ſacramento „ tolluntur. Neque enim hoc ſacramen- „ tum primario loco ad graviorum crimi- „ num remiſſionem inſtitutum eſt : Sed Ba- „ ptiſmus tantum & Pœnitentia vi ſua hoc „ efficiunt.

CONCLUSIO SECUNDA.

Extrema-Unctio habet etiam pro effectu ſanitatem corporalem, ſi expediat ſaluti.

Probatur multis momentis.

PRIMO : Ex Tridentino ſupra citato. Eugenius IV. hunc commemorat effectum in Decreto unionis : " Effectus, *inquit*, eſt „ mentis Sanatio ; in quantum autem expe- „ dit etiam corpori.

Secundo, ex Gregorii Magni Sacramentario, in quo olei conſecratio iſta oratione ſic habetur : *Emitte ut tua benedictione ſit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis, & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.*

Tertio, ex ſancto Thoma, qui L. 4. contra Gentes cap. 73. ex profeſſo docet Extremam-Unctionem ſanare infirmitates animæ, tum & corporales quæ derivantur ex peccatis ejuſdem animæ : hinc & ad ſanitatem reſtaurandam concludit Extremam-Unctionem eſſe neceſſariam, ut remedium contra infirmitatem corporis quæ eſt peccati effectus : " Conveniens igitur „ fuit ut contra peccatum aliqua ſpiritua- „ lis medicina adhiberetur, ſecundum quod „ ex peccato derivatur infirmitas corpo- „ ralis : per quam quidem ſpiritualem „ medicinam ſanatur infirmitas corpora- „ lis aliquando, quum ſcilicet expedit ad „ ſalutem : & ad hoc ordinatum eſt ſacra- „ mentum Extremæ-Unctionis, de quo „ dicitur Jac. 5. Infirmatur quis in vobis ? „ Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent „ ſuper eum, ungentes eum oleo in no- „ mine Domini, & oratio fidei ſanabit „ infirmum. Nec prejudicat virtuti ſacra- „ menti ſi aliquando infirmi quibus hoc „ Sacramentum confertur, non ex toto „ ab infirmitate corporali curantur : quia „ quandoque ſanari corporaliter etiam di- „ gne hoc ſacramentum ſumentibus non „ eſt utile ad ſpiritualem ſalutem. Nec „ tamen inutiliter ſumunt, quamvis cor- „ poralis ſanitas non ſequatur. Cum enim „ hoc ſacramentum ſic ordinetur contra „ infirmitatem corporis, in quantum con- „ ſequitur ex peccato : manifeſtum eſt „ quod contra alias ſequelas peccati hoc „ ſacramentum ordinatur, quæ ſunt pro- „ nitas ad malum, & difficultas ad bo- „ num : & tanto magis quanto hujuſmo- „ di infirmitates animæ ſunt propinquio- „ res peccato, quam infirmitas corpora- „ lis : & quidem hujuſmodi infirmitates „ ſpirituales per pœnitentiam ſunt curan- „ dæ : pro ut pœnitens per opera virtu- „ tis quibus ſatisfaciendo utitur, a malis „ retrahitur, & ad bonum inclinatur. „ Sed quia homo vel per negligentiam, „ aut per occupationes varias vitæ, aut „ etiam propter temporis brevitatem, „ aut propter alia hujuſmodi, prædictos „ defectus in ſe perfecte non curat ; ſalu- „ briter ei providetur : ut per hoc ſacra- „ mentum prædicta curatio compleatur, „ & a reatu pœnæ temporalis liberetur : ut „ ſic nihil in eo remaneat quod in exitu „ animæ a corpore eam poſſit a perceptio- „ ne gloriæ impedire. Et ideo Jacobus „ ad-

„ addit : Et alleviabit eum Dominus . „ Contingit etiam quod homo omnium peccatorum quæ commiſit, notitiam, vel „ memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula expurgare : ſunt etiam „ quotidiana peccata ſine quibus præſens „ vita non agitur, a quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc ſacramentum emundari, ut nihil inveniatur in eo quod „ perceptioni gloriæ repugnet : Et ideo „ addit Jacobus : quod ſi in peccatis ſit, dimitteotur ei .

CONCLUSIO TERTIA.

Extrema-Unctio remittit etiam reliquias peccatorum .

NOMINE reliquiarum quatuor potiſſimum intelligenda veniunt, videlicet, 1. Reatus pœnæ temporalis. 2. Pravæ diſpoſitiones ad peccandum. 3. Animi torpor ſeu debilitas, atque ineptitudo ex peccato originali, vel etiam actuali promanantes, quibus fit ut homo non habeat robur ad actus vitæ ſpirituales eliciendos. 4. Quædam pronitas mala, data occaſione, vel etiam premente tentatione ad committendum peccatum. His prænotatis.

Concluſio probatur multis argumentis.

PRIMO, hoc ſufficienter ſubindigitant verba D. Jacobi, *Oratio fidei ſalvabit infirmum : & alleviabit eum Dominus .*

Secundo, ex S. Thoma mox laudato L. 4. contra Gentes c. 73. " Hujuſmodi infirmitates ſpirituales, *inquit*, per pœnitentiam ſunt curandæ... Sed quia homo vel „ per negligentiam, aut per occupationes „ varias vitæ, aut etiam propter temporis „ brevitatem, aut propter alia hujuſmodi „ prædictos defectus in ſe perfecte non curat ; ſalubriter ei providetur, ut per hoc „ ſacramentum prædicta curatio compleatur, & a reatu pœnæ temporalis liberetur : ut ſic nihil in eo remaneat quod in „ exitu animæ a corpore eam poſſit a perceptione gloriæ impedire. „ Hoc ipſum patet ex Tridentino ſupra laudato.

Idem probatur rationibus Catechiſmi Romani .

PRIMA ſic exponitur : Dum homo animam agit, variis concutitur judicii mox futuri terroribus, & præteritorum peccatorum recordatione : Sed in tantis periculis poſitus efficaci opus eſt auxilio, & non datur niſi per Extremam Unctionem, quæ ad hunc præcipue effectum producendum a Chriſto Domino inſtituta eſt : Ergo &c. Sic habetur n. 28. his verbis : " Altera eſt ſacræ Unctionis utilitas, „ quod animam a languore, & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & a „ ceteris omnibus peccati reliquiis liberat. „ Tempus autem huic curationi opportuniſſimum exiſtimandum eſt, cum gravi morbo affligamur, ac vitæ periculum impendet. Etenim homini natura „ inſitum eſt, ut nihil in rebus humanis „ æque ac mortem pertimeſcat. Auget „ autem magnopere hunc timorem præteritorum ſcelerum memoria : cum præſertim graviſſima conſcientiæ noſtræ accuſatio nos urgeat. Ut enim ſcriptum „ eſt : *Venient in cogitatione peccatorum „ ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum*. Deinde illa cura, & cogitatio vehementer angit, „ quod paulo poſt ſtare oporteat ante Tribunal Dei, a quo de nobis juſtiſſima pro „ eo, ac meriti fuerimus, ſententia ferenda ſit. Sæpe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculſi, ſe miris modis „ exagitari ſentiant.

Secunda : Deprimitur ægrotus ut plurimum ſumma triſtitia : Sed tunc allevian-dus eſt, & teſte Jacobo, hoc fit per Extremam-Unctionem ; ait enim, *Et alleviabit eum Dominus :* Ergo &c. Hanc rationem tradit idem Catechiſmus ibidem his verbis : „ Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam ſi triſtitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus : paratique ſimus, depoſitum noſtrum, quandocumque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere : Ut igitur hac ſollicitudine fidelium mentes liberentur, animuſque pio, & ſancto gaudio repleatur, Extremæ-Unctionis ſacramentum „ efficit.

Tertio : Dæmon cuncta molitur ut

B 4 ægro-

ægrotum in extremis poſitum deterreat, & in ſalutis deſperationem ducat: Sed nemo cordatus dixerit manum fortem tunc temporis ad ignea inimici tela propellenda neceſſariam non eſſe; hæc autem eſt ipſum Unctionis ſacramentum: Ergo &c. Sic diſcurrit ibidem Catechiſmus, " Propterea, aliud etiam, quod me- „ rito omnium maximum videri poteſt, „ ex eo conſequimur. Nam etſi humani „ generis hoſtis quo ad vivimus, num- „ quam deſinit de interitu, & exitio no- „ ſtro cogitare: nullo tamen tempore, „ ut nos omnino perdat, ac ſi fieri poſ- „ ſit ſpem nobis divinæ miſericordiæ eri- „ piat, vehementius omnes nervos conten- „ dit, quam cum ſupremum vitæ diem „ appropinquare animadverterit. Quamob- „ rem fidelibus arma, & vires hoc ſa- „ cramento ſubminiſtrantur, quibus adver- „ ſarii vim, & impetum frangere, & illi „ fortiter repugnare poſſint. Allevatur „ enim, & erigitur ægri animus divinæ „ bonitatis ſpe; eaque confirmatus morbi „ incommoda omnia fert levius ac ipſius „ Dæmonis calcaneo inſidiantis artificium, „ & calliditatem facilius eludit. „

Quæris ſanctus Thomas hic p. 30. art. 3. art. 3. utrum Extrema-Unctio imprimat characterem, quæ quidem quæſtio mota fuit duodecimo ſæculo, eo quod quidam Theologi, ut Gofridus Windocinenſis Opuſc. 9. & Yvo Carnotenſis Epiſt. 20. adſtipulante Hugone Victorino exiſtimabant non eſſe iterandam, vel diverſis etiam in morbis, contra Petrum Cluniacenſem, & Petrum Lombardum, & reſpondet negative his verbis: " Character non imprimitur niſi in illis „ Sacramentis, quibus homo ad aliquod „ ſacramentum deputatur. Sed hoc Sacra- „ mentum eſt ſolum in remedium, & non „ deputatur per ipſum homo ad aliquod „ ſacrum agendum, vel ſuſcipiendum. „ Et ideo non imprimitur in eo chara- „ cter. „

Synopſis contentorum in Sectione.

PRIMO: Extrema-Unctio remittit peccata venialia, juxta illud D. Jacobi, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Hoc quoque traditio, & uſus Eccleſiæ prædicant.

Secundo: Sanitatem etiam reſtituit ſi conveniat ſaluti, ut ex iiſdem S. Apoſtoli verbis liquet: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*: Sic propugnat S. Thomas L. 4. contra Gentes c. 73. Sic Catechiſmus Romanus hic n. 14.

Tertio: Remittit quoque, & abſtergit peccati reliquias, quod utique infertur ex illis S. Jacobi verbis, *Et alleviabit eum Dominus*. Hoc ipſum declarat ſacra Synodus Tridentina Seſſ. 14. c. 2. & Catechiſmus n. 28.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum Extrema-Unctio poſſit reiterari?

CERTUM eſt Extremam-Unctionem non reiterari in eodem morbo; Hinc caput controverſiæ emergit ſolum in diverſis morbis. Unde ſit

CONCLUSIO.

Extrema-Unctio poteſt iterari in diverſis morbis.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic proponitur: Quotieſcumque aliquid in ſacra Scriptura exercendum in genere commendatur, juxta Eccleſiæ placitum obſervari debet: atqui S. Jacobus abſque limite dicit, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo &c.* Eccleſia vero veluti Scripturæ Interpres, concedit iterum atque iterum iſtud Sacramentum in diverſis infirmitatibus dari: Ergo &c.

Altera: Toties Medicina adhibenda eſt, quoties imminet morbus; atqui Extrema-Unctio eſt remedium adverſus peccata, & peccatorum reliquiæ, quibus non ſemel ſubjacet homo, qui iteratis vicibus quandoque in periculum vitæ ſæpius venit. Igitur &c. Hæc ratio eſt D. Thomæ, qui alteram hanc ſubjungit; ſcilicet Sacramenta quæ non habent pro ſubjecto conſecrationem, poſſe iterari. Sic loquitur hic q. 33. art. 1. " Quia ſanitas cor- „ poris, & mentis, quæ eſt effectus hu- „ jus Sacramenti, poteſt amitti poſtquam „ fuerit per ſacramentum effecta, ideo „ hoc Sacramentum ſine injuria poteſt ite- „ ra-

„ rari. „ Tum L. 4. contra Gentes c. 73. alteram ſubjicit rationem, & priorem breviter repetit. “ Hujus, *inquit*, ſacramenti
„ unctio, non eſt ad conſecrandum, ſicut
„ Unctio confirmationis, ablutio Bapti-
„ ſmi, & quædam aliæ Unctiones, quæ
„ ideo numquam iterantur, quia conſecra-
„ tio ſemper manet, dum res conſecrata
„ durat, propter efficaciam divinæ virtutis
„ conſecrantis. Ordinatur autem hujus ſa-
„ cramenti Unctio ad ſanandum. Medicina
„ autem ſanativa toties iterari debet, quo-
„ ties infirmitas iteratur. „

Tertia: Sæpius iterantur peccata: Igitur & remiſſio reiteranda eſt; quod non levius annuntiat Deus Ezechielis 18. promittens veniam peccatori quoties ſeſe converterit: Ipſe vero Chriſtus idem annuit in Evangelio Matth. 18. dicens Petro, toties condonandum eſſe fratri, quoties de peccato dolet. *Non dico tibi ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſepties.*

Concinit Petrus Cluniacenſis Epiſtolarum L. 5. Epiſt. 7. ubi ſic diſcurrit explicans iſta S. Jacobi verba, *Infirmatur &c.*
“ Nonne, *inquit*, & Apoſtolus hocce in-
„ dicat velle, ut quoties quis infirmatus fue-
„ rit, toties inungatur? Nam quid aliud
„ ſonant verba illius: Infirmatur quis in
„ vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ:
„ non enim ait: Infirmatur quis in vobis
„ ſemel: aut, Infirmatur quis in vobis
„ inducat Presbyteros Eccleſiæ ſemel:
„ Sed nulla mentione, unius, binæ, vel
„ ternæ unctionis facta, jubet nullo præ-
„ fixo numero induci ad ægrotum Pre-
„ sbyteros Eccleſiæ, fidei orationem fieri
„ ad alleviationem, & peccatorum remiſ-
„ ſionem cum oleo ſacro inungi „ Tum ibidem ſic concludit: “ Iterari, prout mi-
„ hi videtur, neceſſe eſt infirmorum un-
„ ctionem, quia iterari neceſſe eſt pec-
„ catorum, propter quam fit illa unctio,
„ remiſſionem. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: S. Jacobus non dicit hoc Sacramentum iterandum eſſe: Igitur ſufficit quod ſemel conferatur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et Eccleſia ſenſum Apoſtoli ad quamlibet infirmitatem extendit, concedo: ad unam ſolum contrahit, nego. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 32. art. 2. ad 2. his verbis: “ Quælibet infirmitas augmen-
„ tata, poteſt mortem inducere. Et ideo
„ ſi genera infirmitatum penſentur, in
„ qualibet ægritudine poteſt dari hoc Sa-
„ cramentum: Et hinc eſt quod Apoſtolus
„ non determinat infirmitatem aliquam:
„ ſed ſi penſetur infirmitatis modus, &
„ ſtatus, non ſemper debet infirmantibus
„ hoc Sacramentum dari. „

Inſtabis: Nemini licitum eſt injuriam irrogare Sacramento: ſed iterare Extremam-Unctionem ſapit injuriam; & probatur: Hoc arguit ſacramenti inefficaciam: Ergo &c. Sic cenſet Gofridus Windocinenſis Epiſtolarum L. 1. Epiſt. 19. ad Yvonem Carnotenſem, ubi ſic loquitur: “ Non mediocriter errant quod unctionem
„ infirmorum .... iterandam putant. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem; nam Pœnitentia, Euchariſtia, & Matrimonium ſæpius iterantur, nec tamen quis cordatus dixerit, ideo eſſe imperfecta Sacramenta; immo iteratio arguit ſacramentorum iſtorum energiam, quæ vel gratiam ſæpius reſtituunt, vel reſtitutam augent. Unde ad probationem diſtinguo: reiteratio ſacramenti arguit imperfectionem, ſi conſecrationem adhiberent, concedo: ſin minus, nego. Porro Extrema-Unctio conſecrationem non adhibet ſubjecto: Quocirca falſa eſt Gofridi ſententia, & ipſi prævaluit Petri Cluniacenſis placitum, cui tota adhæſit Eccleſia.

Inſiſtes: Atqui Extrema-Unctio conſecrationem producit: Ergo non eſt iteranda. Probatur ſubſumptum. Sacramentum Unctionis conſecrationem annexam habet, & non reiteratur, ut patet de Baptiſmo, de Confirmatione, & de Ordine, ſicut & de conſecratione tum Altarium, tum Eccleſiarum, quæ fit oleo, & chriſmate. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Sacramentum Unctionis annexam habet conſecrationem aliquam, concedo: adæquatam, nego. Extrema-Unctio eſt magis curativa quam conſecrativa, hinc reiterari poteſt: ſic voluit Chriſtus Sacramentorum Auctor. Cum igitur Sacramenta ſint ſigna arbitraria, ad inſtitutionem pro eſſentia, & effectibus attendendum eſt. Solutio colligitur ex Petro Cluniacenſi argumentum ſic ſuivente: “ Qui hoc cogitat, vel

„ qui

„ qui hoc objicit, attendat non ſolum
„ unctionum illarum ſimplicitatem; ſed
„ quod majus eſt, ipſius ſimplicitatis ſcru-
„ tetur, & intelligat rationem. Ut quid
„ enim jam baptizatus inungitur, niſi
„ ut jam collata, non conferenda bapti-
„ zato per ſpiritum Dei peccatorum re
„ miſſio demonſtretur? Hoc quia ſemel
„ factum ſufficit, quia ſemel remiſſa pec-
„ cata ſimplex ſacri chriſmatis unctio oſten-
„ dit, iterandam eſſe nulla ratio perſua-
„ det; ſed cur & illa quæ ab Epiſcopis fit,
„ Confirmationis unctio non iteratur?
„ Non iteratur plane, hac ratione; quia
„ ſemel Chriſtianus poſt Baptiſmum ar-
„ mis ſpiritus Dei per illam unctionem
„ advocati, contra ſatanæ, mundique bel-
„ la munitus, alio rurſum ſpiritu, vel aliis
„ armis illa ſimplici unctione muniri non
„ poſſe monſtratur. Sed cur non iteratur
„ & illa, qua Sacerdoti cœleſtia ſacri-
„ ficia ſacraturo, & tractaturo manus
„ inunguntur, illaque qua Pontificis ca-
„ put dum ordinatur, largiore chriſmatis
„ inundatione perſunditur? Sed nulla
„ eſt cauſa hoc rurſum agendi: Sacramen-
„ tum enim quod ſemel a ſpiritu Dei
„ accipiunt, etiam judicio Eccleſiæ ab of-
„ ficio ſuſpenſi, vel depoſiti, nullo pacto
„ perdere poſſunt. Eadem fere, & de
„ ipſa rerum inſenſibilium unctione ratio
„ redditur, quia nec corporalis Eccle-
„ ſiarum fabrica, nec ſacrorum vaſorum
„ præparatio, bina, vel terna unctione
„ indiget; quæ ſemel Pontificali officio
„ ſpiritus Dei benedictione congrua, ac
„ ſemper dum illa manſerint, manſura re-
„ plet. His de cauſis, in Dei Eccleſia nulla
„ jam dictarum unctionum unctio iteratur:
„ At de infirmo alia lex, alia de illorum
„ frequenti unctione ratio demonſtratur.
„ Iterari enim neceſſarium eſt, peccato-
„ rum, propter quam illa fit unctio, re-
„ miſſionem. „

Repones: Extrema Unctio eſt veluti publicæ pœnitentiæ appendix: Sed pœnitentia publica non repetebatur: Igitur nec repetenda eſt Extrema-Unctio. Majorem propugnat Yvo Carnotenſis Epiſt. 20. tom. 21. Bibliothecæ Patrum: " Un-
„ ctio, *inquit*, infirmorum publicæ pœ-
„ nitentiæ eſt ſacramentum, quam non
„ eſſe repetendam, ſicut nec Bapti-
„ ſmum, teſtatur Auguſtinus in Epiſt.
„ ad Macedonium, caute ſalubriterque
„ proviſum eſt, ut locus illius humillimæ
„ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia conce-
„ datur, ut medicina vilis, minus utilis
„ eſſet ægrotis; quæ tanto magis ſalu-
„ bris eſt, quanto minus contemptibilis
„ fuerit. „

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Extrema-Unctio eſt publicæ pœnitentiæ appendix ſecundum quid, concedo; ſimpliciter, & per omnia, nego. Ad minorem dico tranſeat, cum ex Conciliis conſtet, non ſemel pœnitentiam publicam, reiteratis gravioribus peccatis, reiteratam utique fuiſſe, ſed hoc dato, & non conceſſo, diſtinguo conſequens: Extrema-Unctio non repetenda ſi foret per omnia pœnitentiæ publicæ aſſimilata, concedo conſequentiam: ſi ſolum ſecundum quid, nego. Prioribus ſæculis mos inoleverat ægrotos animam agentes conſperſos cinere & cilicio ſuper caput poſito, velle mori, ut ſic humiliati animam Deo ſecurius redderent, quod quidem erat quædam pœnitentia publica; ſed nec jejuniis, & aliis pœnitentiæ laboribus vacabant: nec etiam ut plurimum peccatis publicis, & ſcandaloſis pro quibus pœnitentia publica intergebatur, conſcii erant. Igitur non eſt paritas, & benigne interpretandus eſt Auguſtinus prout ab Yvone citatur.

Has omnes ſolutiones juvat claudere verbis Catechiſmi Romani, qui n. 11. ſic loquitur: " In quibus illud obſerva-
„ re oportet, in una, eademque ægro-
„ tazione, cum æger in eodem vitæ peri-
„ culo poſitus eſt, ſemel tantum ungen-
„ dum eſſe. Quod ſi poſt ſuſceptam hanc
„ unctionem æger convaluerit, quoties
„ poſtea in id vitæ diſcrimen inciderit,
„ toties ejuſdem ſacramenti ſubſidium ei
„ poterit adhiberi: Ex quo patet, in eo-
„ rum Sacramentorum numero, quæ ite-
„ rari ſolent, reponendam eſſe. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Extrema-Unctio in diverſis morbis iterari poteſt.

PRIMO: Hoc ex ipſa Scriptura patet, cum S. Jacobus abſque reſtrictione dicat: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ungentes eum oleo &c.*

Secundo: Sic docet praxis Eccleſiæ.

Tertio: Ratio D. Thomæ eſt, quod itera-

iteratis morbis, reiteranda ſint remedia: Porro nemo non ſentit peccata ægritudines eſſe; ſed Extrema Unctio contra venialia remedium eſſe fides docet.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tamet B. Jacobus non dicat iteratis morbis iterandum eſſe Extremæ Unctionis remedium, non tamen per excluſionem loquitur, cum vel ipſa Eccleſia ſoleat illam, repetitis morbis, etiam ut remedium optimum repetere.

Secundo: Non diffitemur Gofridum, & Yvonem propugnare Extremam Unctionem non eſſe ullo modo repetendam, ſed illis prævalet Petrus Cluniacenſis, S. Thomas, & alii Theologi, quorum ſententiæ Eccleſia ſuum addit calculum.

Tertio: Quamvis quædam Sacramenta, quæ annexam habent unctionem non reiterentur; idem non eſt dicendum de Extrema Unctione, quippe quæ non importet ſubjecti conſecrationem Deo optimo factam, ſed ſolum peccatorum indulgentiam.

ARTICULUS OCTAVUS.

De neceſſitate Extremæ Unctionis.

CONCLUSIO PRIMA.

Extrema Unctio non eſt neceſſaria neceſſitate medii.

PROBATUR breviter hoc ratiocinio: Illud non eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo ſalus haberi poteſt: Atqui, prætermiſſa Extrema Unctione, modo non adſit contemptus, quiſque ſalvari poteſt: Ergo &c. Probatur minor: Eccleſia velut juſtos habet, qui receptis Sacramentis tum Pœnitentiæ, tum Euchariſtiæ, impetu ægritudinis, abſque hoc Sacramento e vivis eripiuntur, ut quotidiana probat experientia. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Qui periculoſe infirmatur, jure divino, ſimul & Eccleſiaſtico tenetur Extremam Unctionem ſuſcipere.

Probatur prima pars;

Scilicet quod præceptum divinum tunc urgeat.

PRIMO: Iſtæ voces, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ*, continent legem divinam, quippe quæ ſit a ſancto Spiritu, quatenus ab eo inſpiratus ſic loquutus ſit S. Jacobus, & ab ipſo Chriſto promanaverit.

Secundo: Hæc lex Traditione firmatur, unde non eſt merum conſilium, namque Theodorus anno 668. a Vitaliano Papa Cantuarienſis Archiepiſcopus ordinatus, in Libro Pœnitentiali quem pro ſuæ Diœceſeos uſu juris publici fecit, ſic habet: " Ideo ſecundum auctoritatem ca-
„ nonicam, ne illis, infirmis, janua
„ pietatis clauſa videatur, orationibus,
„ & conſolationibus Eccleſiaſticis, ſa-
„ cra unctione olei inuncti ſecundum ſta-
„ ſtatuta SS. Patrum, communione Via-
„ tici reficiantur. „ Porro nomine, *Statuta ſanctorum Patrum*, intelligitur traditio, juxta illud Concilii Colonienſis anno 1538. habitum c. 50. partis 7. " Hæc ſa-
„ cra unctio impendatur cum expoſitione mandati Apoſtolici. „ Suffragatur Concilium Cabilonenſe canone 48 his verbis:
" Secundum beati Apoſtoli Jacobi docu-
„ mentum cui etiam documenta Patrum
„ conſentiunt, infirmi oleo quod ab Epi-
„ ſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi
„ debent. „

Tertio: Neceſſaria eſt medicina ægrotis, dicente Apoſtolo de Chriſto 1. Tim. 1. *Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere*. Rurſus 1. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*: Sed Extrema Unctio eſt remedium, & contra peccata venialia, & adverſus rugientis inimici impetus. Ergo &c.

Quarto: Illud cadit ſub præceptum divinum, quod negligenter, aut per contemptum prętermiſſum, inducit pęnas, tum in hoc mundo, tum in altero ſubeundas:

Atqui

Digitized by Google

Atqui pro Extrema-Unctione ſic omiſſa pœnæ infliguntur in præſenti, & in futuro: in futuro quidem cum ejuſmodi omiſſio ſit peccaminoſa: in præſenti vero ut habetur in Concilio Colonienſi anno 1549. his verbis: " Relatum eſt nobis „ in Concilio, impios quoſdam homines „ infirmitatis ſuæ tempore, unctionem „ ſacram reſpuiſſe, ac contempſiſſe: quam „ obrem ſtatuimus ut ſi quis Sacramen „ tum illud nobis ab Apoſtolo Jacobo „ tantopere commendatum contempſerit, „ Eccleſiaſtica careat ſepultura. „ Similia profert Senonenſe anno 1514. adunatum, ubi declaratur, quod quando eſt contemtus, pęna mulctandus eſt infirmus: " Quando, *inquit*, Epiſcopus eſt præſens, „ paratus dare, & perſona hoc ſciens „ negligit aut deſpicit recipere. „ Ergo &c.

Probatur ſecunda pars;

Scilicet, quod præcepto Eccleſiaſtico extrema agens, teneatur recipere Extremam-Unctionem.

PRIMO: Sic habetur in quinto Concilio Mediolanenſi p. 2. titulo, *quæ pertinent ad ſacramentum Extrema Unctionis:* " Caveat Parochus ne in eo Sacramento „ miniſtrando, negligentiam, ullam mo„ ræ culpam contrahat: Alioquin ſi ad „ illius miniſtrationem accerſitus ire ne „ glexerit, cum ratione Deo reddet, tum „ pęna ab Epiſcopo graviter plectatur. „ Is porro, ad omnem hujus ſacramen„ ti in tempore adminiſtrandi diligen„ tiam, præter quam quod præcipue cura „ ſua quæ ſanctæ ſolicitudinis plena eſt, „ officio valde admodum perpetuo exci„ tetur: propoſito etiam ſibi exemplo „ ſanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accedatur, „ qui tam vehementi animi dolore, „ e ea affectus eſt, quod culpa ſua mu„ lier quædam Sacramenti hujus gratia „ fraudata deceſſerit, ut totam noctem „ orando, gemendo, lacrymando conſum„ pſerit, lacrymarumque vi quaſi maximo „ imbre pro oleo ſincto, quod non mini„ ſtravit, mortuam perfuderit: Mane au„ tem exaudivit Dominus Sanctum ſuum: „ ita ut illa e morte tamquam e ſomno „ excitata, e lecto ſe ſe erigens Sacra„ mentum hoc ab eo acceperit, ac dein„ ceps a morbo convaluerit. „

Secundo: Non deſunt alia exempla; quibus compertum eſt multos juxta præceptum Apoſtoli voluiſſe in extremis iſto muniri Sacramento. Hoc ipſum refert de ſancta Cunegunda apud Surium, de Carolo Magno, ut ſcribit Eparchius „ in ejus vita. Similia refert Guillelmus Malmesburienſis L. 1. Hiſt. c. 3. de venerabili Beda, & Paſchaſius Radbertus de Adelardo Abbate, Rupertus de Hereberto Colonienſi Abbate, quæ omnia ſubindigitant viros probos æquum duxiſſe ſuſcipere Extremam Unctionem, ut Eccleſiæ ſicut intentioni, ſic & ejus mandato obedirent.

Tertio: Sacramenta cedunt in ſalutem Fidelium, hinc Mater Eccleſia vult filios ſuos ea præſertim ſuſcipere, quæ remittunt peccata: Atqui talis eſt Extrema-Unctio. Ergo &c.

Quarto Qui amat periculum peribit in illo, & ægre patitur Eccleſia Chriſtianum ſua culpa venire in ſalutis diſcrimen: Sed qui negligeret Extremam Unctionem, periculo tentationibus cedendi exponeretur: Igitur ea eſt Eccleſiæ voluntas ut infirmus Extremæ-Unctionis ſacramentum ſuſcipiat.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES contra primam 2. concluſionis partem: Nullum Dei Extrema Unctione ſuſcipienda, aut in Scripturis, aut in ſanctis Patribus extat præceptum. Igitur Extrema Unctio non cadit ſub præceptum divinum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Nullum extat explicitum, concedo; implicitum, nego. Certum eſt enim D. Jacobum injungere Fidelibus ægrotantibus ut inducant Presbyteros Eccleſiæ, quatenus eos ſacro oleo ungere dignentur. Ceterum exempla laudata ſufficienter annuntiant præceptum. Quid plura adiciam? Auctores ſex priorum ſæculorum raro admodum loquuntur de præcepto Euchariſtiæ ſuſcipiendæ: " Ergo-ne de Communione nullum erat præceptum? Abſit dicere: idem & de Extrema-Unctione proferendum; morbi quippe pondus, & imminentia ſalutis pericula conclamant ad remedium cito citius confugiendum eſſe.

Oppones contra ſecundam partem ejuſdem

dem concluſionis: Dum aliquis ægroto de Extrema Unctione ſuſcipienda ſermonem inſtituit, eum tanto concutit tremore; ut abſque mora ſæpius in periculum vitæ veniat. Sed non datur præceptum Eccleſiæ ad mortem accelerandam: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et timor iſte eſt ſalutaris conducens ad peccata delenda, concedo: Hinc Propheta Pſ. 118. ait: *Configge timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui:* Et non eſt ſalutaris, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Solutio innititur Synodo Burdigalenſi anno 1583. tit. 13. his verbis: " Quapropter Parochis præcipimus ut omnes curæ ſuæ creditos frequenter moneant, ne ſint hac in re lentiores, aut negligentiores, cum inter eos aliquis periculose laborare videbitur. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani, & impia opinione abducere, qua plerique ſiniſtre de hujus Sacramenti virtute ſentiunt; Cum certum ſit ex Apoſtoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, ſi expedierit, virtute hujus Sacramenai *Extremæ Unctionis*, ſalutem conſerre. "

Dices: Non parum curant Fideles Extremam Unctionem ſuſcipere, nec ut plurimum de hoc vel ab ipſis Parochis increpantur; Igitur non extat de hoc præceptum Eccleſiaſticum.

Reſpondeo, vitio verti ægrotis quidem non petere Sacramentum, Parochis vero etiam, ſi negligant adhortari ægrotos, ut illud ſuſcipiant, & hoc ipſum ex Conciliis laudatis patet.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur præceptum divinum ſimul & Eccleſiaſticum de Extrema Unctione ſuſcipienda.

PRIMUM patet ex ipſis S. Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis &c.* Hoc fuſe probat Petrus Cluniacenſis; hoc, Theodorus; hoc Yvo Carnotenſis, qui Lib. Pœnit. frequentationem hujus Sacramenti ab auctoritate Canonica promanare docet.

Secundum annuntiant multa Concilia Provincialia, in primis Burdigalenſe anno 1583. tit. 13. Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit peccatoribus accedere ad remedium; Extrema autem unctio delet peccata venialia, compeſcit paſſiones, & propellit rugientis inimici tela. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi non extet præceptum explicitum de Extrema Unctione ſuſcipienda, eſt tamen implicitum.

Secundo: Per accidens terrore perterritus ægrotus ab hoc Sacramento vult abſtinere, ſed ad ſe reverſus, toto corde ſuſcipit.

Tertio: Parochus non ſine culpa non admonet ægrotum ut ſuſcipiat Extremam Unctionem, nec culpa caret ipſe ægrotus, ſi illam negligat.

DISSER-

DISSERTATIO SEXTA
DE
SACRAMENTO ORDINIS;
TUM SECUNDUM SE, TUM SECUNDUM SUOS GRADUS.

ORDINATIONEM ſacram eſſe Sacramentum oſtenſum eſt ſupra in Secunda parte. Nunc vero multa præclara explanare juvat, quæ ſeptem potiſſimum Capitibus comprehenduntur.

Primum, eſt, de ſacra Ordinatione ſecundum ſe.

Secundum, De Miniſtro.

Tertium, De Suſcipiente.

Quartum, De Epiſcopatu.

Quintum, De Presbyteratu.

Sextum, De Diaconatu.

Septimum. De Subdiaconatu, & quatuor minoribus Ordinibus, ubi de materia & forma cujuslibet Ordinis.

ARTICULUS PRIMUS.

De ſacris Ordinationibus ſecundum ſe ſpectatis.

TRIA circa iſtud momentum diſcutere animus eſt. Primo: An diſtincti ſint Clerici à laicis? Secundo: Ad quos pertineant ſacræ electiones? Tertio: Quot ſint Eccleſiaſtici Ordines?

SECTIO PRIMA.

Utrum diſtincti ſint Clerici a Laicis?

WICLEFUS, Valdenſes, Lutherus, & alii ætatis præteritæ Hæretici, nullam diſtinctionem admittunt inter Clericos, & Laicos; ſed omnes æqualiter Sacerdotes, & Evangelii Miniſtros eſſe arbitrantur; vel ſi aliquam diſtinctionem inter eos admittant, eam dumtaxat ex hominum inſtitutione, & arbitrio pendere, ajunt, adeo ut plebeji, & quivis e trivio homines, ſtatim atque populus juſſerit, Sacerdotes evadant, hinc & per ſolam ejus electionem Verbi Divini prædicandi, & Sacramentorum diſpenſandorum poteſtatem habeant; e contra vero, facta ejuſdem decreti reſciſſione, continuo in Laicorum ordinem redigantur. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Eſſentialiter Clerici diſtinguuntur a Laicis.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Ab ipſa mundi creatione, & ipſo naturæ ductu, aliqui ſemper a reliqua plebe ſelecti fuerunt, qui Sacerdotii functiones obirent. Ergo &c. Probatur Antecedens. Huic muneri olim ante legem Moſaicam primogeniti fuerunt addicti, referente Hieronymo in quæſtionibus, ſive traditionibus Hebraicis in Geneſim ad locum Gen. c. 27. Tom. 3. operum; inter Ethnicos vero, quamvis a vera fide extorrès, aliqui ſemper erant, e reliqua plebe ſecreti ad Sacerdotalia munia obeunda: Sic ſcribit Ariſtoteles L. Politic. c. 8. Lege autem promulgata a Moyſe, ab ipſomet Deo Levitica tribus deſtinata eſt, quæ Sacris muniis mancipata, Sacrificiis litandis inſerviret. Tum in nova lege Sacerdotium ipſa Chriſti Conſecratione, qui, ut ait Apoſto-

Digitized by Google

lus, Heb. 1. *Oleo exultationis præ participibus*, ſuis a Deo Patre unctus eſt, in immenſum ſupra Sacerdotium Aaronicum elevatum eſt: Chriſtus enim Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech factus, manu Sacerdotum ipſe primus Sacerdos ſimul, & victima ſempiternum habet Sacerdotium, ut ſui ipſius de die in diem iterata oblatione, in ſempiternum conſummet ſanctificatos. Ergo &c.

Secunda ratio petitur ex ipſamet auctoritate D. Pauli, qui manifeſtam diſtinctionem poſuit inter Clericos, & Laicos 1. Corinth. cap. 12. his verbis: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra unum quoque eorum in corpore, ſicut voluit: Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus . . . . Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum quidem Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratia curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ, numquid omnes doctores?*

Subſcribit Concilium Trideut. Seſſ. 23. c. 4. his verbis: Si quis omnes Chriſtianos promiſcue novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata, confundere, perinde ac ſi contra B. Pauli doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores.

Tertia: Illi ſunt a laicis prorſus diſtincti, qui vi ordinationis ſuæ, jubente Deo, & ſtatuente Eccleſia, a populo ſegregati ſunt. Atqui Sacerdotes ſic ſunt a reliquo populo ſegregati. Et Probatur: Primo ex B. Paulo, qui Rom. 1. ſeipſum dicit, *ſegregatum in Evangelium Dei*. Tum Act. 13. mentio expreſſa fit de hujuſmodi ſegregatione, *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos*. II. Iſtam controverſiam dirimit ipſe S. Paulus Heb. 5. *Omnis*, ait, *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Porro ſi Sacerdos ex hominibus aſſumatur, ut offerat Sacrificia, dubio-procul non omnis indiſcriminatim inter homines Sacerdotii vice fungitur. Igitur Sacerdotes a laicis ſecretos eſſe neceſſe eſt. III. Hoc ipſum patet ex uſu Eccleſiæ, quæ quidem ab omni ævo Sacerdotes a laicis ſacris Ordinationibus ſemovit.

Quarta: Vel ipſa Scriptura ſacra ſecernit Eccleſiæ Miniſtros a plebe, & hoc ſacro & ſpeciali ordinationis ritu: Ergo &c. Probatur Antecedens. Primo quidem ex illa Chriſti cæremonia Joan. 20. qua Apoſtolos conſtituit ſupremos ſuæ Eccleſiæ Præſules tum ad remittenda peccata, tum ad diſſeminandum Dei verbum. Si enim habetur: *Inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Hinc Apoſtolus 2. Cor. 3. ait: *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu*. Rurſus Heb. 5. pro univerſis Miniſtris dicit: *Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Demum Apoſtolus Clericos, quos ipſe ordinaverat Act. 20. ſic alloquitur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos conſtituit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Sed in his & ſimilibus locis affulget ex Ordinatione ſacra Clericos dignitate ſimul & charactere a Laicis ſecerni: Ergo &c.

Quinta: Eccleſia ſemper Clericos per Ordinationem a Laicis diſtinxit, ut liquet ex ſacris Ordinationibus, quas in Secunda tractatus parte retulimus: ſed praxis Eccleſiæ vim habet legis: Ergo &c.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OBJICIUNT: Ad Gal. c. 3. hæc habentur: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque femina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. Item pariter Rom. c. 10. Igitur nulla diſtinctio admittenda eſt in Eccleſia.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi Apoſtolus loquitur de bonis ſpiritualibus Eccleſiæ, quæ omnibus communia ſunt, concedo.

do : de miniſteriis , nego antecedens & & conſequentiam . Id unum ibi intendit S. Paulus, nec in fidei profeſſione amplectenda , nec in exhibendis, quæ ſingulis neceſſaria ſunt ad ſalutem , religionis officiis , nec in obtinenda a Deo bonorum operum mercede , nec in divinarum gratiarum conſecutione , ullam aut patriæ , aut ſexus, aut libertatis prærogativam eſſe, nam ut ait idem Apoſtolus Epheſ. c. 4. *Unum corpus , unus ſpiritus , ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ : unus Dominus , una fides , unum Baptiſma : unus Deus , & Pater omnium , qui eſt ſuper omnes , & per omnia , & in omnibus nobis : unicuique autem noſtrum data eſt gratia , ſecundum menſuram donationis Chriſti .*

Inſtans : 1. Petr. 2. omnes Fideles vocantur , *Genus electum , regale Sacerdotium , gens ſancta , populus acquiſitionis* . Rurſus Apoc. 1. *Qui dilexit nos & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo , & fecit nos regnum , & Sacerdotes Deo , & Patri ſuo*. Ergo &c.

Reſpondeo ad utrumque teſtimonium , I. Retorquendo argumentum : Si enim omnes proprie forent Sacerdotes , omnes eſſent Reges ; ſicque regnorum omnium fundamenta ſubverterentur , regnandi leges violarentur , & in ſacram Regum Majeſtatem tot hoſtes immitterentur , quot cives ; quis autem hæc dicat ? Exodi cap. 19. hæc leguntur : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea eſt enim omnis terra ; & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale , & gens ſancta* ; & tamen in veteri lege non omnes erant Levitæ.

Reſpondeo II. diſtinguendo: Omnes Chriſtiani dicuntur Sacerdotes ; eo quod ex eis ſolum legitimi valeant eligi Sacerdotes , vel dicuntur reges, & Sacerdotes ; eo quod in Baptiſmo & Confirmatione ungantur, vel etiam quia Sacerdotales, & regales functiones myſtice obeunt ; vel demum quia Chriſtiani omnes ſunt membra Chriſti Regis , & Sacerdotis, concedo : ſunt Sacerdotes proprie, nego antecedens & conſequentiam . Has omnes eruimus ſolutiones ex ſanctis Patribus ; ſecundam tradit Origenes Homil. 9. in Levit. his verbis : “ Omnes enim , *inquit* , ,, quicumque unguento ſacri Chriſmatis ,, delibuti ſunt , Sacerdotes effecti ſunt , ,, ſicut & Petrus ad omnem dicit Eccleſiam &c. ,, Tertiam legimus in S. Auguſtino L. 20. de Civ. Dei c. 10. “ Erunt, *ait* , Sacerdotes Dei & Chri- ,, ſti, & regnabunt cum eo mille annis, ,, non utique de ſolis Epiſcopis, & Pre- ,, sbyteris dictum eſt, qui proprie jam vo- ,, cantur in Eccleſia Sacerdotes , ſicut ,, omnes Chriſtianos dicimus , propter ,, Myſticum Chriſma : ſic omnes Sacer- ,, dotes , quoniam membra ſunt unius Sa- ,, cerdotis. De quibus Apoſtolus Petrus : ,, Plebs , inquit , Sancta , regale Sacerdo- ,, tium . ,, Quartam ſubminiſtrat S. Leo Ser. 3. Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, ubi ſic loquitur : “ Quid enim tam ,, regium, quam ſubditum Deo animum, ,, corporis ſui eſſe rectorem ? Et quid ,, tam Sacerdotale quam vovere Domino ,, conſcientiam puram , & immaculatas ,, pietatis Hoſtias de altari cordis offerre . Ultimam dat Ugobardus Epiſcopus Lugdunenſis in tractatu de privilegio & jure Sacerdotis Tom. 3. Bib. Patrum, ubi ait : “ Omnes fideles vera membra ſummi ,, Pontificis Sacerdotis , Dei videlicet ac ,, Domini noſtri Jeſu Chriſti mediatoris ,, Dei & hominum , factos eſſe ab eo ,, Patris regnum, & Sacerdotes, dicique ,, genus electum, regale Sacerdotium, & ,, eſſe ſub capite ſummo unum Sacerdo- ,, tem, ,, Ex his claret Laicis Sacerdotii rationem convenire dumtaxat myſtice, & non hierarchice , quippe qui Sacramenta conficere non poſſint .

Urgent : Eadem Epiſtola c. 5. Petrus admonet Paſtores ut appareant , *Non dominantes in Cleris , ſed forma Gregis facti ex animo* : Igitur eſſentialiter non diſtinguuntur a populo .

Reſpondeo diſtinguendo : Et ibi docet Apoſtolus Paſtores , ne inferiores clericos contemnant, aut ex dignitate ſuperbiant, vel faſtuoſo habitu incedant, aut voce auſtera inſoleſcant , concedo . Et per hæc verba æqualitatem omnimodam vult eſſe inter Clericos , & plebem , nego . Sacerdotum ibi inſolentiam in Clericos prohibet . Sed eſto ibi per Cleros , omnes intelligat fideles D. Petrus , ſicut S. Cyrillus Alexandrinus docet L. 1. in Iſaiam c. 3. id unum eruitur, videlicet fideles omnes eſſe per Antonomaſiam Dei populum ſi relative ad Paganos ſpectentur . Ceterorum Sacerdotes , tum ratione conſecrationis ſuæ, tum ratione officiorum , tum etiam

iam

iam ratione caſtitatis voti Deo ſpecialiſſime conjunguntur: Hinc a reliquo populo his titulis longe ſunt diſcreti.

Inſiſtunt: Reprehendit D. Petrus dominatum, principatum, auctoritatem atque imperium Sacerdotum in reliquos ex plebe: Sed ſi putaret eos diſtingui a Laicis, auctoritatem e contra eis tribueret. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Reprehendit abuſum poteſtatis, principatus vanitatem in minis, ac terroribus conſiſtentem, concedo: ipſam auctoritatem, nego; ſed inde non ſequitur Clericos cum Laicis Apoſtolum confundere.

Perſiſtunt: Tertullianus Lib. de exhortatione caſtitatis c. 7. ſic habet: " Vani ,, erimus, ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Nonne ,, & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt, ,, Regnum quoque nos & Sacerdotes, Deo ,, & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ,, Ordinem, & Plebem conſtituit Eccleſiæ ,, auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſiaſtici ,, ordinis eſt conſeſſus, & offert & tinguit ,, Sacerdos, qui eſt ibi ſolus. Sed & ubi tres, ,, Eccleſia eſt; licet laici. Unuſquiſque ,, enim de ſua fide vivit. Nec eſt perſonatum acceptio apud Deum, quoniam ,, non auditores legi juſtificabuntur a ,, Deo, ſed factores, ſecundum quod & ,, Apoſtolus dicit. Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt ,, habeas, oportet etiam diſciplinam Sacerdotis neceſſe ſit habere jus Sacerdotis. ,, Tum Lib. de Monogamia c. 12. " Quum extollimus, *ait*, & inflamur adverſus Clerum, tunc unum omnes ſumus, ,, tunc omnes Sacerdotes; quia Sacerdotes nos Deo & Patri facit: Quum ad ,, peræquationem diſciplinæ Sacerdotalis ,, provocamur, deponimus inſulas, & pares ,, ſumus. ,, Ergo &c.

Reſpondeo 1. Tertullianum tunc Montaniſtam factum hoc ſcripſiſſe, & ſic nullius, vel ſaltem exigui eſt ponderis ejus auctoritas; cum enim Montanus, & qui eum ſecuti ſunt Cathari, Hierarchicum Eccleſiæ ordinem turbarint, & Clericorum eamdem quam Laicorum conditionem eſſe voluerint, quid mirum, ſi Tertullianus, poſtquam eorum adhæſit erroribus, quædam dixerit quæ Catholicæ Religioni adverſantur? Mentem tamen ſuam explanat his verbis: " Et honor per ,, Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. ,, Si autem honor ille clericalis a Deo ſanctificatus eſt, dubio procul ex ipſo Tertulliano Ordo clericorum ſupereminet laicali.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Et hæc omnia unum dumtaxat probant, videlicet Laicis aliquid competere, diverſo tamen ſenſu, quod commune eſt Clericis, concedo: omnia, & eodem modo, nego. Competit Laicis v. g. baptizare in neceſſitate, ſed non ex officio: Sacrificium offerre, ſed cordis contribulati, nuſquam vero proprie dictum; jure quippe divino, hoc ſolum convenit Sacerdotibus. Ne tamen populus qui ad res ſenſibiles maxime attendit, Sacerdotes flocci faceret, eos Eccleſiæ auctoritas tum officiis, tum dignitatibus, tum beneficiis & juriſdictione diſcrevit, immo & a Laicis prorſus ſemovit, ſeu diſtinxit, & ſegregavit. Tertullianus eo loci agit de caſtitate, ad quam, vel ipſos Laicos adhortatur; hinc multa dicit: 1. " Unius matrimonii eſſe ,, oportere qui alleguntur in ordinem Sacerdotalem. ,, Igitur ſuo tempore Sacerdotes erant quadam conſecratione a Laicis diſcreti. Tum ait & Laicum Sacerdotem eſſe, ſed ſibi ſoli: " Sacerdos eſt ibi ,, ſolus. ,, Et ex illo Myſtico Sacerdotio concludit Laicos ſicut Sacerdotes caſtiſſimos eſſe debere, maxime cum tres Laici in Chriſto adunati Eccleſiam ſecundum quid repræſentent. Ceterum quia Tertullianus duriora loquitur, ceteris doctoribus magis credendum eſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM,

Clerici a Laicis ſegregantur.

PRIMO: Hoc ex Scriptura patet, cum ipſe Chriſtus ordinatione ſpeciali Apoſtolos Sacerdotes inſtituerit, dicendo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; Tum verbi ſui & Evangelii præcones & Miniſtros, Joan. 20. *Inſufflavit: & dixit eis; Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Secundo: Hanc clericorum a Laicis diſtinctionem expreſſe tradit eadem divina Scriptura, Act. 20. iis verbis: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam* Dei:

Dei: Rurſus Act. 13. *Dixit illis Spiritus ſanctus; Segregate mihi Paulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos.*

Tertio: Traditio idem docet, cum ab ipſa vagiente Eccleſia ſummi Pontifices, etiam ſæviente perſecutione, quoſdam Epiſcopos, quoſdam vero Presbyteros Ordinatione ſacra creaverint, quibus ſolis, ſacrificium offerre licitum erat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM. ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Scriptura ſacra quandoque vocat omnes indiſcriminatim fideles Sacerdotes, ſed improprie tantum, & in quadam larga ſignificatione, quatenus ſcilicet uncti ſunt in Baptiſmo, a quo Chriſtiani nomen habuere.

Secundo: Neque vero Proteſtantes quidquam proficiunt, dum aiunt Miniſtrorum electionem a populo pendere, cum dumtaxat pro morum clerici probatione non ſemel populus prioribus ſæculis audiretur, ne indigni ad ſerviendum altari eligerentur, ſed electus poſtea Ordinatione ſacra characterem interius imprimente ordinabatur.

Tertio: Non ſola Eccleſiæ auctoritas Clericos a Laicis extrinſece ſemovit, ſed & intrinſece per ſacram Ordinationem in jure divino fundatam a populo ſegregati ſunt.

SECTIO SECUNDA.

Utrum ſacrorum Miniſtrorum electio pertineat jure divino ad plebem?

CENSENT Hæretici I. Tam electionem Minıſtrorum Eccleſiæ, quam deſtitutionem eſſe penes plebem, vel Magiſtratum civilem; idque divino ac perpetuo jure, quod mutare non licet; addunt ab ejuſmodi electione ordinationem ſic dependere, ut ſine ea inanis ac nulla ſit; hanc etiam ſemel factam a plebe, ſeu Magiſtratu abrogari poſſe contendunt. Demum tantam populo tribuunt auctoritatem, ut velint ei judicium competere de idoneitate Miniſtri, ita quod ſi talis ſit judicatus, tum ſiſtatur alteri Miniſtro, qui ei manus imponat: Calvinus L. 4. inſt. cap. 3. ſic de hoc loquitur. *Habemus eſſe hanc legitimam ex verbo Dei Miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei. Præeſſe autem electioni debere alios Paſtores, ne quid vel per levitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum a multitudine peccetur.* Contra quos, ſit

CONCLUSIO.

Sacrorum Miniſtrorum electio non convenit Populo jure divino, ſed ſi quid aliquando in hac re populus potuit, id tantum habuit ex tolerantia & conceſſione SS. Pontificum.

Probatur multis momentis.

Primo ex Scripturis ſacris.

I. ID ſuadetur exemplo Chriſti, qui Joan. c. 20. Apoſtolis ait: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Eo loci eodem modo vult ut Apoſtoli Eccleſiam regant, quo ipſe illam gubernavit: Sed conſtat Chriſtum duodecim Apoſtolos, ac deinde 70. Diſcipulos, non electione plebis aut Magiſtratus, ſed voluntate ſola ad hoc Miniſterium adſciviſſe. Igitur ex jure divino ſoli Eccleſiæ, Miniſtrorum ſacrorum electio competit.

II. *Hanc* ipſam electionis formam a Chriſto acceptam poſtmodum etiam Apoſtoli in Apoſtolis, Epiſcopis, & Presbyteris deſignandis ſervarunt; ipſi enim Act. 1. propria electione duos ſtatuerunt meritis pares, quorum alter, in quem ſors cecidiſſet, Apoſtolatus fungeretur officio; deinde Act. 13. non plebis ſuffragiis, ſed occulto judicio Spiritus ſancti electionem eorum, qui Eccleſiæ præerant, dirigentis, Saulus, & Barnabas ad Apoſtolicum munus ſegregati ſunt; ipſe Paulus nulla ſuffragiorum plebis mentione facta, Timotheo, & Tito poteſtatem dedit manus imponendi, & Presbyteros inſtituendi, 1. ad Timoth. c. 5. *Manus cito nemini impoſueris*: ad Titum c. 1. *Et conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Ibi eis aliam formam non præſcribit, quam ipſe in eorum Ordinatione ſervavit: Sed Timotheum conſtituit Epiſcopum Epheſiorum, Titum vero Cretenſium, quia utrumque ipſe idoneum agnoverat, non expectato ad eam rem plebis ſuffragio. Ergo &c.

III. *Idem*

III. *Idem* Apoſtolus recenſens conditiones in Epiſcopo, & requiſita 1. Timoth. c. 3. & ad Titum c. 21. non præcepit eis plebi ſeu toti fidelium Congregationi Ordinandos proponi, ut noſceretur, qualis eligendus foret; de hac enim re dubio procul Eccleſiæ Epheſinæ, & Cretenſi ſcripſiſſet; cum ad omnes alias ſcripſerit Eccleſias; quod tamen non fecit, verum ſolis Epiſcopis conditiones exponit, per quod ſignificat eis ſolis electionis curam pertinere. Ergo &c.

Secundo, ex praxi Eccleſiæ.

USUS Eccleſiæ ex SS. Patribus & ſcriptoribus Eccleſiaſticis habetur: Sed ex his momentis conſtat Electiones ſacrorum Miniſtrorum, jure divino non plebem, ſed Epiſcopos & Presbyteros ſpectare: Probatur. Euſebius L. 2. cap. 1. ſcribit Jacobum cognomento juſtum electum fuiſſe Jeroſolymæ Epiſcopum a SS. Petro & Joanne. Rurſus L. 3. cap. 11. ait, mortuo Jacobo, Simeonem Cleophæ filium ab Apoſtolis ejuſdem urbis inſtitutum fuiſſe Præſulem. Demum L. 6. cap. 10. refert Dium Epiſcoporum viciniorum ſuffragio ſucceſſiſſe Narciſſo qui aufugerat: " Poſt Narciſſi fugam, *ait*, ignaris omnibus ubinam gentium ageret, viſum eſt finitimarum Gentium Epiſcopis alium ejus loco Epiſcopum ordinare, Dium nomine.

S. Cyprianus L. 1. Epiſt. 4. hoc ipſum ex traditione Apoſtolica promanare aſſerit: " Propter quod, *inquit*, diligenter de traditione divina & Apoſtolica obſervatione ſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque & fere per Provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes, *quæ tunc ab Electione non ſeparabantur*, ad eam plebem cui Prepoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente &c. Immo eumdem direxiſſe ad Monaſterium, ut in eo Sacerdotali fungeretur munere. „ Cum tamen de re iſta, nihil ad ſe ejuſdem Monaſterii fratres ſcripſiſſent.

S. Gregorius Magnus pro Angliæ Epiſcopo, vel ipſis inſciis Anglis S. Auguſtinum Monachum ab Arelatenſi Præſule Ordinatum Epiſcopum deſignavit; ipſe vero alios qui præeſſent ad fidem recens converſis elegit. Sic refert Joannes Diaconus in vita S. Greg. ſimiliter & Gregorius II. Bonifacium pro Germanis Epiſcopum, ipſis inconſultis creavit. Ecce verba Joan. Diac. de priori facto: " Sed & Auguſtinum penes Anglos a Galliarum Epiſcopis ordinari præcepit. Per quem nihilominus in eadem gente Monachi ejuſdem Patris diverſo tempore provecti ſunt, Mellitus, Juſtus, Laurentius, & Paulinus. „

Tertio, ex Conciliis.

LAODICENUM de hoc momento, Can. 13. pag. 289. col. 1. ait: " Quod non ſit permittendum turbis' electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi. „ Nicænum 1. c. 4. ſic habet: " Epiſcopum convenit ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis Ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, vel propter inſtantem neceſſitatem, vel propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc Ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo. „

Conſtantinopolitanum quartum Oecumenicum Canone 22. ait: „ Promotiones & conſecrationes Epiſcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac Decreto Epiſcoporum Collegii fieri, ſancta hæc & univerſalis Synodus definit, & ſtatuit: atque jure promulgat neminem laicorum Principum, vel potentum, ſemet inferre electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi .... Quiſquis autem ſæcularium Principum & potentum, vel alterius dignitatis Laicus adverſus communem ac conſonantem atque canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat, & conſentiat in hoc, quod Eccleſia de electione & Ordinatione proprii Præſulis ſe velle monſtraverit. „

Tridentinum Seſſ. 23. c. 4. hanc etiam veritatem definivit his verbis: " Docet

„ inſuper ſacroſancta Synodus, in Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & ceterorum ordinum, nec populi, nec cujuſvis ſæcularis poteſtatis & Magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit Ordinatio: quin potius decernit, eos qui tantummodo a populo, aut ſæculari poteſtate, ac Magiſtratu vocati, & inſtituti ad hæc Miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea, propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ Miniſtros, ſed fures & latrones per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. „ Tum Can. 7. *Si quis dixerit ..... Ordines ab ipſis collatos ſcilicet Epiſcopis, ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione irritos eſſe, aut eos, qui nec ab Eccleſiaſtica & canonica poteſtate rite Ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & ſacramentorum Miniſtros; anathema ſit.*

Quarto, Ratione.

PRIMA: Jure divino Epiſcopi ſunt paſtores, populi vero eorum oves, ut habetur Joan. cap. ultimo: Tum Act. 20. demum 1. Petr. 5. Sed nemo cordatus dixerit ovibus convenire alios paſcere & regere, cum potius ipſæ paſcantur & regantur: eligere autem ad regimen Eccleſiæ pertinere certiſſimum eſt. Igitur non convenit populo eligere Paſtores.

Secunda: Laici ſæpius ſunt imperiti, nec valent idoneum Miniſtrum ab inepto ſecernere. Igitur ad eos non ſpectat ſacros Miniſtros ſeligere. Hac de cauſa Valentinianus Imperator, tametſi pro electione Epiſcopi Mediolanenſis expetitus, renuit, in hoc ſeſe immiſcere, ut ceteri intelligerent hoc negotium Sacerdotes Dei potiſſimum ſpectare. Theodoretus L. A. Hiſt. Eccl. cap. 6. hoc præclarum Imperatoris factum refert his verbis: " Major, *inquit Valent*. quam ut a me præſtari poſſit, res eſt, multoque fuerit melius eos diſcernere divina gratia dignatos & participes ſplendoris. „

Tertia: Populus quandoque peſſimus eſt, & ſua, non quæ Jeſu-Chriſti quærit; hinc non ſemel iniquos qui paſſioni ſuæ faverent pro Paſtoribus, expoſtulaſſe conſtat. Igitur electiones ſacræ ex jure divino ne mi nimum quidem ad populum pertinent, maxime cum poteſtas Eccleſiæ ſit in ædificationem, teſte Apoſtolo, & non in deſtructionem. Iſta ratio colligitur ex S. J. Chryſoſtomo, qui L. 3. de Sacerdotio graviter queritur, quod ſuo tempore Epiſcoporum electiones penes Laicos forent; hinc non eſſe mirandum, ſi dignis relictis, peſſimi ad ſacros promoverentur & ordines & dignitates.

Quarta: Electionem ſacram abſque contentione fieri ſicut oportet, ita & decet: Sed cum populus habet ſuffragium, tum tumultus vulgo ſit, quippe qui nec ſcientia, nec pietate ductus præceps abit in pravum de eligendis judicium. Ergo &c. Probatur Antecedens ex factis. S. Auguſtinus Epiſt. 110. & 225. refert hiſtoriam ſupra modum turbulentæ commotionis popularis habitæ in electione Piniani. Rufinus pariter L. 11. Hiſt. cap. 11. diſſenſionem populi Mediolanenſis in Epiſcopo deſignando non leviorem enarrat. Sed inter ceteros in hac materia conflictus, acrior exarſit in electione S. Damaſi commotio, cum vel in ipſo templo non paſci interſecti ſiot, ut refert ſanctus Hieronymus in chronico.

Solvuntur objectiones Proteſtantium.

OBJICIUNT: Moyſes Dux populi Exodi 28. & Levit. c. 8. Aaronem, & filios ejus deſignavit, tum & conſecravit Sacerdotes. Igitur jure divino competit Principibus, electiones facere.

Reſpondeo diſtinguendo: Moyſes conſecravit, & unxit Aaronem ex peculiari Dei mandato, concedo: ut Dux populi: nego: Id aperte denotat Scriptura. Ceterum Moyſes etiam Sacerdos erat, juxta illud Pſ. 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*, adeoque prius ipſe ſacrificia obtulit, quam alios Sacerdotes conſecraret.

Inſtant: David Rex, Paralip. 1. c. 23. & tribus ſequentibus, Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus, & Janitoribus deſignavit officia: Neque vero voces diſtribuit, ipſe ſolus, ſed & Magiſtratus exercitus cantores in Miniſterium una cum eo ſegregavit, ut habetur initio c. 25. *Igitur David, & Magiſtratus exercitus, ſegregaverunt in Miniſterium filios Aſaph, & Heman & Idithum, qui prophetarent in citharis, & pſalteriis, & cymbalis, ſecundum*

Google

numerum ſuum dedicato ſibi officio ſervientes. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et illud fecit David ex revelatione prophetica, & juſſu divino, concedo: Regia auctoritate, nego; namque ut habetur ejuſdem libri cap. 28. acceperat divinitus pius ille Rex formam totius templi ædificandi: *Dedit autem David Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, &c.* Videlicet, ſicut ab ipſo Domino ipſi loquente in viſu didicerat.

Urgebit: Salomon 3. Reg. c. 2. Abiathar Sacerdotem a Pontificatu repulit, atque in ejus locum Sadoc inſtituit. Joſaphat Rex Juda 2. Paralip. c. 19. Amariam conſtituit in his quæ ad Deum pertinent. Alexander, & Demetrius Rex Syriæ, 1. Mach. c. 10. & 11. Jonatham ſummum Sacerdotem Judæorum nominarunt: Ergo &c.

Reſpondeo ad 1. Salomonem non tam a Sacerdotio amoviſſe Abiathar, quam in exilium egiſſe, velut læſæ Majeſtatis reum; ſicque conſequenter Sacerdotio fungi non poterat. His adde, quod Salomon in his divinæ ſervierit voluntati, juxta illud ibidem: " Ut impleretur ſermo qui dictus " fuerat per Prophetam ad Heli. " Scilicet, ab ejus poſteritate transferendum Sacerdotium ad aliam familiam, cui ex divina promiſſione competebat, de qua familia erat Sadoc: Itaque Miniſterio Salomonis non fuit translatum Sacerdotium, ſed jus antiquum legitimo hæredi fuit reſtitutum; porro aſſolent Principes ſæculares judicare de poſſeſſorio in rebus beneficialibus.

Ad ſecundum dico, Joſaphat non conſtituiſſe Amariam Pontificem, ſed declaraſſe ad eum quæſtiones legis Moſaicæ eſſe referendas.

Ad tertium diſtinguo: Et Principes in objectione laudati erant Ethnici, concedo: & non erant, nego. Fideles in iis quæ fidem & religionem ſpectant, non tenentur obedire paganis, cum adverſentur Religioni. Sic 2. Mach. 4. & 14. legitur Reges Syriæ pecunia numerata, ſupremum dediſſe primo petenti Pontificatum, ſed invitis Judæis. Sed Jonathas hanc eminentem dignitatem a ſolis Judæorum principibus ſuſcipere voluit: ut legitur 1. Mach. 14.

Reponunt: Epiſcopi non ſunt Domini, ſed Miniſtri Eccleſiæ, ut habetur, 1. Cor. 3. & 1. Pet. 5. ipſa vero Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis 1. ad Timoth. 3. Igitur ſummum Tribunal eſt penes Eccleſiam, non Epiſcopos; & ad eam ſolum ſpectat eligere & vocare Miniſtros.

Reſpondeo diſtinguendo: Epiſcopi ſunt Miniſtri Eccleſiæ, quia pro ea laborant, eam tum regendo, tum ei præſidendo, concedo: ſunt Miniſtri mancipales omni auctoritate privati, nego.

Inſtant: Act. c. 1. non ſoli Apoſtoli, ſed tota Eccleſia propoſuit Mathiam, & Barſabam, ut Deus ex eis aſſumeret unum. II. c. 6. de multitudine credentium dicitur, *& elegerunt Stephanum. III.* c. 14. habetur Paulum & Barnabam per ſingulas Eccleſias Presbyteros conſtituiſſe ſuffragiis plebis; verbum enim Græcum *χειροτονήσαντες* ſignificat cum elegiſſent per ſuffragia; nam χειροτονέω eſt quaſi χεῖρας τείνω, id eſt, manus tendo ſeu attollo in ſignum ſuffragii: en textus Scripturæ. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino.*

Reſpondeo ad 1. cum D. Chryſoſtomo in hunc locum, factum fuiſſe ex conceſſione Petri, non ex neceſſitate: " Quid, *inquit*, " an non licebat ipſi Petro eligere? Li" cebat & quidem maxime; verum id non " fecit, ne cui videretur gratificari. " Quid plura adjiciam? Illa electio non tam electio fuit, quam poſtulatio quædam, qua petierunt Apoſtoli a Deo aliquem eligi in locum Judæ.

Ad ſecundum diſtinguo: Et illud factum eſt, quia tunc hoc videbatur bonum & utile Eccleſiæ, concedo: quaſi ex eo eſſentialiter dependeret ordinatio, vel ex præcepto divino, vel ex lege naturali neceſſario obſervandum, nego. Ad ſolutionis intelligentiam ſciendum de modo eligendi Miniſtros Eccleſiæ, nihil a Chriſto aut Apoſtolis præceptum eſſe; & ſic Eccleſia juxta varietatem locorum aut temporum facultatem habet Miniſtros eligendi: ſi enim plebs ſana eſt in fide & pietate, ex conceſſione Epiſcoporum vocari poteſt ad danda ſuffragia in electionibus; e contra vero ſi ad ſeditionem prona ſit, eam admittere non expedit. Quia vero multitudini credentium erat

Digitized by Google

erat cor unum & anima una, facultas data eſt ut eligeret Diaconos; maxima quia tunc de viduis, & pauperibus alendis agebatur ex bonis a tota multitudine in commune allatis. Cretenſibus autem quia duriores erant, & inobedientes illa negata eſt licentia pro Epiſcopo eligendo.

Ad tertium diſtinguo: Et vox χειροτονία ibi ſignificat electionem in genere, concedo: Electionem quæ ſemper ſuffragia multitudinis, & extenſionis manuum ejus in ſignum ſuffragii exigat, nego: Illa vox generaliter ſignificat eligere, deſignare, ordinare, conſtituere: in iſto ampliori ſenſu accipitur Act. c. 10. ubi ait Petrus de Chriſto: *Dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis* a Deo, græce ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Nec tamen Deus ſuffragiis elegit, quibus oſtenderet Chriſtum redivivum. Eadem vox eſt 2. Cor. c. 8. ubi de quodam dicitur: *Sed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ*. Quem locum Græci de Barnaba volunt intelligi, non de Luca; Barnabas autem non ſuffragiis populi delectus erat Pauli comes ad Evangelium prædicandum, ſed ſpeciali vocatione Spiritus ſancti Act. c. 13.

Nec abs re erit hic obſervare Græcos interpretando canones, ubi de ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ agitur, non intelligere plebis ſuffragia, ſed ipſam ordinationem, quæ fit per manuum impoſitionem unius Epiſcopi aut plurium. Ita Martinus Bracarenſis in can. 13. Concilii Laodiceni, ſic & Balſamon in canones Apoſtolorum, Hieronymus in c. 58. Iſaiæ, Chryſoſtomus Homil. 14. in Acta, & hæc interpretatio magis convenit cum loco citato Act. c. 14. Demum quod ibi χειροτονία ipſis Apoſtolis ordinatoribus, non autem fratribus aut multitudini tribuatur, patet. Nam eo loci Paulus, & Barnabas dicuntur conſtituiſſe Presbyteros, non quia vel ipſi elegerunt, vel aliis eligentibus approbarunt, ſed quia manuum impoſitione eos Presbyteros ordinaverant. Non quidem negamus, ſuffragiis plebis creari Miniſtros poſſe, ſed catholica doctrina eſt, ejuſmodi electionem neque neceſſariam eſſe, nec ad ſacram ordinationem ſufficere.

Urgebis: Quod de Traditione divina & apoſtolica obſervatione deſcendit, juris divini eſt: Sed quod populus in electionibus ſacris ſuffragetur, de Traditione divina & apoſtolica obſervatione deſcendit. Et probatur ex S. Cypriano, qui L. 1. Epiſt. 4. ſic ait: " Propter quod plebs obſequens Præceptis Dominicis, & Deum " metuens, a peccatore Præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis ſacrificia miſcere, quando ipſa " maxime habeat poteſtatem eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi, quod & ipſum videmus de divina " auctoritate deſcendere, ut Sacerdos, " plebe præſente, ſub omnium oculis " deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio, ac teſtimonio comprobetur. "

Reſpondeo 1. diſtinguendo majorem: Si ita ſit de Traditione divina, ut divino mandato præſcriptum ſit, tunc juris divini eſt, concedo: ſi eatenus dumtaxat de Traditione divina eſſe dicatur, quod ejus exemplum in Scripturis legatur abſque præcepto, nego: Porro D. Cyprianus non dicit divino mandato præſcribi ut populus ſuffragetur in electionibus ſacris, ſed exemplis ex divina Scriptura petitis comprobatum dumtaxat aſſerit.

Reſpondeo 2. diſtinguendo minorem: De Traditione divina deſcendit ut populus ſuffragetur ſacris electionibus ſuo teſtimonio, concedo: judicio, nego. Judicium ad Epiſcopos, teſtimonium de meritis eligendorum ad plebem pertinebat, ſub cujus propterea oculis ſacræ celebrabantur electiones, idque unum ex divina auctoritate deſcendere contendit in Epiſtola mox laudata S. Cyprianus, ut indicant hæc verba: " Ut Sacerdos, " plebe præſente &c. " Quod illuſtrat hoc exemplo: " Sicut enim Dominus " Moyſi præcepit dicens, Apprehende " Aaron fratrem tuum, Eleazarum filium ejus, & aſcendere fac eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam ejus, & indue Eleazarum " filium ejus. Coram omni Synagoga jubet " Deus conſtitui Sacerdotem, id eſt inſtruit & oſtendit Ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis " conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bona merita prædicentur, & " ſit Ordinatio juſta & legitima, quæ " omnium ſuffragio & judicio fuerit

" exa-

„ examinata. „ Id eſt teſtimonium pertinet ad plebem, judicium ad Epiſcopos. Hanc diſciplinam poſtea probat ex actis Apoſtolorum; tum & ex iis quæ in Africa erant in conſuetudine poſita, L. 1. Ep. 33. his verbis: “ In Ordinationibus Clerici, fratres chariſſimi, ſolemus vos „ ante conſulere, & mores ac merita „ ſingulorum communi conſilio ponderare. „ Igitur vult ut plebe præſente, ſub omnium oculis eligantur Miniſtri. Propter teſtimonium bonum, ſine quo nemo debet in quocumque gradu ordinari. Nec mirum, Apoſtolus injungit ut ab iis qui foris ſunt habeat teſtimonium bonum eligendus, ne fallantur Ordinatores, circa neceſſarias ejus, quem ordinaturi ſunt, dotes; hinc noſtris etiam temporibus proclamatio fit ad plebem ante Ordinum collationem, & teſtium habetur diligens interrogatio ante Epiſcoporum Confirmationem, & Ordinationem; vocat autem divinam auctoritatem Cyprianus, non præceptum aliquod generale ſpectans omnes Ordinationes, ſed particulare, quale erat de Eleazaro Pontifice creando in præſentia populi.

Inſiſtes: S. Leo Epiſt. 84. c. 5. hæc habet: “ Cum ergo de ſummi Sacerdotis, „ *hoc eſt Epiſcopi electione* tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri „ plebiſque conſenſus concorditer poſtularit: ita ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, „ qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis: Tantum, ut nullus invitis & non „ petentibus ordinetur, ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, „ aut oderit, & fiat minus religioſa, quam „ convenit, cui non licuerit habere, quem „ voluit. „

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi loquitur de electione non canonica, que tantum vim habet teſtimonii, & deſiderii ſeu voti, concedo: de canonica, nego: Hanc diſtinctionem indicat ibidem S. Leo cap. 6. his verbis: “ De perſona autem conſecrandi Epiſcopi... Provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt: ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate „ diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel Diaconibus optimus eligatur. „

Perſiſtes: Nicephorus L. 11. Hiſt. c. 28. ſcribit Clericorum calculis & populi flagitatione eligendum Epiſcopum, ſicut Eccleſiaſticæ produnt ſanctiones: 2. Regula Juris eſt num. 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*: Cum ergo Epiſcopus ordinetur propter plebem, debet ejus ordinatio approbari ſuffragiis plebis. 3. Epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ, id eſt populi, & propter hoc datur ei annulus in conſecratione: Igitur ut populus ſit ei pro ſponſa, debet ipſius populi accedere conſenſus, quia ſponſus & ſponſa non ſunt niſi mutuo conſenſu quid unum moraliter.

Reſpondeo ad primum diſtinguendo: Et ſanctiones illæ fuerunt ſolum ad tempus, concedo: Perpetuæ & generales, nego; immo ex eo quod ſanctiones Eccleſiaſticæ vocentur, ſatis intelligitur non eſſe juris divini, nec Conſtitutiones Apoſtolicæ; alioquin potius Scripturæ ſacræ, vel Apoſtolorum auctoritatem allegaſſet, cujus verba ibi recenſet Nicephorus.

Ad ſecundum, ſimiliter diſtinguo: Quod omnes tangit, debet ab his omnibus, qui multitudinis curam gerunt, approbari, concedo: ab ipſa multitudine, nego. Porro ſi hæc regula univerſim vera eſſet, nihil in generali Concilio ſine approbatione populi ſtatui poſſet, quod tamen eſt falſiſſimum.

Ad tertium, diſtinguo: Et populus tenetur eum acceptare, quem Eccleſia, id eſt, Eccleſiæ Prælati ejus Superiores ei dant pro Epiſcopo, concedo: & electio ipſius eſſentialiter ab ejus pendet ſuffragio, nego. Porro in eo differt conjugium hoc ſpirituale a carnali, quo in iſto filia non eſt parentibus ſubdita quoad aſſenſum in conjugem, at vero populus Eccleſiæ ſubjectus eſt, quoad acceptandum Paſtorem, ſicut & in aliis ad ſalutem animæ ſpectantibus. Item Epiſcopus eſt ſponſus totius Eccleſiæ ſuæ, adeoque non tantum plebis, ſed & Clericorum omnium, videlicet Subdiaconorum, Diaconorum, & Presbyterorum; ſicque electiones ſacræ & ab ejus votis, & a calculis Sacerdotum, nuſquam vero plebis ſortiuntur effectum.

Repones: In Epiſtola Synodica Concilii I. Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam, quam refert Theodoretus L. 1. Hiſt.

Eccl. c. 11. de electione ſacrorum Miniſtrorum, ſic loquuntur Patres: "Quod ſi „ quis forte eorum, qui Eccleſiæ funguntur muoeribus, diem ſuum obibit, tum „ unus ex illis, qui nuper in Eccleſiam „ aſciti ſunt, modo idoneus videatur, & „ populus illum eligat, Epiſcopuſque Alexandriæ ei ſuffragetur, atque adeo „ populi electionem confirmet, in locum „ ſuccedat Demortui. „ Igitur plebs jus habet in electionibus etiam per modum ſuffragii.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Plebs habet jus ſuffragii io electione Miniſtrorum ſacrorum, quum ei conceditur, concedo: jure divino, oego. Tempore Concilii Nicæoi in Ægypti Eccleſiis populus ſuffragabatur in electionibus ſacris, ſed ex ſola Eccleſiæ conceſſione illud habebat, minime vero ex jure divino. Eadem eſt ſolutio illorum verborum Ep. 2. Concilii generalis ad Damaſum Papam, quam refert Theodoretus L. 5. Hiſt. Eccleſiaſticæ c. 9. his verbis: " Conſtantinopolitanæ recentis .... Eccleſiæ ... „ Reverendiſſimum & Dei amantiſſimum „ Nectarium Epiſcopum præpoſuimus in „ geoerali noſtro Concilio, & præſente amaotiſſimo Dei Imperatore Theo- „ doſio, cum omnium Clericorum, ac „ totius civitatis approbatione. „ Ibi enim fit mentio dumtaxat poſtulationis, aut teſtimonii; hinc ſi ultra de electione tum Principes, tum populi habuerunt, ex conceſſione SS. Pontificum non ex jure divino promanaſſe certum eſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Electiones ſacra jure divino plebi non competunt.

PRIMO: Scripturæ ſacræ hanc ſolis Clericis, maxime Presbyteris, & ſpecialiſſime Epiſcopis demandant Provinciam. Immo 1. Reg. 13. Saul reiicitur a Domino, eo quod ſacris voluerit ſe immiſcere Myſteriis.

Secundo: Uſus Eccleſiæ obtinuit, ut ſoli Clerici ſacris vacarent electionibus: Sic Jacobus a SS. Petro & Joanne electus & ordinatus eſt Jeroſolyoiæ Epiſcopus. S. Cyprianus L. 1. Epiſt. 4. hanc fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam affirmat.

Tertio: Sic ſtatuerunt Concilia, Nicænum I. can. 4. Conſt. 4. can. 22. In primis vero Tridentinum Seſſ. 23. cap. 4. & can. 7.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM.

PRIMO: Ne minimum quidem faceſſit negotium quod ex Scriptura Moyſes Dux Iſrael, David & Salomon Reges electionibus ſacris nunnumquam vacaverint, hoc quippe ex ſpeciali Dei ordinatione ita factum eſt.

Secundo: Incaſſum reponunt Proteſtantes, Reges Syriæ ſummum Judæorum Pontificatum ad nutum diſpenſaſſe, hoc quippe vi & contra jus fecerunt.

Tertio: Id unum probaot aliæ objectiones, videlicet populum non ſemel ad electiones ſacras advocatum, ut fidem de moribus eligendorum præberet, ne electores in eligendis Miniſtris deciperentur: quem quidem uſum S. Cyprianus L. Epiſt. 4. ab Apoſtolis inventum ſcribit, ſed non ut auctoritative plebs ſuum electioni daret calculum.

ARTICULUS TERTIUS.

Quot ſint Eccleſiaſtici Ordines?

TAMETSI Proteſtantes aliquem admittant Ordinem, quantum ad Miniſtrorum ſubordinationem, re-vera tamen ut Sacramentum a Chriſto inſtitutum non habent. Unde ſit contra eos

CONCLUSIO.

Septem ſunt Ordines communiter dicti: videlicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acoly.batus, &c.

Probatur ex multis capitibus.

Primo, ex figuris veteris Teſtamenti.

PRIMA: III. Reg. 10. habetur, Thronum Salomonis, qui erat eburneus, ſex gradus habuiſſe, quibus ad eum Rex ibi ſeſſurus aſcendebat. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem: Et veſtivit eum auro f.lvo nimis, qui habebat ſex gradus*. Petrus Bleſenſis Serm. 47. ad Prælatos ait

ſit thronum eſſe pro nova lege Sacerdotium, ad quem ſex ſubſequentibus Ordinibus veluti totidem gradibus aſcenditur.

Secundo ſignificatur per ſeptem illos dies, Joan. 1. quibus univerſi creatio perfecta eſt, quæ deſignant eminentiſſimam Sacerdotis dignitatem, non niſi ſeptem diebus totidemque Ordinationibus perfectam eſſe.

Tertio denotatur per ſeptem illos Sacerdotes Joſue 6. ſeptem buccinis clangentes ante arcam Domini antequam urbs Jericuntina deſtructa fuiſſet; notantque ſeptem Clericorum Ordines, quorum precibus Deus tum placatur, tum peccatum deſtruitur.

Quarto, ſeptem Domini voces a Davide enumeratæ, ſunt illi ipſi Ordines qui Myſteria Domini intonant: ſimiliter candelabra aurea ſeptem, quæ coram Domino lucent & ardent, ſtellæ ſeptem in manu Domini collucentes, Angeli ſeptem Eccleſiarum, inter quos tota Eccleſiaſtici regiminis ac miniſterii ſolicitudo diviſa eſt. Hunc numerum adhuc denotant ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ per univerſam Eccleſiam diſperſa ſunt, & pro numero Sacramentorum, quæ Eccleſiæ relicta ſunt, inſtituti ſunt Ordines Clericorum, qui Spiritum largiendi, & Sacramenta adminiſtrandi habent poteſtatem. Inſuper donum ſapientiæ tribuitur Sacerdoti, qui diſcernit inter lepram & lepram, & tamquam ſpiritualis judicat omnia; donum intellectus aſſignatur Diacono, qui Evangelium prædicat, & myſteriorum fidei docet intelligentiam; donum conſilii Subdiacono, qui debet mature deliberare, antequam votum continentiæ emittat; donum pietatis competit Acolytho, ut ſit lux coram hominibus, & videant opera ejus bona, & glorificent Deum; donum fortitudinis correſpondet Exorciſtæ, ut vincat dæmonem, & ejus ſpolia diſtribuat; donum ſcientiæ Lectori, qui poſſit per illud Prophetas legere, & myſteria fidei Catechumenis interpretari; donum tandem timoris Oſtiario, ut cum timore, & tremore accedentes ad Deum admittat, ſciatque ſicut initium ſapientiæ timor Domini eſt, ita & Oſtiariatu, primum inter omnes eſſe qui zelo domus Domini inflammatus impios ab Eccleſia & profanos propellere, juſtos vero & fideles pios ibi admittere ſatagat.

Secundo, ex modo loquendi Scripturarum novi Teſtamenti.

VARIIS nominibus tum Evangelium, tum Acta Apoſtolorum, maxime vero Epiſtolæ B. Pauli Eccleſiæ miniſtros celebrant: modo enim Apoſtolos & Epiſcopos eos vocant, modo Diaconos, modo etiam Prophetas & Doctores: ſe in his non ſubobſcure indigitat ſeptem Ordines. Ergo &c. Probatur ex D. Ambroſio, qui comment. in cap. 4. Epiſt. ad Epheſios, pag. 2001. explicans iſta verba, *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, quoſdam vero Paſtores & Magiſtros ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*, ait, Apoſtoli, Epiſcopi ſunt, Prophetæ vero explanatores ſunt Scripturarum, quamvis inter ipſa primordia fuerint Prophetæ ſicut Agabus, & quatuor virgines prophetantes, ſicut continetur in Actis Apoſtolorum, ſed propter rudimenta fidei commendanda: nunc autem Interpretes Prophetæ dicuntur. Evangeliſtæ, Diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus. Eam, quamvis non ſint Sacerdotes, evangelizare tamen poſſunt ſine cathedra, quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus. Paſtores ſunt & poſſunt eſſe Lectores, qui lectionibus ſaginent populum audientem: quia non in pane tantum vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Magiſtri vero Exorciſtæ ſunt, quia in Eccleſia ipſi compeſcunt & verberant inquietos &c.

Non deſunt qui Epiſcopatum una cum aliis Ordinibus deducunt ex iis 1. Cor. c. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum opitulationes, gubernatores, genera linguarum, interpretationes ſermonum*. Jam vero, nomine Apoſtoli Epiſcopum intelligunt, ſicut nomine Prophetæ Sacerdotem: Et vero ſicut Ordine Epiſcoporum innititur præſertim Eccleſia, ita & Sacerdotum; ait enim idem Apoſtolus Eccleſiam innixam eſſe ſupra fundamenta Apoſtolorum, & Prophetarum, Presbyteri quippe obſcura revelant, dum fidei myſteria exponunt, corpus Dominicum ſub ſpeciebus demonſtrant, de arcanis cordium judicant, & populum

Digitized by Google

pulum fidelem exemplo paſcunt & verbo, quæ ſunt munia prophetæ. Diaconi locum Doctorum obtinent, & Subdiaconi Virtutum, nam ſicut illi facultatem habent prædicandi Evangelium, quod eſt Doctoris munus, ſic & iſti ampliorem præ ceteris Ordinibus habent virtutem, quippe qui inſtar cœleſtium virtutum ſacris adſtent altaribus. Quia vero Acolythus tum Diacono, tum Subdiacono inſervit, idcirco nomine *epitulationis* deſignatur. Quid memorem de Exorciſtis? certe ad curandos vexatos a Dæmonibus incumbunt, hinc gratia curationum jure merito donantur. Lectoribus non ſine fundamento genera linguarum tribuuntur, cum vi officii libros ſacros variis linguis concinnatos in conventu Eccleſiæ legant. Ceterum Oſtiarii nomine gubernatorum inſigniuntur, quandoquidem nedum ſacras ædes, ſed & pretioſam altarium ſuppellectilem cuſtodiunt.

Tertio, ex Antiquitatis conſenſu.

USUS maxime ſacer, qui ad aliquid faciendum in Eccleſia obtinuit, non levius eſt re argumentum. Sed talis fuit perantiquus Eccleſiæ uſus ſacros ſic diſtinguere Ordines. Ergo &c. Probatur antecedens ex traditione.

S. Ignatius Martyr Epiſt. 12. ad Antiochenſes Bib. PP. in fine ſic habet: ‘ Saluto ſanctum Presbyterorum collegium, „ ſaluto ſacros Diaconos: ſaluto Hypo„ diaconos, Lectores, Cantores, jani„ tores, laborantes, *quicuram habebant* „ *ſepelire mortuos*, exorciſtas. „

Apud Tertullianum L. de Præſcript. c. 4. & Originem Homil. 7. in Leviticum c. 2. legitur, aliquem fuiſſe lectorum ordinem. Similiter apud S. Cyprianum Epiſt. 42. 55. 70. Epiſtola vero 24. mentionem facit de Acolythis.

S. Cornelius Papa Epiſt. ad Fabium Antiochenſem apud Euſebium L. 4. Hiſt. Eccl. cap. 35. numerat diverſa miniſtrorum genera, quæ ſuo ipſo tempore Romæ ſacris inſerviebant altaribus. Namque eo loci de Novato ſic loquitur “: Iſtum igi„ tur lepidum Evangelii Patronum, No„ vatum, omnino præteriit, ſcilicet unum „ ſolum Epiſcopum oportere eſſe in hac „ Eccleſia Catholica, in qua tamen non „ ignorabat Presbyteros eſſe quadraginta „ ſex, Diaconos ſeptem, ſubdiaconos ſe„ ptem, Acolythos quadraginta duos, „ Exorciſtas, & Lectores una cum Oſtia„ riis quinquaginta duos. „

Optatus L. 1. contra Parmenianum, Eccleſiam Carthaginenſem in preſecutione Diocletiani, & Maximiani ſic depingit: “ Quid memorem ..... Miniſtros plu„ rimos? Quid Diaconos in tertio? „ Quid Presbyteros in ſecundo Sacerdo„ tio conſtitutos? „

Concinunt Acta Sanctorum, qui ex ſingulis Ordinibus Martyrio coronati ſunt. De Presbyteris & Diaconis nihil dicimus; ex aliis ſolum quoſdam ſeligere juvat. Ado in Martyrologio Romano die 1. Maii refert Andeolum Subdiaconum in territorio Vivarienſi a S. Polycarpo miſſum; Beda die 6. Auguſti nominat Januarium, Magnum, Innocentium, & Stephanum Sixti Papæ Subdiaconos in perſecutione Diocletiani decollatos. Martyrologia Bedæ, Uſuardi, Adonis, 14. Februarii recenſent paſſionem S. Tarciſii Acolythi in Perſecutione Valeriani, ibidem 4. Februarii, Agathonis Exorciſtæ, & Baſiani Lectoris pro Chriſto combuſtionem. Alios permultos in Martyrologiis legere eſt in minoribus Ordinatos, qui pro fide necati ſunt. Cypriaoum illum qui ſanctæ Juſtinæ inſidias tetenderat, Oſtiariatum ſuſcepiſſe ſcribit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 18. de ejus laudibus.

Tandem, reddita Eccleſiæ pace, de omnium iſtorum Ordinum Clerici multus eſt ſermo. Euſebius L. 3. de vita Conſtantini c. 9. affirmat Nicænæ 1. Synodo Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Acolythos & alios Clericos innumerabiles interfuiſſe: Synodus Romana ſub Sylveſtro habita omnes prædictos Ordines ſigillatim enumerat, ſimiliter Laodicena cap. 21. Antiochena c. 10. omnium ordinationem refert. Eliberitana can. 33. Epiphanius L. 3. contra hæreſes Tom. 2. Ambroſius in c. 4. Epiſt. ad Titum, Hieronymus in Epiſtolam ad Titum, omnes præter Subdiaconatum, & Acolythatum commemorant, ſed iſte illum in Epiſtola ad Nepotianum refert. Innocentius I. Epiſt. 4. c. 5. de iis etiam loquitur, ſed expreſſam mentionem omnium fecit Concilium Carthaginenſe 4. cui S. Auguſtinus interfuit; pariter & Gelaſius Papa Epiſt. 1. ad Epiſcopos per Lucaniam diſperſos. Idem le-

gimus

ſimus in capitularibus Caroli Magni c. 139. L. 1. & 5. c. 183. in Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. His adde Iſidorum Hiſpalenſem L. 2. de officiis c. 7. Amalarium L. 2. Eccl. officiis c. 6. Rabanum de inſtit. Clericorum c. 4. &c.

Quarto, ex definitio Concilii Tridentini.

CONC. TRIDENT. Seſſ. 23. cap. 2. ſic habet: " Cum autem divina res ſit tam ,, ſancti Sacerdotii miniſterium; conſen- ,, taneum fuit, quo dignius & majori ,, cum veneratione exerceri poſſet, ut in ,, Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione, plures ,, & diverſi eſſent miniſtrorum Ordines, ,, qui Sacerdotio ex officio deſervirent; ,, ita diſtributi ut qui jam Clericali ton- ,, ſura inſigniti eſſent, per minores ad ,, majores aſcenderent: nam non ſolum de ,, Sacerdotibus, ſed & de Diaconis ſacræ ,, litteræ apertam mentionem faciunt; ,, & quæ maxime in illorum Ordinatio- ,, ne attendenda ſunt, graviſſimis verbis ,, docent, & ab ipſo Eccleſiæ initio ſe- ,, quentium ordinum nomina, atque uni- ,, uſcujuſque eorum propria miniſteria, ,, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorci- ,, ſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe ,, cognoſcuntur, quamvis non pari gradu: ,, Nam Subdiaconatus ad majores Ordines ,, a Patribus & ſacris Conciliis refertur, ,, in quibus & de aliis inferioribus fre- ,, quentiſſime legimus. ,, Tum can. 2. *Si quis dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur, anathema ſit.*

Quinto, ratione Theologica.

CELEBERIMA eſt D. Thomæ hic q. 36. art. 2. quę in hac forma ſic proponitur. Totuplex ordo admitti debet, quotuplex diſtinguitur reſpectus ad Euchariſtiam: Atqui ſeptuplex eſt ille reſpectus; vel enim conſideratur Sacramentum in ſe ſumptum; vel attenditur ad ſuſcipientes; jamvero ſi ſpectetur Sacramentum in ſe; primo eſt Sacerdos conficiens, deinde Miniſtri concurrentes ad diſpenſationem ipſius Sacramenti; primus autem eſt Diaconus cui committi poteſt dominici corporis ac ſanguinis diſpenſatio; ſecundus eſt Subdiaconus, qui diſponit, & præparat materiam conſecrandam in altari intra ſacra vaſa; tertius eſt Acolythus qui adaptat oblationes priuſquam offerantur in altari. Jam vero in Ordine ad ſuſcipientes, requiritur ut cuncta ſint munda; immundorum autem non una eſt claſſis.

Quidam enim ſunt infideles vel excommunicati, quos Oſtiarius ut indignos a ſacro conventu excludit: quidam Catechumeni, vel pœnitentes, qui vias Domini ignorant, quoſque Lector inſtruit, ut ſacræ Euchariſtiæ ſint digni, quidam tandem agitantur a dæmonibus, quos Exorciſta liberando ſuſcipit antequam ad ſacrum altare accedant. Ergo &c.

Suffragatur Catechiſmus Rom. hic n. 25. " Hunc autem miniſtrorum numerum ,, recte ita definitum eſſe probari poteſt ,, propter ea miniſteria, quæ ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium & Euchari- ,, ſtiam vel conficiendam, vel admini- ,, ſtrandam, cujus cauſa præcipue ſunt ,, inſtituta, neceſſaria videntur. ,,

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Plures ſunt Ordines quam ſupra recenſiti: Ergo &c. Probatur Antecedens. Quidam octo commemorant, ceteris enim præmittunt Epiſcopatum: ita Altiſſiodorenſis L. 4. in cap. de Sac. Ord. q. 1. Paludanus diſt. eadem q. 7. Cajetanus Tom. 1. Opuſc. tract. 11. Petrus Soto lect. 1. & 4. de Sacram. Ordinis; ſententiam canoniſtarum de novem ordinibus confirmat Iſidorum Hyſpal. L. 7. Etymol. c. 2. ,, Generaliter, *inquit*, Cle- ,, rici nuncupantur, qui in Eccleſia Chri- ,, ſti deſerviunt, quorum gradus & no- ,, mina ſunt hæc, Oſtiarius, Pſalmiſta, ,, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdia- ,, conus, Diaconus, Presbyter, Epiſco- ,, pus. ,,

Confirmatur: Sanctus Gregorius Nazianzenus carmine de vita ſuam ad Presbyteratum promotionem narrat, eamque conſtitutam ait, *in ſecundis ſedibus, ſecundo ordine, ſecunda dignitate*. Igitur Epiſcopatus eſt primus Ordo. Sanctus Hieronymus Epiſt. 27. ad Fabiol. ſeptuaginta diſcipulos, quibus Presbyteri ſuccedunt, dicendos, *Secundi Ordinis præceptores*,

Digitized by Google

ver, *& diſcipulos minoris gradus*. Infert ex Luc. c. 6. .... Item, *Secundos Chriſti diſcipulos*, ex 2. ad Corinth. c. 15. concludit. Optatus Milevitanus L. 5. contra Parmenianum ait: " Diaconos in tertio, ,, Presbyteros in ſecundo Sacerdotio con- ,, ſtitutos; Epiſcopos vero omnium api- ,, ces & principes. ,, S. Leo I. Epiſt. 84. Subdiaconatus, *Ordinem quartum a capite*, nominat. Sidonius Apollinaris Epiſt. 11. L. 4. Claudianum Presbyterum Mamerci Virunenſis fratrem, ejusque in regimine Diœceſis Vicarium appellat, *Antiſtitem in Ordine ſecundo*. Tum Epiſt. 25. Joannem Cabilonenſem electum Epiſcopum, *ſecundi ordinis Sacerdotem*. Rurſus Epiſt. 6. ceteros Ordines ab Epiſcopali dicit, *Minores ordines*. Synodus Romana IV. ſub Symmacho Presbyterum vocavit, *hominem ſecundi in Eccleſia ordinis*. Igitur plures ſunt ordines Eccleſiaſtici quam ſeptem. Demum S. Patres communiter docent Epiſcopos Presbyteris non ſolum officio ſed ordine ſuperiores eſſe. Quid plura? Epiſcopalis conſecratio verum eſt Sacramentum conferens gratiam, & imprimens characterem, & ſic eſt Ordo diſtinctus a Presbyteratu. Ergo &c.

Respondeo ad omnia teſtimonia in objectione laudata, diſtinguendo: Et Sacerdotium quod ultimus & ſeptimus eſt gradus duplex eſt, ſcilicet ſummum, & ſecundi ordinis, concedo. Unicum eſt nego. Summos Sacerdotes Epiſcopos appellant Tertullianus L. de Bapt. c. 17. Ambroſius Epiſt. 34. Hieronymus Epiſt. 34. Auguſtinus in vetus & novum Teſtamentum q. 101. & alii: Igitur cum Epiſcopatus ſit Sacerdotium, fruſtra Sacerdotio tamquam diſtinctus gradus additur, cum in Sacerdotii nomine contineatur. Et vero Presbyteratum Epiſcopatus eſſentialiter includit; nam ut ait Auguſtinus: " Quid ,, eſt Epiſcopus, niſi primus Presbyter, ,, hoc eſt, ſummus Sacerdos? ,, Eſt enim paſcendi & Sacramenta conficiendi atque adminiſtrandi ſuprema quædam auctoritas, adeoque nec Epiſcopus niſi ſit Presbyter cogitatur, nec Epiſcopatus ſine Presbyteratu perfecte concipi poteſt; hinc irrita eſt Epiſcopalis ordinatio, quam Presbyteralis non præceſſit: inadæquate igitur tantum & partialiter Epiſcopatus a Presbyteratu diſtinguitur; cum enim formaliter Presbyteratus in Epiſcopo includatur, ait Ambroſius in cap. 4. ad Epheſ. omnes ordines ſunt: ſed maxime Presbyteratus, quia *primus ſacerdos eſt*, unde Sacerdotium unicus eſt ordo, qui poſtea in Epiſcopatum & Presbyteratum dividitur, non tamquam in membra adæquate diſtincta, ſed tamquam membra inadæquate diverſa, quorum unum alterum involvit, eoque ſenſu aliquando diverſi ordines eſſe negantur, quod Epiſcopatus ſit tantum Presbyteratus perfectus, Presbyteratus vero Epiſcopatus imperfectus: & ſic patet ad confirmationes ſolutio.

Inſtabis: Tonſura Clericalis eſt Ordo: Igitur ſunt plures quam ſeptem Ordines: Probatur antecedens ex Epiſtola decretali Innocentii III. cap. *Cum contingat*, ad Epiſcopum Rotomagenſem, Clericatus Ordinem, in Tonſuræ ſuſceptione conferri dixit; per Tonſuram Clericorum catalogo ſuſcipiens inſeritur, & a Laicorum ordine ad Clericorum transfertur; cum igitur Tonſuram ab inferiori Ordine tranſitus ſit ad ſuperiorem, ſequitur eam eſſe Ordinem; quare Navarrus in Manuali c. 22. n. 18. inter Ordines Tonſuram annumerat.

Reſpondeo diſtinguendo: Tonſura eſt Ordo late ſumptus, id eſt ſacramentalis ritus, & diſpoſitio ad omnes Ordines, ſeu deſignatio certæ perſonæ ad divina officia, concedo: ſtricte ſumptus, nego. In Tonſuræ collatione, nulla ſpecialis poteſtas tribuitur, ſed Epiſcopus deſignat tantum Clericos ad probationem doctrinæ, morum & induſtriæ exercendæ, ut ſi apti judicati fuerint, functionum eis Eccleſiaſticarum poteſtas tradatur; hinc eſt media diſpoſitio inter ſtatum laicum, & Ecceleſiaſticos gradus, ſicut noviciatus mediat inter ſæcularem ſtatum & Regularem; nam vivendi formam ſervant Novitii, habitum deferunt, nullis tamen regularibus officiis mancipantur: Idem dicendum de Clericis ſola Tonſura inſignitis. Tonſura igitur non eſt Ordo ſtricte ſumptus, quippe quæ functionem non habeat ſpecialem ad Euchariſtiæ miniſterium; quare Innocentius III. nomen Ordinis late ſumpſit, dum Tonſuram Clericalem Ordinem dixit.

Urgebis: Saltem functio Pſalmos decantandi eſt verus Ordo. Ergo &c. Probatur antecedens. Pſalmiſtæ, ſeu Cantores, ſic

inter

Inter Clericos annumerantur ac ſi diſtinctum Ordinem efficerent. Ita S. Ignatius Epiſt. ad Antiochenos; Ambroſius L. 1. de officiis c. 44. Iſidorus L. 2. de Eccleſiaſticis officiis cap. 12. Laodicena Synodus can. 23. quæ eos vocat κανονικοὺς ψάλτας, quaſi Canoni Eccleſiæ adſcriptos, & hos Martinus Bracarenſis in ſua Græcorum Canonum collectione c. 45. ab Epiſcopo ordinatos eſſe affirmat; immo Concilium Carthaginenſe 4. formam Ordinationis eorum præſcribit his verbis: " Vide, ut quid ore cantas, corde credas, & quod ore credis, operibus comprobes." Quam Ordinationem eis ex ex indulgentia concedit: Sicut Abbatibus ordinare Lectores; illos autem adæquat Lectoribus, & Oſtiariis Concilium 3. Carthaginenſe c. 21. his verbis: " Clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita, Clericorum autem nomen etiam Lectores & Pſalmiſtæ & Oſtiarii retinent."

Reſpondeo diſtinguendo: Officium Pſalmiſtæ eſt ordo in lata quadam ſignificatione, concedo: ſtricte, nego. Quod autem non ſit ordo ſtricte ſumptus, varias rationes affert D. Thomas hic q. 32. art. 2. " Dicendum quod Pſalmiſtatus non eſt ordo, ſed officium ordini annexum: quia enim Pſalmi cum cantu pronuntiantur: ideo dicitur Pſalmiſta, Cantor. Cantor autem non eſt nomen ordinis ſpecialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet aliquam ſpecialem relationem ad Euchariſtiæ Sacramentum: quia tamen officium quoddam eſt, iner ordines largo modo acceptos quandoque computatur."

Martini Bracarenſis verba decernentis ne cui officium pſallendi committatur, niſi ei qui ab Epiſcopo, non Pſalmiſta, ſed Lector fuerit ordinatus, ſic intelligenda ſunt; ut quis Lector ab Epiſcopo ordinatus, deinde Pſalmiſta deputetur a Presbytero. Hunc eſſe ſenſum, illa ejus verba indicant: " Non licere in pulpito pſallere, aut legere, niſi qui ab Epiſcopo Lectores ſunt ordinati." Cum igitur Patres, Pſalmiſtas, ſeu Cantores Clericorum Ordinibus annumerant, Ordines Clericorum ſtricte non recenſeot, ſed quorumdam Eccleſiaſticorum officiorum, quibus Clerici inter ſe ſecernuntur, rationem habent: Concilium Carthaginenſe 3. id unum docet, nempe Clericorum nomine, Pſalmiſtam intelligi, eumque in aliena Diœceſi in Clericum receptum, ad ſuperiores Ordines ab Epiſcopo non ſuo, vetat promoveri.

Inſiſtit: Inter Clericorum ordines recenſentur laborantes, a D. Ignatio Epiſt. ad Antiochenſes, a S. Epiphanio in fine Panarii, cui aſſentitur auctor tractatus de ſeptem Eccleſiæ gradibus ad Ruſticum Narbonenſem, qui habetur inter opera divi Hieronymi: hic ſiquidem. *Primum in Clericis Foſſariorum ordinem*, eſſe affirmat, quorum, & laborantium nomine ii intelliguntur, qui ſepeliendis Fidelium corporibus impendebant: SS. Baſilius & Chryſoſtomus in Liturgiis eos a reliqua plebe diſtingunt, & ante Cantores eos nominare non dubitant. Cuſtodes vero Martyrum inter Clericos refert S. Sylveſter, in epilogo Synodi Romanæ; tum & Pontificale Damaſi, ubi decernitur, ut qui in Eccleſia militare & proficere deſiderant, quinque annis cuſtodes Martyrum exiſtant antequam ad Diaconatus, vel Presbyteratus ordinem aſcendant. Notarium quoque diſtinctum ordinem eſſe videtur innuere Galaſius, dum in Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam, Monachum vult hoc ordine ad Presbyteratum aſcendere, ut: " Continuo Lector, vel Notarius, vel certe deffenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus &c." Quantum ad Notarium ſpectat, idipſum confirmat Ennodius Ticinenſis in vita Antonii Monachi Lirinenſis, quem refert a Conſtantino Antiſtite, *inter Eccleſiaſticos exertores*, ſeu Notarios cœleſtem militiam juſſum ordiri. Item & liber vitarum ſummorum Pontificum, ubi Adrianum hujus nominis primum, initio Notarium Regionarium, poſtea Subdiaconum, deinde Diaconum factum, ad Pontificatum aſcendiſſe narrat. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et hæc ſunt officia Eccleſiaſtica, concedo: veri ordines nego. Illi quidem eligebantur vel ex ſimplicibus Clericis laborantes, ex Lectoribus Notarii, ex Oſtiariis vel Subdiaconis cuſtodes Martyrum, ex Lectoribus vel Subdiaconis Defenſores. Porro iſta officia ad ſacram Euchariſtiam per ſe non referuntur, ſed ad aliqua charitatis, vel diſci-

diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vel religionis officia per ſe tendunt: charitatis quidem ut Laborantium, Defenſorum religionis, & Cuſtodum Martyrum &c. At omnes Ordines ad ſacram Euchariſtiam per ſe referuntur. Hinc allata ab auctoribus a ratione Ordinis ſacramentalis prorſus excidunt.

Oppones II. Non tot debent admitti Ordines quot recenſuimus: Ergo &c. Probatur: D. Dionyſius c. 5. Eccl. Hierarch. tres tantum refert Ordines, ſcilicet Epiſcoporum, Presbyterorum, & Miniſtrorum, pro triplici nempe actione hierarchica, videlicet purgatione, illuminatione, & perfectione; quibus actionibus triplex quoque patientium ordo reſpondet, nempe Monachorum, fidelis populi, & immundorum, id eſt, Catechumenorum, Energumenorum, & Pœnitentium. Ergo &c.

Reſpondeo cum D. Thoma Supplem. q. 37. art. 2. ad 1. diſtinguendo: Et ibi Dionyſius loquitur de ordinibus ut ad hierarchicas actiones tendunt, concedo: ut ſunt Sacramenta, & ad ſacram Euchariſtiam referuntur, nego. Juxta primum reſpectum tres tantum ſunt ordines ab ipſo aſſignati ſecundum tres hierarchicarum actionum ſpecies, quarum nulla eſt quæ non Epiſcopo tribuatur, cui & perficiendi, & illuminandi, ſimul & purgandi virtus convenit: Presbytero duæ tribuuntur, Miniſtris vero actio purgativa conceditur; ſed poſteriori reſpectu ſpectati ordines recte ſeptem enumerantur.

Verba D. Thomæ hic texere non injucundum erit: Dicendum, quod Dionyſius „ loquitur de Ordinibus, non ſecundum „ quod Sacramenta, ſed ſecundum quod „ ad hierarchicas actiones ordinantur: „ Et ideo ſecundum actiones illas tres „ Ordines diſtinguit, quorum primus ha„ bet omnes tres, ſcilicet Epiſcopus: Se„ cundus habet duas, ſcilicet Sacerdos, „ ſed tertius habet unam, ſcilicet pur„ gare, ipſe ſcilicet Sacerdos, qui Mi„ niſter dicitur; & ſub hoc omnes infe„ riores ordines comprehenduntur. Sed „ ordines habent quod ſint Sacramenta, „ ex relatione ad maximum Sacramento„ rum: Et ideo ſecundum hoc debet nu„ merus Ordinum accipi. „

Inſtabis: Ex Minoribus Ordinibus ſolum Lectoris ordinem Eccleſia Græca retinuit, nec alios admittit; Exorciſtæ officio ſoli Sacerdotes funguntur, ſicut etiam & nunc in Eccleſia Latina, ſoli Sacerdoti Provincia exorcitandi demandatur, Ex Simeone Theſſalonicenſi de Sacramentis c. de Ordine, Acolythi munus Lector, Oſtiarii vero Subdiaconus obit. Octavum Concilium generale c. 5. ſolum Lectoratus gradum agnoviſſe videtur, quod D. Damaſcenus Dial. contra Manichæos non levius indicat, dum ait: “ Principium „ quoque ſecundum ordinem dicitur, ut „ prima dignitas Lectoris eſt, deinde „ Subdiaconus, poſtea Diaconus, tum „ Presbyter, tum demum Epiſcopus. „

Reſpondeo opponendo veteres Græcos ſupra recenſitos, ſcilicet Ignatium, Epiphanium, Euſebium, Laodicænam Synodum; inter recentiores vero Codinum Lib. de off. Eccl. CP. Joannem Epiſcopum Cypri in reſponſis ad Cabaſilam ad octavam interrogationem L. 3. cod. juris Orientalis. Hic autem Joannes ſic loquitur: “ Qui pallia ferentes cum lampadi„ bus prædicant ſanctum Evangelium, „ quando in ſuggeſtum cauſa lectionis ad„ fertur. „ Id eſt ceroferarii, quo nomine donantur noſtri Acolythi, quique ſolemni benedictione ordinabantur, ut patet ex Ritualibus Græcorum; eamdem benedictionem refert Arcudius de concordia L. 6. c. 9. ex Monaſterio Criptæ Ferratæ, quæ concordat cum ea qua in Eccleſia Latina ordinantur Acolythi, ex quibus claret antiquitus fuiſſe minores ordines apud Græcos: Quare Innocentius IV. litteris ad Epiſcopum Tuſculanum miſſis, qui legationem in regno Cypri tunc exercebat, Græcis ut minores Ordines ſuſcipiant ſic præcipit: “ Ad hæc volu„ mus, & expreſſe præcipimus, quod „ Epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecun„ dum morem Eccleſiæ Romanæ, de „ cetero conferant, cum huc uſque tres „ de minoribus neglexiſſe vel prætermi„ ſiſſe dicantur; illi tamen qui jam ſunt „ taliter ordinati per eos propter nimiam „ ipſorum multitudinem, in ſic ſuſceptis „ ordinibus tolerentur. „

Reſpondeo II. diſtinguendo: Græci de ſolo Lectoratu mentionem faciunt, eo quod in Lectoratus Ordine Ordinandorum induſtria, & doctrina magis paterent, vel quia ſolus ille Ordo foret dignitas, concedo:

do ; & non agnoſcunt tres alios minores Ordines, nego. Jam vero in ſolo Lectoratu apud Græcos ad majores promovendi ordines probabantur; unde fere omnes Clerici in majoribus conſtituti, quia ſoli lectioni vacabant, Lectores appellabantur, licet cum lectoratu alios ordines ſuſcepiſſent, vel ideo alios minores ordines non ſuſcipiebant, quia eos non exercebant: quando igitur Concilii VIII. Patres aſſerunt, eum qui antequam Epiſcopatum ſuſcipiat debere per omnem gradum Eccleſiaſticum tranſire, ſolumque Lectoratum nominant, ideo de illo ſolo mentionem faciunt, quia ſolus probationis videbatur eſſe gradus, quippe qui ſolus eſſet dignitas in Ordinibus minoribus, hinc & ſolus probabatur. Eadem eſt ſolutio ad D. Damaſcenum.

Inſiſtes: S. Ignatius Epiſt. ad Antiochenſes, Epiphanius in fine Panarii, Iſidorus L. de Eccleſiaſticis officiis prætermittunt Acolythatum. 2. Exorciſtatum non eſſe ordinem ex eo conſtat, quod ſit potius gratia gratis data quam Ordo. Quod quidem confirmatur ex iis quæ leguntur Marci ultimo: " *Dæmonia ejicient ,, ... ſerpentes tollent* &c. ,, Hanc eſſe fidem fidelium teſtatur Juſtinus Martyr in dialogo cum Triphone, Tertullianus de corona militis. 3. Nec Lectoratus dicendus eſt Ordo, ſed dumtaxat Eccleſiaſticum officium, tum quia D. Auguſtinus Epiſt. 235. p. 336. creationem Lectoris, non ordinem, ſed deputationem appellat, " Miror enim, *inquit*, utrum jam poteſt ,, Lector deputari, qui non niſi ſemel ,, Scripturas etiam non canonicas legit. ,, Tum Epiſt. 261. ad Cæleſtinum lectoris dignitatem vocat (Lectionis officium) non autem ordinem Eccleſiaſticum. Suffragatur Socrates Lib. 5. Hiſt. c. 21. ipſe Nicephorus L. 12. c. 34. affirmat lectores, & notarios poſſe ex Catechumenis aſſumi, 4. Oſtiariatum non eſſe Ordinem proprie dictum, ex eo eruitur quod nulla officia ei competant, jamque paſſim Laicis hominibus muous illud committatur, vel ipſe Gelaſius Papa Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 3. teſtatur illiteratos poſſe illud officium exercere, quinimmo primis olim Eccleſiæ ſæculis feminæ hujus partis templi qua mulieres ingrediebantur, janitrices erant, quas nemo dixerit fuiſſe in ordine Eccleſiaſtico conſtitutas. Ergo &c.

Reſpondeo ad primam difficultatem, argumentum illud eſſe negativum. Licet enim Patres laudati non memorent Acolythatum; non inde ſequitur eos illum negaſſe, immo Iſidorus Hiſpalenſis L. 7. Originum c. 12. de eo mentionem facit; vel dicendum ideo alios Patres Ordinem illum ſiluiſſe; quia Acolythus nullam habet in populum auctoritatem, ſed pure circa altare Miniſterium occupatur.

Ad ſecundum diſtinguo: Exorciſtatus, qui velut gratia peculiaris a Deo datur, non eſt Ordo, concedo: Exorciſtatus ab Eccleſia collatus, nego. Porro Deus ſicut poteſt cui voluerit gratiam curationum impertiri, ſic & facultatem liberandi vexatos a Spiritibus immundis.

Ad tertium dico, S. Auguſtinum, qui Lectorem ait deputari, non negare eum Ordinari: quid ergo vult S. Doctor, niſi eum Lectorem non eſſe exiſtimandum, qui munus ſuum non exercet? Quod vero lectionis officium gradum Lectoris appellet, diſtinguo: quia omnis Ordo aliquo modo officium eſt, concedo: & in ſe non eſt Ordo, nego. Ceterum Eccleſia Alexandrina Catechumenis legendi munus, non lectoris gradum conceſſiſſe dicenda eſt, ſicut monialibus permittitur ut legant in Eccleſia.

Ad quartum: Licet imperitis detur cura exercendi munia Oſtiarii; non inde ſequitur, non eſſe ordinem; gradus enim ejus non niſi Clericis, & peritis committitur; quod enim Gelaſius velit eſſe ordinem ex eo colligitur, quod in Epiſtola memorata, velit inquirendum eſſe, num ordinandus: " Aſſecutus ſit litteras, ſine ,, quibus vix Oſtiarii poſſet implere Mi,, niſterium? ,,

Perſiſtes: Multi Theologi tenent, inferiores omnes a Diaconatu Ordines in Eccleſia primitiva minime fuiſſe uſitatos, ſed progreſſu temporis ab ea fuiſſe præſcriptos: ita Petrus Bleſenſis Seſſ. 47. ad Sacerdotes, & Prælatos; ad quam ſententiam acceſſiſſe videtur Magiſter ſententiarum 4. Sent. diſt. 24. q. 1. Tum alii, qui Minores Ordines ex Eccleſiæ fuiſſe inſtituto docuerunt. Confirmatur ex Decreto Synodi Placentinæ, habitæ tempore Victoris II. quæ ſolos Diaconatus, & Presbyteratus Ordines videtur admiſiſſe; Sic enim habet: " Sacros autem Ordines dicimus

Diaco-

Digitized by Google

„ Diaconatum, & Presbyteratum, hoc ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe „ Eccleſia. „ Concinit Leo IX. Epiſt. „ ubi ſic habet: " Sacerdotum Ordo bipartitus eſt, nec amplius quam duos „ Ordines, id eſt, Epiſcoporum & Presbyterorum nobis collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt. „ Ergo &c.

Reſpondeo I. diſtinguendo: Et a Concilio Tridentino ſententia illorum Theologorum propugnari non poteſt, nec eſt tuta in praxi, quippe quæ ſit Concilio Oecumenico contraria, concedo: Et valet iſta ſententia, nego.

Reſpondeo II. aliter diſtinguendo: Eccleſia inſtituit inferiores Ordines, id eſt explicavit, & ad uſum applicavit, concedo. Vere & ſtricte creavit, nego. Cum Presbyteratu cuncti inſtituti ſunt Ordines; ſæviente vero perſecutione propter penuriam miniſtrorum non niſi reddita pace Eccleſiæ, executioni demandati ſunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sunt ſeptem Ordines.

PRIMO: Septem buccinæ, quibus uſi ſunt Sacerdotes Joſ. 6. in expugnatione urbis Jericho, & aliæ quædam veteris Teſtamenti figuræ, quibus accedunt varii modi loquendi Scripturarum, vel ipſius novi Teſtamenti, in quo quidem dicitur inter Miniſtros Eccleſiæ alios eſſe Apoſtolos, alios Prophetas & Doctores, hoc annuntiant.

Secundo: Pro iſto momento aſtruendo invaleſcit Eccleſiæ Praxis, quæ ſemper varios adhibuit ad ſacrificium litandum, Miniſtros, ut conſtat tum ex actis ſanctorum, inter quos multi cujuslibet ordinis pro Chriſto necati ſunt, tum ex antiquis Conciliis, Laodiceno ſcilicet, Nicæno I. Carthaginenſi IV. ac tandem ex Tridentino Seſſ. 23. cap.

Tertio: Vel ipſa ratio ſuffragatur: Nam ex D. Thoma hic q. 36. art. 2. in Ordine ad Euchariſtiam eſt Sacerdos conſecrans, Diaconus Dominici ſanguinis diſpenſator, Subdiaconus materiam ſubminiſtrans: In Ordine vero ad ſuſcipientes requiritur Lector, qui Myſterium exponat, Acolythus qui vaſa præparet, Oſtiarius qui indignos propellat. Demum Exorciſta, qui dæmones obſtrepentes in energumenorum corporibus compeſcat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Nemini mirum videri debet, ſi nonnulli ſupra ſeptem ordines addant Epiſcopatum, cum iſte ſit verus Ordo, ſed certe a Presbiteratu indiviſus; Epiſcopus enim eſt magnus Sacerdos, alter vero ſimplex; hinc & ſecundum ordinem inter Sacerdotes occupat.

Secundo: Citra dubium eſt tonſuram Clericalem inter Ordines nuſquam annumerari, quippe quæ ſit ſolum præparatio ad Ordines, & deſignatio.

Tertio: Non ſemel contigit Lectorem plura officia exercere; unde non mirum ſi quandoque apud Græcos Subdiaconus omittatur, quia ſæpius Lector Epiſtolam in Miſſa legit, ſicut nunc videmus ſola tonſura initiatos, eam, deficientibus Miniſtris, ſæpius cantare.

ARTICULUS TERTIUS.

De Miniſtro ſacræ Ordinationis.

CIRCA Miniſtrum ſacræ Ordinationis hæc diſcutienda veniunt: Primum quis ſit Miniſter Ordinarius. 2. Quis extraordinarius. 3. Quænam ſint qualitates Miniſtri legitimi Ordinationis; unde ſit.

SECTIO PRIMA.

Quis ſit Miniſter ordinarius ſacræ Ordinationis?

CONCLUSIO.

Ordinarius Miniſter Ordinationis eſt ſolus Epiſcopus.

Probatur multipliciter.

Primo ab Exemplis.

MOYSES quidem extraordinarie ad regimen Iſraelitici Pontificii vocatus, Sacerdotio ab ipſo Deo magnifice donatus eſt,

Digitized by Google

eſt , juxta illud Pſal. 89. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus* , fidem de hoc faciunt Philo, L. 3. de ejus vita , Gregorius Nazianzenus oratione ad Nyſſenum , Hieronymus L. 1. adver. Jovinianum , Auguſtinus in Pſ. 89. Moyſes vero Aaron Exodi c. 29. ſummus Pontifex fuit creatus , & ſolemni ritu inauguratus : Tum ab eodem ibidem , Nadab , Abiud , Eleazar , & Thamar Aaronis filii conſecrati deſcribuntur . De ceteris Levitis quod vel a Moyſe , vel ab Aarone , vel a filiis ejus conſecrationem acceperint , expreſſa habentur Scripturarum teſtimonia . Soli Moyſi Num. 8. conceditur , ut eos de medio filiorum Iſrael tollat , vel tolli curet , tum aquæ luſtrationis aſperſione , pilorum raſura , lotione veſtimentorum purificet , vel purificari per Aaronem , aut filios ejus jubeat . De ſolo quoque Aarone dictum eſt : " Offeret Aaron Levitas , munus in conſpectu Domini a filiis Iſrael . ,, Coram eo ſolo a filiis ejus ſic diſponi jubentur , ut ſeparentur a populo , purificentur , & conſecrentur in oblationem Domini ; ſoli pro ipſis , Aaron , & filii ejus orent : de ſolo Aarone ſcribitur : " Elevavitque eos Aaron in conſpectu Domini , & oravit pro eis , ut purificati ingrederentur ad officia ſua . ,,

Quod figuratum legimus in antiqua lege , obſervatum fuit religioſe in nova ; & quidem 1. Apoſtoli a Chriſto Domino tunc conſecrati fuerunt Sacerdotes , quum ab eo poteſtatem ſacrificandi , & peccata remittendi acceperunt ; ceteros autem qui Apoſtolico gradui ſucceſſerunt , non niſi ab Epiſcopis conſecratos Scriptura , & Traditio docent . 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt , quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii* . Per hæc verba intelligere Apoſtolum , Epiſcoporum cœtum , docent in hunc locum Chryſoſtomus , Theodoretus , Theophilactus , & Oecumenius ; ſimiliter de Epiſcopo loquitur S. Paulus , dum ait . 1. Timoth. c. 5. *Manus cito nemini imponas* : a ſe Timotheum ſolemni ritu conſecratum fuiſſe Epiſcopum aſſerit , dum ait : *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei , quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum* ; ſolis Paulo , & Barnabæ , cum ſecundo inviſerent Lyſtram , Iconiam , & Antiochiam Act. c. 14. conceſſum eſt , ut *conſtituerent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros* .

Eadem veritas munitur SS. Patrum calculo .

PRIMO : Ex primo ſæculo S. Ignatius Martyr Epiſt. 13. ad Geronem , admonet nihil ſine Epiſcopo agendum , cujus præcepti rationem ſumit ab Epiſcoporum prærogativa , quia , inquit : " Baptizant , ſacrificant , Confirmationis , & Ordinis ſacramentum , manum inponentes , perficiunt . ,,

Secundo : Clarius & apertius catholicam ſententiam docent Patres Synodi Alexandrinæ ann. 319. apud Athanaſium Apolog. 2. cum enim Colluthus Presbyter , qui Epiſcopus non erat , multos ordinaſſet , ejus Ordinationes nullæ declaratæ ſunt ; ſic enim ait : " Cum Iſchyram quemdam ſubornaſſent , quem ſecum adduxerunt , hominem minime Presbyterum , tametſi ſe eo nomine jactaret , quippe Ordinatum a Colluthoquodam , non vero ſed imaginario Epiſcopo , cui in generali Concilio ab Oſio , & a ceteris Epiſcopis , qui una aderant , juſſum fuit , ut ſe pro Presbytero , qualis ante fuerat , haberet , atque adeo omnes ab illo conſtitutos in veterem ſuum Ordinem recurriſſe , inter quos etiam Iſchyras numerandus eſt . ,, Idem legimus in S. Epiphanio , quippe qui Aerium hæreſi 56. inter hæreticos annumeret , eo quod Epiſcopos ad eamdem cum Presbyteris ſortem redigeret , & æque his atque illis ordinandi jus tribueret . Sic autem loquitur de Ordine Epiſcopali : " Siquidem unus Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet : Hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio : Alter cum Patres non poſſit , filios Eccleſiæ , Lotionis regeneratione , producit , non tamen Patres , aut Magiſtros : quinam vero fieri poteſt , ut is Presbyterum conſtituat , ad quem creandum , manuum imponendarum jus nullum habeat . ,,

Suffragatur S. Chryſoſtomus Homil. 11 in Epiſt. 1. ad Timoth. ubi ſic de Epiſcopis fatur : " Sola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt , atque hoc tantum pluſquam Presbyteri habere videntur . ,, Ex his claret Presbyteris ordinandi poteſtatem in Eccleſia denegatam , & ſo-

& ſolis conceſſam fuiſſe Epiſcopis; Neque vero non diſſimilis legitur apud Hieronymum ſententia Epiſt. ad Evagrium, ,,Quid ,, facit ,*inquit*,Epiſcopus, excepta Ordina- ,, tione,quod Presbyter non faciat? ,,Auctor de ſeptem Eccleſiæ gradibus Tom. 9. operum Hieronymi ad Ruſticum Narbonenſem hanc inter prærogativas Epiſcopi dotem reponit: " Quod ipſe ordinet Sacerdotes, ,, ipſe Levitas, ipſe Subdiaconos, ipſe ,, Lectores, ipſe Oſtiarios. ,, Hunc ſecutus eſt Iſidorus Hiſpalenſis L. 2. officiorum c. 6. & alii Eccleſiaſticorum rituum Scriptores.

Tertio, firmitatem concluſionis noſtræ deducimus ex Epiſt. 4. Damaſi Papæ in medio; ex S. Leone Epiſt. 88. ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ; ibi ſumnii Pontifices oſtendunt ſolos Epiſcopos poſſe Sacerdotes conſecrare, Diaconos, Subdiaconos &c.

Quod Summi docuerunt Pontifices hoc ipſum in Conciliis legitur; Synodus enim Ancyrana decernit: " Cor-epiſcopis non ,, licere Presbyteros, aut Diaconos ordi- ,, nare. ,, Laodicena c. 26. nequidem Exorciſtas ab aliis quam ab Epiſcopis ordinari poſſe oſtendit, dum prohibet, *Non promotos ab Epiſcopis*, officium exorcizandi exercere. Hiſpalentis 2. c. 27. Corepiſcopis ordinum conferendorum facultatem adimit,& ſolis tribuit Epiſcopis. Synodus Meldenſis c. 44. ſaltem Presbyteratum & Diaconatum, qui per impoſitionem manus tribuuntur, ſolis Epiſcopis reſervari debere cenſuit.

His accedunt Concilia Oecumenica: Conſtantienſe quidem Seſſ. 8. inter errores Wiclefi hunc reponit: " Quod con- ,, firmatio juvenum, Clericorum Ordina- ,, tio, Eccleſiarum conſecratio, reſerven- ,, tur Papæ & Epiſcopis propter Lu- ,, crum. ,, Aiebat enim Wicleſus ea omnia ab aliis poſſe fieri quam ab Epiſcopis, quod quidem damnat Concilium Florentinum in Decreto unionis: dicens Ordinis, *Ordinarius Miniſter hujus ſacramenti eſt Epiſcopus*, Similiter & Tridentinum Seſſ. 23. c. 4. & can. 7. expreſſe docet ad ſolos Epiſcopos pertinere, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, & anathemate ferit eum qui dixerit, vel Epiſcopos non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel illam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem.

D. Thomas in Supplem. quæſt. 38. art. 1. hujus rei hanc affert rationem, quia Epiſcopalis poteſtas, ſi cum ceteris inferioribus ordinibus comparetur, ea proportione iis eminet, eaque ſibi ſubjicit, qua politica ceteras inferiores artes atque ſcientias; quæ cum ad ſpeciale quoddam bonum tendant, ipſas ad commune bonum & totius Reipublicæ utilitatem dirigit, legemque ſingulis præfigit, quam quiſque debeat exercere, & quantum, & qualiter; ideoque, inquit, ad Epiſcupum ratione ſuæ dignitatis pertinet ſingulos in ſuo gradu collocare, & divinis Miniſteriis, Myſteriiſque perficere, unde ſicut ipſe ſolus confirmationis ſacramentum impertitur, quia primus per iſtud Sacramentum aſcenſionis gradus eſt ad perfectionem, quo nempe imperfectiori & ſtabiliori gradu fideles, quaſi maturiorem ſpiritualem adepti ætatem, & inter perfectos ſtabilem quemdam locum ſortiti conſtituuntur: ſolus ipſe Virgines conſecrat, qui & hoc ad perfectionem conſequendam quædam provectio eſt: ita potiori ratione ſolus ipſe Ordines confert, quibus Eccleſiæ capita, ſpirituales duces, Magiſtratuſque conſtituuntur, ne cum ad Reges, alioſque excellentiori poteſtate præditos officiorum diſtributio ac magiſtratuum creatio, tamquam res majoris in Republica momenti referantur, minoris in Eccleſia ſacrorum Magiſtratuum creatio haberi videatur, eaque vel inconditæ multitudini, vel inferiori poteſtate præditis Sacerdotibus, vel Diaconis, neglectis Epiſcopis, qui, Eccleſiarum principes cenſendi ſunt, illegitime permittatur.

Sic loquitur S. Doctor in corpore articuli: " Dicendum, quod poteſtas Epi- ,, ſcopalis habet ſe ad poteſtatem ordinum ,, inferiorum, ſicut politica quæ con- ,, jectat bonum commune, ad inferiores ,, artes, & virtutes quæ conjectant ali- ,, quod bonum ſpeciale, ut ex dictis pa- ,, tet. Politica autem ponit, ut dicitur ,, in 10. Ethic. legem inferioribus, ,, ſcilicet quiſquam debeat exercere, & ,, quantum, & qualiter. Et ideo ad Epiſco- ,, pum pertinet in omnibus divinis Myſte- ,, riis aliquos collocare. Unde ipſe ſolus ,, confirmat, quia confirmati in quodam of- ,, ficio confitendi fidem conſtituuntur. Et ,, ideo ipſe etiam ſolus Virgines benedicit,

,, quæ

„ quæ figuram gerunt Eccleſiæ Chri-
„ ſto deſponſatæ, cujus cura ipſi princi-
„ paliter committitur. Ipſe etiam in Mi-
„ niſteriis ordinum ordinandos conſecrat,
„ & vaſa quibus uti debent, eis determi-
„ nat ſua conſecratione: Sicut etiam offi-
„ cia ſæcularia in civitatibus diſtribuuntur
„ ab eo, qui habet excellentiorem pote-
„ ſtatem, ſicut a Rege. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiicies: Act. c. 13. hæc habentur de primis Diaconis: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Ibi autem nulla fit mentio Ordinationis factæ ab Apoſtolis, immo videtur totum a multitudine peractum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Statuerunt ante conſpectum, id eſt, obtulerunt viros ordinandos ab Apoſtolis, concedo: ipſi ordinarunt, nego. Ibi agnoſcimus fidelium curam in offerendis viris frugi Apoſtolis; iſta enim verba indicant eorum præſentationem, ſed ſolemnis manuum impoſitio cum precatione ab Apoſtolis peracta eſt.

Inſtabis: Act. c. 9. hæc leguntur: *Erant in Eccleſia quæ erat Antiochiæ Prophetæ, & Doctores ...... Miniſtrantibus autem illis Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus, Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos: tunc jejunantes imponenteſque eis manus dimiſerunt illos*; ibi iteratum de Apoſtolis ſilentium. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Eo loci Pauli, & Barnabæ ordinationem non deſcribi, quippe qui antea Eccleſiam Antiochenam fundaſſent, tum & verbum Dei diſſeminaſſent, ut habetur cap. 2. ad Galat. ibi enim Barnabas miſſus ſcribitur ab Apoſtolis, ad Antiochenam regendam Eccleſiam, cujus regimen non niſi ab Epiſcopo committi debuit: prius ergo licet electi a Chriſto, ſacrati fuerant ab Apoſtolis: ut ut ſit

Reſpondeo 2. Si ſermo ſit ibi de eorum Ordinatione; non a multitudine, cui non incumbit munus miniſtrandi, & ſacrificandi, id peractum eſt; nam illi, quibus iſta manus impoſitio ſuper Saulum & Barnabam a Spiritu ſancto committitur, ſacrificantes deſcribuntur: Prophetæ igitur & Doctores, de quibus hoc loco Scriptura meminit, erant forte Epiſcopi Sauli, & Barnabæ conſecratores.

Urgebis: In Epiſtola 9. Gelaſii Papæ 1. ad Epiſcopos Lucaniæ c. 8. de Presbyteris hæc leguntur: “ Nec minus Presbyte-
„ ros ultra modum ſuum tendere prohi-
„ bet, nec Epiſcopali faſtigio debita, ſi-
„ bimet audacter aſſumere ... Nec ſibi
„ memioeriot ulla ratione concedi, ſine
„ ſummo Pontifice, [id eſt Epiſcopo qui
„ tunc ſic appellatur.] Subdiaconum,
„ aut Acolythum jus habere facieodi. „
Igitur cum licentia Epiſcopi Presbyteri poſſunt ordinare.

Reſpondeo 1. Probabile eſſe etiam non ſolum ſummi Pontificis auctoritate, verum etiam Epiſcopi permiſſu, tonſuram, minoreſque Ordines, etiam Subdiaconatum a ſimplici Presbytero olim potuiſſe conferri; cum enim reſtricta non eſſet Epiſcopalis auctoritas a ſummis Pontificibus ad jus quoddam ordinarium, & commune, quam ipſi ſummi Pontifices jam in tota Eccleſia exercere æquum duxerunt, idem illi ſibi in ſua Diœceſi aſſumere non dubitabant; quare cum SS. Pont. hos Ordines, qui non ſunt Hierarchici, conferendi facultatem dare poſſit, tempore Gelaſii, ut ejus verba indicant, poterant & Epiſcopi conferre.

Reſpondeo 2. aliter, ſcilicet id unum velle Gelaſium, non licere Presbyteris ſine auctoritate Epiſcopi, vel Subdiaconos, vel Acolythos ſibi eligere, eoſque ordinandos deſignare & nominare. Hæc ſolutio videtur conformis menti Gelaſii: cum enim tunc jus illud ſibi arrogarent Presbyteri quod & Sacerdotes, & Cor-epiſcopi id efficerent in Oriente, in Occidente poſtea idem ſibi aſſumpſerunt.

Inſiſtes: In litteris Concilii Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam, quæ leguntur apud Socratem L. 1. c. 16. & apud Theodoretum L. 1. c. 11. habetur, eos qui ordinati fuerant a Meletio, qui ab Alexandro Alexandrino depoſitus fuerat, qui tamen eius ſententiæ non acquieverat, ſed ad partes Arianorum tranſierat, legitur inquam, eos in Eccleſia Catholica tamquam Clericos fuiſſe receptos iis conditionibus: “ Quin etiam ut nulla il-
„ lis poteſtas ſit, eos Miniſtros Eccleſiæ
„ deſignandi, qui ipſorum probentur ar-
„ bitrio: neque nominationem penes ſe

,, habeant eorum , qui ſint ad Eccleſiæ ,, munera obeunda deligendi : neque quicquam abſque conſenſu Epiſcoporum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ , qui ,, ſub Alexandro ſunt , omnino tranſigant . ,, E contra vero illos Presbyteros qui in ſchiſmate non fuerant , vult poteſtatem habere & ordinandi , & qui Clero digni fuerint nominandi : " Auctoritatem ,, habeant tum Miniſtros ordinandi , tum ,, eos qui Clero digni fuerint nominandi , tum denique omnia ex lege & in- ,, ſtituto Eccleſiaſtico libere exequendi . ,, Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Et quod Catholicis Clericis ſupra eos qui Schiſmati adhæſerunt , tribuit Concilium , eſt , ut deſignent , deſignatos probent , probatos Epiſcopo nominent , concedo : & ordinent ipſi , nego . Porro cum populus aliquando Clericos poſſet eligere , iiſque ordinandis ſuffragari , Clericis hoc utique conceſſit Concilium ; quia vero populi electio inſufficiens erat , niſi a Clero probaretur , eligendi data eſt facultas illis Clericis , qui olim Schiſmati adhæſerant , iis vero qui in communione Eccleſiæ perſtitiſſent , jus inſuper datum eſt comprobandi , eoſque ordinandos Antiſtiti offerendi .

Perſiſtes : In Concilio Hiſpalenſi 2. p. 982. c. 5. refertur de quibuſdam Eccleſiæ Agabrenſis Clericis : " Quorum dum unus ,, ad Presbyterorum , duo ad Levitarum ,: Miniſterium ſacrarentur , Epiſcopus eo- ,, rum , oculorum dolore detentus , fer- ,, tur manum ſuam ſuper eos tantum po- ,, ſuiſſe , & Presbyter quidam illis , con- ,, tra Eccleſiaſticum ordinem , benedictio- ,, nem dediſſe : ,, Decrevit dicta Synodus : " Ut a gradu Sacerdotali , vel Le- ,, vitici Ordinis , quem perverſe adepti ,, ſunt , depoſiti , æquo judicio abjician- ,, tur . Tales enim merito judicati ſunt ,, removendi , quia prave inventi ſunt con- ,, ſtituti . ,, Porro non removerentur , aut deponerentur ab Ordine , niſi eum recepiſſent : Igitur poteſt Presbyter formam ordinationis proferre , adeoque etiam ordinare .

Reſpondeo , inſolitum non eſſe , ut deponi dicantur , & a gradu abjici , qui revera non ordinati , eo modo ſe gerebant ac ſi Ordinati eſſent ; licet enim Ordinis jus ad functiones non habeant , dejiciuntur tamen a Miniſterio , quod injuſte attrectant , & a poſſeſſione veluti Ordinis , quem injuſte ſe poſſidere præſumunt : vel etiam dici poteſt , illum Epiſcopum , cum manus impoſitione verba ſolemnia pronunciaſſe , ceteras vero orationes , quæ non ſunt eſſentiales , injunxiſſe Presbytero , ut recitaret , eo quod dolore oculorum laboraret ; verum prior ſolutio magis concinit menti Concilii ; ſic enim habet ibid. cap. 1. " Hi qui ſuperſunt , & ab eo non ,, conſecrationis titulum , ſed ignominiæ ,, potius , Eulogium perceperunt , ne ſi- ,, bi talis ultra uſurpatio fiat , decrevi- ,, mus , ut a gradu Sacerdotali , vel Le- ,, vitici Ordinis quem perverſe adepti ,, ſunt , depoſiti æquo judicio abjiciantur &c. ,,

Oppones : Habet Eccleſiæ conſuetudo , ut , ſicut legitur 1. ad Timoth. c. 4. ubi Apoſtolus ordinationem vocat impoſitionem manuum Presbyterii , ſimplices Presbyteri , una cum Epiſcopo manus iis imponant , qui Sacerdotes inaugurantur : Igitur Sacerdotibus ſicut & Epiſcopis convenit poteſtas Clericos ordinandi .

Reſpondeo juxta D. Chryſoſtomum in hunc locum , Presbyterii nomine intelligi cœtum Epiſcoporum , ex eo quod quicumque ab Apoſtolis ordinati ſunt Presbyteri , fuerint ordinati Epiſcopi ; quare ad illationem dico , ritum , quem Pontificale Romanum præſcribit , meram eſſe cæremoniam , quæ ad illam Sacramenti ſubſtantiam non pertinet , unde Presbyteri qui ordinando manus imponunt , Sacramenti formam non proferunt , & ſic Ordinis , cujus vis præcipue eſt in forma , Miniſtri non ſunt .

Dices : Auguſtinus q. 101. veteris , & novi Teſtamenti , affirmat in Ægypto , ſi deſit Epiſcopus , Presbyterum conſecrare ; illud autem non poteſt intelligi de conſecratione corporis Domini , quia non in Ægypto ſolum , ſed per totam Eccleſiam a Presbytero corpus Domini conſecratur : Igitur illud venit intelligendum de Ordinationis Sacramento .

Reſpondeo diſtinguendo : Et auctor ille , quem conſtat non eſſe Auguſtinum , nomine conſecrationis intelligit conſignationem baptizatorum , concedo : Ordinationem , nego . Iiſdem pene verbis utens apud Ambroſium commentator Pauli in c. 4. Epiſt. ad Epheſios , pro , *conſecra-*

re ,

re, habet *conſignare*, quod vocabulum dubio-procul pertinet ad Confirmationis ſacramentum.

Dices iterum: Hieronymus, in Epiſt. de 7. Gradibus Eccleſiæ, dicit Presbyteros omnia Dei Sacramenta complere; & illud probat hoc argumento, quia plus eſt conſecrare corpus Domini, quam ordinare Clericum, cum igitur Presbyter poſſit illud, poteſt & iſtud.

Reſpondeo, doctrinam iſtius Epiſtolæ, cujus auctor dubius eſt, non videri admodum diverſam a damnata opinione Aerii, qui inter Epiſcopum, & Presbyterum non diſtinguebat; tametſi auctor ſub finem ſe quodam modo corrigat, & ejus ad quem ſcribit, judicio ſe ſubmittat.

Ad rationem quam affert, dico eum, qui poteſt majus, non ſemper poſſe id quod eſt minus; fallitur enim illa regula, quando minus præſupponit poteſtatem majoris, ut in propoſito, ubi poteſtas ordinandi præſupponit poteſtatem conſecrandi: ſic Spiritus ſanctus quibuſdam largitur majora, quibus non donat minora.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Solus Epiſcopus eſt Ordinationis ſacræ Miniſter.

PRIMO: Hoc patet ex Ordinationibus Timothei & Titi, qui ab Apoſtolo Epiſcopi inaugurati ſunt.

Secundo: Hoc ipſum annuntiat tota traditio.

Tertio denique: Hoc & definitiones Conciliorum præſcribunt, maxime Concilii Florentini, quod in Decreto unionis hoc aperte declarat, tum & Tridentinum adverſus Proteſtantes Seſſ. 13.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Fruſtra reponunt Heterodoxi ordinandos quoſdam oblatos fuiſſe omni fidelium multitudini, Act. 6. certum eſt enim Diaconos ab Apoſtolis ſolum ſuſcepiſſe ordinationem, ut ipſe Textus ſacer indicat his verbis. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Igitur Fideles obtulerunt Diaconos, Apoſtoli vero eos ordinavere.

Secundo: Quandoque legitur per ſimplices Sacerdotes quoſdam Presbyteros ordinatos fuiſſe, ſed hoc ex præſumptione factum eſt; hinc Eccleſia ratam non habuit eorum ordinationem, ſed abjectos manere ſtatuit.

Tertio: Neque vero quiſquam ordinationem Presbyteri tribuere debet ſimplicibus Sacerdotibus, eo quod ipſis imponant manus; ſolus enim Epiſcopus ſuper ordinandos pronuntiat formam; hinc ſola ejus manus impoſitio eſt ordinativa.

SECTIO SECUNDA.

An præter Epiſcopos dentur Miniſtri extraordinarii Ordinum?

CONCLUSIO.

Cor-epiſcopi fuerunt Ordinationis Miniſtri extraordinarii.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Concilium Ancyranum canone 13. juxta verſionem Gentiani & Herveti, ex qua tamen hæc verba, *Sed nec Presbyteris civitatis*, ſunt reſecanda, quæ ex Petavio animadverſ. in lib. Epiph. ad hæreſ. 68. in textum Græcum aliquorum incuria, & inſcitia irrepſerunt, vel ex induſtria addita fuerunt; in illo autem canone habetur: " Cor epiſcopis non liceere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris in unaquaque Parochia aliquid agere." Audis ibi prohiberi Cor epiſcopis, ne Diaconos, vel Presbyteros ordinent, niſi acceperint ab Epiſcopo, cujus eſt Parochia, licentiam ſcriptis exaratam.

Secundo: Canon 55. Concilii Nicæni, ex iis qui ex Arabico in Latinum tranſlati ſunt, & Alphonſi Piſani, ac Franciſci Turiani opera in lucem prodierunt, Cor-epiſcopo eam curam imponit, ut viſitans Eccleſias ſibi commiſſas: " Interroget an habeant filias, aut filios, & faciant ut ad ſe adducantur, ut ſignet eos, imponatque manus, ac benedicat & inſtituat Miniſtros, ſicut prius eos admonuerat, debetque diſtribuere eos per Eccleſias, & monaſteria, & pro- videre

„ videre ut diſcant &c. „ Certe Miniſtri illi non ſunt Diaconi, & Presbyteri, quos canone 60. ab Archidiacono, & Cor-epiſcopo examinatos a ſolo Epiſcopo ordinari permittis: ſed ſuperiores Clerici, ut ad majores gradus valeant conſcendere, & hi Cor-epiſcopi nomine inſigniuntur. Ergo &c.

Tertio: Eadem facultas Cor-epiſcopis in Concilio Antiocheno clarius deſcribitur can. 10. juxta verſionem Dionyſii Exigui: " Qui in villis, *inquit*, & vicis „ conſtituti ſunt Cor-epiſcopi, tametſi „ manus impoſitionem ab Epiſcopis ſuſ- „ ceperunt, & ut Epiſcopi ſunt conſecra- „ ti, tamen placuit ſanctæ Synodo ſcire „ eos oportere modum proprium retine- „ re, & gubernare adjacentes Eccleſias „ ſibi commiſſas, & eſſe contentos pro- „ pria ſolicitudine, & gubernatione quam „ ſuſceperunt; conſtituere autem iis per- „ mittitur Lectores, & Subdiaconos, at- „ que Exorciſtas, quibus ſufficiat ordina- „ re præter conſcientiam Epiſcopi civita- „ tis, vel Eccleſiæ cui adjacens inveni- „ tur .... Quod ſi quis prævaricari auſus fue- „ rit conſtituta, deponi eum, & dignita- „ te qua præditus eſt debere... Cor-epi- „ ſcopus autem ab Epiſcopo civitatis vel „ loci cui idem adjacet, ordinandus eſt. „ Ex quo canone conſtat Cor-epiſcopis conceſſum fuiſſe, ut propria auctoritate Lectores, Subdiaconos, & Exorciſtas ordinarent, Presbyteros autem, & Diaconos nonniſi de Epiſcopi cui ſubjacebant, & ad quem regio ipſa, in qua verſabantur, pertinebat, conſenſu, atque permiſſu.

Quarto: Suffragatur D. Baſilius Epiſt. canonica ad Cor-epiſcopos, apud Balſamonem, quæ eſt 181. inter Epiſtolas Baſilii Tom. 2. ejus operum. Refert ibi veterem Eccleſiæ ordinem fuiſſe, ut Eccleſiæ Miniſtros examinatos a Presbyteris, & Diaconis, Cor-epiſcopus accepta examinis relatione, admonito prius loci Epiſcopo, miniſtros in Sacerdotalem ordinem cooptaret; conqueritur autem quod Presbyteri, & Diaconi diligenter non examinarent, & ipſi Cor-epiſcopi de ordinationibus a ſe factis Epiſcopos non admonerent, cui malo mederi cupiens, voluit ut prius ordinandi examinarentur, & de ordinatione Presbyterorum & Diaconorum, præmonendos eſſe Epiſcopos. Ergo &c.

Quinto: Concilium Nicænum 2. & 7. Oecumenicum minores Clericos a Cor-epiſcopis can. 14. ordinari licuiſſe teſtatur his verbis: " Similiter ex antiqua con- „ ſuetudine Cor-epiſcopos Epiſcopi per- „ miſſu oportet ordinare Lectores. „ Pariſienſe 6. ſub Ludovico, & Lothario habirum L. 1. c. 27. & refertur L. 5. Capitul. cap. 168. ſic habet: " Ordinatio por- „ ro Cor-epiſcoporum qualiter fieri debeat, „ qualeſve ipſi ordinationes, jubentibus „ Epiſcopis ſuis, facere debeant, jura „ canonum liquido declarant. „ Concilium Meldenſe cap. 4. de Cor-epiſcopis hæc habet: " Neque ordines Eccleſiaſticos qui „ per impoſitionem manuum tribuuntur, „ id eſt nonniſi uſque ad Subdiaconatum, „ & hoc jubente Epiſcopo, & in locis „ quibus canones deſignant, agere præ- „ ſumant. „

Sexto: Neque vero pro eodem uſu deficit ratio. Eccleſia poteſt per indultum concedere facultatem circa officia divina quando nihil eſt determinatum. Sed pro ordinatione tum Subdiaconi, tum quatuor Minorum, nihil eſt determinatum: Et probatur; tametſi ex jure competat Epiſcopo ut Miniſtro ordinario, quia tamen iſti ordines juxta probabiliorem ſententiam non habent rationem Sacramenti, eorum ordinationem poteſt ex privilegio committi Cor epiſcopis, qui ideo Cor-epiſcopi nomen ſibi vindicant, quia Epiſcopi munus in aliquibus ſubeunt. Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Concilium Antiochenum nullam meretur fidem, nam ab Arianis maxima ex parte in Encæniis, Athanaſii expellendi cauſa fuit coactum: ita Athanaſius de Synodis: 2. Divus Chryſoſtomus canones ipſius non admiſit, ut teſtatur Socrates L. 6. c. 16. Sic & Sozomenus L. 2. c. 20. Sic Palladius in dialogo; rejicit enim canonem iſtum ex iſto Concilio contra ipſum citatum, quo ſtatuitur ne damnatus Epiſcopus ab aliquo Concilio, ab ullo præterquam majori reſtitui poſſit.

Reſpondeo Concilium Chalcedonenſe aliquos iſtius Synodi canones de verbo ad verbum citaſſe, licet abſque titulo Concilii Antiocheni, non quidem ex ipſius codice, ſed

ſed ex codice quodam Græcorum Conciliorum : venerabantur ergo Græci quoſdam iſtius Concilii canones, ſi igitur peculiarem canonem abjecit D. Chryſoſtomus, non ſequitur inde omnes eſſe reſpuendos. Ceterum capitularia Caroli, nec non Burchardus, Gratianus & alii canonum collectores, immo & SS. quidam Pontifices aliquos hujus Concilii canones tamquam genuinos laudant : ideo autem Synodus illa ab Eccleſia quodammodo recipitur, quia licet multi Epiſcopi Ariani in ea adeſſent, obſignata eſt tamen dumtaxat ab Epiſcopis Catholicis, inter quos erat S. Jacobus Niſibitæ Epiſcopus, vir & ſanctitate, & miraculis clarus, maxime cum multa quoad diſcipli. nam utilia, & a Catholicis moribus non aliena, ſed potius conſonantia contineret; ideo autem canonem illum, licet aliunde æquiſſimum, rejecit Chryſoſtomus, quia malo animo editus fuerat ab Arianis, ne ſcilicet Athanaſius, & alii Orientales Epiſcopi in Cyprio, ſive in Jeroſolymitano, ſive in aliis conciliabulis rejecti, Julii Papæ auctoritate revocarentur; quod tamen, fraude detecta, factum eſt. Sed quidquid ſit de iſto Concilio Antiocheno; ex eo ſaltem colligitur, quis eſſet tunc uſus Eccleſiæ de Cor-epiſcopis, nec probabile eſt illos Patres, qui Catholici videri volebant, aliquid in negotio ad eorum hæreſim ſtabiliendam non pertinente, ab Eccleſiæ diſciplina voluiſſe recedere.

Inſtabis: Damaſus Epiſt. 5. pag. 508. ad Epiſcopos Numidiæ, Cor-epiſcopos reprehendit, quod ordines conferre præſumerent, iiſque Pontificalia omnia officia adimit, nec ullius deinceps ordinis conferendi poteſtatem eis concedit, immo & collatos ab ipſis ordines videtur pro irritis habuiſſe; ſic enim habet: " Nam benedi„ ctio quam prædicti Cor-epiſcopi ante „ ſuam prohibitionem, per manus impoſi„ tionem dabant, magis nobis videtur vul„ nus inferre, quam ſalutem. Et illi qui „ Pontificatus apicem non habebant, „ quomodo ea quæ non habebant, dare pot„ erant? Quoniam nihil in dante erat, „ quod ille poſſet accipere. Aut quis homi„ num, licet more humano loquamur, „ dare poteſt, quod non habet? præſertim „ quum Pontifices non erant, ea, quæ ſolis „ Pontificibus debentur, dare non pote„ rant ...... qua propter per illam illi„ citam manus impoſitionem, ut paulo ſu„ perius prælibavimus, vulneratum caput „ illi qui videbantur aliquid accepiſſe, ha„ bebant. Et ubi vulnus infixum eſt, ne„ ceſſe eſt medicinam adhibere, qua infixa „ ſanetur macula, id eſt, reiterari neceſ„ ſum eſt quod legitime actum aut col„ latum minime approbatur, ſi perfectum „ eſſe debebit. Nam quomodo honorem „ poſſit retinere, qui ab illo acceperit, „ qui poteſtatem dare legitime non ha„ buit, invenire non poſſum &c. „

Reſpondeo totam hanc Damaſi Epiſtolam eſſe dubiæ fidei, tum quod Damaſi ſtylum minime redoleat, tum quod variis ſequentium Pontificum, & Conc. Hiſpal. 2. ſegmentis huc illuc corroſis nullo ferre judicio compacta, & conſarcinata videatur; tum quod plura falſa contineat, maxime quod non ſolum a ſede Romana, ſed a toto orbe exploſum dicat & abrogatum Cor-epiſcoporum ordinem, cum tamen Concilium Chalcedonenſe can. 2. de illo mentionem faciat. Nec mirum, Cor-epiſcopos ſubſcripſiſſe Concilio Epheſino ex ſeſſione ultima liquet. Neque vero eos ſilet Matiſconenſe 11. non liber 5. Capitul. Caroli magni cap. 169. non Hincmarus Opuſc. 35. non Flodoardus L. 3. Hiſt. cap. 28. ex quibus liquet multis poſt Damaſum elapſis ſæculis extitiſſe Cor-epiſcopos. Abjecta igitur illa Epiſtola, potius adhærendum eſt Epiſtolæ S. Leonis ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, in qua non quidem Cor-epiſcoporum ordinem delendum dicit, ſed ſolum intra limites, & fines ſuos coercendum : " Nam quamvis, *inquit*, cum „ Epiſcopis plurima illis miniſteriorum „ communis ſit diſpenſatio, quædam ta„ men auctoritate veteris legis, quædam „ novæ, & Eccleſiaſticis regulis ſibi pro„ hibita noverint, ſicut Presbyterorum, „ & Diaconorum, aut virginum conſe„ cratio &c. „

Urgebis: In capitularibus Caroli L. 5. c. 168. multa leguntur ex quibus facile eſt colligere Cor-epiſcopos non eſſe miniſtros extraordinarios ordinationis; relatis quippe Clericorum ac Laicorum hac de re querimoniis, ait auctor ſe ea de re ſedem Apoſtolicam conſuluiſſe, pro quo miſit Aronem Archiepiſcopum ad Leonem, qui dixit definitione opus non eſſe, ſe accepiſſe a ſuis prædeceſſoribus, & a mul-

tis ſanctis Epiſcopis, atque Synodalibus ſanctionibus eos eſſe prohibitos & damnatos: " Nullum fore Presbyterum vel
„ Diaconum aut Subdiaconum ab eis ordi-
„ natum..... Sed quidquid ex iis ab eis
„ illicite erat præſumptum, omnia a
„ canonice ordinatis Epiſcopis debere ri-
„ te peragi, & in meliorem ſtatum re-
„ formari, quia quod non oſtenditur ge-
„ ſtum, ratio non ſinit ut videatur itera-
„ tum. „ Idem decretum eſt in Synodo Gallicana. Demum quod in capitulari de Cor-epiſcopis legimus, idem habetur L. 6. capitul. c. 19. hoc & L. 7. c. 328. dicitur: " Leonis Papæ, & omnium Epi-
„ ſcoporum, Galliæ, atque reliquorum
„ fidelium generali, & Synodali conſul-
„ tu. „ inculcatum. Idem dicitur c. 329. idipſum inter Iſaaci Lingonenſis canones titul. 11. c. 30. Tom. 3. Conciliorum Galliæ ex codice MS. Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Toloſani invenitur.

Reſpondeo dubium eſſe admodum reſponſum illud Leonis, & Synodi Gallicanæ: I. Quia nulla iſtius Synodi Reginensburgæ apud vitæ Caroli Scriptores, neque in Conciliorum tomis, neque iſtius Legationis ad Leonem III. quidquam legitur: II. Quia, in Pariſienſi Concilio ſub Ludovico Pio Caroli filio, & in Meldenſi ſub Carolo filio Ludovici Pii, quæ Concilia ſunt indubitatæ auctoritatis, fit mentio de poteſtate Cor-epiſcoporum: III. Hincmarus apud Flodoardum Hiſt. L. 3. c. 10. Leonem IV. qui triginta circiter annis poſt Leonem III. Romanam tenuit Sedem, inſtanter rogavit uti: " De his
„ quos temeritas Cor-epiſcopalis ordina-
„ re, vel quod Spiritum ſanctum conſi-
„ gnando tradere præſumebat, reſponde-
„ ret. „ Quid opus erat Papam conſulere, ſi res jam a Leone III. & Epiſcopis Galliæ dijudicata fuiſſet? IV. Nicolaus Papa Epiſt. 39. ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem, contrarium reſpondet ei quæ Leo III. dicitur de Corepiſcopis reſpondiſſe: " A Cor-epiſcopis,
„ *inquit*, aſſeris multas eſſe in regionibus
„ veſtris ordinationes Presbyterorum, &
„ Diaconorum effectas, quidam vero de-
„ nuo conſecrant, nos vero dicimus, nec
„ innocentes oportere percelli, nec ullas
„ debere fieri reordinationes, vel itera-
„ tas conſecrationes. Ad formam enim
„ ſeptuaginta Cor-epiſcopi facti ſunt, quos
„ quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe of-
„ ficia, ſed quia ſacri canones vetant,
„ ne omnes ſibi omnia vindicent, ac per
„ hoc dignitas Epiſcoporum ad Cor-epi-
„ ſcopos ſuos videtur transferri. „ Id eſt ut Diaconos, & Presbyteros non ordinent, reliquos vero creare pergant cum licentia; jamvero ſi decretum Leonis, & Synodi Gallicanæ foret genuinum, de illa quæſtione Rodolphus non conſuluiſſet Nicolaum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Coreſpiſcopi non ſemel fuerunt ordinationum aliquarum Miniſtri extraordinarii.

PRIMO: Sic declarat Concilium Ancyranum can. 13. Sic Nicænum I. generale can. 55. Sic Antiochenum can. 10. Sic & Nicænum II. can. 14.

Secundo: Suffragatur S. Baſilius Epiſt. can. quæ eſt 181.

Tertio: Nec pro iſto capite deeſt ratio: Quod enim ab inſtitutione humana procedit, poteſt ordinante Eccleſia a ſimplici Sacerdote fieri: Sed Subdiaconatus, Acolytathus, & ſimiles inferiores ordines ſunt juxta probabiliorem ſententiam ex inſtitutione Eccleſiæ. Igitur ex privilegio, Cor-epiſcopi poſſunt hujuſmodi ordines conferre.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur Concilium Antiochenum pro omnibus non ponderare, bene vero pro ordinationibus inferiorum ordinum a Cor-epiſcopis factis, cum iſtud privilegium eis conceſſum laudetur in primo & ſecundo Nicæno.

Secundo: Incaſſum affertur auctoritas S. Damaſi in contrarium, cum ille auctor a viris doctis habeatur ut Pſeudo-Damaſus.

Tertio: Neque vero magis proficiunt illi, qui quaſdam Decretales, ac quoſdam canones ordinationes a Cor-epiſcopis factas referentes in medium proferunt: unum enim probant, non licere Cor-epiſcopis, omiſſa licentia Ordines inferiores conferre.

SECTIO TERTIA.

Utrum Abbates ex privilegio quatuor Minores poſſint conferre? immo & majores Ordines.

CONCLUSIO PRIMA.

Abbatibus ex privilegio conceſſum eſt, ut ſui Monaſterii Monachis Tonſuram Clericalem, & minores Ordines poſſint conferre.

Probatur Canonum auctoritate.

I. CONCILIUM VII. generale can. 14. hujus privilegii meminit: " Lectoris au- ,, tem, *ait*, manus impoſitionem licen- ,, tia eſt in proprio Monaſterio ſolummo- ,, do unicuique Abbati faciendi, ſi ipſi ,, Abbati ad Epiſcopo manus eſt im- ,, poſita, dum conſtet illum eſſe Presby- ,, terum. ,,

II. *Concilium Pictavienſe* habitum an. 1109. tempore Paſchalis II. Papæ, cui Joannes, & Benedictus Cardinales præfuerunt, Tonſuræ Clericalis Abbatibus ſuis Monachis tribuendæ privilegium datum eſſe innuit, decernens ut: " Nullus ,, præter Epiſcopum coronas benedicere ,, præſumat, exceptis Abbatibus, qui il- ,, lis tantummodo coronas faciant, quos ,, in Regula B. Benedicti militaturos ſuſ- ,, ceperint. ,,

III. *Innocentius III.* Epiſtola decretali ad Archiepiſcopum Rotomagenſem, & legitur cap. *Cum contingat de ætate, & qualitate*, hanc & eis facultatem concedit his verbis: " Cum contingat inter- ,, dum quod Laici ad Monaſteria con- ,, volantes, a ſuis Abbatibus tonſurentur, ,, requiſiti an Clericatus Ordo in Tonſu- ,, ra hujuſmodi conferatur, ſuper hoc ti- ,, bi reſpondemus, quod cum in ſepti- ,, ma Synodo ſit ſtatutum ut Lectores per ,, primam Tonſuram juxta formam Ec- ,, cleſiæ datam, a talibus clericalis ordo ,, conferatur &c. ,, His poſitis ſic argumentari fas eſt. Quod jura concedunt, fieri citra poteſt: Sed jura Abbatibus concedunt quatuor Minores conferendi. Ergo &c.

Infères ſummum Pontificem poſſe cuicumque Presbytero facultatem impertire Tonſuram Clericalem adminiſtrandi, quippe quæ ſit ſolum præparatio ad ordines, benedictio quædam ſacramentalis, & non Sacramentum.

CONCLUSIO SECUNDA.

Simplices Sacerdotes nequeunt abſolute majores Ordines conferre.

PRIMO: Sic docent D. Thomas in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3. Paludanus art. 2. Richardus art. 1. q. 1. Sotus q. 1. art. 1. concl. 1. Durandus q. 1. art. 2. & alii omnes Theologi: Jamvero communis Doctorum conſenſus in re, quæ a Traditione pendet, maximi momenti cenſendus eſt. Ergo &c.

Secundo: Nedum Doctorum, ſed & totius Eccleſiæ mens eſt, jure divino Epiſcopis competere creationem Presbyterorum & Diaconorum; in quo ſummos Pontifices numquam diſpenſaſſe legitur: ſi autem hanc ſibi facultatem competere fuiſſent arbitrati, ea uſi fuiſſent, illo præſertim tempore, quum Epiſcopi ad necem quærerentur in odium fidei; vel etiam dum furente hæreſi, Regum edictis nominatim exularent, tum & prohiberentur Epiſcoporum Ordinationes, ut iis ſublatis, totus Clerus deficeret; hinc defectus Eccleſiæ in Anglia colligitur ex eo, quod nedum fidei, & doctrinæ, ſed & Præſulum veri ſucceſſores eatenus defecerint, quatenus eorum & Epiſcopi, & Presbyteri, a veris non fuerint conſecrati Epiſcopis; unde referente Sandero L. 3. de Schiſmate Anglicano tempore Eliſabethæ, deficientibus Epiſcopis, Laici Magiſtratus auctoritate creati ſunt altarium Miniſtri, ex quo patet omnium mentibus eſſe inſitum, Ordinationes majores ſpectare Epiſcopos.

Tertio: Hanc eſſe Chriſti intentionem ex eo conjicitur, quod cum præcipue per Presbyteratum detur poteſtas ſupernaturalis tanta, quanta nulla alia dari aut concipi poteſt, conſentaneum eſt ut hujus poteſtatis tradendæ auctoritas excellens ſit & ſupernaturalis, & ſic ſolis competat Epiſcopis. Quid plura? Presbyteri, & Diaconi ſunt de Eccleſiaſtica Hierarchia, populique Chriſtiani Patres: Igitur non niſi a magnis Sacerdotibus conſecrari debent.

Syno-

Synopſis eorum quæ in concluſionibus continentur.

Quandoque Abbatibus conceſſum eſt Minores, ſed non majores Ordines ſuis Monachis conferre.

PRIMUM enarrat Concilium 8. generale can. 14. Pictavienſe ann. 1109. adunatum. Innocentius III. Epiſt. ad Archiep. Rotomag. Ejuſdem privilegii meminit Concilium Pictavienſe ann. 1109. Tum Innocentius III. cap. *Cum contingat*.

Alterum non minus certum eſt. Ex Traditione enim conſtat Eccleſiam nuſquam diſpenſaſſe, ut ſimplex Sacerdos aut Presbyteratum, aut Diaconatum conferret, cum hujuſmodi Ordines Hierarchiam ſpectent. De Subdiaconatu aliquod emergit dubium; ſed D. Thomas in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3. nequidem ab alio, quam ab Eiſcopo eum dari poſſe contendit.

SECTIO TERTIA.

Num Ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, & Degradatis facta, licita ſint?

PROBAVIMUS in ſecunda parte hujuſmodi Ordinationes juxta probabilem ſententiam validas eſſe, nunc ad complementum eorum quæ ſpectant Miniſtrum in genere, ordo rerum poſtulat, ut hic diſcutiamus, num ſint licitæ, ita ut citra peccatum grave aliquis poſſit ab exauctorato ſacros ſuſcipere Ordines. Pro cujus reſolutione ſit.

CONCLUSIO.

Ordinationes ſacræ ab Hæreticis, Schiſmaticis, Symoniacis, & Degradatis factæ, prorſus illicitæ ſunt.

Pobatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod abjiciunt Summi Pontifices ut quid immundum & gratia vacuum, prorſus illicitum eſt: Atqui SS. PP. ſic habuerunt hujuſmodi Ordinationes. Igitur nequaquam ſunt licitæ. Probatur minor. Damaſus Papa Epiſt. 4. & refertur 9. quæſt. 1. cap. *Per illicitam*, ait: " Per illicitam manus impoſitionem „ vulnerari caput ſuſcipientis. „ Innocentius I. Epiſt. 22. idem verbis expreſſis dicit. Tum S. Leo Magnus Epiſt. 3. ad Januarium ſeu Julianum Aquilejenſem, aſſerit illum cum Hæreticis communicare, qui ab eis aliquam ſuſcipit ordinationem. Ergo &c.

Altera hæc ſic exponitur: Quod viri ſcientia & pietate illuſtres abhorruerunt, hoc dubio-procul ut illicitum habendum eſt: Atqui pii admodum & ſancti viri ſe ordinari ab Heterodoxis ut quid horrendum abjecerunt. Et probatur: Moſes Monachus & miraculis conſpicuus, referente Theodoreto L. 4. Hiſt. cap. 21. grande piaculum duxit ordinari a Lucio Ariano, & ab alio Præſule ſacros ordines ſuſcipere ſelegit. Ibidem cap. 14. Theodoretus ſcribit Antiochum noluiſſe manus ſibi imponi a Joviniano Epiſcopo Pergæ, quippe qui non nihil communioni Arianæ adhæſerat: aiebat enim: " Se „ nullo modo ferre poſſe dexteram illam „ ſibi imponi, quæ ſacra Myſteria per „ blaſphemiam conſecrata receperat. „

Tertia: Ex Apoſtolo Heb. 5. nullus ſibi Sacerdotis honorem aſſumere debet, niſi ſit a Deo tamquam Aaron vocatus: Sed Hæretici & Schiſmatici, nedum a Deo, ſed & ab ipſa Eccleſia, a qua ſunt veluti membra putrida divulſi & abſciſſi abjiciuntur: Ergo. Hæc ratio colligitur ex Epiſtola 22. Innocentii I. cap. 3. jam laudata, ubi de hujus ſurfuris hominibus ſic loquitur: " Dei ſunt uſurpatæ dignita„ tis, qui conficiendorum ſacramento„ rum ſibi vindicaverunt auctoritatem, „ quod de his nulla fuerat ratione con„ ceſſum. „

Quarta: Illa ordinatio illicita cenſetur, cujus exercitii actus interdicuntur: Atqui Eccleſia non ſemel prohibuit exercitium ordinum ab Hæreticis vel Schiſmaticis ordinatorum: Et probatur. Innocentius I. Epiſt. 22. eos qui a Bonoſo damnato ordines ſuſceperant, e gradibus ſuperioribus dejecit, tum puod ſuam peculiariter in Bonoſo vanitatme ſequendam eſſe duxerint, tum quod præſumerentur, ii qui in Catholica Eccleſia noverant ſe propter vitia ſuę non poſſe ſuſcipere ordinationem, idcirco ad illum perrexiſſe.

Quin-

Quinta: Ordinatio quæ univerſim abjecta fuit, immo & quandoque irrita declarata, ſemper ſaltem ut illicita ſpectanda eſt. Atqui res ſic ſe habet. Et probatur: Octava Synodus generalis nedum Photium Schiſmaticum vi intruſum, ſed & reliquos, ab eo ordinatos e gradu ſacerdotali dejecit. Urbanus II. in Concilio Placentino ordinationes a Guiberto Hereſiarcha, qui poſtquam a Gregorio VII. damnatus eſt, factas irritavit. Paſchalis II. in Concilio apud Guardiſtallum fatetur ordinatos a Schiſmaticis ſecundum Eccleſiaſticas leges debuiſſe a male ſuſcepto gradu deturbari, niſi Eccleſiæ indulgentia ſuccurrat. Innocentius III. de Ordinatione a Schiſmatico facta conſultus, ſic reſpondet: ": Priorem, quem a Schiſma-
,, tico aſſeris ordinatum, ab officio pote-
,, ris repellere incunctanter, niſi legiti-
,, me probaverit ſecum fuiſſe miſericor-
,, diter diſpenſatum, & ab ea perſona
,, quæ ſuper hoc poteſtatem habuerit diſ-
,, penſandi. ,, Sic legitur cap. *Fraternitati de Schiſmaticis, & ab eis ordinatis*.

Alteram hujus rei probationem adducimus ex Epiſt. 109. Stephani Tornacenſis Lucio II. SS. Pontifice pro quodam Clerico ab Epiſcopo Schiſmatico ordinato, in qua diſpenſationem efflagitat, ut ad majores gradus promoveri poſſit, habita ratione ejus tum ignorantiæ, tum ætatis infirmitate: " In puerili ætate, *ait*, ab
,, Herberto Biſuntino Schiſmatico gradum
,, Acolythi qualitercumque ſuſcepit, cum
,, prius a Catholico Clericus factus eſſet;
,, neſciens miſer quantum veneni peſtis
,, illa infunderet, quantum periculi ma-
,, nus illa leproſa ſibi vel ad præſens,
,, vel in poſterum importaret; aperiatur
,, ſuper eum, obſecro paternus apoſtoli-
,, cæ pietatis oculus, maternus Eccleſiæ
,, Romanæ ſinus expandatur, ut qui in
,, ſuſcipiendis Minoribus Ordinibus deliquit
,, ad majores valeat humiliter promoveri.,,
Igitur citra diſpenſationem tunc ordinati a Schiſmaticis, non poterant ad altiores evehi ordines.

Synopſis concluſionis & probationum.

Ordinationes factæ ab Hæreticis &c. ſunt illicitæ.

PRIMO: Patres hujuſmodi ordinationes ut gratia vacuas ſemper habuerunt. Sic eas habuit Damaſus Papa Epiſt. 4. Sic Leo Magnus Epiſt. 3.

Secundo: Viri pietate & ſanctitate fulgentes ab Hæreticis ordinari grande crimen duxerunt; ut ſcribit Theodoretus L. Hiſt. cap. 21. de Moſe Monacho.

Tertio: Ex Apoſtolo Heb. 5. nullus honorem Sacerdotii debet ſibi aſſumere, niſi a Deo tamquam Aaron vocatus ſit: ſed Hæretici, Schiſmatici, & alii hujus furfuris homines a Deo abjecti ſunt. Ergo &c.

Quarto: Tanto odio Eccleſia Hæreticorum & ordinationes inſectatur, ut earum impediat & executionem, & exercitium. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

De Suſcipientibus Ordines.

Difficultas eſt de ſexu, de ætate, & qualitate.

SECTIO PRIMA.

Num Mulieres ſint ſacrorum Ordinum capaces?

CERTUM eſt homines ad ſacros Ordines ab ipſo Chriſto fuiſſe deputatos & ordinatos, ut habetur Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Et Lucæ c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; vel ipſe D. Paulus hanc veritatem per hæc verba, quæ de Chriſto canit Eccleſia: *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*, de ſacra Ordinatione interpretatur ad Epheſios c. 4. his verbis: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Quibus autem hæc donata ſint, iſta indicant verba ibidem: *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Clarius eamdem veritatem docet Hebr. c. 5. his verbis: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat*

Digitized by Google

offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant. Ergo &c.

Apud Ethnicos mulieres aliquas Sacerdotio fuiſſe inſignitas, & ſacrificaſſe refert Tacitus L. de moribus Germanorum. Cæreri Eleuſinæ apud Græcos, bonæ Deæ apud Romanos mulieres ſacrificaſſe, omnibus notum eſt. Auctor Commentariorum in Epiſtolas D. Pauli, qui vulgo dicitur Ambroſius, hunc errorem tribuit Cataphrygibus; D. Auguſtinus L. de Hæreſibus cap. 27. ſcribit apud Pepuſianos, nedum mulieres fuiſſe Diaconiſſas, ſed & Sacerdotiſſas, & Epiſcopas. Montaniſtas creaſſe mulieres Sacerdotiſſas ſcribit Tertullianus L. de Præſcriptione cap. 4. Idem quoque Gnoſticos feciſſe tradit Irenæus Lib. 1. adverſus hæreſes cap. 9. de Collyridianis refert Epiphanius hæreſi 79. Mulieres apud ipſos uno die anni ſolemniori, ſacrificium B. Virgini Mariæ offerre ſolitas fuiſſe. Calviniſtæ ab hujuſmodi nævo non diſcedunt; eo enim ipſo quo non aliud ſacrificium præter myſticum agnoſcunt, mulieres inter Sacerdotes annumerare tenentur, quippe quæ hoc ſacrificium non ſecus ac homines Deo offerant. Contra quos omnes ſit

CONCLUSIO.

Ordinationis ſacræ Mulieres non ſunt capaces.

Probatur multis argumentis.

PRIMO, ex D. Paulo, qui 1. Cor. c. 14. ait: *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Rurſus 1. ad Timoth. c. 2. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde vero Heva.*

Secundo: Quod uſus a mundo condito confirmat, vim legis irrefragabilis habet: Sed uſus obtinuit ab ipſa mundi creatione, mulieres e Sacerdotio propellere. Et probatur: In lege naturæ Abel, Enoch, Noe, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob Deo obtulerunt ſacrificia, nuſquam vero mulieres. In lege ſcripta Sacerdotium erat penes Aaron, filios ejus, & nepotes. In novo Teſtamento Chriſtus, non Mariam tametſi omnibus creaturis etiam Angelicis gratia, virtute & dignitate præpollentem, ſed ſolos Apoſtolos, & Diſcipulos ad hoc munus obeundum ſelegit: ejus vero inſiſtentes veſtigiis Apoſtoli congregati ut aliquem, ſedem Judæ proditoris occupaturum, nominarent, non ex virginibus aut piis viduis, ſed ex viris duos, Joſephum ſcilicet & Mathiam, quorum unus Apoſtolatus dignitatem obtineret, propoſuerunt. Sic habetur Act. 1. *Oportet ergo*, inquiunt, *ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati omni tempore . . . Teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.* Tandem a primo ſæculo ad noſtra uſque tempora, eadem traditio Summorum Pontificum decretis, Conciliorum definitionibus, Patrum ſententiis munita perſeveravit. Ergo &c.

Tertio: Quod non niſi apud Heterodoxos fuit licitum, & hoc ab Eccleſia ſemper damnatum, ut quid profanum, illicitum, immo & prorſus invalidum habendum eſt: Atqui promotio mulierum ad ſacras ordinationes talis eſt: & probatur. 1. Montaniſtæ & nonnulli ipſis adhærentes ſpiritu erroris deluſi, quaſdam mulieres ad munus Sacerdotale obeundum evehere non erubuerunt: & hoc ipſum ſemper abhorruit Eccleſia, ut ſcribit Tertullianus L. de Præſcript. cap. 11. his verbis: "Ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere." Tum Lib. de Veland. virg. cap. 8 Quaſi imperando loquitur: "Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacramentalis officii ſortem ſibi vindicare." Varia Concilia idem prohibuerunt: inſtar omnium ſit Carthaginenſe IV. capite 99. dicens: "Nec mulier quamvis docta, & ſancta, coram viris in conventu docere, vel aliquos baptizare præſumat."

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Ad Galat. 3. hæc leguntur: *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſcu-*

Digitized by Google

maſculus , neque femina : omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu . Ex Apoſtolo in Chriſto non eſt maſculus , neque femina . Sed ubi nulla a Chriſto ratio ſexus habetur , jam non ſolus maſculus ad Sacerdotium ex inſtitutione Chriſti admittendus eſt . Igitur femina ab hoc munere non eſt excludenda .

Reſpondeo diſtinguendo : Et ibi Apoſtolus loquitur de divinæ legis obſervatione , juſtificationis gratia , adoptione in filios , aliiſque Dei beneficiis , quæ viris & mulieribus communia ſunt , concedo : de ſacra Ordinatione , nego . Id unum vult S. Paulus , ſcilicet omnibus patere aditum ad fidem recipiendam , legem Chriſti amplectendam , filiorum Dei adoptionem obtinendam , & æternam beatitudinem promerendam . Solutio patet ex ſerie contextus Apoſtolici ; Hæc enim poſtea ſubjungit verba : *Omnes enim Filii Dei eſtis per fidem , quæ eſt in Chriſto Jeſu &c.*

Inſtabis : Act. c. 2. Hæc Joelis verba referuntur : *Et erit in noviſſimis diebus , dicit Dominus , effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem , & prophetabunt filii veſtri , & filiæ veſtræ , & juvenes veſtri viſiones videbunt , & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt , & quidem ſuper ſervos meos , & ſuper ancillas meas , in diebus illis effundam de Spiritu meo , & prophetabunt* . Igitur ex privilegio legis Evangelicæ , mulieres Sacerdotii etiam munere fungi convenit . Si enim donis Spiritus ſancti , & gratis datis æque ac viri donantur , quidni & Sacerdotii dignitate perfruentur ?

Reſpondeo negando illationem . Et vero tametſi gratias gratis datas largiatur Deus mulieribus , non inde ſequitur , eas eſſe Sacerdotii capaces . Infirma quidem mundi non ſemel aſſumit Deus , ut fortia quæque confundat , ſed a Sacerdotio voluit illum ſexum excludere , qui ad ſubjectionem , & non ad imperium deſtinatus eſt : Solutio eſt Divi Thomæ in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. ad 1. his verbis : " Prophetia , ,, non eſt Sacramentum , ſed Dei donum , ,, ubi non exigitur ſignificatio , ſed ſolum ,, res : & quia ſecundum rem , in his ,, quæ ſunt animæ , mulier non differt a ,, viro , cum quandoque mulier invenia- ,, tur melior quantum ad animam multis ,, viris : ideo donum prophetiæ , & alia ,, hujuſmodi poteſt recipere , ſed non Or- ,, dinis Sacramentum .

Inſiſtes : In primis Eccleſiæ ſæculis , leguntur nomina Subdiaconarum , Diaconiſſarum , Presbyteratum , immo & Epiſcoparum . Diaconiſſarum ipſe D. Paulus non nihil meminiſſe viſus eſt , 1. ad Timoth. c. 3. Et vero poſtquam locutus eſt de conditionibus ad ordinandos Diaconos , & Presbyteros requiſitis , de Diaconiſſarum qualitatibus ſic fatur : *Mulieres ſimiliter , pudicas , non detrahentes , ſobrias , fideles in omnibus* . Tum c. 5. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum , quæ fuerit unius viri uxor , in operibus bonis teſtimonium habens , ſi filios educavit , ſi hoſpitio recepit , ſi Sanctorum pedes lavit , ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit , ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt* . Quæ quidem verba ponderanda ſunt . Namque tot & tantas dotes , & perfectiones , I. Non exigeret Apoſtolus , maxime ut eligatur vidua quæ ſit unius viri uxor , niſi ut , ad ſignificandum Eccleſiæ cum Chriſto ſpirituale conjugium idonea foret , ſicque ad Agni nuptias per ſacram Ordinationem admitteretur . II. Non ſemel in Hiſtoria Eccl. habetur ſanctas mulieres eadem prope munia obiiſſe , quæ vel ipſi Diaconi exercebant : Quod quidem ſatis indicat Gregorius Naz. Ep. 95. ad Nyſſenum , dum Theoſelejam Diaconiſſam ejus conjugem vocat : " Vere ſacram , & Sacer- ,, dotis conjugem , & honore parem , ma- ,, gniſque myſteriis dignam . ,, III. Tametſi Tertullianus ab Ordinatione quaſdam mulieres ſemoveat , non tamen eam , quæ ſit unius viri uxor : ſic loquitur L. 1. ad uxorem c. 7. " Quantum , *ait* , fidei ,, detrahant , quantum obſtrepant ſancti- ,, tati nuptiæ ſecundæ , diſciplina Eccle- ,, ſiæ , & Apoſtoli præſcriptio declarat , ,, cum bigamos non ſinit præſidere , aut ,, viduam adlegi in ordinationem , niſi ,, univiram , non concedit . ,,

Confirmatur : Sæpius ſit mentio de Diaconiſſis , & earum ordinatione . Nicænum I. can. 19. jubet Paulianiſtas reordinandos eſſe : " Similiter , *ait* , autem & de Dia- ,, coniſſis , & univerſe de iis , qui in Cle- ,, ro recenſentur , eadem forma ſervabi- ,, tur . ,, Chalcedonenſe can. 15. dicit : " Diaconiſſam non ordinandam ante an- ,, num quadrageſimum ; ſi vero ſuſci- ,, piens manus impoſitionem , & ali- ,, quantum temporis in Monaſterio perma- ,, nens ſemetipſam tradat nuptiis , gratiam ,, Dei

Digitized by Google

" Dei contumeliam faciens, anathematizetur. „ Turonenſe 2. meminit Epiſcopiſſarum, Presbyterarum, & Diaconiſſarum. Ipſe Gregorius Magnus Epiſt. 7. L. 7. indic. 2. commemorat veſtes ſpeciales quibus Presbyteræ induebantur: Eo quippe loci reprehendit Graviniam Abbatiſſam, quod retenta veſte Presbyteræ, veſte Monachica indui noluerit, quæ quidem & ſimilia Ordinationem ſacram pro mulieribus ſpirant. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Hæc omnia ſolum probare quaſdam devotas feminas ab Eccleſia ſelectas fuiſſe, ut quibuſdem officiis circa puellas, vel etiam adultas, & in fide primum inſtituendas, deinde baptizandas, vacarent. Hinc per quamdam manus impoſitionem ſeu potius benedictionem eas ad hoc miniſterium deputabat.

Reſpondeo 2. ad primum quidem, Apoſtolum loqui de quibuſdam piis viduis, quas Eccleſia ex ſtatuto ſcripto, ſuis facultatibus præ ceteris propter notam ſibi & multis argumentis probatam virtutem, prævia ſelectione alebat. Solutio eſt divi Hieronymi Epiſt. 9. ad Salvinam his verbis: " Nec te moveat quod ſexagenaria eligatur vidua, & putes adoleſcentulas ab Apoſtolo reprobari, & te crede eligi ab eo qui Diſcipulo dixerat, Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, non continentiam, ſed ætatem; alioquin omnes quæ ante ſexaginta annos viduatæ ſunt, hac lege accipient maritos, ſed quia rudem Chriſti inſtituebat Eccleſiam, & omni ordini providebat, præcipueque pauperibus, quarum ei cura cum Barnaba fuerat demandata; illas vult Eccleſiæ opibus ſuſtentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ vere viduæ ſunt, quas & ætas probat, & vita. „ Ita ſimiliter Chryſoſtomus Homil. 15. in Epiſt. 1. ad Timoth. S. Ambroſius in hæc verba: *Si quis fidelis* c. 5. Concilium Carthaginenſe 4. can. 103. Ideo autem Apoſtolus in numero viduarum verarum, juniores non vult recipi, dicendo: *Adoleſcentiores autem viduas devita*, ſeu ut habet Cyprianus L. 3. ad Quirinum c. 74. *Præteri*, vel ut alii interpretantur, *Cave ne ad miniſterium Eccleſiæ admittas*; quia inquit D. Thomas Lect. 2. in caput 1. ad Timot. citatum, *Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto*, *nubere volunt*, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Ideo igitur viduas juniores non vult eſſe admittendas, ne fidem quam voverant, violarent; Bigamæ autem ad eleemoſynas Eccleſiæ non admittebantur, nam ex D. Hieronymo, Epiſt. 11. ad Gerontiam; " Indigna putatur .... quæ ad ſecunda conjugia devoluta eſt. „ Ea potiſſimum ratione, quod unionem Chriſti cum Eccleſia, ulterius ſignificare, ſeu repræſentare non valeant.

Ad ſecundum diſtinguo: Quædam erant munia Diaconiſſarum, quæ competebant Diaconis, Olli›riis, Lectoribus, concedo: præcipua & ſacra, nego. Diaconiſſarum id muneris erat, 1. Mulieres ad Eccleſiam conducere. 2. eas fide imbuere: 3. monita ſalutis dare, 4. tingendas per immerſionem, honeſte denudare: 5. ſacrarum veſtium curam habere: ſed nihil ultra.

Ad tertium, diſtinguo: Tertullianus mulierem univiram non excludit a Clero & Ordinatione late ſumpta, & pro quibuſdam muniis vel aliis etiam Laicis communibus, ſed ex officio obeundis, concedo: ab ordinatione ſacra, nego. Etſi quid ultra dixerit, jam Montaniſta abjiciendus evaſerat.

Ad confirmationem ſimiliter, diſtinguo: Diaconiſſarum promotio quandoque dicitur ordinatio, lato modo accepta, concedo: ſtricte uſurpata, nego. Eatenus ſolum dicitur ordinatio, quatenus non ſine ritu ad munia laudata deputabantur; nam Concilium Aurelianenſe 2. cap. 16. nomine benedictionis hanc deſignationem celebrat. Arauſicanum 1. can. 26. Diaconiſſas ordinari vetat; nec aliud præter benedictionem eis tribuit.

Ad ulteriorem probationem diſtinguo: Quædam mulieres a Patribus vocantur Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconæ &c. a viris ſuis qui ad hos Ordines fuerant promoti, concedo: ab Ordine, vel Miniſterio, nego. In iſto prorſus ſenſu intelligenda ſunt quæ leguntur in Conciliis pro objectionibus citatis. Turonica quidem Synodus poſtquam Epiſcopo cap. 12. conjugem ut ſororem habere præcipit, mox ſequenti canone Epiſcopam vocat, quæ Epiſcopo per matrimonium alligata eſt: " Epiſcopum, *inquit*, Epiſcopam non habentem, nulla ſequetur turba mulierum. „ Antiſſiodorenſe

renſa c. 20. ſic ſtatuit: " Non licet Pre„ sbytero poſt acceptam benedictionem in „ uno lecto cum Presbytera ſua dormire, „ ne in peccato mortali miſceantur, nec „ Diacono, aut Subdiacono. „ Concilium quoque Romanum duobus canonibus, Presbyteræ, & Diaconæ in eo ſenſu explicationem confirmat: *Si quis*, ait, *Presbyteram duxerit in conjugium, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit*. Illis autem cælibatus injungebatur, ut conſtat ex Concilio Aurelianenſi primo c. 13. & aliis jam laudatis; debebant igitur uxores Epiſcoporum, Presbyterorum &c. caſtitatem vovere antequam earum ſponſi ſacris Ordinibus initiarentur, adeoque vel Monachorum cœtui aggregari, vel in Diaconiſſarum ordinem adlegi, Demum apud D. Epiphanium hæreſi 79. dicuntur πρεσβύτιδας, quod nomen eſt ætatis, ſed non dignitatis, ſicque denotat eas quæ jam ſenilem ætatem, & auctoritatem attigerant.

Perſiſtes: Moniales, & Aſiaticæ feminæ minorum ordinum functiones palam, ac publice in Eccleſia obeunt: lectiones enim Eccleſiaſticas legunt, Pſalmos decantant, item, vel noſtris temporibus eſt Canonicarum ordo, illiſque eadem, quæ canonicis viris, munia tribuuntur. Quid plura adjiciam? D. Gregorius L. 7. Epiſt. 7. ſolemni ritu Abbatiſſam ab Epiſcopo ordinatam dicit. Eccleſia tandem Abbatiſſas finit ſpirituali etiam in viros poteſtate præditas eſſe, ut de Abbatiſſa Fontis Ebraldi refertur; quidni igitur Ordinationis capaces dicentur, quæ ſpiritualem in viros exercent juriſdictionem.

Reſpondeo negando conſequentiam propter multa, primo quidem: cum Monachorum benedictio non ſit ordinatio, multo minus Monialium. Secundo, Sacerdotalis Ordo principatum quemdam importat ſacrum, qui mulieribus, quas natura viris ſubjecit, nequit competere; cantandi vero officium nullam infert dominationem, cujus mulieres ſunt incapaces; unde dum publice cantant Moniales Liturgias, non in hoc miniſtrant, quandoquidem quantumcumque ipſæ canant, Miniſtro ſemper opus eſt, qui ad altare Sacerdoti celebranti ex Eccleſiæ inſtituto ſubminiſtret; cum igitur Apoſtolus, mulieribus, ut in Eccleſia taceant, imperet, edocendi munere eas privat, ſed non a cantando ſeorſim laudes divinas propellit; Canonicæ autem mulieres Canonicorum virorum ſtatum atque dignitatem non attingunt; nec etenim offerunt Hoſtias pro peccatis, nec ad Epiſcopi Concilium adunantur, ſed ſolum in virtutum ſchola exercentur, pietatem diſcunt, immo nec proprie beneficii Eccleſiaſtici ſunt capaces; earum enim bona potius ſunt præſtimonia, ſeu penſiones alimentariæ quam beneficia; tametſi vel ipſas penſiones reſignandi, quandoque concedatur eis facultas.

Quod ſpectat ad Abbatiſſas, imperium earum ſupra Moniales potius eſt œconomicum quam ſpirituale; & hoc patet ex eo quod primo Monialibus ſuis victum, & veſtitum teneantur ſubminiſtrare. 2. Non ſervatis ſervandis, Moniales Ordinarii poſſunt corrigere. 3. Inſtructioni privatæ, domeſticæ inſtitutioni, & alimoniæ ſuarum præſunt. Acceſſerunt quidem huic domeſtico imperio, & œconomico quædam privilegia; ut ſcilicet Abbatiſſæ ad Eccleſiam quoſdam præſentent, Presbyteros ſibi deligant, ab Epiſcopi poteſtate quandoque ſint exemptæ. Verum ſi qua poteſtate ſpirituali donentur, eſt dumtaxat ratione finis, & objecti; cœtus quippe earum habet pro fine æternam beatitudinem, & vitæ ſpiritualis perfectionem, ad quod regula cui ſe ſe aſtringunt, plurimum conducit, in qua tamen obſervanda directricem habent Abbatiſſam, quæ totius cœtus ſpirituali iſto vinculo in ſpiritualem finem conſpirantis ac coordinati, caput eſt; quo fit ut tamquam ſimoniaca reputetur ad hanc dignitatem per pecunias injuſta obreptio. Ceterum ratione modi exercendi, Abbatiſſę ſpiritualem non habent poteſtatem, eaque carent ad res ſpirituales, & ad pœnas ſpirituales infligendas: Quamvis igitur in Eccleſia Dei aliquam obtineant poteſtatem, non tamen ad Eccleſiæ regimen aſſumuntur, nec claves ſpirituales ad claudendum, aut aperiendum habent. Si igitur in moniales ſuas cenſura aliqua animadvertere non valent, a fortiori, divinæ legi repugnat, ut in Clericos auctoritatem hujuſmodi exerceant, vel eos arguant, increpent, admoneantque; unde Concilium Carthaginenſe 4. c. 98. ſic habet: *Mulier quamvis docta, & ſancta viros in conventu docere non præſumat*. Eſto

quod

quod Abbatiſſæ Monaſterii Ebraldi imperium in Monachos exerceant, ſed mere œconomicum eſt, ſicut eſt matris in filios auctoritas, & hoc ad imitationem poteſtatis quam exercuit Deipara reſpectu D. Joannis Evangeliſtæ, idque ad Monachorum humilitatem probandam. Quod ſi decurſu temporum aliquid amplius hujuſmodi Abbatiſſæ ſibi arrogaverint, legitima non eſt hæc poteſtas; hinc ſi quod eſt privilegium a ſummis Pontificibus conceſſum, vel dubium eſt, vel ſaltem ſubreptitium.

SYNOPSIS SECTIONIS.

Mulieres non ſunt Ordinis ſuſcipiendi capaces.

PRIMO: In Scripturis, ubi agitur de Ordinationibus, non niſi de hominibus ſermo habetur, ut Luc. 22. Joan. 20. & Heb. 5.

Secundo: Apoſtolus 1. Cor. 14. vult ut mulieres in Eccleſia taceant. Nec niſi apud Hæreticos contrarium factum eſt, quod Eccleſia ſemper reprobavit.

Tertio: Concinunt Concilia, uſus & poſſeſſio Eccleſiæ.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non diffitemur non eſſe apud Deum acceptionem quantum ad gratiam, & remunerationem; bene vero quantum ad Ordinationem, a qua propelluntur mulieres.

Secundo: Diaconiſſæ dicuntur habuiſſe impoſitionem manuum, ſed intelligas velim, cæremonialem, & ad quædam munia deputativam, ſed non ſacramentalem.

Tertio: Ne miremini ſi ſermo nonnumquam habeatur in conciliis de Epiſcopiſſis, & Presbyteriſſis: ſed his nominibus intelliguntur uxores quas Epiſcopi & Presbyteri ſuam ante Ordinationem habuerunt, nuſquam vero de mulieribus, ſacris Ordinibus initiatis.

SECTIO SECUNDA.

Quinam inter maſculos Ordinationem poſſint ſuſcipere?

Ex Sacris Scripturis liquet homines ſolos ad Sacerdotium aſſumi poſſe: ſed difficultas eſt, num quilibet indiſcriminatim poſſint ordinari? Quaſdam ad hoc Eccleſia exigit conditiones, quaſdam & dotes. Inter conditiones ætas competens requiritur, pro dotibus vero, ſcientia & probitas. His deficientibus, Ordinationem non eſſe licitam conveniunt Theologi: num vero ſit valida? Controvertitur. Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Secundum multos valida eſſet Ordinatio, quæ pueris, vel etiam amentibus lucida intervalla habentibus, conferretur.

PROBATUR *prima pars de pueris*: Illi ſacros poſſunt valide ſuſcipere Ordines, qui poſſunt Sacramenta: primo, quæ imprimunt characterem: Secundo, quæ magnæ inducunt obligationis pondus: Tertio, quæ etiam magnam exigunt ſanctitatem: Atqui pueri iſtorum Sacramentorum ſunt capaces: & probatur. Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Atqui Eccleſia non ſemel hujuſmodi Sacramenta dedit, videlicet Baptiſmum, & Confirmationem, quæ characterem imprimunt, & quibus homo tenetur jugum Chriſti portare, immo & fidem ad ſanguinis uſque effuſionem defendere: tum & eiſdem ſepius conceſſit Euchariſtiam, quæ ſummam in ſuſcipientibus exigit ſanctitatem; illa quippe tria, quondam non ſeparabat. Pari igitur & conſimili ratione infantes valide poſſent ſuſcipere Ordines.

Confirmatur: Quidam Bononienſis Epiſcopus ante diſcretionis annos inferioribus Ordinibus fuit initiatus, tum prætermiſſo Diaconatu, Presbyter conſecratus eſt; conſultus ſuper hoc Innocentius III. quod omiſſum fuerat, ſuppleri ſatis habuit. Ergo &c.

His rationibus iſta poteſt adjungi. Quædam Sacramenta ſuum producunt effectum, modo propriæ voluntatis non inveniant obicem, ea maxime quæ characterem imprimunt.

primunt. Sed pueri baptizati & ſancti ſunt, & obicem nullum Ordini apponunt: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars, quæ de amentibus procedit. Sanctus Thomas 3. p. 4. 68. art. 12. docet eos poſſe baptizari, ſi ante furiam, vel ipſa deſinente, ſacrum poſtulaverint lavacrum: Sed eadem eſt ratio pro ordinatione: & eædem allatæ pro infantibus rationes, pro eis utique militant. Ergo &c.

Confirmatur: Ad Ordines ſacros ſuſcipiendos ſufficit intentio recta, ſubjectum aptum, quod materia & forma adhibeantur: Sed in amentium Ordinatione hæc omnia abſque negotio reperiri poſſunt: Namque furioſi: I. Sunt homines: II. Poſſunt affulgentibus rationis intervallis ſacros Ordines petere. III, Epiſcopus, ſervatis ſervandis, poteſt eis conſerre Ordines. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Hæretici, ſchiſmatici, ſimoniaci & ſcelerati ſunt Ordinis capaces.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Facta cæremonia Sacramentali, tunc exiſtit ſacramentum, ut propugnant omnes Theologi cum Concilio Florentino dicente, Sacramenta tribus conſici, rebus tamquam materia; verbis, tamquam forma, & perſona Miniſtri habente intentionem faciendi quod facit Eccleſia: Sed hæc omnia poſſunt malis hominibus adhiberi. Ergo &c.

Altera: Sacramentum non pendet a malitia, aut Miniſtri, aut ſuſcipientis, ut oſtenſum eſt in tractatu de Sacramentis in genere: nec uſquam Patres Sacramenta cum obice ſuſcepto irrita habuere, ſed ſolum vacua. Ergo &c.

Tertia: Concilium Conſtantienſe hunc Wicleſi damnavit errorem. *Soli prædeſtinati ſunt Sacramentorum capaces*. Igitur nedum ſancti, ſed & perverſi homines poſſunt ſacros ſuſcipere Ordines.

Quarta: Si malorum Ordinationes forent irritæ, eas in pœnitentibus reiterari juſſiſſet Eccleſia: Atqui non irritas, ſed ratas habuit. Et probatur. I. Ex Concilio I. Nicæno, quod can. 8. Novatianorum Epiſcopos cum ſola manuum impoſitione, abſque ulteriori Ordinatione recipi ſtatuit, nec abſimili modo ſeptima Synodus generalis act. 1. Octava ſub Joanne IX. Act. 2. Florentinum hæreticorum & ſchiſmaticorum Ordinationes validas cenſuere.

Quinta: Illud ut quid validum habendum eſt, quod a judicio comparativo, uti tale definitum eſt. Atqui res ſic ſe habet. Et probatur ex hiſtoria Eccleſiaſtica. Donatiſtæ Cæcilianum a Sede Carthaginenſi deturbare volentes, eo fucato innixi principio, quod ejus ordinationem irritam eſſe propugnarent, quippe quæ facta fuiſſet a Felice Aptungitano, quem atrocis criminis pro traditione librorum ſacrorum reum eſſe conclamarent, a Concilio tamen Carthaginenſi, tum Romano ſub S. Melchiade, ac demum Arelatenſi primo, contra eos validam propugnantibus, repulſi ſunt: contendebant enim Synodici Patres malitiam ſive falſam, ſive veram tum Miniſtri, tum ſuſcipientis non impedire Ordinationis effectum; quorum decretis acceſſit Conſtantini Magni edictum, quo Cæcilianum in propriam ſedem reſtitui ſategit. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem.

Objicies: Ordinatio ſolis competit adultis. Igitur infantes non ſunt Ordinationis capaces. Probatur antecedens. I. Inducit obligationem ſervandi cœlibatum. II. Ordines pondus obligationum annexum habent, puta curam animarum habere incumbit Parocho, Epiſcopo vero ſecernere lupos ab ovibus, & pro iſtis animam ponere. III. Conciliis adeſſe, & fidem omnibus modis uſque ad internecionem defendere. Quæ quidem omnia niſi prius prævifa & acceptata, eatenus impediunt ordinationem, quatenus eos ſuſcipiendi excludunt voluntatem.

Reſpondeo, negando Antecedens. Ad omnes probationes, diſtinguo: Et infans ſacris Ordinibus initiatus poteſt laudata munia ſubire, concedo; & non eſt capax, nego. Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Præſules & ceteri optimæ notæ Prælati qui mira pro ſancta Dei Eccleſia faciunt, priuſquam adulti ſint, infantes fuere, qui ſi non fuiſſent ab ipſa vagiente ætate Miniſterii capaces, eo non tam digne fun-

ſungerentur officio. Igitur, & ceteri adhuc vagientes, non quidem Ordinis functionum pro tunc, ſed ipſius Ordinationis ſunt capaces.

Inſtabis: Ad ordinationem ſuſcipiendam, non quæcumque intentio ſufficit, ſed actualis requiritur propter obligationes laudatas quas inducit: Sed infantes, utpote uſum rationis nondum habentes, non ſunt intentionis actualis capaces: Igitur nec Ordinationis.

Reſpondeo diſtinguendo Majorem: Requiritur intentio actualis fundamentalis, concedo: Formalis abſolute, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Iſta a voluntate propria, duce ratione, profluit: illa vero mediante Eccleſia, quæ quidem, Ordines pueris conferendo habet intentionem, ut fiant actu Clerici, quæ intentio eſt fundamentum intentionis actualis infantium, qui ut primum adoleverint, ſcientes ſe tali, vel tali Ordine inauguratos, obligationibus per Sacramentum inductis debent ſatisfacere. Sic Baptiſmus magnam proreligionis lege obſervanda inducit obligationem, & tamen nemo dixerit infantes non eſſe baptizandos: quidni, & valide ordinarentur?

Inſiſtes: Pueri non ſunt matrimonii capaces: Igitur nec Ordinationis.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis duplex aſſignatur. Prima, nondum ſunt generandi capaces, quod tamen eſt matrimonii finis. Altera: matrimonium formaliter eſt contractus & pactio mutua per conſenſum de præſenti expreſſum, quod utique infantes non valent exhibere.

Dices: Furioſi ſunt irregulares: Igitur non poſſunt ſuſcipere Ordines.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Non poſſunt licite concedo: valide, nego. Ceterum Eccleſia poteſt in irregularitate diſpenſare.

Solvuntur objectiones contra ſecundam Concluſionem.

Objicitur 1. Auctor conſtitutionum Apoſtolicarum L. 8. c. 2. ſic loquitur: " Epiſcopus ignorantia, aut malo animo „ oppletus, Epiſcopus eſt, ſed falſus „ Epiſcopus, non a Deo, ſed ab homi- „ nibus promotus. „ Clarius D. Dionyſius Epiſt. ad Demophilum octava pag. 295. his verbis: " Quod ſi Sacerdotum „ Ordo illuſtrandi vim habet: profecto „ penitus abhorret a Sacerdotum Ordine „ atque facultate is, qui illuſtrandi vi non „ eſt præditus: non-ne profecto, potius omni privatus fidei lumine, & temerarius mihi videtur talis qui ſibi ſumit „ quæ ſunt propria Sacerdotum, neque „ metu & pudore a divinorum tractatio- „ ne præter captum, ac meritum deterre- „ tur, putatque Deum ignorare, quæ ipſe „ ſibi eſt conſcius, & ſperat ſe decepturum „ eum, qui a ſe falſo nomine appellatur „ Pater, audetque ſceleſtas ſuas, ut ita di- „ cam, maledictiones.. Non eſt iſte Sacer- „ dos, non eſt; ſed inimicus, fallax, irri- „ ſor ſui, Lupuſque in gregem Domini ovi- „ na pelle armatus. „ Ibi ex Dionyſio Sacerdotes, qui nec exemplo, nec doctrina aliis prælucent, qui divina gratia illuſtrati non ſunt, veri Sacerdotes non ſunt, ſed ſpurii, & fallaces; eos temerarios vocat, ſi Sacerdotalia munia attrectare præſumant, eorum preces, ut maledictiones habet: Ergo &c.

Reſpondeo ad primum auctorem, illum fuſo calamo oſtendere gratias gratis datas quandoque, vel ipſis reprobis concedi, & in probationem affert exempla, tum Balaam, tum Caiphæ, qui tametſi peſſimi homines, attamen prophetaverunt. Igitur propoſitionem ſic diſtinguere juvat: Talis non eſt Epiſcopus, merito & quantum ad reverentiam nominis, concedo: Quoad rei, veritatem, nego. Sicut enim Tyrannus regem appellari non meretur, ita nec Præſul intus lupus rapax, vocari Epiſcopum.

Ad ſecundum eadem eſt reſponſio; unde ſic pariter diſtinguo: Vir nequam non dicendus eſt Sacerdos, quatenus Chriſto, & Eccleſiæ pravis moribus dedecus eſt, & petra ſcandali, concedo: non eſt in re & vere, nego. Aaron quum obtulit vitulum conflatilem, a Sacerdotii munere deficiebat, manſit tamen ſemper Sacerdos; Pari & conſimili ratione malus Miniſter; quandoquidem character Sacerdotalis indelebilis eſt. Sicut igitur auctor Conſt. ſic & Dionyſius unum ſolummodo volunt, videlicet peſſimum Sacerdotem iſtius venerabilis nominis indignum eſſe.

Inſiſtes: S. Cyprianus Epiſt. 68. ab eo ſcripta cum Collegis *ad clerum & plebes in*

In Hiſpania conſiſtentes, *de Baſilide*, & *Martiale*; docet quam accurate & religioſe eniti oporteat, in Ordinationibus Sacerdotum, ut non niſi immaculati & integri eligantur. Sic enim loquitur: " Solicite ac religioſe conſiderantes in Or„ dinationibus Sacerdotum non niſi im„ maculatos & integros Antiſtites elige„ re debemus, qui ſancte & digne ſacrifi„ cia Deo offerentes, audiri in precibus „ poſſint quas faciunt pro plebis Domini„ cæ incolumitate: cum ſcriptum ſit: „ Deus peccatorem non audit. „ Rurſus ibid. Ex Oſee cap. 9. ſic proſequitur: " Sacrificia eorum tanquam panis luctus, „ qui manducant ea, contaminabuntur. „ Denique ipſos Chore, Dathan & Abiron comparat; quæ quidem omnia probant Cyprianum non exiſtimaſſe iniquum Sacerdotem vera ſacrificia conficere. Etenim Chore, Dathan & Abiron Ordinis ſacerdotalis irriſores, ut ibid. ſcribit Cyprianus: " Contra Aaron Sacerdotem ſa„ crificandi ſibi licentiam vindicaverunt. „ Rurſus Epiſtola 52. ad Antonianum de Novatiano ſchiſmatico loquens, eum quantumvis legitime electum, negat tamen verum fuiſſe Epiſcopum: " Epiſco„ patum autem, *ait*, tenere non poſſet, „ etiamſi Epiſcopus prius factus, a Cor„ epiſcoporum ſuorum corpore, & ab „ Ecclefiæ unitate deſciſceret .... Qui „ ergo nec unitatem Spiritus, nec conjun„ ctionem pacis obſervat, & ſe ab Eccle„ ſiæ vinculo, atque a Sacerdotum colle„ gio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem „ poteſt habere, nec honorem, qui Epi„ ſcopatus, nec unitatem voluit tenere, „ nec pacem: „ His verbis manifeſte indicat Cyprianus ſaltem ſchiſmaticos non eſſe veros Sacerdotes, & ab eis nedum ſacerdotalem dignitatem, ſed & poteſtatem auferri.

Reſpondeo 1. Cyprianum in eo fuiſſe errore quod Baptiſmum ab hæreticis collatum, nullum, & conſequenter Ordines ab eis collatos invalidos eſſe duxerit: verum quod ſpectat ad improbos, nuſquam putavit eos eſſe Ordinationis incapaces: id unum igitur intendit, ſcilicet viros probos pro Antiſtibus eſſe eligendos, & in hoc nulla eſt erroris ſuſpicio. Hinc cum pronunciavit impiorum ſacrificia eſſe polluta, relative ad eos ea conſideravit; ſic enim eis plus nocent, quam proficiunt; ſed non ſpectavit quatenus ſunt a Chriſto inſtitutore, cujus gratia ita ſancta ſunt, ut non maculentur nequitia, aut Miniſtri, aut ſuſcipientis: Ceterum, quando malos Miniſtros cum Dathan, Core & Abiron aſſimilat, eorum ſolum arguit proterviam, & in muniis obeundis ſacrilegia.

Urgebis: Auctor quæſtionum 65. quæ reperiuntur apud D. Auguſtiuum Tom. 4. operum ejus, quæſtione ultima aſſignat quis ſit verus Epiſcopus his verbis: " Illum cognoſce miſſum a Deo, „ quem non paucorum hominum laudatio, „ vel potius adulatio eligit, ſed illum quem „ & vita, & mores optimi exornant, & „ Apoſtolicorum actio commendat Sacerdo„ tum: vel etiam univerſorum populorum „ judicio comprobatum: qui non appetit præ„ eſſe, qui nec pecuniam dat ut Epiſco„ patus honorem acquirat. Nam de eo „ qui præeſſe feſtinat, quidam Patrum „ eleganter expreſſit dicens, ſciat ſe non „ eſſe Epiſcopum, qui præeſſe cupit, non „ prodeſſe. „ Inde ſequitur ab hominibus Ordinatos, quorum mores muneri non congruunt, a Deo minime conſtitui, & eſſe conſecratos.

Confirmatur: Gelaſius Papa in ſua ad Elpidium Epiſtola, & refertur 1. q. can. 1. *Sacroſancta*; ſic ait: " Sacroſancta re„ ligio quæ Catholicam continet diſcipli„ nam, tantam ſibi reverentiam vindicat, „ ut ad eam quilibet niſi pura conſcientia „ non ſtudeat pervenire: Nam quomodo „ ad divini Myſterii conſecrationem cæle„ ſtis Spiritus invocatus adveniet, ſi Sa„ cerdos, & qui eum adeſſe deprecatur, „ criminoſis plenus actionibus reprobe„ tur. „ Idem videtur docere Leo I. Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem, dum ait: " Cum ſæpe queſtio de male accepto hono„ re naſcatur, quis ambigat nequaquam „ iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur „ fuiſſe collatum? „ Ex Gelaſio Spiritus ſanctus non advenit impio quum conſecratur. Igitur nihil recipit, & hoc ipſum dicit Leo Magnus, aſſerens nibil ei fuiſſe collatum.

Reſpondeo ad primum, ibi illud unum intendere iſtum auctorem, videlicet Deum improbitati ſuſcipientis denegare aſſenſum, non vero concurſum ſpecialem, quem Sacramentis a ſe inſtitutis alligavit; ſicut ergo vere Reges erant, de quibus ajebat

E 2 Domi-

Dominus per Oſeam c. 8. " *Ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi*; ita pariter vere ſunt Sacerdotes illi mali, qui a Deo licet non vocati, impoſitionem tamen manuum ab Epiſcopis recepere. Quia vero ſunt ſacræ Ordinationis prorſus indigni, a ſolis hominibus, & non a Spiritu ſancto dicuntur electi.

Ad Gelaſium diſtinguo: E ſummus ille Pontifex eo loci loquitur de diſpoſitionibus, ad gratiam Ordinis prærequiſitis recipiendam, concedo: & vult malos, non ordinari, nego. Ex ipſis Epiſtolæ terminis liquet, Gelaſium contendere ſolum improbos defectu pietatis Spiritum ſanctum in Ordinatione non recipere.

Ad S. Leonem ſimiliter diſtinguo; Improbis nihil honoris fuit in ordinatione collatum, concedo: nam propter depravatos mores vult executione ordinum privari. Nihil Ordinis, & characteris, nego.

Inſiſtes: D. Chryſoſtomus Homil. 2. in Epiſt. ad Timotheum 2. pag. 355. ſic habet: " Quid ergo? Deus omnes ordinat, „ etiam indignos? Non omnes quidem „ ille ordinat, per omnes tamen ipſe „ operatur, ſalutem populi moliens, non „ illorum intuens merita? „ Clarius adhuc contrarium aſſertioni noſtræ docet auctor operis imperfecti in Matth. apud D. Chryſoſt. Hom. 53. in cap. 25. Matth. pag. 240. ubi ſic ait: " Ab exitu ergo „ rei cognoſcitur, quia a Deo Ordinatus „ eſt, & qui ab hominibus. Qui enim „ Miniſterium ſuum bene conſummave„ rit, apparet, quia ex Deo fuerat Ordi„ natus: qui autem Miniſterium ſuum non „ bene conſummaverit ex hominibus Or„ dinatus eſt... Quantum ad Deum non „ eſt Diaconus, aut Sacerdos. Ergo in Sa„ cerdotibus quidem, & Diaconis non eſt „ inventus, ut perdat talenta, qui ſecun„ dum præſcientiam ordinatur a Deo. „ In popularibus autem evenit, quomo„ do etiam qui peccator futurus eſt a Deo „ accepit fidei gratiam. Secundum hæc er„ go quæ diximus, ſi Presbyter, aut Dia„ conus peccator inventus fuerit: quoniam „ quantum ad præſcientiam Dei; ſicut „ jam diximus, non ex Deo, ſed ex ho„ minibus factus videtur Presbyter, aut „ Diaconus, quaſi Laicus invenitur inter „ eos qui unum talentum fidei accepe„ runt. „ Ibi claret hunc auctorem in ea eſſe mente, ſcilicet Sacerdotes & Diaconos eſſe non poſſe, niſi quos bene uſuros hiſce Miniſteriis, Deus præviderit.

Reſpondeo ad D. Chryſoſtomum diſtinguendo: Indignos pronunciat non fuiſſe Ordinatos, eo quod in hoc Miniſterio Deo placeant, nec divino oraculo ad illud evehantur, vel in eo comprobentur, concedo: & cenſet eorum ordinationem non eſſe validam, nego. Rurſus diſtinguo: Deus facinoroſos homines in Ordine ſacerdotali non reponit, ſi ſpectetur pro ut eſt ordo perfectionis, concedo. Si conſideratur in ratione Miniſterii, & poteſtatis, nego. Ii igitur talibus non emicant virtutibus qualibus effulgere deberent; attamen charactere ſacerdotali donantur: porro ibidem aſſerit S. Doctor illos Sacerdotes etiam malos colendos eſſe, ſtipendiis donandos, audiendos ex profeſſo, ad quod comprobandum adducit illud Matthæi 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*: Addit, ſpem noſtram, immo & ſalutem periclitari, noſtræ religionis Sacramenta evacuari, niſi per improbos, ſicut & per probos Deus ſalutem populi operetur; unde ſequitur, ſanctum Chryſoſtomum in eis agnoſcere characterem Sacerdotalem.

Ad ſecundum, reſpondeo diſtinguendo: Et ibi ille auctor id unum intendit, videlicet Deum ordinationem eorum qui ea male ſunt uſuri, permittere, vel propter utilitatem aliorum, quorum ſaluti Sacramenta ſubminiſtrando incumbunt, vel in pœnam aliorum, quorum peccata caſtigat, malos eis præficiendo rectores, concedo; & in dubium revocat eorum ordinationem, nego. Eo igitur ſenſu Clerici improbi dicuntur carere gratia, & talento Clericatus, quatenus fructum ex ſuis Miniſteriis non colligunt: quod hæc ſit mens auctoris patet ex ipſius verbis; ſic enim loquitur: " Gratia autem clericatus, „ non omnibus, ſed dignis: qui in illa „ cauſa ſalutis eſt, *ſcilicet in fide*, in iſta „ autem diſpenſatio Myſterii. „ Quorum verborum ſenſus eſt, auctoritatem regiminis, ſacrificandi poteſtatem, & cetera quæ in clericatu, & ordinatione ſacra conferuntur, rationem doni, gratiæ ac beneficii in iis non habere, qui poteſtate traditâ abuſuri prævidentur; diſpenſatio enim

My-

Digitized by Google

Myſterii, iis tantum bona eſt & fructuoſa, qui in ea fideliter, & utiliter collaborant.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pueri ſunt ſacræ Ordinationis capaces, immo hæretici, ſciſmatici & ſcelerati.

PRIMUM, colligitur ex uſu Eccleſiæ quæ quandoque conceſſit pueris Baptiſmum, Confirmationem ſimul & Eucharistiam, tametſi iſta Sacramenta magnam inducant obligationem devotionis exercendæ, tum jugum Domini æquo portandi animo, tum etiam fidem coram tyrannis defendendi; quidni igitur poſſint infantes ſacros ſuſcipere ordines? Idem dicendum propter eamdem rationem de amentibus, qui in rationis aurora ordinari conſentirent.

Secundum, ex eadem Eccleſiæ praxi claret, cum Concilia hæreticorum & ſchiſmaticorum Ordinationes ratas habuerint; & legitur in primo Concilio Nicæno can. 8. de Novatianis.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tamet infantes non habeant intentionem formalem ſuſcipiendi Ordines, habent tamen fundamentalem per intentionem Eccleſiæ. Equidem non poſſunt contrahere matrimonium, quia requiritur ad hoc conſenſus de præſenti mutuo expreſſus. Sed ad ordinationem ſufficit intentio Eccleſiæ, quæ ſicut in Baptiſmo ſic in ordinatione pro eis ſpondet.

Secundo: Furioſi ſunt in lucidis intervallis ſui compotes, hinc intentionem ſuſcipiendi ordines habent; Quid ni & pias affectiones ad hoc prærequiſitas & alias diſpoſitiones, apponerent?

Tertio: Hæretici, & ſcelerati homines indigni ſunt qui ſacris initientur Ordinibus, immo & nominis ſacerdotalis honore donentur; hoc unum probant objectiones in contrarium.

SECTIO TERTIA.

Utrum promoti ad ſacros Ordines teneantur ad Cælibatum?

Tria hic diſcutienda ſunt: primum, an lex cælibatus Ordinibus ſacris recte fuerit annexa? Secundum, a quo jure hæc fluxit? Tertium, utrum ad ſacros Ordines liceat promovere bigamos? Circa primam quæſtionem duo præcipui errores circumferuntur; unus eſt Græcorum aſſerentium Clericos debere, antequam Ordines ſacros ſuſcipiant, uxores ducere, ſed poſt ſuſceptos illud ipſum non eis licere; hujus erroris auctorem fuiſſe Vigilantium ſcripſit D. Hieronymus L. 1. contra hunc hæreſiarcham. Iſti errori non ſine ſcandalo adhæſerunt Patres Concilii Trullani, ut patet ex canone 13. ubi profana illa Synodus damnat nominatim canones Eccleſiæ Romanæ, & contrarium ſtatuit, nimirum, ut Clerici ante Subdiaconatum uxores ducant: Tum & cum eis vivant tametſi in ſacris Ordinibus conſtituti: Mos iſte Græc. incrementum habere cœpit tempore Leonis IX. quando ſcilicet diſſidium inter Græcos, & Latinos acrius exarſit. De hac re ſcripſit Cardinalis Humbertus contra Nicetam Abbatem, qui hunc Græcorum errorem propugnare non erubuit.

Secundus error iſto longe gravior, cujus Architectus fuerat Jovinianus, ſacrilegis dicteriis infeſtando illibatam Deiparæ Virginitatem, eſt Wicleſi, Lutheri, Centuriatorum, Magdeburgenſium, Bezæ, Melanctonis, & Calvini aſſerentium, non ſolum licitum eſſe ante ordinationem, ſed etiam poſt ſuſceptos ordines nubere, ne Clericus in periculum fornicationis veniat. Contra quos omnes, ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Votum continentiæ juſta de cauſa ſacris Ordinibus annexum eſt.

Probatur multis momentis.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra deſumitur.

QUOD figuræ annuntiant, illud executio-

cutioni demandandum eſt : Atqui figuræ prænuntiant Clericorum cælibatum ; & probatur.

PRIMO : Non levius adumbratur iſta veritas, quum Exod. 12. præcipitur Iſraelitis, ut ad agnum Paſchalem comedendum non niſi, accinctis renibus, accederent ; hoc eſt, ut interpretatur Gregorius Homil. 22. in Evang. a carnis voluptate temperandum eſſe, quum aliquis ad participandum Myſteriis venit. Tum Exod. 19. eiſdem injungit Moyſes, ut continentia prævia ad legem recipiendam ſeſe incunctanter diſponerent : *Eſtote*, ait, *parati in diem tertium*, & *ne appropinquetis uxoribus veſtris*. S. Ambroſius L. 1. de officiis c. ultimo ad probandam continentiam Clericorum hoc teſtimonio utitur. Cap. 28. quo præcipit Deus Aaroni, & filiis ejus, ut cum ingrederentur in Tabernaculum, feminalibus lineis a renibus ad femora uſque, tecti eſſent, ubi ſignificatum eſſe vult Beda L. 3. de Tabernaculo c. 9. congruum eſſe Sacerdotes novi Teſtamenti, aut Virgines exiſtere, aut contracta cum uxoribus fœdera, diſſolvere.

Similiter 1. Reg. 21. Abimelech Sacerdos David panes ſanctos propoſitionis comedendos dare noluit, donec intellexiſſet illum aliquandiu continuiſſe ab uxoribus ; ex quo concludit S. Hieronymus Comm. in cap. 1. Epiſt. ad Tit. perpetuam continentiam ſervandam eſſe ab his, qui corpus Chriſti & ipſi ſumunt, & ſumendum aliis ſubminiſtrant. Idem ex L. 1. Paralip. c. 24. ubi injungitur Sacerdotibus dum juxta vicem ſuam officio ſacro funguntur, ab uxoribus temperare, concludunt Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, Innocentius I. ad Epiſc. Victricium Rotomagenſem cap. 9. ubi ſic loquitur : " Quod dignum & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omnino debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coeant, quia Miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim : Sancti eſtote, quoniam & ego ſum Sanctus, Dominus, Deus veſter ; nam ſi priſcis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant ... quanto magis ſi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die Ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel Miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec poterit dies qua vel a Sacrificiis divinis, vel a Baptiſmatis officio vacent. " Subſcribit Beda in c. 1. Lucæ. Ergo &c.

Secundo, hanc eamdem legem conſcriptam habemus in Epiſtolis D. Pauli, ad Titum c. 1. ubi ſic habet : *Oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem*, *benignum*, *ſobrium*, *juſtum*, *ſanctum*, *continentem* : Quod ultimum vocabulum, nedum caſtitatem ſignificat, quæ virtus non nihil propria eſt matrimonio conjunctis, ſed omnem denotat ab uxoribus abſtinentiam; quod iterum indicat Apoſtolus 1. Cor. 7. his verbis : *Nolite fraudare invicem*, *niſi forte ex conſenſu ad tempus*, *ut vacetis orationi*. Et vero ſi opus eſt ut uxorati ad tempus abſtineant, ut orationi & Sacramentorum participationi vacent, clericis perpetuo ab uxoribus temperare incumbit, quippe qui non uno, aut altero die, ſed ſemper & quotidie, nedum ad orandum, ſed & ad ſacris altaribus inſerviendum ex officio toti occupentur.

Secundum argumentum conſenſu omnium Eccleſiarum innixum eſt.

CONSENSUS Eccleſiæ univerſalis locum regulæ obtinet, quam infringere nefas eſt : Sed uſus ſeu poſſeſſio Eccleſiæ obtinet, ut Ordines ſacri cælibatum annexum habeant ; & probatur.

In Oriente Concilium Ancyranum habitum anno 308. de Diaconis can. 10. hæc ſtatuit : " Quicumque ſane tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias venerint, a Miniſterio vel Clero ceſſare debebunt. " Concilium Neocæſarienſe paulo poſt celebratum can. 1. ſic loquitur : " Presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. "

Concinit Nicænum 1. can. 3. his verbis : " Omnibus modis interdixit ſancta Synodus, neque Epiſcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi forte mater, aut ſoror, aut avia, aut amita, aut matertera ſit. " Eo loci nulla uxoris mentio fit, quæ tamen primo loco poni debuiſſet, ſi cum ea habitare hoc licitum duxiſſet Concilium : Ergo &c.

Syno-

Digitized by Google

Synodus Trullana c. 6. prohibet ne Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi poſt ordinationem ducant uxorem, & can. 48. præcipit, ut Epiſcopus non cohabitet uxori.

In Eccleſia Africana inſigne habemus teſtimonium Concilii Carthaginenſis 2. can. 2. ſic loquentis: " Omnibus placet, ut ,, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel ,, qui Sacramenta contrectant, pudicitię cu- ,, ſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ,, ut quod, *inquiunt*, Apoſtoli docuerunt, ,, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque ,, cuſtodiamus. ,, Idem conſtituunt Concilium Carthaginenſe 5. tum & Africanum can. 37.

Inter omnes Eccleſias eminet Italica pro iſta aſtruenda perfectione. Concilium Romanum ſub S. Sylveſtro habitum can. 7. ſic ait: " Nullum autem Subdiaconorum ,, ad nuptias tranſire præcipimus, ne ,, aliquam prævaricationem ſumpſerit. ,,

Eccleſia Gallicana totis viribus hoc primum amplexa angelicæ vitæ genus, tum & pro eo defendendo ſategit. Illud enim definitum habemus: I. in Concilio Arelatenſi 2. can. 2. ubi ait: " Aſſumi ali- ,, quem ad Sacerdotium non poſſe in vin- ,, culo conjugii conſtitutum, niſi fuerit ,, promiſſa converſio. ,, Sic ſtatuit & Concilium Turonenſe 1. can. 1. Secundum, canone 20. Agatenſe. can. 9. Demum Aurelianenſe 3. can. 2. " Ut nul- ,, lus, *inquit*, Clericorum a Subdiacono ,, & ſupra, propriæ, ſi forte jam habeat, ,, miſceatur uxori. ,,

Apud Hiſpaniam eadem de continentia Clericorum habetur traditio. Concilium Illiberitanum vel ante Syricii Papæ tempora habitum can. 33. ſic pronuntiat: " Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, ,, Presbyteris, Diaconibus, vel omnibus ,, Clericis poſitis in Monaſterio, abſtine- ,, re ſe a conjugibus ſuis, & non ge- ,, nerare filios. ,, Similia decernit Toletanum 11. can. 1. & 8. can. 6.

Tria in Germania idem pronuntiavere, ſcilicet Aquiſgranenſe tempore Ludovici I. c. 6. Wormatienſe c. 9. " Pla- ,, cuit, *ait*, ut Epiſcopi, Perſbyteri, ,, Diaconi & Subdiaconi abſtineant ſe ab ,, uxoribus, & non generent filios. ,, Tandem Moguntinum tempore Arnulphi Imperatoris habitum, quod can. 10. ſtatuit, ut nulla penitus mulier, ne ſoror quidem aut mater cum Eccleſiaſticis habitare permittatur.

Tertium argumentum fit ex decretis SS. Pontificum.

DECRETA SS. Pontificum habent vim legis: ſed ex earum ſententiis liquet, cœlibatum ſacris ordinationibus annecti. Et probatur.

Syricius Epiſt. ad Hymerium c. 27. prohibet cum uxore commercium iis, qui ſunt in ſacris; idem paulo poſt confirmavit Innocentius I. in epiſt. ad Victricium c. 9. Ruſus in epiſt. ad Exuperium c. 1. item Leo I. epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicæ his verbis c. 3. & 4. " Sacerdotum tam excellens eſt ele- ,, ctio, ut hæc, quæ in aliis Eccleſiæ ,, membris vacantur, ad culpam, in illis ,, tamen habeantur illicita, nam cum ,, extra Clericorum Ordinem conſtitutis ,, nuptiarum ſocietati & procreationi fi- ,, liorum ſtudere ſit liberum, ad exhi- ,, bendam tamen perfectæ continentiæ ,, puritatem, nec Subdiaconis carnale ,, quidem connubium conceditur, ut & qui ,, habent, ſint tamquam non habentes; ,, & qui non habent permaneant ſingu- ,, lares. Quod ſi in hoc ordine, qui quar- ,, tus a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri: ,, quanto magis in primo, aut ſecundo, ,, tertio-ve ſervandum eſt, ne aut Levi- ,, tico miniſterio, aut Presbyterali hono- ,, ri, aut Epiſcopali excellentiæ quiſquam ,, idoneus exiſtimetur, qui ſe a volupta- ,, te uxoria, nec dum frenaſſe detegitur. ,, Sic Gregorius 1. L. 1. epiſt. 42. Zacharias Papa epiſtola ultima ad Bonifacium Epiſcopum Germaniæ, definierunt.

Quartum argumentum ex Traditione Patrum procedit.

TRADITIO eſt inconcuſſa morum Eccleſiæ regula: Atqui utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis Patres uno veluti calamo cœlibatum a ſacris altarium Miniſtris ſervandum eſſe propugnarunt: Ergo &c.

Patres Græci.

PRIMUS accedat Origenes, qui Homil. 23. in Lib. Num. pag. 135. ait: " Cer-

Digitized by Google

tum eſt quia impeditur ſacrificium indeſinens iis , qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt . Unde videtur mihi quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenter & perpetuæ ſe devoverat caſtitati . „

Eadem tradit Euſebius L. Demonſt. Evang. cap. 9. his verbis: " Verumtamen eos , qui ſacrati ſunt , atque in Dei miniſterio , cultuque occupati , continere deinceps ſeipſos a commercio uxoris decet . „

Similia profert S. Epiphanius L. 3. adverſus Hær. pag. 343. ſub finem : " Sanctum , *inquit* , Sacerdotium ex virginibus ut plurimum procedens ... ſi vero non ſufficerent ad miniſterium ad ſolitam vitam degentibus , de his qui continent a propriis uxoribus , aut ab unis nuptiis viduitatem ſervantibus . Nam eum qui ſecundas nuptias contraxit , non licet in ipſa ad Sacerdotium ſuſcipere : etiamſi is qui ab initio continens viduus fuerit , poſſit habere locum Epiſcopi , & Presbyteri , & Diaconi , & Subdiaconi . „

Iſtius ſequitur veſtigia D. Chryſoſtomus , dum ait homilia 2. de patientia Job: " Propterea dixit : Unius uxoris virum : non ea ratione, quod id nunc iu Eccleſia obſervetur . Oportet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe . „

Succinit Gregorius Nyſſenus in Cant. Canticorum explanatione, oratione 7. pag. 370. his verbis: " Qui præclarum inſpectionis opus expetunt , divinus ille Apoſtolus depingit , ſingillatim exponens qualem eſſe conveniat eum , qui Sacerdotii munus in ſe recipiat ..... vult eos.... ab omni carnis ac ſpiritus inquinatione puros eſſe . „

Favet D Cyrillus Jeroſol. Catech. 12. pag. 116. Si enim, *ait* , qui apud Jeſum bene fungitur Sacerdotio , abſtinet a muliere : ipſe Jeſus quomodo ex viro, & muliere proditurus eſſet . „

Oecumenius in caput 3. 1. ad Timoth. explicans iſta verba *unius uxoris virum* , ſic loquitur : " Non ſtatuit ut ab uxore pendeat Epiſcopus , aut uxorem neceſſario habeat , ſed ſi fine e mundanis, non ſit ſaltem bigamus, ita tamen ut vocatus ad Epiſcopi munus, illud compleat , quod qui habent uxores, ſint tamquam non habentes . „

Patres Latini .

INTER omnes ſeligimus primo D. Ambroſium , qui L. 1. de officiis cap. 50. pag. 35. ſic habet : " Inoffenſum autem exhibendum , & immaculatum miniſterium , nec ullo conjugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore , incorrupto pudore , alieni etiam ab ipſo conſortio conjugali, ſacri miniſterii gratiam recepiſtis . Quod ideo non præterii , quia in pleriſque abditioribus locis , cum miniſterium gererent , vel etiam Sacerdotium , filios ſuſceperunt . „

Suffragatur D. Hieronymus L. adverſus Vigilantium circa initium : " Quid facient, *ait* , Orientis Eccleſiæ , quid Ægypti , & Sedis Apoſtolicæ , quæ aut virgines Clericos accipiunt , aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſinunt ?

Idem legitur apud S. Auguſtinum L. 2. de adulterinis conjugiis cap. 20. ubi ſic loquitur : " Solemus iis proponere continentiam Clericorum , qui plerumque ad eamdem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti , eamque ſuſceptam uſque ad debitum finem , Domino adjuvante , perducunt . „

Ejuſdem eſt labii Iſidorus L. 2. de officiis divinis c. 10. " Placuit ſanctis Patribus, *inquit* , ut qui ſacra myſteria contrectant , caſti ſint , & continentes ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi . „

Venerabilis Beda L. 3. de tabernaculo c. 9, eadem ſcribit his verbis: " Nemo poteſt vel Sacerdotium ſuſcipere , vel ad altaris miniſterium conſecrari , niſi aut virgo manſerit, aut contracta cum uxore matrimonii ſedera ſolverit . „

Sextum argumentum ex variis rationibus conſtatur .

THEOLOGIA innititur rationibus auctoritate veneranda ſic ſuffultis , ut eas negare abſurdum ſit . Sed non deſunt hujuſmodi rationes , quibus probatur conſentaneum eſſe Clericos ad majores Ordines promotos ſervare caſtitatem. Ergo &c.

Pri-

Prima: Æquum eſt viris Eccleſiaſticis illud interdicere, quod liberam impedit officiorum Eccleſiaſticorum executionem; Atqui tale eſt conjugium: Et probatur. Munera Eccleſiaſticorum ſunt ſacrificare, orare, docere, exhortari, Sacramenta miniſtrare, curam pauperum gerere: Sed illa omnia matrimonium præpedit; in primis quidem, ut ſcribit D. Hieronymus L. 1. in Jovinianum, " *Munus ſacrificandi*, ſumma quippe in eo puritas requiritur, quæ dubio-procul cum debito conjugati cohærere non poteſt. Ergo &c.

Altera hæc eſt: Clerici debent vacare orationi, & rebus ſpiritualibus, ad quod requiritur mens a rebus ſenſibilibus abſtracta, & ad ſuperna ſæpius elevata: Sed actus conjugii deprimit ſenſum multa cogitantem, & mentis aciem obtundit, ait Aug. L.4. de Civit. Dei cap.16.eamque carnalem efficit; juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 2. *Animalis autem homo, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*. Ergo &c.

Tertia: Sacerdotem ait Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. *oportet . . . . . irreprehenſibilem eſſe . . . . . . ornatum, pudicum*. Rurſus ad Tit. 3. *Continentem . . . ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Sed uxoratus non habet omnes pudoris gradus, quomodo igitur ad ſummum puritatis apicem tum virgines, tum viduas promovere poterit? Sed uxoratus totus eſt ut familiæ bono invigilet, & pro filiis vel educandis, vel etiam ſtabiliendis theſaurizet; tot igitur ſollicitudinibus ſæculi implicatus, poterit ne ad animarum ſpiritualem progreſſum adhortari? cum ipſe non niſi terrena inhiet. Ergo &c. Hanc rationem clare admodum explanat S. Paulus, 1. Cor. 7. dicens: *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt . . . Virgo autem cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Quod eſt de jure divino non poteſt a Clericis eripi: Atqui conjugium eſt de jure divino; juxta illud Gen. 1. *Creſcite & multiplicamini*. Ergo &c.

Reſpondeo 1. his verbis non tam præcipi matrimonium, quam ejus inſtitutionem exprimi; quippe verba non tantum ad homines, ſed & ad bruta, quæ præcepti ſunt incapacia, diriguntur.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Et præceptum procreationis filiorum eſt ſolum in genere, & pro generibus ſingulorum, hoc eſt utriuſque ſexus multi debent operam dare ut filii & filiæ ad conſervationem ſpeciei humanæ producantur, concedo: pro ſingulis generum, nego. Ipſe Chriſtus viam conſiliorum aperuit, & cælibatum obſervandum propoſuit Matt. 19. Tum & Apoſtolus 1. Cor. 7. ait. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: Et qui non jungit, melius facit*.

Catechiſmus Rom. eam præoccupat inſtantiam hic n. 12. & ſic reſpondet: " Quod vero a Domino dictum eſt: *Creſcite & multiplicamini*: ideo ſpectat, ut, cujus rei cauſa Matrimonium inſtitutum erat, declaret, non ut ſingulis hominibus neceſſitatem imponat. Nunc enim, aucto jam humano genere, non ſolum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, ſed potius virginitas ſummopere commendatur, & unicuique in ſacris Litteris ſuadetur, ut quæ matrimonii ſtatu præſtantior ſit, majoremque in ſe perfectionem & ſanctitatem contineat. Dominus enim Salvator noſter ita docuit: *Qui poteſt capere, capiat*: & Apoſtolus ait: *De Virginibus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus, ut ſim fidelis*. "

Inſtabis: 1. Cor. c. 7. hæc habet D. Paulus: *Propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat*. Tum 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. inter ceteras Epiſcopi dotes, hanc requirit, ut ſit unius uxoris vir: Immo, ibidem vult ut mulieres tum Epiſcopi, tum Diaconi ſint pudicæ. Ergo &c.

Reſpondeo ad 1. ibi Apoſtolum alloqui conjugatos; ibidem enim ſic ait: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*: id unum ergo intendit, ſcilicet uxoratos poſſe uti matrimonio ſine peccato.

Ad alia teſtimonia diſtinguo: Et eo loci vult D. Paulus ordinandos debere eſſe monogamos, concedo: Et vult eos ſuam poſſe retinere conjugem, & ea uti, nego. Prior pars reſponſionis patet ex eo, quod tunc temporis erat valde difficile apud

le apud Cretenſes, quorum Eccleſiæ præerat Titus, aliquem cælibem reperire; cogebant quippe leges unumquemque adultum uxorem ducere propter eorum ad libidinem pronitatem. Sic teſtatur Baronius L. 10. & Strabo in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti 58. Hanc propter rationem præcipit ut ordinandi unicam habuerint uxorem; ſic ſolvit illud teſtimonium Syricius Papa Epiſt. 4. c. 9. his verbis: " Non permanenti in concupiſcentia ,, generandi dixit, ſed propter continen- ,, tiam futuram, neque enim integros ,, non admiſit, qui ait: *Vellem autem om-* ,, *nes homines ſic eſſe ſicuti & ego.* ,, Quod autem particula hæc *unius uxoris vir*, debeat accipi quatenus opponitur bigamis, patet, quia 1. ad Timoth. c. 5. S. Paulus agens de eligenda Diaconiſſa, eodem modo accipit hanc particulam, *unius viri uxor*, id eſt quæ non ſit bigama, vel quæ denuo non nupſerit. Jam vero, quod idem Apoſtolus facultatem eis non det poſt ordinationem utendi uxoribus, declarant Concilia ſupra memorata, ſcilicet Illiberritanum, & Turonenſe; nemo enim conjugatus ad ordines aſſumebatur, niſi prius promitteret continentiam, & hanc ipſa uxor voveret; unde illis uxoribus adoptatur, id quod ait P. ſcilicet, ut *ſint pudicæ*. Per hæc enim verba, eis præcipit ut continenter vivant.

Urgebis: 1. ad Tim. c. 4. reponit Apoſtolus, inter nævos Hæreticorum prohibitionem nuptiarum: *In Noviſſimis temporibus*, ait, *diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere*. Unde S. Auguſtinus L. 2. de moribus Manichæorum c. 18. teſtatur Manichæos prohibuiſſe, ſuis electis, qui apud eos erant Sacerdotes, matrimonium: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi loquitur Apoſtolus de illis qui erant nuptias velut malum abjecturi, concedo: & vult omnes ad illas contrahendas teneri, nego. Nos vero doctrina Apoſtoli fulfulti, non tantum dicimus matrimonium eſſe licitum; ſed & magnum Sacramentum; id tamen non obſtat, quin poſſit Eccleſia ſtatuere, ut ſi qui velint promoveri ad ſacros Ordines, a matrimonio abſtineant: Quod ſpectat ad Manichæos, alio titulo improbabant nuptias, quippe qui illas ad explendam libidinem adimerent; & quod prorſus horrendum, procreationem liberorum, ad quam tantum inſtitutum eſt matrimonium, impediebant, & iſta tantum vitia in eis arguit S. Auguſtinus.

Inſtas: Vel ipſi Apoſtoli tametſi Sacerdotes & Epiſcopi inaugurati, habuerunt tamen uxores: Igitur & ceteris id licet. Probatur antecedens: De S. Petro id conſtat, cum haberet ſocrum. De divo autem Paulo colligitur ex his 1. Cor. c. 9. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ſicut & ceteri Apoſtoli, & fratres Domini? Et Cephas?* Rurſus ad Philippenſes capite ultimo: *Etiam & rogo te germane compar, adjuva illas*: Ergo &c.

Reſpondeo ad primum diſtinguendo: Et Petrus ſua non eſt uſus amplius uxore, concedo: & ea eſt uſus, nego. Id colligit S. Hieronymus L. 1. contra Jovinianum c. 19. ex ejus Matt. 19. verbis: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*.

Ad ſecundum dico, S. Paulum fuiſſe cælibem, ut colligitur ex illis 1. Cor. cap. 7. *Dico autem non nuptis, & viduis, Bonum eſt illis ſi ſic permaneant ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant*. Rurſus ibidem: *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum*. Unde ad difficultatem reſpondeo cum ſancto Hieronymo: Et ibi Apoſtolus per mulierem ſororem, intelligit piam mulierem quæ illum ſequeretur, & illi adminiſtraret ad vitam neceſſaria, concedo. Uxorem ſtricte ſumptam, nego. Vel ipſum Chriſtum piæ mulieres, cui illæ pro vita ſuſtentanda ſuppeditarent, ſequebantur. Ceterum S. Paulus vocat illam mulierem ſororem ad ſexus diſtinctionem; homines enim ſe fratres appellabant.

Ad tertium locum, dico S. Paulum non loqui de uxore; cum vox illa *germane*, maſculini generis non ad mulierem, ſed potius ad virum aliquem ſicut peregrinationis ſic & Apoſtoli laborum comitem, dirigatur.

Perſiſtes: Paphnutius in Concilio cui aderat, petiit ut nihil de Sacerdotum cælibatu moveretur, cui ſententiæ, ſcribit Sozomenus Tom. 2. L. 1. Hiſt. cap. 24. pag. 254. adhæſerunt Patres Synodici. Ergo &c.

Reſpondeo 1. hanc hiſtoriam eſſe commen-

mentitiam, tum quia Sozomenus a quo refertur in aperta perſæpe ruit mendacia, ut obſervat S. Gregorius L. 6. Epiſt. 30. tum quia aperte adverſatur can. 3. Concilii Nic. ubi ſtatutum eſt ne Epiſcopi, Sacerdotes, vel Diaconi, nullam domi habeant mulierem, præter matrem, ſororem, aviam, & amitam; unde ſequitur Concilium non annuiſſe petitioni Paphnutii. Ne miremini; his enim temporibus tam religioſe cælibatum obſervabant Clerici, ut vel ipſi Ariani non ſolerent ordinare conjugatos. Sic refer Epiphanius Hær. 37.

Reſpondeo 2. Sozomenum non de Nicæno, ſed Tyri Arianorum adverſus Athanaſium adunato Concilio mentionem facere, nec ullam recenſere definitionem, ſed ſolum ait Paphnutium ſuaſiſſe Maximo Epiſcopo Jeroſolymæ, ut nihil de cælibatu Clericis moveretur: " Verum, *ait*, „ complures Sacerdotes qui aderant in „ Concilio, hoc judicium minime ſincerum eſſe exiſtimarunt. Et ob eam cauſam dicitur Paphnutium confeſſorem, „ qui Concilio interfuit, prehendiſſe manum Maximi Epiſcopi Hieroſolymitani, ac monuiſſe ut ſurgeret. Nam non „ oportere ſe, cum eſſent Confeſſores, „ & pro pietate, tum oculos effoſſos, tum „ pedum flexus debilitatos haberent, Concilio hominum perditorum communicare. „

Repones: S. Gregorius Magnus egit pœnitentiam ob latum a ſe de continentia Sacerdotum decretum, ut patet ex Epiſtola S. Ulderici Auguſtani ad Nicolaum Papam; ibi enim refertur poſt ejuſmodi decretum reperta fuiſſe multa infantium ſuffocatorum capita, quorum Necem ex fornicationibus, & adulteriis Clericorum ortam fuiſſe ſuſpicabatur. Ergo &c.

Reſpondeo hanc hiſtoriam eſſe omnimode commentitiam; Epiſtola quippe illa falſo tribuitur S. Ulderico: nec enim infanticidium illud contigit, nec D. Gregorium de hujuſmodi decreto pœnituit. Primum patet ex eo, quod Uldericus ibi ſe nominet Epiſcopum, Nicolaus autem ad quem dicitur ſcripſiſſe, obiit an. 867. ita Onuphrius in vitis Romanorum Pontificum; Vldericus vero fuit dumtaxat inauguratus Epiſcopus ann. 924. ut habetur in Chronico Eccleſiæ ubi præfuit. Neque vero dici poteſt ejus Epiſtolam ad NicolaumII. fuiſſe directam, quippe qui creatus ſit anno. 1059. ſummus Pontifex, quo quidem tempore ultimum diem jam clauſerat Uldericus, anno ſcilicet 974. His rationibus accedit, quod altum ſit apud auctores de infanticidio ſilentium: immo vel apud ipſos Græcos, qui dubio-procul in probationem Clericorum matrimonii, quod propugnabant, commemoraſſent. Dicendum eſt igitur Decretum S. Gregorii ſolum ſpectare Siciliæ Subdiaconos, quorum matrimonium non abrogat quidem, quoad ſeparationem tori, ut ſtatuerat Pelagius ſuus Prædeceſſor, ſed ejus decretum ſic temperat, ut in poſterum nullus ordinaretur Subdiaconus, niſi ante omnia perpetuam continentiam Epiſcopo conſecranti ſervare promiſiſſet; eos vero Diaconos, qui matrimonio juncti erant, ita voluit manere, ut nulla eis affulgeret ſpes ad ſuperiorem aſcendendi ordinem, donec a ſuis viciſſim uxoribus prorſus divellerentur. Sic colligitur ex L. 1. Epiſt. 42. ad Petrum. Jam vero quod de illo ſtatuto non doluerit S. ille Papa, ex eo potiſſimum liquet, quod ſemper voluerit Clericos ab uxoribus ſeparari; ut legere eſt L. 7. Epiſt. 109. tum L. 11. Epiſt. 40.

Dices: In Eccleſia Græca, Sacerdotes utuntur uxoribus etiam poſt ordinationem, & refertur c. aliter diſt. 2. 3. Can. 6. Apoſtolorum prohibet, & condemnat illos Clericos qui a nuptiis abſtinent. 3. In Concilio Gangrenſi can. 4. dicitur anathema iis qui abhorrebant a Presbytero qui uxorem habuerat. 4. In Trullana Synodo aperte damnatus eſt cœlibatus. Demum in Concilio Carthaginenſi 5. can. 3. tantum præcipitur, ut Epiſcopi, & Diaconi abſtineant ab uxoribus ſuis, & hoc, tempore vicis ſuæ, ſicut Sacerdotes legis Moſaicæ, & ipſis Trullanæ Synodi utitur terminis. Igitur in eodem loquitur ſenſu.

Reſpondeo ad 1. ſenſum iſtius capitis eſſe, Græcos poſe uti matimonio ante ordinationem contracto, non autem poſſe inire matrimonium poſt ſuſceptos ordines, ut ibidem notatur. Ad canonem vero Apoſtolorum; in eo ſolum præcipitur, ut Clerici curam habeant adminiſtrandi neceſſaria uxoribus quas habuerant ante ordinationem. Concilium Gangrenſe eos dumtaxat reprehendit, qui putabant Sacerdotium con-

contaminari per eos qui prius uxorem duxerant, licet ab uxoribus fuiſſent ſeparati. Quod ſpectat ad Trullanam Synodum, dictum eſt nullius auctoritatis eſſe in Eccleſia. Demum nonnulli in adulterinum ſenſum ſumpſere Concilium quintum Carthaginenſe; in editione quippe latina iſtius Concilii loco, *propriis terminis*, habetur, *juxta propria ſtatuta*. Ceterum poteſt eodem explicari modo, ſicut canon Apoſtolorum modo laudatus.

Repones: Sacerdotibus veteris Teſtamenti licitum erat uxoribus ſuis uti: Igitur & idem Sacerdotibus novi fœderis, concedendum: Confirmatur: Matrimonium eſt Sacramentum, & dicitur ab Apoſtolo, Heb. 13. *honorabile connubium*: Igitur illud frequentare non eſt citra Clerici perfectionem.

Reſpondes ad 1. S. Ambroſius Comment. in c. 3. Epiſt. 1. ad Timotheum, his verbis, " Veteribus idcirco conceſſum eſſe „ Levitis, & Sacerdotibus uxores ad „ uſum habere; quia multum temporis „ otio vacabant a Miniſterio aut Sacer- „ dotio. " E contra vero Sacerdotes & Levitæ novæ legis perpetuam debent ſervare continentiam, cum non prætereat dies qua vel a ſacrificiis divinis, vel a Baptiſmatis officio, vel ab aliis Miniſteriis ſacris vacent. Ad 2. id unum intendit S. Paulus, ſcilicet adhortari fideles, ut connubium ſuum reddant honorabile in omnibus, ſive ex parte Sacramenti, ſive ex parte prolis ſuſceptæ, & bene educatæ, quæ ſunt tria bona Matrimonii, unde ibidem addit immediate: *Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus*.

Quo jure

Clerici majores teneantur ad cælibatum?

CONCLUSIO SECUNDA.

Lex cælibatus pro Clericis eſt dumtaxat juris Eccleſiaſtici.

Probatur hoc ratiocinio Theologico.

In his quæ ſunt de jure divino Eccleſia non poteſt diſpenſare, immo nec tolerare aliquid lege divina prohibitum: Sed Eccleſia diſpenſat cum Græcis, & permittit, ut ſuſceptis majoribus Ordinibus, maneant in uſu Matrimonii antea contracti, vel ſaltem hunc morem ſic tolerat, ut eum non credat legi divinæ adverſum: & probatur.

Primo, ex c. 14. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. habiti, ubi contra incontinentiam Clericorum hæc leguntur: " Qui autem ſecundum regionis ſuæ mo- „ rem non abdicarunt copulam, *id eſt* „ *Græci Sacerdotes*, ſi lapſi fuerint, gra- „ vius puniantur, cum legitimo Matrimo- „ nio uti poſſint. „ Tum in c. *Cum olim* „ idem Pontifex hæc ſcribit: " Nos „ igitur attendentes quod Orientalis Ec- „ cleſia votum continentiæ non admiſit; „ quoniam Orientales in minoribus Or- „ dinibus contrahunt, & in ſuperioribus „ utuntur Matrimonio contracto. „ &c. Similiter in Conciliis Lugdunenſi, & Florentino Græcis objectum non legimus eorum Sacerdotes uti conjugio ante ſacram ordinationem celebrato, & eos continentiæ legem non ſervare, ſicut ſervatur in Eccleſia latina: Igitur &c.

Secundo: D. Gregorius in L. 1. Regiſtri Epiſt. 42. permiſit Subdiaconis Siciliæ uti uxoribus ante ordinationem ductis, quamvis in poſterum tales ordinari prohibuerit, niſi una cum uxoribus continentiam ſervarent: Sed hanc facultatem non feciſſet, ſi jure divino hoc prohibitum intellexiſſet. Ergo &c.

Tertio: Eccleſia multis canonibus ſtatuit, ut votum continentiæ a promovendis ad ſacros Ordines exigeretur: Sed quod jure divino ſacris annexum eſt Ordinibus, non opus eſt ut præcepto Eccleſiaſtico injungatur. Ergo &c.

Quarto: ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 88. art. 11. in corpore hæc ſcribit: " Non „ eſt autem eſſentialiter annexum debi- „ tum continentiæ Ordini ſacro: Sed ex „ ſtatuto Eccleſiæ; unde videtur quod „ per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto „ continentię ſolemnizato per ſuſceptio- „ nem ſacri Ordinis. „

Demum Concilium Tridentinum Seſſ. 24. can. 9. manifeſte ſignificat juris tantum Eccleſiaſtici eſſe, quod majoribus initiati Ordinibus Matrimonium contrahere nequeant, his verbis: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque*

vali-

validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto &c. anathema ſit.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Deut. c. 33. dicuntur Levitæ neſciiſſe filios ſuos: Sed illud non poteſt intelligi de Levitis veteris Teſtamenti, cum illi uxores duxerint: Igitur debet intelligi de ſacris Miniſtris novi Teſtamenti.

Reſpondeo 1. ex illo loco ad ſummum colligi cælibatum obſervatum iri in nov. lege, ſed quo jure? non ibi notatur. 2. Diſtinguo: Et ſenſus illorum verborum eſt, Levitas Moyſis imperio arma ad ulciſcendum peccatum in adorando vitulo aureo comiſſum tanto zelo ſumpſiſſe, ut nequidem propriis filiis ſuis, vel fratribu,, pepercerint, concedo: & loquitur de jure quo ſervari deberet cælibatus in nova lege, nego. Quod autem hæc interpretatio ſit bona, patet ex illis verbis Exodi 32. " *Conſecraſtis*, inquit Moyſes, *manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filios, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.*

Inſtabis: Luc. 21. cap. hæc ait Chriſtus: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ*, hæc autem, inquit, S. Leo maxime pertinent, ad Miniſtros Eccleſiæ. Rurſus 2. ad Timoth. c. 2. *Nemo*, ait Apoſtolus, *militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*: Igitur vetat Chriſtus connubia.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi Chriſtus, & poſt ipſum D. Paulus, vitat nimiam rerum ſæcularium curam, quæ avertit homines a cura neceſſaria propriæ ſalutis, concedo: moderatam, & quæ poteſt ſtare cum ſacro ordine, nego. Quare Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 3. ait eligendum eſſe Epiſcopum: Suæ domui bene præpo,, ſitum, filios habentem ſubditos cum om,, ni caſtitate. ,, Congruum igitur eſt ut cælibatus annectatur ſacro Ordini, ſed neceſſarium non eſt hoc ex jure divino promanare.

Urgebis: Syricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem c. 7. ſic loquitur: " Dominus Jeſu, cum nos ſuo illu,, ſtraſſet adventu, in Evangelio proteſta,, tur, quia legem venerit implere, ,, non ſolvere. Et ideo Eccleſiam, cujus ,, ſponſus eſt ſpecioſus forma caſtitatis vo,, luit ſplendere, radiare, ut in die judi,, cii, cum rurſus advenerit, ſine macu,, la, & ruga eam poſſit, ſicut per Apo,, ſtolum ſuum inſtituit, reperire. Qua,, rum ſanctionum Sacerdotes omnes atque ,, Levitæ inſolubili lege conſtringimur, ,, ut a die Ordinationis noſtræ ſobrieta,, ti, ac pudicitiæ & corda noſtra manci,, pemus, & corpora. ,, Sed lege novi Teſtamenti, ſunt leges Chriſti: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et illa verba ſonant continentiam Miniſtrorum Eccleſiæ conformem voluntati Chriſti, concedo: ab ipſo præcipi, nego. Voluit Chriſtus Eccleſiam Evangelicam caſtitatis ſplendore radiare, eam ab Apoſtolis inſtitui juxta ipſius intentionem, & beneplacitum; quod denotant illa verba: *Sicut per Apoſtolum ſuum inſtituit*.

Inſiſtes: D. Epiphanius hæreſi 59. contra Catharos Lib. 2. pag. 152. ſic habet: " Revera enim non ſuſcipit ſancta Dei ,, prædicatio poſt Chriſti adventum, eos ,, qui a nuptiis, mortua ipſorum uxore, ,, ſecundis nuptiis conjuncti ſunt... Sed ,, & adhuc viventem & liberos gignentem ,, unius uxoris virum non ſuſcipit, ſed eum ,, qui ſe ab una continuit, aut in viduitate ,, vixit Diaconum & Presbyterum, & Epi,, ſcopum, &c. ,, Si igitur tales non ſuſcipit ſancta prædicatio Dei, caſtitas Miniſtrorum eſt de jure divino.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi Epiphanius nomine prædicationis ſanctæ Dei intelligit Eccleſiaſticam legem, concedo: Evangelicam, nego: Porro eam ideo vocavit hoc nomine, quia ſimul cum lege Evangelica, ſive cum lege Clericorum ab Apoſtolis fuit prædicata.

Perſiſtes: Euſebius Cæſarienſis L. 1. de demonſtratione Evangelica c. 9. ſcribit: Secundum leges novi Teſtamenti debere ſacris initiatos ab uxoribus abſtinere: Sed ſi juxta leges novi Teſtamenti debent abſtinere, procul dubio hæc caſtitas eſt de lege divina: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et per has leges intellexit Euſebius leges, ab Eccleſia, vel ab Apoſtolis traditas in novo Teſtamento, concedo: a Chriſto Domino, nego. Quod hæc interpretatio conſonet cum ejus mente, patet ex eo quod eodem modo loquatur de lege prohibente perſonis ſacris uſum conjugii, ac de lege arcente biga-

bigamos a Sacerdotio ; at iſta lex eſt pure Eccleſiaſtica : Igitur idem dicendum de alia.

SYNOPSIS SECTIONIS.

Cœlibatum annexum habent Ordines Sacri, non tamen ex jure Divino.

PRIMUM multis momentis probatur. I. ex Sacerdotibus V. T. qui vicis ſuæ tempore ab uxoribus temperare tenebantur, quod perfectionem cœlibatus pro novo Teſtamento præludebat. II. Clerici ſoli Deo vacare debent, qui autem matrimonio junctus eſt, ſolicitus eſt, teſte Apoſtolo 1. Cor. 7. eorum quæ ſunt uxoris, & diviſus eſt. III. Patres & Concilia ſic ſtatuerunt, in primis Tridentinum Seſſ. 24. can. 9.

Secundum, utique manifeſtum eſt. I. Quia nullibi Scriptura ſacra meminit voti caſtitatis a Clericis emittendi. II. Sacri canones ad certos limites contrahunt matrimonium a Clericis initum, ſed ut Scripturæ adverſum non damnant : III. Patres propellunt quidem a Sacerdotio bigamos, ſed non unius uxoris viros.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Fit quidem ſermo in ſacris paginis de quibuſdam piis mulieribus, quæ neceſſitati Sanctorum occurrendæ vel ipſos ſequebantur Apoſtolos, ſed non erant uxores, namque S. Paulus eas ſolo ſororum nomine celebrat.

Secundo : Non diffitemur Eccleſiam permiſiſſe Græcis ante Ordinationem uxoratis ſervare uxores, ſed ad duritiam cordis, & ſemper voluit Clericos utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis ab uxoribus temperare.

Tertio : Quum Patres prædicant cœlibatum Clericorum eſſe de lege evangelica, unum ſolummodo intendunt, videlicet ab Apoſtolis promanaſſe, qui a Chriſto acceperant illum, non quidem ut legem abſolute ad ſalutem Clericorum neceſſariam, ſed ut perfectionis ſacris altaribus dignum conſilium proponere.

ARTICULUS QUINTUS.

De Epiſcopatu in particulari.

EPISCOPI nomen proprie loquendo, ſignificat hominem qui alterius curam habet, cum auctoritate ex juriſdictione dimanante ; ejuſmodi autem nomen deſumptum eſt ab eo quod minus eſt in Epiſcopatu, ſcilicet a poteſtate regendi myſticum Chriſti corpus ; non vero a charactere, per quem Epiſcopi virtute generandi Eccleſiæ, quam deſponſaverant, Patres, & Paſtores, vocantur : Igitur Epiſcopatus nomine intelligitur Paſtoralis dignitas quæ Sacerdotio ſuperminet.

Hanc in Eccleſia exiſtere dignitatem negavit olim Aerius ; ſic enim ajebat, referente Epiphanio hæreſi 75. " Quid „ eſt Epiſcopus ad Presbyterum ? Nihil „ differt hic ab illo : unus enim eſt or- „ do, & unus, inquit, honor, & una „ dignitas : imponit manus Epiſcopus, ita „ etiam Presbyter. Lavacrum dat Epi- „ ſcopus, ſimiliter & Presbyter. Diſpen- „ ſationem cultus divini facit Epiſcopus, „ ſed etiam Presbyter. „ Hunc errorem amplexus eſt Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 4. §. 2. ubi ſic habet : " Quibus docen- „ di munus injunctum erat, eos omnes „ nominabant Presbyteros, illi ex ſuo „ numero in ſingulis civitatibus unum eli- „ gebant, cui ſpecialiter dabant titulum „ Epiſcopi, ne ex æqualitate, ut fieri „ ſolet, diſſidia naſcerentur ; neque tamen „ ſic honore, & dignitate ſuperior erat „ Epiſcopus, ut dominium in collegas ha- „ beret, ſed quas partes habet Conſul in „ Senatu, ut referat de negotiis conſulen- „ do, monendo, hortando, aliis præeat, „ auctoritate ſua totam actionem regat, „ & quod decretum communi conſilio „ fuerit, exequatur. Id muneris ſuſtine- „ bat Epiſcopus in Presbyterorum cœtu, „ atque idipſum pro temporum neceſſita- „ te fuiſſe humano conſenſu inductum fa- „ tentur ipſi veteres. „

Verum Eccleſia diſtinctionem agnoſcit Epiſcopum inter & Presbyterum, docetque illum iſto majorem eſſe, ut infra ſuſe oſtendemus : his poſitis, circa Epiſcopatum multa ſunt examinanda. Primum, an ſint Epiſcopi jure divino Presbyteris ſuperiores ? Secundum, an Epiſcopatus ſit verum

Digitized by Google

rum ſacramentum & ordo proprie dictus? Tertium, quæ materia, & quæ forma ipſius? Quartum, an ſummus Pontifex habeat poteſtatem ordinandi omnes Epiſcopos? Quintum, quis conſecrationis eorum Miniſter Ordinarius? Sextum, quot Epiſcopi in eorum ordinatione requirantur? Septimum, utrum Epiſcoporum auctoritas ſit de jure divino?

SECTIO PRIMA.

Utrum Epiſcopi jure divino ſint Presbyteris ſuperiores?

PRESBYTEROS Epiſcopis, cum Ordine, tum juriſdictione æquales eſſe primus, qui tenuit, fuit Aerius, teſte Epiphanio Hæreſi 75. hunc autem errorem diu ſopitum exſuſcitaverunt Waldenſes & Albigenſes; poſt eos Wicleſus, ac deinde Calvinus; tum demum Salmaſius, & Blondellus, aliique ex ſecta Calviniana; contra quos ſit

CONCLUSIO.

Epiſcopi jure divino Presbyteris ſunt ſuperiores.

Probatur multis momentis.

Primo ex Scripturis Sacris.

PRIMO, hæc veritas ad Titum c. 1. his verbis habetur: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Superior hau dubie erat Titus iis quos conſtituebat, & civitatibus multis pro religione præerat, quod Epiſcoporum proprium eſt; ſed hoc ſane ſecluſa eminentia, non poteſt intelligi. Igitur ex jure divino præſunt Epiſcopi, Presbyteris. Quod autem Titus fuerit Epiſcopus, expreſſe tradit S. Chryſoſtomus homilia 2. in Epiſt. ad Titum, ubi ſic loquitur: " Nam ea quidem in quibus
,, periculi plurimum, & difficultatis
,, erat, præſens peragebat: quæ vero ho-
,, noris magis, quam laboris habebant lo-
,, cum diſcipulo permittebat, Epiſcopo-
,, rum ſcilicet Ordinationes, & cetera
,, talia, quæ aliqua correctione indige-
,, bant, atque ut ita dixerim, perfectio-
,, ne majore .... *Et conſtitueres*, inquit,
,, *per civitates Presbyteros*. Epiſcopos hic
,, intelligi vult ... neque enim profecto
,, volebat inſulam totam uni viro permit-
,, ti, ſed unicuique propriam curam, ac
,, ſolicitudinem indici. ,, Horum omnium civitatum numero fere centum in inſula Cretenſi Metropolita erat Titus, eoſque Epiſcopos ex mandato D. Pauli præfecit: Sed qui præficit Presbyteros, eis eſt dignitate major. Ergo &c.

Secundo: Act. c. 20. Apoſtolus ſic alloquitur Epiſcopos Aſiæ: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Nullam ibi ovem Chriſti ſubtractam eſſe ab eorum cura Epiſcopali ex poteſtate regiminis, docet; hinc complectitur etiam ſimplices Sacerdotes qui erant in hiſce Eccleſiis, quoſque vult eſſe ſub regimine Paſtorum, *in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos*. Hæc verba dubio procul denotant ſuperioritatem ab ipſo Deo datam: Ergo &c.

Tertio, 1. ad Timoth. cap. 5. hæc ait S. Paulus ſuo Diſcipulo: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus*. Illud autem, *adverſus Presbyterum*, eſſe Ordinis nomen vult Theodoretus. Inde & colligit Epiphanius Epiſcopos eſſe Presbyteris majores; ſic loquitur hæreſi 75. " Quid
,, negotii eſſet Epiſcopo, ut Presbyterum
,, non objurgaret, ſi non ſuper Presby-
,, terum poteſtatem haberet. Quemad-
,, modum etiam rurſus dicit: Adverſus
,, Presbyterum ne cito admiſeris accuſa-
,, tionem, niſi coram duobus, aut tribus
,, teſtibus. Et non dixit ad aliquem Pre-
,, ſbyterum, ne admiſeris accuſationem
,, contra Epiſcopum: neque ſcripſit ad
,, aliquem Presbyterum, ut ne Epiſco-
,, pum objurgaret. ,, Qui autem judex eſt Presbyteri, certe & ſuperior eſt. Ergo &c.

Secundo, ex ſanctis Patribus.

PRIMUS qui illud dogma docet eſt S. Ignatius Martyr, maxime vero in ſua ad Magneſianos Epiſtola, apud Cotelerium edit. Antverpiæ anno 1698. cap. 6. his verbis: " Moneo, in concordia Dei ſtu-
,, dete omnia operari; præſidente Epiſco-
,, po in loco Dei, & Presbyteris in loco
,, Confeſſionis Apoſtolorum, & Diaconis

mihi

mihi dulciſſimis habentibus creditam miniſtrationem Jeſu Chriſti . „ Sed qui præſidet Dei loco, eſt ſupra eos, qui ſunt dumtaxat de Senatu: Ergo &c. Similiter Epiſtola ad Trallianos ſic loquitur: " Cuncti ſimiliter revereantur Diaconos , ut mandatum Jeſu Chriſti : & Epiſcopum , ut eum qui eſt figura Patris ; Presbyteros autem , ut conſeſſum Dei , ut conjunctionem Apoſtolorum . „ Sed qui eſt figura Patris, ſuperior eſt eo qui eſt ſolum conſeſſus Dei . Ergo &c. Tertio , Epiſtola ad Tarſenſes ſic habet : " Presbyteri Epiſcopo ſubditi eſtote , Diaconi Presbyteris , populus Presbyteris & Diaconis . „ Profecto qui ſubditus eſt alicui , eum pro ſuperiore agnoſcit , ſed Presbyteri dicuntur ab Ignatio ſubditi Epiſcopo . Ergo .

Hanc veritatem firmat Synodus Alexandrina pro cauſa S. Athanaſii congregata, Epiſtola Synodica , in qua ſic ait de Iſchyra : " Quo pacto igitur Presbyter Iſchyras ? Aut a quo tandem auctore conſtitutus ? Numquid ſcilicet a Collutho? Atqui Colluthum in gradu Presbyteri mortuum , omnemque ejus manuum impoſitionem reſciſſam , omneſque ab eo conſtitutos in Laicorum ordinem redactos eſſe , & ſub nomine Laicorum ad ſynaxim admiſſos adeo apud omnes conſtat , ut nemo ea de re dubitandum putet . „ Unde ſequitur iſtud argumentum : Si Presbyteri Epiſcopis forent æquales, ordinandi facultatem haberent : Sed Ordinationes factæ a Colutho , declaratæ ſunt a Patribus iſtius Concilii nullæ : igitur Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores cenſebat ſacra Synodus .

Ejuſdem dogmatis aſſertor eſt S. Epiphanius , qui hæreſi 75. poſtquam ratiunculas Aerii coæquantis Presbyteros Epiſcopis , attulit , ſic habet : " Per ea quæ rurſus ad pravam artem in mundum furioſe invexit . . . . Dicere enim ipſum Epiſcopum , & Presbyterum æqualem eſſe , quomodo erit poſſibile ? . . . Epiſcoporum enim ordo , Patrum generator eſt : Patres enim generat Eccleſiæ . Presbyterorum vero non potens generare Patres , per lavacri regenerationem generat filios Eccleſiæ : non tamen Patres , aut Doctores . Et quomodo poſſibile erat , Presbyterum conſtituere , non habentem manuum impoſitionem ad eligendum , aut dicere ipſum æqualem eſſe Epiſcopo ? „

His plane ſuffragatur Tertullianus L. de Baptiſmo c. 17. ubi de iſtius Sacramenti Miniſtro ſic diſcurrit : " Dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos , qui eſt Epiſcopus ; dehinc Presbyteri , & Diaconi , non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem . Quo ſalvo , ſalva pax eſt . „ Porro ille eſt ſuperior Presbytero , ſine cujus auctoritate miniſtrare Baptiſmum non valet : Sed ex Tertulliano ſecluſa Epiſcopi auctoritate Presbyter Baptiſmum ſolemni ritu conferre non debet : Ergo &c.

Ejuſdem traditionis locupletiſſimus teſtis eſt S. Cyprianus , qui Epiſtola 35. ait : " Admonitos nos & inſtructos ſciatis dignatione divina , ut Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero , & nobiſcum ſedeat in clero . . . . Et promovebitur quidem , cum Deus permiſerit , ad ampliorem locum religionis ſuæ , quando in præſentiam , protegente Domino , venerimus . „ Numidicum Presbyterum gloria confeſſionis illuſtrem promovendum aliquando ad Epiſcopatum ſignificat , quod vocat , *ad ampliorem locum* ; Igitur gradus Epiſcopalis in Eccleſia Presbyteratu ſuperior & præſtantior eſt .

D. Auguſtinus L. de hæreſibus ad Quodvult-Deum c. 53. inter errores hunc numerat , quod dixerit Presbyterum , ab Epiſcopo nulla differentia diſcerni . Ergo &c.

Tertio , ex Conciliis .

EADEM tot teſtibus proclamata veritas , fuit definita in Concilio Conſtantienſi in Bulla Martini V. ubi omnes errores Joannis Wicleſi fuerunt damnati ; ſimiliter in Concilio Tridentino Seſſ. 23. cap. 4. & ſic dicitur : " Sacro-ſancta Synodus declarat , præter ceteros Eccleſiaſticos gradus , Epiſcopos , qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt , ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere ; & poſitos , ſicut idem Apoſtolus ait , a Spiritu ſancto , regere Eccleſiam Dei ; eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe ; ac Sacramentum Confirmationis conferre ; Miniſtros Eccleſiæ ordinare ; atque alia pleraque peragere ipſos poſſe : quarum fun-

„ functionum poteſtatem reliqui inferio-„ ris Ordinis nullam habent „ Rurſus can. 7. ſic definit caput : *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores , vel non habere poteſtatem confirmandi , & ordinandi : vel eam , quam habent , illis eſſe cum Presbyteris communem , &c. anathema ſit.*

Quarto , ex rationibus D. Thomæ .

PRIMA : Sic habetur hic q. 40. art. 4. in argumento *Sed contra* : " Divina Miniſteria debent eſſe magis ordinata, quam „ humana : Sed humanorum officiorum „ ordo exigit, ut in quolibet officio proponatur unus , qui ſit Princeps illius „ officii : ſicut præponitur militibus Dux : „ Ergo & Sacerdotibus debet aliquis præponi , qui ſit Sacerdotum Princeps , & „ hic eſt Epiſcopus : ergo Epiſcopalis „ poteſtas debet eſſe ſupra Sacerdotalem . „

Secunda , in corpore articuli continetur , ubi ſic habet : " Omnis enim poteſtas „ quæ non poteſt exire in actum , niſi „ præſuppoſitis quibuſdam Ordinationibus, dependet ab illa poteſtate quæ illas Ordinationes facit : Sacerdos autem „ non poteſt abſolvere , & ligare niſi præ „ ſuppoſita Prælationis juriſdictione , qua „ ſibi ſubdantur illi quos abſolvit : „ Ergo poteſtas Sacerdotalis ab Epiſcopali dependet , & illi inferior eſt .

Tertiam , in reſponſione ad 1. deducit , ex eo quod novum Sacerdotium ita antiquo reſpondere debet , ut quod Aaron , & filii ejus , & Levitæ fuerunt in veteri lege , hoc in Eccleſia ſint Epiſcopi , Presbyteri , aut Diaconi , ſeu reliqui Miniſtri , ita ut Epiſcopi reſpondeant Aaroni, Presbyteri vero filiis Aaronis , qui minores erant Sacerdotes Patri ſubjecti , Diaconi , & alii Miniſtri , Levitis ; id eſt aliis qui de tribu Levitica erant oriundi quamvis non eſſent filii Aaronis : Atqui in lege veteri longe major erat poteſtas & juriſdictio Aaronis, quam reliquorum inferiorum Sacerdotum : ergo ſimiliter in lege nova Epiſcopus dignitate , auctoritate & poteſtate ceteris præcellit Miniſtris : " Dicendum , *inquit* , quod Aaron „ Sacerdos fuit & Pontifex , id eſt Sacerdotum princeps : ſumpſit ergo ſacerdotalis poteſtas ab ipſo exordium , in quantum fuit Sacerdos ſacrificia offerens, „ quod etiam minoribus Sacerdotibus licebat : Sed non ab eo , in quantum „ facit Pontifex , per quam poteſtatem „ poterat aliqua facere, ut ingredi ſemel „ in anno ſancta ſanctorum , quæ aliis non „ licebat . „

Quarta , habetur in reſponſione ad 3. ubi S. Doctor ſic ratiocinatur : " Sicut „ omnium rerum naturalium perfectiones præexiſtunt exemplariter in Deo , „ ita Chriſtus fuit exemplar omnium officiorum Eccleſiaſticorum ; unde unuſquiſque Miniſter Eccleſiæ , quantum „ ad aliquid , gerit typum Chriſti . . . . „ & tamen ille eſt ſuperior qui ſecundum majorem perfectionem Chriſtum „ repræſentat : Sacerdos autem repræſentat Chriſtum in hoc quod per ſe ipſum „ aliquod Miniſterium implevit ; ſed Epiſcopus in hoc quod alios Miniſtros , & „ Eccleſiam fundavit . Unde ad Epiſcopum pertinet mancipare aliquid divinis „ officiis, quaſi cultum divinum ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuens ; & propter „ hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter ſponſus „ Eccleſiæ dicitur, ſicut & Chriſtus. „ Ergo &c.

His adde quod idem Doctor ſcribit 2. 2. q. 184. art. 6. ad 2. " Dicendum quod „ Epiſcopi , principaliter habent curam „ ovium ſuæ Diœceſis : Presbyteri autem Curati , & Archidiaconi , habent „ aliquas ſubminiſtrationes ſub Epiſcopis. „ Unde ſuper illud 1. Cor. 12. alii opitulationes, alii gubernationes, dicit Gloſſa, opitulationes , id eſt eos qui majoribus ferunt opem ; ut Titus Apoſtolo, vel „ Archidiaconi Epiſcopis : gubernationes, „ ſcilicet minorum perſonarum prælationes : ut Presbyteri ſunt , qui plebi documento ſunt . Et Dionyſius dicit 5. c. „ Eccl. Hier. quod ſicut univerſam Hierarchiam videmus in Jeſu terminatam ; ita unamquamque functionem in „ proprio divino Hierarcha , id eſt , „ Epiſcopo : & 16. quæſt. 1. dicitur : omnibus Presbyteris, & Diaconibus attendendum eſt, ut nihil abſque proprii Epiſcopi licentia agant . Ex quo patet quod „ ita ſe habent ad Epiſcopum , ſicut Ballivi , vel Præpoſiti ad Regem . Et propter hoc ſicut in mundanis poteſtatibus ſolus Rex benedictionem ſolemnem accipit, alii vero per ſimplicem commiſſionem

„ nem inſtituuntur; ita etiam in Eccleſia, „ cura Epiſcopalis cum ſolemnitate conſecrationis committitur: cura autem „ Archidiaconatus, vel Plebanatus cum „ ſimplici injunctione. Conſecrantur tamen in ſuſceptione Ordinis etiam antequam curam habeant. „

Solvuntur objectiones Heterodoxorum, ex Scriptura prodeuntes.

OBJICIUNT: D. Paulus Epiſtola ad Titum c. 1. referens dotes neceſſarias in Presbytero ad hoc, ut quis ad hunc Ordinem valeat promoveri, ſimul virtutes Epiſcopi enarrat: Igitur non diſtinguit Epiſcopum a Presbytero.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: Et ille Presbyter de cujus ordinatione agit, eſt Sacerdos primi Ordinis, qualis eſt Epiſcopus, concedo: Presbyter ſimplex, & ſecundi Ordinis, nego antecedens, & conſequentiam: Igitur cum S. Paulus injungit Tito, ut conſtituat per civitates Presbyteros, loquitur de Epiſcopis. Ita ſanctus Chryſoſtomus citatus in probationibus.

Inſtant: D. Paulus plures eodem tempore unius civitatis Epiſcopos agnoſcit: Sed illud manifeſte arguit, eum nomine Epiſcopi ſimplicem Sacerdotem intelligere, non enim unius urbis plures ſunt Epiſcopi. Ergo &c. Probatur major: ad Philippenſes c. 1. ſic loquitur: *Omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et nomine Epiſcopi intelligit ibi Presbyteros, concedo: & intelligit illos viros ordine & dignitate Epiſcopos eſſe, quales nunc habet Eccleſia, nego. Solutio eſt Theodoreti Comment. in cap. 3. Epiſt. 1. ad Timoth. Ubi ſic habet: " Eoſdem olim " vocabant Presbyteros & Epiſcopos, eos „ autem qui nunc vocantur Epiſcopi, nominabant tunc Apoſtolos. Procedente „ autem tempore nomen quidem Apoſtolatus reliquerunt iis, qui vere erant „ Apoſtoli. Epiſcopatus autem appellationem impoſuerunt iis qui olim appellabantur Apoſtoli. „ Itaque S. Paulus Presbyterum & Epiſcopum iiſdem characteribus delineat, & idem ſuppeditat nomen propter iſtas rationes, ſed non eo ſane ſenſu id attribuit nomen, & fere eaſdem dotes, quaſi vellet eos pari dignitate, & auctoritate putaret æquales.

Reſpondeo II. negando minorem; Philippenſes enim, ad quos hæc epiſtola dirigitur, eſt integræ Provinciæ nomen, in qua plures civitates fuerunt, adeoque plures Epiſcopi. Philippos quippe unius Provinciæ in Macedonia primam civitatem fuiſſe conſtat ex Act. c. 16. v. 12. conſequenter & Metropolim; Porro quod Epiſcopi proprie dicti in hoc Apoſtoli loco intelligendi ſint, auctor eſt S. Epiphanius Hæreſi 75. inde enim ait, anſam arripuiſſe Aerium aſſerendi Presbyteros non diſtingui ab Epiſcopis; ſic enim ſtatim adjicit: " Ubi Epiſcopi erant jam „ conſtituti, ſcripſit Epiſcopis, & Diaconis. „ Quare autem loquatur de Epiſcopis, & Diaconis, & non de Presbyteris, ratio in promptu eſt, quia nempe quædam erant civitates ubi præſidebat Epiſcopis nulli vero ſecundi Ordinis Presbyteri aderant. Ita idem Epiphanius loco citato his verbis: " Non enim omnia ſtatim potuerunt Apoſtoli conſtituere: Presbyteris enim opus erat & Diaconis, per hos „ enim duos Eccleſiaſtica compleri poſſunt. Ubi vero non inventus eſt quis „ dignus Epiſcopatu, permanſit locus ſine Epiſcopo. Ubi autem opus fuit, & „ erant digni Epiſcopatu, conſtituti ſunt „ Epiſcopi. Cum autem multitudo non „ eſſet, non inventi ſunt inter ipſos, qui „ Presbyteri conſtituerentur, & contenti „ fuerunt ſolo Epiſcopo in loco conſtituto. Verum ſine Diacono impoſſibile eſt „ eſſe Epiſcopum. Et curam adhibuit S. „ Apoſtolus, ut Diaconi eſſent Epiſcopo, propter Miniſterium. Sic enim Eccleſia accepit complementa diſpenſationis, ſic in illo tempore erant loci. „ Nam ſingulæ res non ab initio omnia „ habuerunt, ſed progreſſu temporis ea „ quæ ad neceſſariorum perfectionem requiruntur, parabantur. „

Tunc igitur erant civitates in quibus erat Epiſcopus cum Diaconis. Sed dato & non conceſſo D. Paulum loqui de civitate peculiari, nihil inde ſequitur contra dogma Catholicum: cum enim Epiſcopi forent Presbyteri, eos hoc nomine indigitat Apoſtolus, & ad eos ſcribit. Et vero vel Philipporum ſedes tunc vacabat, vel ipſorum Epiſcopus eo temporis articulo a ſede ſua abeſſe poterat: Namque

Epa-

Epaphroditus, eorum Epiſcopus, teſtibus Theodoreto, Chryſoſtomo, & Theophilacto, ipſorum oblationes ad uſum D. Pauli detulerat Romæ, qui & ad eos hanc retulit Epiſtolam.

Urgens: Hi ſunt veri Epiſcopi, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam, & attendere gregi: Sed D. Paulo teſte, id competebat quibuslibet Presbyteris civitatis Epheſinæ; ad majores enim natu hujus Eccleſiæ ſic ſitur Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: Presbyteri poſiti ſunt regere Eccleſiam Dei, & attendere gregi, ut Rectores Eccleſiæ Præſules, ſummique Paſtores gregis, nego: Porro ſecundi Ordinis Sacerdotibus, quales ſunt nunc Parochi, animarum cura demandata eſt, & ipſi Eccleſiam ſecundum aliquas portiones regunt, tum & attendunt gregi, ſed ut Miniſtri Sacerdotum principi ſubordinati, ſcilicet ut minores opitulationes, & ſimplices Presbyteri qui gregem, ordinante primum Epiſcopo, paſcant, & moderentur.

Reſpondeo 2. negando minorem; ad unam enim civitatem non eſt reſtrigendus grex ille, cui præponebantur Epiſcopi. Ita S. Irenæus L. 3. c. 14. ubi de vocatis Miletum Epiſcopis loquens ait: *Ab Epheſo, & reliquis proximis civitatibus convocatos eſſe*, Ipſe enim D. Paulus multas ubique fundavit Eccleſias, ut habetur c. 20. Act. objecto; legitur enim v. g. ex prædicationibus Apoſtoli eveniſſe, ut omnes Aſiam univerſam incolentes audirent verbum Domini; de unica igitur Aſiæ civitate verba memorata in objectione non debent intelligi. Quid plura? v. 18. prædictos Epiſcopos prædicationis & converſationis ſuæ inter illos, non Epheſi ſolum, ſed & per totam Aſiam conſcios, & teſtes advocat: *Vos ſcitis*, inquit, *a prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim*, & v. 25. *Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei.* Quinam autem illi fuerunt inter quos, ex quo in Aſiam deſcenderat, tantum inſumpſerat temporis Apoſtolus, quos in decurſu diverſa pertranſiendo loca, prædicans regnum Dei, inviſerat? Erant dubio-procul nobiliſſimæ Aſiæ civitates, quibus Epiſcopos ſingulares præfecit, & quos Miletum vocavit, ut illis curam gregis commendaret.

Inſiſtunt: Cui cura demandata eſt paſcendi gregem Dei, & Epiſcopum ſe gerere, ille eſt verus Epiſcopus: Atqui Presbytero cuilibet ea Provincia demandata eſt: & Probatur, 1. Petr. c. 5. hæc leguntur. *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro, &c. paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum*, Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi loquitur S. Petrus de Epiſcopis qui vocabantur etiam Presbyteri, & ſeniores, concedo: de ſimplicibus Sacerdotibus, nego. Hæc igitur nomina Presbyter, & ſenior ab ætatis notione ad honoris, & dignitatis appellationem translata ſunt, unde S. ipſe Petrus conſeniorem ſe, & compresbyterum vocat, & S. Joannes ſe Presbyterum ſeu ſeniorem inſcribit; porro vox illa Presbyter, aut ſenior alio ſenſu nunc ab eo quo in Apoſtolicis Epiſtolis uſurpatur, intelligenda eſt; apud nos enim Ordinis & gradus vocabulum eſt, ab Epiſcopatu prorſus diſtinctum, & inferioris; apud illos vero ut reverentiæ, honoris, & dignitatis nomen habebatur; unde non ſequitur ſi Apoſtoli Presbyteros appellent illos qui revera eſſent Epiſcopi, ipſo unum & eumdem ordinem Epiſcopatum, & Presbyteratum exiſtimaſſe.

Perſiſtunt, 1. ad Timoth. c. 4. Hæc leguntur: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*. Jam vero ſive per Presbyterium, Collegium Presbyterorum, ſeu quid minus, & unum dumtaxat Epiſcopum intelligamus, eadem eſt difficultas. Et vero ſi cœtus Presbyterorum ordinavit Timotheum Epiſcopum, dubio procul Presbyteri non diſtinguuntur ab Epiſcopis. 2. Gratia Timotheo data, eſt vere Epiſcopalis: Igitur ſi eam a Presbyteris accepit, illi ab Epiſcopis non diſtinguuntur.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et nomine Presbyterii intelligit divus Paulus primi Ordinis Sacerdotes, concedo: Secundi Ordinis, nego. Porro nomine Presbyterii intelligit ibi aliquem Epiſcopum,

qui ſimul cum ſancto Paulo Timotheum ad Epiſcopale munus conſecravit : Igitur cum Petrus , & Joannes ſe Presbyteros inſcribant., cum de Paulo & Barnaba Act. c. 14. v. 23. dicatur , eos per civitates Presbyteros conſtituiſſe , nihil obſtat quominus , quod Pauli , & Barnabæ , & aliorum Apoſtolorum manibus. factum. fuit , *Impoſitione manuum Presbyterii* , factum dicatur ; hinc D. Paulus affirmat ſe illi gratiam dediſſe 2. ad Timoth. c. 1. *Propter quam cauſam admoneo te , ut reſuſcites gratiam Dei , quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum* .

Reponunt : Omnem Epiſcoporum primatum S. Joannes in Diotrephe damnavit Ep. 3. v. 9. his verbis : *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ : Sed is , qui amat primatum in eis , Diotrephes , non recipit nos* . Ergo tunc nulli erant Epiſcopi qui primatum inter Epiſcopos gererent , ſed ſolum Presbyteri compares.

Reſpondeo negando Antecedens : Diotrephes enim non ſolum comparibus ſuis , ſed & ipſi Joanni Apoſtolo præponi voluit , dignitatemque ambiit, quæ ſanctiſſimo Apoſtolo debebatur , ſicque ſchiſma faciebat in Eccleſia . *Diotrephes* , inquit , *non recipit nos ; propter hoc ſi venero , commoneo ejus opera , quæ facit , verbis malignis garriens in nos : & quaſi non ei iſta ſufficiant , neque ipſe ſuſcipit fratres ; & eos , qui ſuſcipiunt , probibet , & de Eccleſia ejicit* . Igitur in Eccleſia Aſiatica primatum , non Diotrephes , ſed divus Joannes obtinebat. Ille enim , nec fuerat ab Apoſtolis miſſus, nec impoſitionem manuum receperat, ſed ſolum propriæ ambitioois motu , vel ipſo renitente Apoſtolo dignitatem inhiare , immo, & ſi fieri poſſet, habere tentabat.

Objectiones ex Patribus.

OPPONUNT : S. Policarpus in Epiſtolâ ſua ad Philippenſes apud Cotelerium edit. Antverpiæ , anno 1698. nullam mentionem facit de Epiſcopo , qui Philippenſi Presbyterio ſupereminerét ; ſic enim habet , „ Subjici autem Presbyteris , & Diaconis , „ tamquam Deo & Chriſto , Virgines ve- „ ro inculpata , & caſta conſcientia vive- „ re . „ Igitur ſolis Presbyteris incumbebat fraternitatem dirigere , & ſic nulli erant Epiſcopi ab eis diſtincti.

Reſpondeo negando conſequentiam ; Presbyterorum enim nomine etiam Epiſcopi a S. Polycarpo intelliguntur ; ſiquidem utrique Ordini nomen Epiſcopi & Presbyteri tunc erat commune . Certe Polycarpum ipſum fuiſſe ſingularem Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopum, conſtat ex epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ ad Eccleſias Ponti , apud Euſebium Lib. 4. Hiſt. cap. 14. ubi Martyrum ſuorum certamina deſcribens , ſic ait : “ Ex quorum numero iſte „ Policarpus unus erat , vir noſtris tem- „ poribus omnium facile præſtantiſſimus : „ Catholicæ Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſco- „ pus , doctor Apoſtolicus , & Prophe- „ ta Pius . „ Ita ſimiliter S. Irenæus apud Euſebium Libro 4. caput 14. ita & D. Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. cap. 27. Iſta ſolutione explicantur loca nonnulla duriora tum divi Irenæi , Lib. 3. adverſus hæreſes , tum Clementis Alexandrini Lib. 4. Stromatum , & ſimilium.

Inſtans : In epiſtola Viennenſis, & Lugdunenſis Eccleſiæ ad Eleutherium Romanum Pontificem , apud Euſebium Lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 4. quamque detulit Irenæus , hæc leguntur : “ Has litteras ad te per- „ ferre fratrem noſtrum Irenæum , & „ Miniſterii conſortem , rogavimus : te- „ que obſecramus , ut illum , ut pote ſtu- „ dio incredibili erga teſtamentum Chri- „ ſti flagrantem , gratia & benevolentia „ præ ceteris complectaris . Quod ſi lo- „ cum & gradum Eccleſiaſtici Miniſterii „ vim & facultatem habere , juſtitiæ cui- „ quam impartiendæ animadverteremus, „ hunc ut Presbyterum Eccleſiæ , hoc nam- „ que munus obtinet , in primis tibi com- „ mendaſſemus . „ Cum autem Irenæus fuerit Epiſcopus , claret ex illo teſtimonio , eos non diſtinguiſſe Epiſcopum a Presbytero. Ergo &c.

Reſpondeo , nondum tunc Irenæum fuiſſe Epiſcopum ; Sedem enim Lugdunenſem tunc occupabat Photinus, qui , ut ſcribit Eccleſia Lugdunenſis , in perſecutione M. Aurelii Antonini fuit comprehenſus , tum una cum aliis Martyribus diris tormentis excarnificatus , biduo poſt tandem obiit . Iidem porro Martyres , dum adhuc in vinculis eſſent , litteras ad Eleutherium ſcripſerunt per Irenæum adhuc Presbyterum deferendas . Sic refert. Hieronymus in catalogo ſcri-

pto-

ptorum Eccleſiaſticorum cap. 45. his verbis: " Irenæus Photini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat Eccleſiam, Presbyter a Martyribus ejuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Legatus Romam miſſus. ,,

Urgent: Clerus Romanus Epiſt. 3. apud S. Cyprianum hæc ſcribit: " Cum incumbat nobis qui videmur præpoſiti eſſe, vice Paſtoris cuſtodire gregem. ,, Igitur Sacerdotibus competit regere Eccleſiam.

Reſpondeo diſtinguendo: Cleri Romani Sacerdotes dicebant ſe urbis Clericos, & vice Paſtoris gubernare gregem interregni Pontificii tempore, concedo: quod ſemper & ex jure, nego. Vacabat tunc per obitum Fabiani Pontificis Sedes Romana; ſcribebant quidem & ipſi Laicos non eſſe in Eccleſiam recipiendos niſi collatione Conciliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis facta, quod denotat eos agnoviſſe ſuperioritatem Epiſcoporum in Eccleſia: Eſto, quod tunc Presbyteri & Diaconi in partem quamdam & ſocietatem Eccleſiaſtici regiminis venirent, ſed non par erat eorum auctoritas Epiſcoporum auctoritati; cum enim iſti ſuffecti fuerint a Chriſto Domino, deficientibus Apoſtolis, poteſtatem eis tribuit ſingularem in Presbyteros.

Inſiſtunt: Auctor Commentarii in Epiſtolas S. Pauli apud D. Ambroſium in 1. ad Timoth. c. 3. ſic habet: " Poſt Epiſcopum tamen Diaconatus Ordinatio. nem ſubjecit. Quare? Niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt. Uterque enim Sacerdos eſt. Sed Epiſcopus primus eſt, ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non tamen omnis Presbyter Epiſcopus. Hic enim Epiſcopus eſt qui inter Presbyteros primus eſt. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat: Sed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat. Unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet, oſtendit. Neque enim fas erat aut licebat ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit quod non accepit. ,, Ex quibus ſequitur illud argumentum: Quorum una ordinatio eſt, unus non differt ab altero, quippe qui ſint æquales ordine & dignitate: Sed tales ſunt Presbyteri reſpective ad Epiſcopos ex laudato auctore: Ergo &c.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo minorem: Epiſcopi, & Presbyteri una ordinatio eſt quantum ad aliqua, concedo: quantum ad omnia, nego. Itaque Presbyteri & Epiſcopi una ordinatio eſt, quatenus Epiſcopus Presbyter eſt; cum enim ambo Sacerdotes ſint, & æqualem habeant conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem, ſub iſto reſpectu unum ſunt: At non eſt abſolute una utriuſque ordinatio, quia omnis Epiſcopus Presbyter eſt, ut ait laudatus auctor, ſed non e contra.

Ad ſecundam partem diſtinguo ſimiliter: Epiſcopus eo ſolum differt a Presbytero, quod primus ſit dignitate & poteſtate, concedo: quod primus ſit ordinationis tantum antiquitate, nego. Ait laudatus auctor Timotheum Epiſcopum fuiſſe, quia alterum ante ſe non habebat, id eſt quia novæ dignitatis acceſſione ſupra Presbyteros jamjam evectus fuerat, quippe qui omnibus Aſiæ Eccleſiis Præpoſitus exiſteret. Primum igitur Presbyter ordinatus eſt, tum & Epiſcopus: In eo autem poſita erat dignitas illa, poteſtaſque ſublimior, ut Epiſcopos ordinare poſſet, quod Presbyteri non poterant: " Neque enim fas erat aut licebat, *inquit*, ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit quod non accepit. ,,

Aperitur mens D. Hieronymi.

OBJICIUNT 2. auctoritatem S. Hieronymi, quæ nonnullam patitur difficultatem, Comment. in cap. 1. epiſt. ad Titum edit. Pariſ. ann. 1533. ſanctus Doctor explicans hæc verba: *Et conſtituat per civitates Presbyteros &c.* ſic habet: " Idem eſt ergo Presbyter qui Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent: & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio, Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero nuſquiſque eos quos baptizaverat ſuos putabat eſſe, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris: ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut ſchiſmaticorum ſemina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum, & Presbyterum unum eſſe: & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii:

„ relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis : Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconis, gratia vobis & pax, & reliqua: Philippi una eſt urbs Macedoniæ; & certe in una civitate plures, ut nuncupantur Epiſcopi eſſe non poterant. Sed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus. „ Quod ibidem poſtea Scripturæ ſacræ teſtimoniis Heb. 13. Petri 5. Act. 20. probat: Et ſubdit: " Hæc propterea, *ait*, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros quos & Epiſcopos; paulatim vero ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſolicitudinem eſſe delatam; ſicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi Præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit cum quibus populum judicaret. „ Ex his autem quatuor hæc argumenta efformantur. 1. S. Hieronymus aſſerit idem eſſe Presbyterum ac Epiſcopum: Igitur Epiſcopi non ſunt jure divino Presbyteris ſuperiores. 2. Eorum eminentia non fuit ab Eccleſiæ exordiis, ſed & in ſchiſmatis remedium dumtaxat inducta. 3. Communi Presbyterorum conſilio adhuc vagiente Eccleſia regebantur Chriſtiani Presbyteri, igitur erant pares. 4. Epiſcopi magis ex conſuetudine Eccleſiæ quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris ſunt majores, & in commune debent Eccleſiam regere ex D. Hieronymo: Ergo &c.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo: Idem eſt Presbyter qui & Epiſcopus quoad nomen, concedo: quoad dignitatem, nego antecedens & conſequentiam. Hæc non dicit S. Hieronymus, ſed apud veteres, eos Presbyteros affirmat eſſe, quos & Epiſcopos; communia tunc erant nomina, ſed diverſa dignitas, hanc eſſe ejus mentem hæc verba declarant: " Sed quia „ eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & „ Presbyteros appellabant, proterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus. „

Ad ſecundum diſtinguo: Epiſcoporum eminentia aliqua, concedo: omnis, nego. Duplici ratione ſupra Presbyteros eminent Epiſcopi: Primo interiori poteſtate & ordine ipſi ſive charactери Epiſcopali eſſentialiter conveniente, qua Presbyteros & Epiſcopos alios ordinare poſſunt. Secundo: Eminent myſtici corporis Chriſti, id eſt Eccleſiæ regimine, quod ex poteſtate juriſdictionis habent, ratione cujus leges poſſunt ferre, dirigere diſciplinam, ab Eccleſiæ communione rebelles amputare, pœnitentes reconciliare, Chriſtianæ plebis mores reformare. Quoad priorem poteſtatem & illius uſum, ſemper fuerunt Epiſcopi Presbyteris ſuperiores etiam vel ipſis exordiis Eccleſiæ, & antequam ſchiſmata orirentur. Talis eſt mens Hieronymi; nec cenſet veros & proprie dictos Epiſcopos plures in una fuiſſe Eccleſia, cum plures fuiſſe fateatur Presbyteros; nam cum ad probandum eumdem apud Paulum eſſe Presbyterum & Epiſcopum attuliſſet locum Act. c. 20. ſtatim addit: " Ac ne quis „ contentioſe in una plures Epiſcopos fuiſſe contendat, audi & aliud teſtimonium „ in quo manifeſtiſſime comprobatur „ eumdem eſſe Epiſcoporum, & Presbyterum. „ Jamvero quoad ſecundum poteſtatis gradum, qui in exteriori Eccleſiæ adminiſtratione conſiſtit, non ea fuit ab initio quæ ſequentibus temporibus Epiſcoporum eminentia; tunc enim communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ regebantur, & nihil decernebatur niſi ex ipſorum ſuffragiis, illis tamen unus præſidebat, cum prærogativa ſuffragii, tum & judicandi, atque decernendi auctoritate, ſed hæc regiminis forma immutata eſt occaſione ſchiſmatum, & ad unum omnis ſolicitudo fuit delata: & ſic patet ſolutio ad tertium; hunc autem eſſe Hieronymi ſenſum, ejus verba indicant: " In „ toto orbe decretum eſt ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, „ ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut ſchiſmatum ſemina tollerentur. „ Dubio-procul ille erat ſingularis Epiſcopus.

Inſtabis: Idem Hieronymus Epiſt. 83. ad Evagrium, multis Scripturæ relatis auctori-

ctoritatibus, ut probet eumdem eſſe Presbyterum, & Epiſcopum ſic habet: " Quod „ autem poſtea unus electus eſt, qui ceteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet: nam Alexandriæ a Marco Evangeliſta „ uſque ad Heraclam, & Dionyſium „ Epiſcopos, Presbyteri; ſemper unum „ ex ſe electum in excelſiori gradu collo- „ catum, Epiſcopum nominabant: quomo- „ do ſi exercitus Imperatorem faciat, „ aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vo „ cent. „ Ex hoc autem loco habemus primis Eccleſiæ exordiis eoſdem Presbyteros, quos & Epiſcopos fuiſſe. 2. in ſchiſmatis remedium factum eſſe, ut unus ex Presbyteris electus ceteris præponeretur.

Reſpondeo ad primum diſtinguendo: Iidem erant Presbyteri, qui & Epiſcopi, nomine tenus concedo; ordine & dignitate, nego. Id unum intendit D. Hieronymus: Presbyteri & Epiſcopi nomina ſecundi etiam ordinis Sacerdotibus fuiſſe communia, & S. Paulum in locis citatis nomine Epiſcopi Presbyterum ſimplicem intellexiſſe; non vero Epiſcopum, qui unus erat in civitate, immo & Diœceſi, hunc eſſe ejus ſenſum, ex ipſius ſcopo intelligitur: Namque invehitur ibi in quemdam Heterodoxum, qui Diaconos Presbyteris anteponebat; hunc ut refellat oſtendit Epiſcopos, de quibus Apoſtolus loquitur, fuiſſe ſecundi ordinis Sacerdotes, ſeu Presbyteros ſimiles illis qui erant ſuo tempore, quoſque ille Vafer diſputator infra Diaconos deprimebat. Cum igitur perſpicuum ſit, illos de quibus Apoſtolus loquitur, fuiſſe ſublimioris dignitatis quam Diaconi, inde colligit ejus temeritatem non eſſe tolerandam, quippe qui Presbyteris Diaconos anteponeret. Id ex ipſius contextus lectione patebit; ſic enim habet Hieroymus: " Audio quem- „ dam in tantam erupiſſe vecordiam ut „ Diaconos Presbyteris, id eſt Epiſcopis „ anteferret, nam cum Apoſtolus perſpicue „ doceat eoſdem eſſe Presbyteros, quos „ Epiſcopos, quis patiatur, menſarum & „ viduarum Miniſter, ut ſupra eos ſe tu- „ midus efferat, ad quorum preces Chriſti „ corpus ſanguiſque conficitur? „

Ad ſecundum ſolutio jam data eſt; ſpectat enim rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, quæ ſchiſmatum occaſione tota ad unum delata eſt Epiſcopum, cum antea toti Presbyterorum Collegio cum Antiſtite communis eſſet; quamobrem non vult Hieronymus Diaconos inſoleſcere, quod bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio eis primum fuiſſet commiſſa, aut quod non ſine eorum ſuffragio Presbyteri ordinarentur.

Urgebis: Ex eodem, a S. Marco Evangeliſta in urbe Alexandrina uſque ad Heraclam & Dionyſium Presbyteri, unum e ſuo Collegio electum in ſublimiori Cathedra ſedere volebant: tum & Epiſcopum abſque nova inauguratione eumdem nominabant: Igitur jure tantum humano Epiſcopi ſunt Presbyteris ſuperiores: Probatur antecedens: Ex eo quod S. Hieronymus novæ ordinationis non meminerit, & ſi quæ intercedebat, eam a Presbyteris eſſe factam, neceſſe eſt, qui unum ex ſuo Collegio in excelſiori Cathedra collocatum Epiſcopum nominabant. Sic loquitur Epiſt. 83. ad Evag. " Quod „ autem unus electus eſt, qui ceteris præ- „ poneretur in ſchiſmatis remedium factum „ eſt, ne unuſquiſque trahens ad ſe Chriſti „ Eccleſiam rumperet. Nam & Alexan- „ driæ a Marco Evangeliſta uſque ad Hera- „ clam & Dionyſium Epiſcopos, Presby- „ teri unum ſemper ex ſe electum in ex- „ celſiore gradu nominabant, „

Reſpondeo negando minorem; etenim novam ordinationem interceſſiſſe, qua electus a Compresbyteris inauguraretur Epiſcopus, S. Hieronymus ſatis innuit ſingularem in Epiſcopis agnoſcendo poteſtatem ad ordinandos Epiſcopos, & Presbyteros; hæc enim poſt verba relata ſtatim ſubjungit: " Quid enim facit, „ excepta ordinatione, Epiſcopus, quod „ Presbyter non faciat. „ 2. Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores nominat ibidem; ſicut ergo Apoſtoli erant ſuperiores Presbyteris quos ordinabant, idque jure divino, ſcilicet per poteſtatem a Chriſto acceptam, ita & Epiſcopi; hinc Epiſt. 54. ad Marcellam illud inter Catholicos, & Montaniſtas diſcrimen ponit: " Apud „ nos, *ait*, Apoſtolorum locum Epiſco- „ pi tenent, apud eos Epiſcopus tertius „ eſt. „

Inſiſtes: Ex eodem ſancto Doctore ita fiebat Presbyter Epiſcopus electione Com-

Digitized by Google

presbyterorum, ſicut miles vel Tribunus fiebat Imperator electione Commilitonum, ſicut Diaconus, Archidiaconus, Coudiaconorum nominatione evadebat: Atqui in hiſce dignitatibus obtinendis & exercendis ritus alius non erat neceſſarius ab electione diſtinctus. Igitur idem de Epiſcopis dicendum eſt. Subdit Hieronymus Epiſt. ad Evag. immediate poſt verba ſupra laudata: " Presbyteri ,, ſemper unum ex ſe electum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe ,, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. ,,

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et comparatio eſt quoad aliqua, concedo: quoad omnia, nego. In eo tantum ſenſu comparationem inſtituit D. Hieronymus, quod ſicut olim ex corpore exercitus eligebantur Imperatores, & ex Diaconorum ſocietate Archidiaconi, ita ex Presbyterorum Collegio crearentur Epiſcopi: non vero in eo quod ſola electione, & citra ordinationem ad hanc dignitatem promoverentur Sacerdotes. Eadem eſt reſponſio ad ea quæ depromuntur ex brevibus Commentariis in Epiſtolas S. Pauli 1. c. 3. ad Timoth. & ex libello de ſeptem gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem apud eumdem Hieronymum; nihil enim aliud volunt auctores, quam hic ſanctus Doctor.

Solvuntur ſimiliter ea quæ ex Iſidoro Hiſpalenſi L. 2. de Eccleſ. officiis cap. 7. & L. 7. Etymol. c. 12. ubi Presbyteris non ſecus ac Epiſcopis Myſteriorum Dei diſpenſationem ait eſſe commiſſam, ipſos Eccleſiæ Præſides Epiſcoporum in Euchariſtiæ confectione, doctrina, prædicandi officio conſortes; quippe qui Ordinationem ſolis Epiſcopis competere ibidem aſſerit his verbis: " Sed ſola propter ,, auctoritatem ſummo Sacerdoti Clericorum ordinatio & conſecratio reſervata eſt, ne a multis Eccleſiæ diſciplina ,, vindicata, concordiam ſolveret, ſcandala generaret. ,, Ita & alii verba Hieronymi referentes.

Explicatio critica mentis ſancti Hieronymi.

DIVERSÆ ſunt operum divi Hieronymi editiones, quæ non leviorem pariunt difficultatem circa mentem tanti Doctoris pro ſuperioritate Epiſcoporum ſupra Presbyteros. Prior facta eſt Pariſiis apud Claudium Chevallonium an. 1533. Altera Benedictina eadem in civitate an. 1706. in vetuſtiore adeſt de ſeptem gradibus Eccleſiæ oratio ſeu diſcurſus, ubi ſanctus Doctor de ſexto gradu, qui Sacerdotum Ordo eſt, egregie deſcribit tum munia, tum privilegia Presbyteratus; ubi variis argumentis probare nititur pares eſſe ſimplices Sacerdotes Epiſcopis, aitque non niſi auctoritate, immo & quadam invidia Epiſcopos ſupra Presbyteros eminere, ita ut ex jure etiam competat Presbyteris altaria conſecrare &c. " Sola, *inquit*, propter auctoritatem ,, ſummo Sacerdoti Clericorum Ordinatio, & Virgioum conſecratio reſervata ,, ſit, cum Baſilicæ altaris, & chriſmatis dedicatione vel ſatisfactione, ne a ,, multis diſciplina Eccleſiæ vindicata, ,, concordiam Sacerdotum ſolveret, ſcandala generaret. ,, Tum ſubdit: " Nemo hinc Epiſcoporum invidia diabolicæ ,, tentationis inflatus iraſcatur in Templo, ſi Presbyteri interdum exhortentur plebem, ſi in Eccleſiis prædicent, ,, ſi plebibus, ut ſcriptum eſt, benedicant. ,, Demum ſic concludit: " Intelligis ergo in Presbytero ſummam Sacerdotii collocari? Et alibi ad majores natu: Qui vos poſuit Epiſcopos rege- ,, re Eccleſiam ſuam Philippis. Certe una ,, Macedoniæ civitas eſt, & cum ibi Paulus ,, Epiſcopis & Diaconibus ſcripſit: quid niſi eos qui præſunt Presbyteri, Epiſcopos ,, vocat. ,, Paulo ante dixerat de eis,,: " Quæ cum offerre licet, etiam reliqua, ,, quæ in eo ſunt conſecrare, quia in ,, Chriſto omnis plenitudo divinitatis ,, corporaliter habitat. Presbyteri ergo, ,, ſi neceſſe eſt poſſunt chriſma conficere, quia in corpore ejus chriſma ,, eſt. ,,

In vetuſtiſſimis aliis editionibus ſimilia leguntur in epiſtola ad Evagrium, quæ eſt 85. non autem 83. ut novi quidam recentiores Theologi deluſi poſuerunt.

In poſteriore ſcilicet Benedictina eadem epiſtola n. 101. ponitur cum hac inſcriptione Epiſt. 101. ad Evangelum, & Auctores addunt pro titulo: *Refellit eorum errorem, qui Diaconum Presbytero æquabant, oſtendens quid ſit diſcriminis inter Epiſcopum, Sacerdotem, Presbyterum & Diaconum.*

Em.

En textum : " Legimus in Iſaia : Fatuus fatua loquitur : audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam , ut Diaconos , Presbyteris , id eſt Epiſcopis anteferret : nam cum Apoſtolus perſpicua doceat , eoſdem eſſe Presbyteros quos Epiſcopos , quis patiatur menſarum & viduarum Miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat , ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur . " Tum variis Scripturæ locis oſtendit Presbyteros Diaconibus præcellere . Deinde vero concludit Diaconos non inde ſuper Presbyteros ſe eſſe efferendos , ex eo quod unus tantum ſit in qualibet Diœceſi , ex quo Archidiaconi dicti ſunt , quique propter paucitatem majori præ Sacerdotibus honore a populis ut plurimum habebantur .

Tum ſic pergit Hieronymus : " Quod autem poſtea unus electus eſt Epiſcopus, qui ceteris præponeretur , in ſchiſmatis remedium factum eſt : Ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet . Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant : quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat , aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint & Archidiaconum vocent ; quid enim facit excepta Ordinatione Epiſcopus , quod Prebyter non faciat . " His præmiſſis .

Reſpondeo I. ea omnia quæ Presbyteros pares Epiſcopis faciunt eſſe dubiæ fidei : Sic cenſet Eraſmus de iis quæ de ſeptem gradibus dicuntur , vel alius auctor ; ſic enim habetur in prima editione .

Cenſura diſcurſus ſequentis .

" Et hanc ſermonis diſcrepantiam ſatis arguit ab Hieronymo non fuiſſe ſcriptam . Quod quidem & hinc colligi poterat , quod in exemplaribus variat titulus : in nonnullis ad Damaſum inſcripta eſt , in aliis ad Ruſticum Epiſcop. Narb. in quibuſdam nullius habet nomen . Deinde in aliis codicibus habetur integra , in aliis mutila . Poſtremo non eſt veriſſimile divum Hieronymum ſi de re tanta , tantum ſcripuſſet librum , non alicubi citaturum fuiſſe , cum multo breviores & levioris argumenti tam frequenter citet . "

De ſeptem gradibus Eccleſiæ , &c.

Reſpondeo II. ad ea quæ ſunt in ſermone de gradibus , diſtinguendo : Adæquat Hieronymus , Presbyteros Epiſcopis quantum ad confectionem corporis Chriſti , concedo : quantum ad alia munia , ut Sacerdotes & Diaconos conſecrare , nego . Altum eſt enim ibi ſilentium de his omnibus ; nam a primo ad ultimum ſolum inſiſtit in illa poteſtate ; unde ait : " Nec debere Epiſcopum repudiare Euchariſtiam Presbyterorum ſi ponatur in altari . " Aſſerit etiam Presbyterum poſſe prædicare ; eſto quod etiam mentionem faciat de chriſmate conficiendo & conſecrandis virginibus , aliaque ſimilia , quæ forſan Hieronymus putavit poſſe fieri vel ab ipſis Presbyteris , ſed intellige cum privilegio .

Reſpondeo ulterius ad textum epiſtolæ 101. editionis Benedictinæ , eodem modo, nec aliud intendere Hieronymum niſi Diaconorum compeſcere audaciam , qui ſe non ſine ſcandalo ſupra Presbyteros efferebant ; quod quidem confutat Hieronymus multis argumentis . Primo quidem ex eo quod Presbyteri haberent poteſtatem circa corpus Chriſti verum . Secundo , & poſſent peccata remittere . Tertio , quia ex privilegio poterant confirmare , & Virgines conſecrare . Quarto demum quia prioribus temporibus Presbyteri ut plurimum erant ſimul & Epiſcopi ; ſed intelligas velim & ſpeciali ordinatione .

Objectiones ex aliis Doctoribus proponuntur & ſolvuntur .

ITERUM objiciunt ex Liberato in Brev. Mortuo Epiſcopo Alexandrino Presbyter pallium divi Marci Patriarchæ manu dumtaxat ſumit , tum abſque nova ordinatione eſt Epiſcopus . Igitur nulla ipſi jure divino poteſtas nova accedebat . Sic autem habet c. 20. " Conſuetudo quidem eſt Alexandriæ , illum qui defuncto ſuccedit , excubias ſuper defuncti corpus agere , manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere , & ſepulto manibus ſuis , accipere collo ſuo B. Marci Pallium , & tunc legitime ſedere . "

Re-

Reſpondeo 1. diſtinguendo : Et eo loci Liberatus commemorat cæremoniam ſingularem Eccleſiæ Alexandrinæ , concedo ; & ibi ſermonem facit de Ordinatione quæ tum Alexandriæ , tum in ceteris Eccleſiis adhibebatur , nego . Pro more poſitum erat , ne factionibus præberetur anſa , incunctanter ſucceſſorem deſignare ; hinc Epiſcopi qui ad funera Patriarchæ celebranda convenerant , deſignatum Presbyterum abſque mora ordinabant Patriarcham : ipſe vero pallium S. Marci aſſumens , in throno ſedebat Eccleſiam gubernaturus . Ita Epiphanius Hær. 69. p. 227. " Eſt autem , *ait* , mos in Alexan-
„ dria , ut non cunctentur conſtitui poſt
„ obitum Epiſcopi , ſed ſimul fiant pa-
„ cis gratia , ut ne contentiones fiant in po-
„ pulis , his hunc vocantibus , aliis il-
„ lum . „

Reſpondeo 2. Miniſtrum Baſnagium natione Gallum , ſecta Calviniſtam , triginta circiter abhinc annis Epiſcopatum evacuare tentaſſe ; ea ratione non abſimili ei quæ pro objectione adducta eſt , quod ſeniores ſolum ſeu Presbyteri apud Coptitas Alexandriæ eligerent Patriarcham , electus vero ſine ulteriori ritu ſuam exerceret poteſtatem : verum abſque negotio propulſus eſt : Primo quidem a Rabino Mekelin , qui in Polyglotta Pariſienſi inſtituenda ſub Domino le Jay , Senatus Pariſienſis eximio Alumno utiliter inſudavit ; hic enim Miniſtro oſtendit traditionem Coptitarum nullius eſſe pro momento allato ponderis , quippe quæ mendaciis & fabulis referta foret . Secundo ab illuſtriſſimo DD. Boſſuet Meldenſium Epiſcopo , qui eidem Miniſtro probavit , electum a populo & ſenioribus Patriarcham , poſtea a vicinioribus Epiſcopis ſemper fuiſſe conſecratum : Tum demum manet ita confutatus a Dom. Renaudotio continuatore Perpetuitatis fidei pro aſtruenda corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritate , qui librum in 4. Juris publici fecit anno circiter 718. ubi omnium a S. Marco Patriarcharum Alexandriæ catalogum texit ; eo etiam loci omnes ne uno quidem excepto , fuiſſe conſecratos Epiſcopos argumentis irrefragabilibus oſtendit , ut non remaneant in Calviniſtis adverſus Epiſcopatum redargutiones .

Inſtant : Eutychius Patriarcha Alexandrinus in libro de originibus Eccleſiæ Alexandrinæ , ſic loquitur : " Conſtituit idem
„ Marcus Evangeliſta duodecim Pre-
„ sbyteros , cum Anania , qui nempe ma-
„ nerent cum Patriarcha ; adeo ut cum
„ vacaret Patriarchatus , eligerent unum
„ ex duodecim Presbyteris , cujus capiti re-
„ liqui undecim manus imponerent , eum-
„ que benedicerent , & Patriarcham crea-
„ rent . . Neque deſiit Alexandriæ inſtitu-
„ tum hoc de Presbyteris , ut ſcilicet Pa-
„ triarchas crearent ex Presbyteris duode-
„ cim uſque ad tempora Alexandri Patriar-
„ chæ , qui fuit ex numero illo 318. Is
„ autem vetuit ne deinceps Patriarcham
„ Presbyteri crearent , & decrevit ut ,
„ mortuo Patriarcha , convenirent Epiſco-
„ pi , qui Patriarcham ordinarent . „ Et
paulo poſt : " Ab Anania , quem conſecra-
„ vit Marcus Evangeliſta Patriarcham Ale-
„ xandriæ uſque in tempora Demetrii
„ Patriarchæ , ibidem nullus erat in Pro-
„ vinciis Ægypti Epiſcopus , nec Patriar-
„ cham ante eum crearunt Epiſcopi . „ Inde colligitur , nedum electos , ſed & conſecratos fuiſſe a Presbyteris Epiſcopos . 2. Eccleſias Ægypti per ducentos annos non fuiſſe adminiſtratas ab Epiſcopis . Ergo &c.

Reſpondeo in his rebus fidem non eſſe adhibendam Eutychio , cum aperte falſitatis convincatur ; falſum quippe eſt Patriarcham Alexandrinum a Presbyteris fuiſſe conſecratum ; contrarium quippe affirmat D. Hieronymus referendo Alexandrinæ Eccleſiæ uſum in creandis Epiſcopis :
" Quid enim facit , *inquit* , excepta Or-
„ dinatione Epiſcopus quod Presbyter
„ non faciat . „ Noverat ille Doctor quid Alexandriæ ageretur ; cum non ſemel Ægyptum adierit. Præterea inſcitiam ſuam ubique prodit ille Eutychius in rebus quæ ſpectant fundationem ipſius Alexandrinę Eccleſiæ , cujus hiſtoriam negligenter admodum ſcripſit , & in ea multa falſa leguntur , inter quæ quædam ſeligo : 1. Tradit S. Marcum Evangeliſtam 9. Claudii anno veniſſe Alexandriam , qui tamen primo Neronis anno ibi Martyrio coronatus eſt . Rurſus ibidem habet ſub Nerone Marcum , dictante Petro Evangelium , ſcripſiſſe ; hæc autem non ex ſcrinii Eccleſiæ Alexandrinæ hauſit , ſed ex diverſis Scriptoribus . 3. In eodem legitur Origenem vixiſſe tempore quinti Concilii ,

cla-

clavum Imperii tenente Juſtiniano : Sed norunt omnes Origenem fuiſſe tertii ſæculi Scriptorem. 4. Subdit iſtum habuiſſe tres Comites, ſcilicet Ibam Rohenſem Epiſcopum, Thaddæum Meſſinenſem, per illum intelligit Theodoretum Mopſueſtenum & Theodoretum Ancyrenſem ; quæ quidem omnia ignorantiam ejus probant, ſicut & alia permulta quæ hic texere non eſt neceſſarium.

Inſiſtunt : Epiſcopi Presbyteros quondam appellabant Compresbyteros, Comminiſtros, Collegas, & Fratres ; hinc in canone 25. Concilii Carthaginenſis quarti hæc leguntur : " Ut Epiſcopus in Eccle-„ ſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſub-„ limior ſedeat, intra domum vero col-„ legam ſe Presbyterorum eſſe cogno-„ ſcat. „ Ex his colligitur Presbyteros eſſe Epiſcopis pares. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Epiſcopos vocat Presbyteros, Comminiſtros : eo quod æqualem habeant poteſtatem quod aliqua, concedo : quoad omnia, nego. In hoc pares ſunt, quod utrique Euchariſtiam conficiant, & peccata remittant ; ſed in aliis maxime differunt, conſecrat quippe Eccleſias, & Altaria Epiſcopus, ordinat Sacerdotes, eis juriſdictionem tribuit ; e contra vero ſimplex Sacerdos. Hic eſt germanus ſenſus canonis, qui legi debet, eo quo ſcripſit modo Hecbertus Eboracenſis, ſcilicet : " Ut Epiſcopus in Ec„ cleſia, conſenſu Presbyterorum ſubli-„ mior ſedeat. „ Scriba enim imperitus interpolavit, & loco *conſeſſu*, poſuit *conſenſus* ; nec enim hanc fuiſſe mentem Ecberti apparet, qui Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Ordinationes ad ſolos Epiſcopos pertinere agnovit can. 96. & 97. Hinc Synodus citata novam primis canonibus ordinationis poteſtatem ad ſolos ſpectare Epiſcopos pronuntiavit. Can. 27. Presbyteros vocat inferioris gradus Sacerdotes.

Reponunt : Presbyteri habent poteſtatem Diaconos & Presbyteros ordinandi : Igitur ſunt Epiſcopis pares. Probatur antecedens : Novatus qui erat ſimplex Sacerdos Feliciſſimum Diaconum conſtituit ; nec videtur quod hæc ordinatio reſciſſa fuerit ; de ea enim ſic habet S. Ciprianus epiſt. 49. " Qui Feliciſſimum ſatelli-„ tem ſuum, Diaconum ſuum, nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit. „ Nullas inſuper violatorum canonum pœnas ipſi inflixit, ut habet idem Cyprianus Epiſt. 6. ad Clerum anno 250. immo honorifice ſenſit, & locutus eſt de Epiſcopo, qui anno 249. hanc ordinationem fecerat : Demum cum dixit abſtinendum eſſe a Feliciſſimo, rationem ipſius Ordinationis numquam attulit.

Reſpondeo inde non erui Feliciſſimum a Novato Diaconum fuiſſe ordinatum, ſed quod factione, & ambitione ſua ipſum ordinari & conſtitui curaverit ab Evariſto forſan, quem S. Cyprianus ait : " De „ Epiſcopo jam nec Laicum remanſiſſe, „ cathedræ & plebis extorrem, & de „ Eccleſia Chriſti exulem. „ Cujus in locum fuerat canonice conſtitutus Epiſcopus, ut idem teſtatur Epiſt. 48. Is autem Evariſtus factioni Novati ſe adjunxerat ; ſic autem eſſe intelligendum S. Cyprianum ex eo patet, quod eodem modo Romanum Epiſcopum dicat a Novato conſtitutum ; conſtat autem Novatianum non a Novato, ſed ab Epiſcopis deceptis, immo & ebriis ordinatum fuiſſe. S. Cyprianus ibidem de illa Ordinatione ſic loquitur : " Qui iſtic adverſus Eccleſiam „ Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fa-„ cit. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Epiſcopi ſunt Presbyteris ſuperiores.

PRIMO : Hoc paſſim annuntiat Scriptura ſacra tum veteris Teſtamenti, quæ Exod. 29. ſolum Aaron in Ordine Levitico ut ſummum ordinarium Sacerdotem habuit ; tum in novo Act. 20. ubi Paulus ſolos Epiſcopos alloquitur, ut gregi invigilent.

Secundo : Idem habemus ex Traditione. Sic docet S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Magneſianos, tum Epiſt. ad Trallianos. Sic Synodus Alexandrina in Epiſtola Synodica pro defenſione ſancti Athanaſii. Sic D. Thomas hic q. 40. art. 4. Sic denique Concilium Tridentinum Seſſ. 23. can. 7. ubi hoc de fide definivit.

Tertio : Ab ipſa vagiente Eccleſia uſus ſic obtinuit, maxime cum conſtet Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe, & ad eorum nutum, licentia ab eis accepta Presbyteros Eccleſiæ famulatos fuiſſe. Ceterorum

rum talis fuit inſtitutio ab ipſo Chriſto promanata.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

PRIMO: Ne miremini, ſi quandoque Apoſtolus loquatur eodem modo de Epiſcopis & de Presbyteris; tunc enim non de quibuſcumque Sacerdotibus, ſed de iis quis Presbyteri ſimul & Epiſcopi erant, ſermonem inſtituit. Tum quia Sacerdotium dividitur in Sacerdotium primi & ſecundi Ordinis; in iſto concluduntur ſimplices Sacerdotes, nuſquam vero in illo.

Secundo: Neque vero negamus quoſdam Patres dicere Presbyteros eſſe Epiſcopis pares, ſed intelligas velim, in poteſtate circa corpus Chriſti verum, minime vero circa myſticum.

Tertio: Incaſſum objicit Baſnagius Miniſter Calviniſta, ad evacuandum Epiſcopatum, Alexandriæ Præſulem a ſenioribus eligi, tum pallio S. Marci veſtitum in throno ſedere, cum certum ſit prius Epiſcopum a vicinioribus Prælatis conſecrari, ut ſcribit S. Epiphanius Hær. 69.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Epiſcopatus ſit Sacramentum, & Ordo proprie dictus?

CONCLUSIO.

Epiſcopatus eſt Sacramentum, & Ordo proprie dictus.

Probatur I. auctoritate Scripturæ ſacræ.

LEGITUR 1. ad Timoth. c. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*. Rurſus 2. Timoth. c. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Ex his autem ſic argumentor. Quod ait ibi Apoſtolus ſe dediſſe Timotheo, *per manuum impoſitionem*, eſt quidam ordo Eccleſiaſticus proprie dictus; Concilium enim Tridentinum Seſſ. 23. c. 3. ex hoc utroque loco probat ordinem eſſe Sacramentum: Atqui illud quod Apoſtolus duobus locis illis ait ſe dediſſe Timotheo, *per manuum impoſitionem*, eſt dignitas Epiſcopalis, ut interpretantur Chryſoſtomus Homil. 13. in 1. Epiſt. ad Timoth. Theophilactus, Anſelmus, D. Thomas: Igitur Epiſcopatus eſt quidam Ordo Eccleſiaſticus proprie dictus.

Secundo, ex Conciliis.

TRIDENTINUM Seſſ. 23. c. 4. appelat conſecrationem Epiſcoporum, *ordinationem*, ſimiliter ibidem can. 6. ſic definit: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit*. Ex quibus talis efformatur Syllogiſmus: Omnis, & quilibet gradus ſeu ſtatus componens eſſentialiter Eccleſiæ Hierarchiam, eſt ordo Eccleſiaſticus proprie dictus; Hierarchia enim Eccleſiaſtica nihil aliud eſt quam quædam ſubordinatio Miniſtrorum, ſecundum quam alii aliis præficiuntur in adminiſtrandis rebus divinis: Sed Epiſcopatus ingreditur eſſentialiter tamquam nobiliſſimum quoddam membrum Hierarchiam Eccleſiæ, ut patet ex canone citato: Ergo &c.

Concinit Concilium Carthaginenſe IV. quod Epiſcopatum ut Sacramentum habet, cujus conſecrationem dubio-procul ſacramentalem his verbis texit: " Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem ſupra caput, & cervicem ejus; & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant."

Tertio, ex SS. Patribus.

AGMEN ducet S. Epiphanius, qui Hær. 75. probat contra Aerium Epiſcopatum eſſe ordinem a Presbyteratu diſtinctum. Primo Heterodoxum ſic loquentem inducit. " Quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo: unus enim eſt ordo, & unus honor, & una dignitas." Tum ei reſpondens, ait: " Dicere enim ipſum Epiſcopum & Presbyterum æqualem eſſe, quomodo erit poſſibile? Epiſcoporum enim ordo, Patrum generator eſt: Patres enim generat Eccleſiæ. Presbyterorum vero

„ vero non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generat filios Eccleſiæ, non tamen Patres, aut Doctores ... Decepit autem prædictum Aerium nugacitas ipſius & æmulatio. „ Rurſus idem Epiphanius Tract. de ſeptem Eccleſiæ Ordinibus, Epiſcopatum a Presbyteratu fecernit. Ergo &c.

S. Leo magnus ſuum addit calculum Epiſt. 84. cap. 4. ubi propter ordinationem ſicut Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, ſic & Epiſcopis injungit abſtinere a mulieribus: " Quod ſi, *inquit*, in ordine „ qui quartus a capite eſt, dignum eſt „ cælibatum cuſtodiri: quanto magis in „ primo, aut ſecundo, vel tertio ſervan- „ dum eſt, ne aut Levitico Miniſterio, „ aut Presbyterali honore, aut Epiſco- „ pali excellentia quiſquam idoneus exi- „ ſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria nec- „ dum frænaſſe detegitur. „

S. Gregorius non abſimili modo loquitur, L. 4. in 1. Reg. 3. p. 1000. " Qui „ in culmine ponitur, *inquit*, Sacramen- „ ta ſuſcipit Unctionis: Quia vero ipſa „ Unctio ſacramentum eſt, is qui promo- „ vetur, bene foris ungitur: ſi intus vir- „ tute Sacramenti roboretur. „

Quarto, rationibus D. Thomæ

PRIMA: Ordo Presbyteratus ordine ſuperior, eſt Sacramentum, ſin minus neutiquam foret ſuperior: Atqui Epiſcopatus eſt Presbyteratui longe ſuperior, ſolus ſiquidem Epiſcopus conſecrat Subdiaconos, Diaconos & ipſos Presbyteros: ſolus Eccleſias dicat, Chryſma conficit de rebus fidei in Conciliis judicat. Ergo &c. Iſta ratio eſt D. Thomæ hic q. 40. art. 4. " Poteſtas tanto eſt altior, quanto ad „ plura ſe extendit: Sed poteſtas ſacer- „ dotalis, ut Dionyſius dicit, exten- „ dit ſe ad purgandum, & illuminan- „ dum tantum; Epiſcopalis autem ad „ hoc, & ad perficiendum: Ergo ſupra „ Sacerdotalem poteſtatem debet eſſe E- „ piſcopalis. „

Altera: Epiſcopatus adunat in ſe omnes Ordinis gradus: Igitur eſt verum Sacramentum. Probatur antec. Eodem prope modo ratiocinandum eſt de ordine Eccleſiæ, ac de ordine politico: Sed in regno Rex ſedet in throno, ut omnes in ſe adunans procerum ordines; Igitur, & in Eccleſia ſedet Epiſcopus, ut Dominus ceterorum Miniſtrorum, & inferiores in ſe præcontinens ordines, adeoque Epiſcopatus eſt vere Sacramentum, cum inferiora, teſte Dionyſio, adunata ſint in ſuperioribus. D. Thomas ibidem ſic diſcurrit: " Divina Myſteria debent eſſe magis or- „ dinata, quam humana: Sed humano- „ rum officiorum ordo exigit, ut in quo- „ libet officio præponatur unus qui ſit „ Princeps illius officii, ſicut præponitur „ militibus dux. Ergo & Sacerdotibus „ debet aliquis præponi qui ſit Sacerdo- „ tum princeps, & ſic eſt Epiſcopus. „

Tertia: Ille ordo eſt Sacramentum, qui imprimit characterem, & confert gratiam; nihil enim aliud exigit Ordo, ut Sacramentum eſt: Atqui utrumque annexum habet Epiſcopatus; primum quidem, cum teſte D. Thoma ibidem art. 4. vel ipſe Sacerdos ab Epiſcopo ſuſcipiat poteſtatem juriſdictionis ad ligandum & ſolvendum, quod arguit characterem eſſe in Epiſcopo magis extenſum quam in Presbytero. Alterum vero, & hanc agnoſcit in eo magnam gratiam, vel ipſe Felix Manichæus apud S. Auguſtinum L. 1. de actis Felicis Manich. cap. 12. Eo quippe loci ait Heterodoxus S. Doctori: " Non tantum ego poſſum contra tuam „ virtutem, quia mira virtus eſt, gratia „ Epiſcopalis. „ Ergo &c.

Quarta: Eaque a priori ſic exponitur. Ordo ſpectans Hierarchiam Eccleſiaſticam, immo primatum in ea obtinens, eſt ordo vere ſacer & Sacramentum; nam ideo multi Patres, ut infra dicemus, Subdiaconatus Ordinem a ratione Sacramenti eximunt, quia non pertinet ad Hierarchiam; Atqui Epiſcopatus eſt Hierarchiæ princeps. Sic docet S. Dionyſius L. de Eccl. Hier. cap. 5. part. 1. tit. contemplatio: ſic D. Thomas hic art. 4. Ergo &c.

Quinta: Presbyteratus eſt ordo Sacramentalis ex eo quod habeat poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum & myſticum: Sed Epiſcopus talem ſimiliter habet, immo majorem ad ligandum & ſolvendum, cum in hoc Sacerdos ab Epiſcopo dependeat: Porro poteſtas ſolvendi, eſt vera Sacramenti poteſtas: Igitur Epiſcopatus eſt Sacramentum.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES : Si Epiſcopatus eſſet ordo, jam octo eſſent ordines: Atqui tamen uſus Eccleſiæ ſeptem tantum admittit. Ergo &c. Rurſus: Ordines omnes ad Euchariſtiæ ſacramentum referuntur, circa quod actus nobiliſſimus, ſcilicet ejus conſecratio, ſoli competit Sacerdoti ex ſua ordinatione; Igitur Epiſcopatus, cum nullum proprium actum habeat circa Euchariſtiam, non eſt Ordo.

Reſpondeo, nec in decreto Concilii Florentini, nec in Synodo Tridentina mentionem fieri de ſeptennario numero ordinum, nec ullum canonem Eccleſiæ teſtari quod præciſe ſint ſeptem ordines Eccleſiaſtici; cum potius octo memoret Concilium IV. Carthaginenſe. Recte tamen vulgo ſeptem recenſentur ordines, quia ad Euchariſtiæ ſacramentum ſoli ſeptem directe deſtinantur; Epiſcopatus vero, tum ad gubernandum corpus Chriſti myſticum, tum ad creandos Sacramentorum Miniſtros inſtitutus eſt.

Ad confirmationem diſtinguo: Epiſcopus nullum proprium actum circa Euchariſtiam habet, directe, concedo: indirecte & mediate, nego. Eatenus enim aliquem habet proprium, quatenus ſolus poteſt conſecrare Sacerdotes qui Euchariſtiam conficiunt, & aliis adminiſtrant.

Inſtabis: Epiſcopatus non imprimit characterem: Igitur non ſubit rationem Sacramenti. Probatur Antecedens: Si Epiſcopatus characterem imprimeret, dubio procul foret Sacerdotium ipſo Presbyteratu præſtantius: Sed hoc eſt contra S. Auguſtinum, qui in qq. vet. Teſt. q. 101. ait: " Quid eſt Epiſcopus, niſi primus „ Presbyter, hoc eſt ſummus Sacerdos. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad probationem, conceſſa majori, diſtinguo minorem: Ex Auguſtino Epiſcopus eſt primus Sacerdos honore & poteſtate, concedo: honore tantum, nego. Ceterum docti autumant opus citatum non eſſe genuinum S. Auguſtini fœtum.

Urgebis: Si Epiſcopatus eſſet proprie ordo, quicumque per ſaltum promoveretur ad Epiſcopatum, v. g. omiſſo Presbyteratu, valide ordinaretur, ſicut qui promoveretur ad Sacerdotium, non adepto Diaconatu, valide conſecraretur in Sacerdotem: Sed qui Sacerdotio nondum adepto conſecraretur in Epiſcopum, non valide conſecraretur, ut propugnat S. Thomas: Igitur a ratione Sacramenti deficit Epiſcopatus.

Reſpondeo negando ſequelam minoris. Ratio diſparitatis eſt, quod ordinatio per ſaltum ideo valet in aliis ordinibus, quia non eſt eſſentialis ſubordinatio inter characteres ejuſmodi ordinum, adeoque ad illorum validitatem præciſe ſpectatam, nihil referre quinam illorum prior conferatur; at inter characterem Epiſcopatus, & Presbyteratus tanta eſt ſubordinatio quanta intercedit inter characterem Baptiſmi, & Confirmationis, ita ut quemadmodum qui caret Baptiſmo aquæ, non poteſt valide recipere ſacramentum Confirmationis, etiamſi eſſentialia, tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ ei applicentur, ita a pari, prius eſt eſſe Sacerdotem quam habere poteſtatem generandi ſeu creandi Presbyteros.

Inſiſtes: Dum agitur de tempore conferendorum Ordinum aſſignatur ab Eccleſia certum tempus pro ſingulis illis conferendis, & quidem diſtinctum a tempore conſecrationis Epiſcopi; quovis enim anni tempore poteſt conſecrari; ſed hoc argumentum eſt Epiſcopatum non eſſe Sacramentum. Ergo &c.

Reſpondeo rationem ordinis non pendere a tempore quo confertur; Chriſtus enim non alligavit eſſentiam Ordinis a ſe inſtituti certo, & determinato tempori, quod enim ſeptem Ordines conferantur quatuor anni temporibus, illud venit ex mera ordinatione Eccleſiæ, quæ ſicut habuit pro illo momento rationem congruentem, ita æquum duxit, ut diebus Dominicis vel feſtivis Epiſcopi conſecrarentur; & hoc propter excellentiam Epiſcopatus ſupra Presbyteratum.

Perſiſtes: Si Epiſcopatus eſt ordo Eccleſiaſticus, pari jure ſummus Pontificatus dici poterit ordo Eccleſiaſticus, cum ſeſe habeat ad reliquos Epiſcopos, ſicut Epiſcopus ad ſimplices Sacerdotes: Sed nemo dixerit ſummum Pontificium eſſe Sacramentum: Pari igitur & conſimili ratione nec dicendum eſſe Epiſcopatum.

Reſpondeo: Etiam ſi dignitas Papalis ſit ex jure divino, non tamen eſt ordo

Eccle-

Eccleſiaſticus proprie dictus, quia ſub hac ratione non refertur directe vel indirecte ad conſecrandum Chriſti Domini corpus, cum hoc ſupponat fieri per Sacerdotes, & Epiſcopos, nec aliquem imprimat characterem, ſed ſolummodo tribuat electo juriſdictionem ampliſſimam in omnes, & ſingulos Chriſtianos. Nec mirum: poteſtas enim quam ſummus habet Pontifex, tum ad conſecrandum Chriſti Domini corpus, tum ad ordinandos Epiſcopos, & Presbyteros profluit ab ejus charactere, & Presbyterali, & Epiſcopali.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Epiſcopatus eſt Ordo ſacer.

PRIMO: Hoc ſplendide annunciat S. Paulus, cum loquens de ordinatione Timothei quem conſecraverat Epiſcopum, 1. Tim. 4. ait: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.*

Secundo: Non levius hoc annuntiat Concilium Carthag. IV. quod ſicut ceterorum Miniſtrorum, ſic & Epiſcopi refert conſecrationem, in primis Tridentinum Seſſ. 23. cap. 4. Hoc ipſum clare docent SS. Patres, ſcilicet S. Epiphanius Hær. 75. S. Leo Epiſt. 84. &c.

Tertio: Suffragantur rationes D. Thomæ. 1. Epiſcopatus eminet Presbyteratus ordini. 2. Epiſcopus eſt in ordine Sacerdotali princeps. 3. Pertinet ut dux & ſummus Sacerdos ad ordinem Hierarchicum, quippe qui omnium hujus Ordinis actum eminentem habeat, qui eſt perficere, cum ſimplex Sacerdos habeat ſolum purgare, & illuminare.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Sicut non colligitur ſeptem eſſe ordinis Sacramenta ex inferioribus & majoribus ordinibus, ſic non inde concludendum, eſſe octo, tametſi Epiſcopatus ſit ordo Sacramentalis.

Secundo: Lubenti animo fatemur Epiſcopum nihil aliud eſſe quam Presbyterum; ſed intelligas velim, ſummum, & ſimplicibus Sacerdotibus præpollentiorem.

Tertio: Eſto quod Epiſcopus non poſſit, omiſſo Presbyteratu, conſecrari, non inde ſequitur Epiſcopatum non eſſe Sacramentum, cum ſpecialem in ſua conſecratione accipiat poteſtatem, v. g. Diaconos & Presbyteros creandi, Subdiaconos & Chriſma conficiendi, & ſolvendi vel ligandi. Vel ipſi Sacerdotes eatenus in hoc ab Epiſcopis dependent, quod juriſdictionem ab eis, ut ab irriguo Superiori mutuentur.

SECTIO TERTIA.

De materia & forma Epiſcopatus.

UT hæc quæſtio, & aliæ de materia & forma ceterorum Ordinum, difficultatibus multis undequaque circumſeptæ dilucide evolvantur, multa ſunt præmittenda.

PRIMO: Apud Latinos, declarante Eugenio in decreto pro Armenis, materia eſt illud per cujus traditionem confertur ordo; " Sicut, *inquit*, Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenę
" cum pane porrectionem; Diaconatus
" vero per libri Evangeliorum dationem,
" Subdiaconatus vero per Calicis vacui
" cum patena vacua ſuperpoſita traditio-
" nem: & ſimiliter de aliis per rerum
" ad miniſteria ſua pertinentium aſſigna-
" tionem. Forma Sacerdotii talis eſt: Ac-
" cipe poteſtatem offerendi Sacrificium in
" Eccleſia pro vivis & mortuis, in no-
" mine Patris, & Filii, & Spiritus ſan-
" cti, & ſic de aliorum ordinum formis. "

Apud Græcos, ut conſtat ex eorum Ritualibus, materia Epiſcopatus eſt liber Evangeliorum ſuper Epiſcopum poſitus, & manuum impoſitio; ſola vero manuum impoſitio pro Presbyteratu, & Diaconatu; forma vero ſunt verba prolata ab Epiſcopo, quæ non eadem prorſus ſunt ac ea quæ referuntur ab Eugenio. Scribit equidem Arcudius L. 6. c. 3. tradi inſtrumenta, ſed illud fit dumtaxat poſt ordinationem; idque ſine ulla forma.

In his apparet prima fronte magna varietas inter utramque Eccleſiam; Latina enim in decreto Eugenii tacet omnino manuum impoſitionem; Græca vero aſſirmat eam eſſe omnino eſſentialem; cum non niſi, abſoluta ordinatione, quædam inſtrumenta tangenda tradit. Sic Epiſcopus

porri-

Digitized by Google

porrigit Miſſale Sacerdoti necnon particulam ex pane præparato, eamque conſecratam, Diacono vero flabellum; contra vero Eccleſia Latina nedum ſpeculative, ſed & practice docet hanc inſtrumentorum traditionem eſſe eſſentialem: Conſtat tamen Eccleſiam Latinam numquam dubitaſſe de validitate Ordinationum Græcorum; quin potius eas ut validas ſemper habuit.

Etvero Eccleſia Latina pro ſuo jure ad reformandos quidem, vel coercendos inter debitos limites Græcos, circa religionis doctrinam & exercitium, auctoritatem adhibuit apoſtolicam; attamen nihil in eorum ordinationibus, aut reſecandum, aut immutandum eſſe aſſeruit. Gregorius Papa IX. in Bulla quæ incipit, *Tua fraternitatis*, data ann. 1233. & in litteris privatis ad Germanum Patriarcham CP. directis, agit de Primatu D. Petri, quem impugnabat ille Patriarcha; tractat ſimiliter de ritibus Græcorum ad conſecrandam Euchariſtiam, ab illis adhibitis, eoſque ſuo munit calculo; ſed altum ſervat ſilentium de eorum Ordinationibus.

Innocentius IV. in Bulla *Sub Catholicæ*, ann. 1254. multa ſtatuit in futurum obſervanda contra errores Græcorum, ſpecialiter vero de materia Sacramentorum: Eo loci de Sacramento Ordinis ait, "Volumus, & expreſse præcipimus, quod Epiſcopi Græci ſeptem Ordines, ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cetero conferant, cum huc uſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur; illi tamen qui jam ſunt taliter ordinati propter nimiam ipſarum multitudinem, in ſic ſuſceptis Ordinibus tolerentur." Ibi unice ut patet, reprehendit Græcos, eo quod tres minores prætermittant ordines, minime vero de validitate Ordinum ab eis collatorum.

Gregorius X. in ſua Bulla quæ incipit, *Exultet*, data ann° 1427. pro unione Græcorum cum Latinis tempore Michalis Paleologi, nihil de eorum Ordinationibus pronuntiat; ita etiam Martinus IV. ſicut Eugenius IV. Pius IV. Gregorius XIII. iſte in profeſſione fidei quam exigit a Græcis redeuntibus ad gremium Eccleſiæ Romanæ, de Ordinationibus eorum ne minimum quidem verbum profert: eas igitur legitimas eſſe opinabatur: Ipſe Clemens VIII. ann. 1595. multa Græcis præſcripſit obſervanda in celebratione ſacramentorum, ſed reliquit eos in ſua conſuetudine circa modum conferendi Ordines. Igitur Ordinatos a Schiſmaticis ut valide conſecratos habebat; immo ſtatuit ut Romæ adeſſet Epiſcopus Græcus Catholicus, qui Græcos Epiſcopis Latinis, Italiæ, & Inſularum adjacentium ſubjectos, Ritu Græco ordinaret, ſi illud deſiderarent. Quid plura adjiciam? Idem Pontifex recepit Ruthenos qui fidem Romanam profeſſi ſunt; & tamen in profeſſione publica fidei quam ediderant, de eorum Ordinationibus nihil habetur; ſed neque adſtantes in Conc. Flor. Græci, & Intuentibus Latinis Liturgiam celebrantes, de hoc reprehenſi ſunt. Viciſſim quoque Eccleſia Græca Ordinationes Latinorum ut ratas ſemper habuit; nec in conflictu cum Latinis inter Græcos audaciores quidquam pro iſto momento eis exprobrare auſi ſunt.

Ex his & ſimilibus argumentis liquet, Ordinationes ſicut apud Latinos, ſic & apud Græcos, non obſtante rituum Ordinationis varietate, validas eſſe. Unum igitur in re iſta momentoſa ſupereſt dicendum, ſcilicet Chriſtum non determinaſſe in individuo ſacrorum ordinum materiam; ſed reliquiſſe Eccleſiæ determinandam, ut ex traditione conſtat. Ergo, inquit Cardinalis De Lugo ubi de Ordine diſſerit, & habet ſermonem, ad oſtendendum nullum in hoc eſſe inter utramque Eccleſiam diſcrimen eſſentiale, animadvertendum eſt Chriſtum Dominum materiam ſacramenti Ordinis in individuo non determinaſſe, ſicut determinavit materias ſacramentorum Baptiſmi, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ; pro Epiſcopatu enim, Prebyteratu, & Diaconatu legimus tam in Epiſtolis D. Pauli, quam in Actibus Apoſtolorum, impoſitionem manuum; verum ut ex Traditione conſtabit, reliquit Eccleſiæ ſuæ facultatem ampliandi, & explicandi magis per aliquod ſenſibile ſuperveniens poteſtatem in Ordinationibus hujuſcemodi collatam: Igitur, inquit Cardinalis De Lugo, cum Eccleſia Latina manuum impoſitioni, quæ eſt materia eſſentialis illorum Ordinum aliquid addiderit, illud unum effecit, ut illam materiam magis explicatam redderet, quod Græci non faciunt; tum formam quam adjungit,

jungit, illam determinat impoſitionem, poteſtatemque traditam ſignificat; ſicque implicite, & virtualiter dicuntur Græci tangere inſtrumenta, explicite vero, & formaliter Latini: Duo igitur dicimus; impoſitionem manuum ab Epiſcopo factam, in Epiſcopatu eſſe materiam illorum Ordinum, verba prolata eſſe formam, inſtrumenta vero tradita, eſſe explicationem poteſtatis totalis traditæ, verba demum determinare illa inſtrumenta ad hanc poteſtatem deſignandam; quod ut clareſcat magis, ſit

CONCLUSIO PRIMA.

MATERIA Epiſcopatus in Eccleſia tum Græca, tum Latina, eſt impoſitio manuum, forma vero, verba prolata, ſubſtantialiter.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scripturis ſacris.

PRIMÆ ad Timotheum c. 4. hæc leguntur: *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. Hæc autem verba D. Thomas Lect. 3. in illud caput intelligit de Epiſcopatu, & gratia in eo collata; ſic enim habet: " Per hoc in-
„ tellige, vel dignitatem Epiſcopalem,
„ vel donum ſcientiæ, vel prophetiæ,
„ vel miraculorum, quorum nihil debet
„ negligi . . . . cum impoſitione manus
„ Prebyteri . . : . id eſt Epiſcopi erant,
„ qui recipiebantur cum manus impoſi-
„ tione. Num. 27. Voca Joſue, & im-
„ pone manum tuam ſuper eum &c. Do-
„ minus etiam impoſuit manum pueris,
„ ut dicitur Matthæi 19. Item Apoſtoli
„ 7. Diaconibus Act. 6. & ideo ordinan-
„ dis in Epiſcopum imponuntur manus . .
„ & hæc impoſitio ſignificat collationem
„ gratiæ: non quod Miniſtri dent gra-
„ tiam, ſed quod ſignificant gratiam da-
„ tam a Chriſto. „

Rurſus 2. ad Timotheum c. 1. legitur: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quæ quidem verba interpretans D. Thomas ibidem " A quo, *inquit*, ſcilicet ordi-
„ natus erat Epiſcopus, in qua manus
„ impoſitione data eſt ei gratia Spiritus
„ ſancti. „ Hanc eamdem interpretationem prius dederat S. Chryſoſtomus Hom. 13. in 1. ad Timoth. quia, inquit: " Non de Presbyteris in hoc loco, ſed
„ de Epiſcopis loquitur. „ Eam autem gratiam ſignificant hæc verba, a tribus Epiſcopis prolata: *Accipe Spiritum ſanctum*: de illis quippe ſic pronuntiat Concilium Tridentinum Seſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum . . . anathema ſit.*

Secundo, ex ſanctis Patribus.

CÆLESTINUS PAPA Epiſtola 11. quæ eſt encyclina ad Patres Epheſinæ Synodi laudat eos eo quod depoſuerint Neſtorium, elegerint vero atque creaverint loco illius Maximianum Epiſcopum CP. Tum poſt multa præconia virtutum quæ dicuntur in laudem illius, addit Pontifex: " Interfuimus, nec nos dixerimus
„ abſentes, cum ejus capiti verba myſti-
„ ca dicerentur. „ Aſtipulatur Gregorius Magnus in fine regiſtri decreto quinto his verbis: " Quia ordinando Epiſco-
„ po Pontifex manum imponit, Evange-
„ lii vero lectionem Miniſter legit &c. „

Communis quoque Patrum & Græcorum & Latinorum hac de re eſt ſententia; hæc quippe veritas habetur in operibus D. Dionyſio adſcriptis: ſic enim L. de Eccleſiaſtica Hierarchia pag. 126. loquitur. " Pontifex quidem qui ad conſecra-
„ tionem in Pontificem adducitur, utro-
„ que genu flexo ante altare, ſupra ca-
„ put habet Evangelia a Deo tradita,
„ manumque Pontificis: Atque hoc mo-
„ do ab eo Pontifice, qui eum conſe-
„ crat, ſanctiſſimis precationibus appella-
„ tionibuſque conſecratur. „

Juxta latinum codicem Theodoretus Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 15. refert Epiſcopos adunatos ut in locum S. Euſebii a muliere Ariana, tegula in ipſum vibrata interfecti, eligerent, Antiochum ſanctitate fulgentem ordinaſſe: " Addu-
„ ctumque ad menſam divinam, coge-
„ rent genua flectere; & ipſe converſus
„ vidiſſet Jovinianum quoque imponen-
„ tem manum capiti ſuo, repulit illam,
„ petiitque ne intereſſet numero conſecran-
„ tium ſe, quod ſufferre manum adminiſ-

Digitized by Google

„ tram blaſphemiæ ſacrorum poſſe ſe negaret. „

Hæc eadem de Moſe, quem Regina Iſmaelitarum pro Epiſcopo Gentis ſuæ deſignaverat ſcribit ibidem cap. 23. Theodoretus: " Quo cum, *ait*, deductus fuiſſet, cerneretque Lucium *Arianorum Epiſcopum*, imponere ſibi manum velle, abſit, *inquit*, ut tua manus conſecret, te enim invocante Spiritus gratia non venit. „

Ita pariter S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 20. ubi probat contra Donatiſtas effectum Ordinationis, & quidem Epiſcopalis, cujus expreſſe meminit, pendere a nominis Dei invocatione, ſeu a precibus, quibus in ordinandum divina potentia a Miniſtro ordinante advocatur. Sic enim habet: " Si ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio: *Deus peccatorem non audit*, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur. „ Ex his SS. Patrum ſententiis liquet materiam ordinis Epiſcopatus eſſe impoſitionem manuum, formam vero verba a conſecrante prolata.

Tertio, *ex Pontificalibus Græcorum*.

IMPOSITIONEM manuum ſub præſcripta verborum forma eſſe materiam Epiſcopatus tradit antiquiſſimus pluſquam octingentorum annorum codex, litteris majoribus, & uncialibus integre ſcripto decerptus, quem pertinere ad Bibliothecam Eminentiſſimi Cardinalis Barberini ſcripſit Morinus; in eo autem hæc habentur: " Poſt Triſagion cum Pſaltæ de ambone deſcenderint, ſtat Archiepiſcopus in crepidine ante ſanctam menſam, ipſaque charta datur in qua ſcriptum eſt: Divina gratia quæ ſemper infirma curat, & dificientia complet, promovet hunc N. Deo amabilem Presbyterum in Epiſcopum. Precemur igitur ut ſuper ipſum veniat Spiritus ſancti gratia. Hanc chartam omnibus audientibus legit, manum tenens ſuper verticem capitis illius qui ordinatur. „

2. *Codex* ſeptingentorum annorum Monaſterii Græci Cryptæ Ferratæ, quique inſcribitur *Euchologium Patriarchale*, eo quod Patriarchales ritus contineat, quem in concilio Florentino olim dedit Juliano S. Sabinæ Cardinali Georgius Vari Cretenſis Presbyter; hunc autem obtinuit poſtea Cardinalis Beſſarion, qui factus Abbas Cryptæ Ferratæ eum Cryptenſibus Monachis conceſſit, demum pervenit ad Bibliothecam Barberinam; in eo autem charta continens formam, ſic habet: " Suffragio & approbatione Deo amabilium Epiſcoporum, & ſanctiſſimorum Presbyterorum, & Diaconorum divina gratia, &c. „ Ut ſupra Impoſitio autem manuum memoratur dumtaxat poſtquam Evangelium fuit impoſitum ſupra caput ordinandi; ſic enim legitur poſt hæc verba: " Hæc charta in manu accepta, & Archidiacono dicente, Attendamus, legit eam Patriarcha, ita ut omnes audiant, lectione facta ter dicunt omnes: Kyrie eleiſon. Jamque a tribus Epiſcopis coordinatoribus adducto qui ordinandus eſt, aperit Patriarcha Evangelium; & imponit ſupra verticem ipſius contingentibus Epiſcopis: Deinde factis ſuper caput ejus tribus crucis ſignis manum habens impoſitam, ſic precatur. Here, Domine Deus &c. „ Idem legimus in codice græco Bibliothecæ Regiæ ante annos trecentos ſcripto; eadem videntur in codice græco Bibliothecæ Clericorum Regularium urbis Romæ.

3. *In* libro Simeonis Theſſalonicenſis Archiepiſcopi de ſacramento Ordinis habetur pariter impoſitionem manuum eſſe materiam hujus ſacramenti; ſic enim cap. 7. legitur: " Omnibus diviniſſimis Epiſcopis circumdantibus ordinandum, & ipſum tangentibus ut appareant primo conſentientes, primum ſigillum, & ordinationis primitiæ a primo Epiſcopo fiunt capiti ipſius qui ordinatur. Poſtea flectit utrumque genu ordinandus ſuper crepidinem, & fronte ſacræ menſæ incumbit, quandoquidem gubernat, & ædificat ipſe ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Recipit autem gratiam a Deo ſupercœleſti, cujus quidem veluti thronus eſt altare; cujus veluti manus eſt Epiſcopi manus. Ea igitur ordinandi impoſita capiti, & ala portata quæ columbam ſubin-

„ ſubindicat propter Spiritum ſanctum, „ elata voce, quæ in ea ſcripta ſunt, „ promulgat, *Divina gratia*, &c. „

Pleraque Pontificalia Latinæ Eccleſiæ impoſitionem manuum fieri, quum liber Evangeliorum ponitur ſuper capita Epiſcoporum ordinandorum, referunt; ſed de iis infra redibit ſermo.

CONCLUSIO SECUNDA.

Inſtrumenta tradita ab Epiſcopo conſecratore, tam in Eccleſia Græca, quam in Latina liber Evangeliorum, forma vero Orationes.

Probatur prima pars, nempe quod tam Eccleſia Græca quam Latina uſurpent in ordinatione Epiſcopi librum Evangeliorum cum Orationibus.

Primo, ex Pontificalibus Græcis.

Ritus Græcus octingentorum annorum jam citatus refert: “ Poſtquam autem „ lectum eſt illud, Divina gratia „ &c. ter dicit populus Kyrie eleiſon, „ & replicans Archiepiſcopus Evangelium „ imponit illud ſuper caput, & collum „ ipſius adſtantibus aliis Epiſcopis, & tangentibus „ ipſum ſanctum Evangelium. „ Archiepiſcopus autem tres cruces ſuper „ caput ipſius ſignat, imponenſque illi „ manum ſic precatur. „ *Here Domine Deus noſter, qui per eximium & omnibus modis celebrandum Apoſtolum tuum conſtituiſti nobis in ſancto altari tuo graduum, & dignitatum ordinem; primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores ad inſerviendum & miniſtrandum venerandis, & immaculatis myſteriis tuis: ipſe omnium Domine, confirma, & corrobora hunc electum, ut per manum mei peccatoris, & adſiſtentium Miniſtrorum & Coepiſcoporum, ſanctique Spiritus adventu, virtute, & gratia jubeat Evangelicum jugum, & dignitatem Epiſcopalem, ſicut confirmaſti, & corroboraſti ſanctos Prophetas tuos; ſicut unxiſti Reges, ſicut ſanctificaſti Principes Sacerdotum; ipſiuſque Hierarchicam dignitatem irreprehenſibilem effice & conſerva, eumque omni morum gravitate, & ſanctimonia adornans, ſanctifica, ut dignus ſit qui intercedat apud te, & poſtulet ea quæ ad ſalutem populi ſpectant, & obedientiam ſibi exhibendam, quia ſanctificatum eſt nomen tuum, & glorificatum regnum tuum &c.*

Tam multis precibus peractis, rurſus imponit manum ſuper caput ejus, & iſtam recitat orationem: *Domine, Deus noſter, qui propterea quod non poteſt humana natura divinitatis ferre præſentiam, conſtituiſti prudenti œconomia tua Doctores affectibus & animi perturbationibus nobis ſimiles, qui throni tui ſedem occuparent, qui pro univerſo populo tuo ſacrificia, & oblationes offerrent: Tu Domine hunc declaratum œconomum gratiæ Epiſcopalis, effice imitatorem tui, veri Paſtoris, ut ponat animam ſuam pro ovibus ſuis, ut ſit cæcorum dux, lumen eorum qui in tenebris, inſtitutor inſipientium, luminare mundi, & præparatis, recteque inſtitutis animabus ſibi creditis quandiu luce terrena fruuntur, non erubeſcat, ſed confidenter adſtet tribunali tuo, magnamque illam mercedem recipiat, quam iis præparaſti qui pro prædicatione Evangelii tui decertarunt. Tuum eſt enim miſereri, & ſalvare &c.* Amen pronuntiato, tollit Evangelium Patriarcha, & deponit illud in ſacra menſa. Tunc imponit pallium ordinato, eumque oſculatur, & omnes Epiſcopi, & cum eo aſcendit Archiepiſcopus in communem thronum.

Idem legitur in codice ſeptingentorum prope annorum antiquo, Monaſterii Græci Cryptæ Ferratæ.

2. *Ritus Græcus* codicis Bibliothecæ Regiæ ante annos trecentos ſcriptus, in eo differet ab aliis, quod ordinationem Epiſcopi in fine recitet, ſed in ceteris convenit cum duobus ſupra memoratis: Idem fert codex manuſcriptus Bibliothecæ Vaticanæ, eſtque annorum quingentorum.

3. *Similiter* in libro Simeonis Theſſalonicenſis de ſacris Ordinationibus per capita diviſo a Patre Morino cap. 6. de Ordinatione Epiſcopi poſtquam ea quæ præcedunt Ordinationem Epiſcopalem enarravit, relata cap. 7. ordinatione ipſius, ſic habet: “ Cantato deinde ter Kyrie eleiſon „ ſecundum ſigillum fit ſuper caput „ conſecrandi; mox Evangelium aperitur, „ quod Chriſtus eſt, & per ipſum „ Eccleſia ejus; & apertum ponitur ſuper „ caput, & cerviem ordinandi. „ Poſtea explicat rationes myſticas iſtius impoſitionis; deinde refert orationes, quæ a ſuperiori eſſentialiter non differunt; earum autem verba explicat Simeon Theſſalonicenſis, deinde proſequitur cetera ordina-

tionem conſequentia. Ritus ille Epiſcopum conſecrandi per manus impoſitionem habetur in tribus Euchologiis Græcorum ex MS. excerptis apud Martenum L. 1. de Ritibus part. 2. cap. 8. art. 11.

Secundo, ex Pontificalibus & Ritualibus Latinis.

QUOD Euchologia græca docent, in latinis Ritualibus reperiuntur.

Primo, quidem in codice antiquiſſimo Monaſterii Corbejenſis octingentorum annorum ætatem longe ſuperante, hæc de ordinatione Epiſcopi habentur: " Coepiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi adſunt, manibus ſuis capita ejus tangant. " Tum refertur hæc Oratio: *Oremus dilectiſſimi nobis, ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendam electis benignitas omnipotentis Dei, gratiæ ſuæ tribuat largitatem: per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Secundo: Idem legitur in alio codice ejuſdem Monaſterii, quippe ſcriptus eſt a Rodrado Presbytero paulo poſt ejus ordinationem; ſcilicet an. circiter Chriſti 853. hic autem collegit magna cum diligentia quæ in libro Sacramentorum ſancti Gregorii Papæ habebantur, Spuriaque a legitimis pro ſententia ſua diſcrevit, ſicut teſtatur in præfatione ſecundæ partis.

Tertio: In antiquiſſimo Eccleſiæ Rothomagenſis annorum ſaltem octingentorum codice ex Anglicano excerpto, hæc de Ordinatione Epiſcopi leguntur: " Epiſcopum qui ordinandus eſt duo Epiſcopi per manus de ſecretario antequam Evangelium legatur, deducant ante altare, & eo ibi proſtrato, ab Archiepiſcopo inchoetur litania, qua finita, & eo erecto ponatur Evangelium ſuper ſcapulas ejus, & has dicant Epiſcopi ſuper ipſum orationes: *Oremus dilectiſſimi nobis ut huic viro, &c.* " Tum, ait, conſecrator: " Unguantur manus iſtæ .... Ungo has manus oleo ſanctificato, &c. "

Quarto: Idem habetur in antiquiſſimo Eccleſiæ Rhemenſis Rituali pluſquam octingentorum annorum: Inſcribitur, *Sacramentorum liber Gregorianus*: " Epiſcopus cum ordinatur duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ejus, &c. "

Quinto: In codice antiquiſſimo Eccleſiæ Senonenſis, abſoluta una oratione, hæc Epiſcopo ordinando dicit Conſecrator: *Accipe hoc Evangelium, & ite, doce omnes gentes*. Deinde vero hanc promit orationem: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ tuæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem.*

Sexto: Codex manuſcriptus ſeptingentorum annorum Bibliothecæ S. Germani a Pratis ſic enarrat Epiſcopi ordinationem. Relatis ejus electione, & promiſſionibus, nec non & benedictione, tum annuli, tum baculi; recitato etiam Graduali, ait: *Hic ordinandus eſt Epiſcopus ait rubrica iſtius ritualis antequam legatur Evangelium poſt alleluja: & tunc debent duo Epiſcopi deducere illum per manus extra ſecretarium in præſentia Archiepiſcopi ante altare, & proſternens ſe, & cæteri faciant litaniam: finita tenentes librum Evangelii ſuper ſcapulas, & Archiepiſcopus benedicat eum.* Eædem ſunt preces ac illæ quas ſupra memoravimus. Idem refert codex octingentorum annorum Bibliothecæ Thuanæ.

Septimo: Codex Abbatiæ S. Victoris in ſuburbano Pariſienſi, annorum circiter quingentorum, ſimilia habet; in eo enim hæc leguntur: " Finita litania, ſurgat Dominus Archiepiſcopus, & ceteri cum eo, & incipiat hymnum, *Veni Creator Spiritus, &c.* quo finito accedat ſacrandus Epiſcopus, & ponat Dominus Archiepiſcopus caput ejus ſuper altare, & duo Epiſcopi ponant, & teneant textum Evangelii apertum ſuper caput ejus: & Dominus Metropolitanus infundens benedictionem ſuper eum dicat lenta voce: *Oremus dilectiſſimi &c.* ut ſupra. "

Octavo: In codice Eccleſiæ Moguntinæ, quem ſibi mutuo datum ab ampliſſimo viro D. Petavio ſupremæ curiæ Pariſienſis Senatore annorum quinquaginta ſupra, hæc de ordinatione Epiſcopi refert: Finito, *Gloria in excelſis*, a Metropolitano dicitur: " Pax vobis, deinde det orationem, & duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedi-

" ctio-

,, ctionem, reliqui omnes Epiſcopi qui
,, adſunt manibus caput ejus tangant, hæ
,, orationes dicantur mediocri voce ut ſu-
,, pra. ,,

Nono: Vetuſtiſſimum Pontificale Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi ante annos nongentos litteris Saxonicis ſcriptum, etiam jam laudatum, concluſionem noſtram tradit his verbis: " Epiſcopus cum ordi-
,, natur, duo Epiſcopi ponant, & te-
,, neant Evangeliorum librum ſuper cer-
,, vicem ejus, & unus fundat ſuper eum
,, benedictionem. Et poſtea iſtas tres ora-
,, tiones omnes Epiſcopi, qui adſunt, re-
,, citare debere: reliqui vero manus ſuas
,, ſuper caput ejus tangant. ,,

Prima oratio: *Oremus dilectiſſimi nobis, ut huic viro Illuſt. ad utilitatem Eccleſiæ provehendo benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem: Per.*

Altera oratio: *Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt Miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu: Per Dom.*

Tertia: *Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum Illuſt. cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem: Per Dominum &c.* Eadem de verbo ad verbum enarrat Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis annorum 900. eadem & ſimiliter legimus in tribus antiquis Sacramentorum libris manuſcriptis.

Decimo: Hanc auguſtam cæremoniam ſic delineat Pontificale Cadurcenſe ab annis circiter 800. exaratum: " Duo Epi-
,, ſcopi teneant Evangeliorum codicem
,, ſuper caput ejus, & uno ſuper eum
,, fundente benedictionem, reliqui omnes
,, Epiſcopi manibus ſuper caput ejus tan-
,, gant., Deinde referuntur orationes, ut ſupra. Idem habetur in Pontificali Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. ad uſum Radbodi Epiſcopi: Idem in Pontificali Saliſburgenſi annorum 600. ubi ſic legere eſt: " Ut autem ſurrexerint, duo
,, Epiſcopi ponunt, & tenent Evangelio-
,, rum codicem ſuper verticem ejus, &
,, inter ſcapulas clauſum, &; uno fun-
,, dente ſuper eo benedictionem, reliqui
,, omnes qui adſunt, manibus ſuis caput
,, ejus tangunt, & dicet ordinator oratio-
,, nem. ,, &c.

Undecimo: Pontificale Eccleſiæ Biſuntinæ annorum 600. & ad uſum Eccleſiæ Turonenſis accommodatum reponit dumtaxat impoſitionem libri Evangeliorum ante præfationem Miſſæ: " Tunc, in-
,, quit, dicat Dominus Archiepiſcopus
,, excelſa voce, Per omnia ſæcula &c. ,,
In cujus medio hæc habentur: " Hic po-
,, net Archiepiſcopus Evangelium aper-
,, tum ſuper verticem ejus & inter ſca-
,, pulas. ,, Deinde ſic proſequitur: "
,, Comple in Sacerdote tuo Miniſterii
,, ſummam, & ornamentis totius glori-
,, ficationis inſtructum cœleſtis unguenti
,, flore ſanctifica. ,, Tum, unctione facta hæc habentur: " Finita Miſſa, det
,, Archiepiſcopus ipſi librum Evangelio-
,, rum ita dicendo: *Accipe Evangelium,*
,, *& vade, prædica populo tibi commiſſo:*
,, *potens eſt enim tibi Deus augere gratiam*
,, *qui vivit, & regnat.*

Duodecimo: Epiſcopi ordinatio per impoſitionem manuum eodem modo invenitur in MSS. Pontificalis Remenſis Monaſterii ante 500. annos exarata: " Epiſco-
,, pum, qui ordinandus eſt, duo Epiſcopi per
,, manus, de ſecretario, antequam Evan-
,, gelium legatur, deducant ante altare;
,, & eo inibi proſternato, inchoetur li-
,, tania: qua finita, & eo erecto, pona-
,, tur Evangelium ſuper ſcapulas ejus;
,, & has dicant Epiſcopi ſuper ipſum
,, orationes, &c.

Decimo-Tertio: In manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Lugdunenſis annorum circiter 300. hæc habentur: " Finita, *litania*,
,, ſurgunt omnes & conſecratore ante al-
,, tare ſtante, vultu ad chorum verſo,
,, & electo apud illum genuflectente,
,, conſecrator aperiat codicem Evangelio-
,, rum ponens illum ſuper caput & ſcapu-
,, las conſecrandi, & duo Epiſcopi ſuſti-
,, neant illum, littera ex parte inferiori
,, manente. Tum ordinator imponat
,, utrumque manum ſuper caput illius di-
,, cens: *Accipe Spiritum ſanctum*; idemque
,, faciant, & dicant omnes Epiſcopi, tam
,, tenentes librum, quam alii ſucceſſive.
,, Quo facto, illo genuflectente, dicat
,, ordinator media voce, & alii etiam
,, Epiſcopi, ſubmiſſa tamen voce cum i-
,, pſo, *propitiare &c.* ,,

Tertio, ex Ordinationibus Syrorum, Maronitarum, & aliorum Orientalium.

IN editione Morini ſequentia leguntur in ordinatione Patriarchæ: " Patriarcha precatur, & imponit manus ſuper „ corpus, & ſuper calicem, ut conſummet, teguntque manus ejus cum velo. „ Poſtea revertitur ad eum qui ordinatur, „ eaſque imponit ſuper caput ejus, ac ei „ aptat. Interea Epiſcopi duo manibus „ ſuis ſuſtinent librum ſanctorum Evangeliorum apertum ſuper manus Patriarchæ, & alii ſuſtinent flabella ſuper „ Evangelium. Tunc Patriarcha attolit „ manus ſuas, extendit brachia, eaque „ elevat, & deprimit tribus vicibus ſuper „ caput illius qui ordinatur. Tum vero „ Epiſcopi cum manibus Patriarchæ attollunt Evangelium ſuper manus illius, „ deprimuntque illud, & flabella ſimiliter „ ſuper Evangelium, illaque commovent. „ Patriarcha autem precatur precationem „ invocationis Spiritus, & dum conſummat, precatur iterum, *Pax vobiſcum.* „ Populus, *Et cum Spiritu tuo.* Poſtea „ Patriarcha ſe ſe inclinat; deinde cum „ redierit ad eum qui ordinatur, Epiſcopi attollunt Evangelium & avertunt „ ab eo: Patriarcha ſignat eum, & dicit: „ *Ordinatur in Eccleſia ſancta Dei*, reſpondent Epiſcopi, *N. Epiſcopus & Metropolita ad Eccleſiam ſanctam urbis N. gregis benedicti.* „

Idem confirmat ex ordinatione Syrorum Neſtorianorum. Illi: " Abſoluto „ canone, non precantur; ſed Evangelium accipit Præſul, & imponit illud „ ſuper dorſum illius qui ordinatur. Dicit „ autem Archidiaconus: *Præparati ſtemus.* „ Tum legunt ex textu Matth. 16. Evangelium; Quid dicunt de me homines? ... „ Cum autem hæc abſoluta fuerint; legunt „ ex Joanne: *Dixit Jeſus Simoni Petro*, „ Simon Barjona, amas me plus his &c. „ .... Ex Matthæi c. 28. Tibi dabo claves &c. .... Cum imponitur Evangelium ſuper dorſum ejus qui ordinatur, „ omnes Epiſcopi qui illic ſunt, imponunt manus ſuas ſuper illum ex utroque „ latere, donec omnes preces abſolutæ „ fuerint; & tunc ab eo recedunt. Cum „ autem abſolvit Evangelium, illud ponit ſupra dorſum ejus. „ Poſtea conſecratus recitat orationem, Domine etiam nunc illumina faciem tuam ſuper hunc ſervum tuum; & eum, " Elige electione „ ſancta per ſpiritus ſancti Unctionem „ &c. „ Hoc ipſum eruitur ex Ordinationibus Syrorum Jacobitarum, & Eutychianorum, de illis autem hæc enarrantur ubi de ordinatione Epiſcopi „ : Evangelium „ ſuper caput ejus apertum tenent Epiſcopi quotquot ſunt. Patriarcha autem „ ponit manus ſuas ſuper caput ejus ſubter Evangelium: eas autem movet dum „ Epiſcopi attollunt Evangelium deſuper manus Patriarchæ, & deprimunt „ illud quoties movet: oculi ejus interim „ cum timore ſuſpiciunt in altum. Ter „ ſic facit. Poſt tertiam autem motionem, „ Imponit Patriarcha dexteram ſuam ſuper caput illius qui ordinatur: Siniſtram mutans in modum orbis ſeu circuli „ ſuper caput illius qui ordinatur: interea „ cum quiete, & ſilentio tenent Epiſcopi Evangelium ſuper caput illius, & „ precatur. „

Secunda pars concluſionis probatur: ſcilicet quod Eccleſia Latina ad majorem explicationem ſuperaddat unctiones, collationem annuli, & baculi Paſtoralis, cum quadam verborum forma.

UNGI Epiſcopos innuunt quidam ex Patribus Græcis; hoc præcepit Innocentius III. Hoc ipſum Pontificalia Latina indicant.

Primo, de Unctione Epiſcopali ſic loquitur S. Gregorius Nazianzenus oratione 5. cujus initium iſtud eſt: " Idcirco me Pontificem ungis & podere cingis, capitique cidarim imponis atque holocauſti ſpiritualis altari admoves, & „ initiationis vitulum mactas, manuſque „ Spiritui conſecras, & in Sancta-ſanctorum „ ſpectatum introducis, verique illius tabernaculi, quod non homo, ſed Dominus fixit, Miniſtrum efficis dignum. Ne „ vero & vobis qui ungitis, & eo propter „ quem peragitur, in quem tendit hæc „ Unctio perſpectum hoc habet pater veri illius ac genuini uncti; quem exultationis oleo, præ conſortibus ſuis perfudit, cum humanitatem divinitate unxit. „

Tum Orat. 7. cum ordinaretur Epiſcopus

pus Saſimorum: “ Rurſum ſuper me un-
,, ctio & Spiritus. ,, Item adhuc dicit Orat.
41. quæ incipit *Reſurrectionis dies:* “ My-
,, ſterium unxit me. ,, Et Orat. in laudem
Magni Baſilii: “ Nam ad eum ungendum
,, viros pietate Claros, ac zelo flagrantes
,, ex exteris regionibus, *Spiritus ſanctus*,
,, excitat. ,, Ibidem de ſuo parente ſic
loquitur: “ Juvenis redit firmus ac valens,
,, oculos erectos habens a manuum im-
,, poſitione, & unctione, addo etiam &
,, ab illius qui ungebatur capite robora-
,, tus. ,,

De Chryſoſtomo ſcribit Metaphraſtes in
ejus vita “ Sacro Chryſmate conſecratur,
,, & in excelſo loco Eccleſiæ collocatur.
,, De Gregorio Palama tametſi ſchiſmatico
hæretico, quem recentiores Græci cele-
brant 2. Dominica Quadrageſimæ, in vita
illius ſic loquitur: “ Magnum Chriſma Sa-
,, cerdotii ſuſcepit; & in tropariis ad i-
,, pſum unguento conſignatus eſt Pontifica-
,, tus. ,,

Job Lib. de Sacramentis illud expreſſe
tradit his verbis: “ Ordine vero quodam
,, dignitatis adminiſtratur divinum unguen-
,, tum in initiatione Regum, cum in
,, ſella collocantur, vel apud nonnullos
,, denuo fieri ſolet in conſecratione Ponti-
,, ficis præcedentis; hi enim quamvis om-
,, nino antea, ut moris eſt apud omnes,
,, poſt Baptiſmum unguento ſint abluti, ni-
,, hilominus rurſum divini unguenti ſigil-
,, lo inunguntur. ,,

Secundo: Hæc veritas colligitur ex re-
ſponſione Innocentii III. & legitur extra.
De *ſacra Unctione* c. 1. his verbis: “ Cum
,, veniſſet ad Apoſtolicam Sedem Braca-
,, renſis Epiſcopus, qui in conſecratione
,, ſua ſanctam non acceperat unctionem,
,, quoniam apud vos non conſueverunt Pon-
,, tifices cum conſecrantur, inungi, nos
,, quod illi defuerat mandavimus in ipſo
,, ſuppleri, facientes caput ejus, & ma-
,, nus per Albanum Epiſcopum, aſſiſten-
,, tibus ei duobus Epiſcopis, ſecundum
,, morem Eccleſiaſticum ſacro Chriſmate
,, deliniri. ,,

Memoratus Pontifex primum pronunciavit
duas eſſe unctionis ſpecies, unam ſcilicet
exteriorem, quæ materialis eſt & ini-
tialis, alteram vero interiorem quæ ſpi-
ritualis, & inviſibilis eſt: Tum utriuſ-
que affert exempla, & rationes reddit:
“ Hoc ergo Chriſmate ungi debet Epi-
,, ſcopus, non tam in corpore, quam in
,, corde, ut & interius nitorem conſcien-
,, tiæ, quantum ad Deum, & exterius ha-
,, beat odorem bonæ famæ quoad proxi-
,, mum. De nitore conſcientiæ dicit Apo-
,, ſtolus: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium
,, conſcientiæ noſtræ; nam omnis gloria
,, filiæ regis ab intus. De odore famæ,
,, idem Apoſtolus ait, Chriſti bonus odor
,, ſumus in omni loco, & aliis ſumus
,, odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in
,, mortem; debet enim Epiſcopus bonum
,, habere teſtimonium, & ab iis qui ſunt in-
,, tus, & ab iis qui ſunt foris, ut cor-
,, tina cortinam trahat, & qui audit di-
,, cat, veni: hoc unguento caput & manus
,, Epiſcopi conſecrantur; per caput enim
,, mens intelligitur, juxta illud, Vnge ca-
,, put tuum, & faciem tuam lava. Per manus
,, opera intelliguntur, juxta illud ma-
,, nus meæ diſtillaverunt myrrham. Ma-
,, nus igitur inunguntur oleo pietatis, ut
,, Epiſcopus operetur bonum ad omnes,
,, maxime autem ad domeſticos fidei: ca-
,, put autem ungitur balſamo charitatis,
,, ut Epiſcopus diligat Deum ex toto cor-
,, de, & ex tota anima, & ex tota men-
,, te ſua, & proximum ſuum ſicut ſe ip-
,, ſum. Caput inungitur propter auctorita-
,, tem, & dignitatem; & manus propter
,, miniſterium, & officium. Caput enim
,, ungitur, ut oſtendatur illi repræſen-
,, tare perſonam de qua dicitur per Pro-
,, phetam, ſicut unguentum in capite
,, ejus, quod deſcendit in Barbam, Bar-
,, bam Aaron. Caput enim viri Chriſtus,
,, caput Chriſti Deus, qui de ſe dicit: Spi-
,, ritus Domini ſuper me, eo quod ma-
,, xime, evangelizare pauperibus miſit
,, me: manus Epiſcopi inunguntur, ut
,, oſtendatur accipere poteſtatem benedi-
,, cendi, & conſecrandi. ,, Unctio igitur
Epiſcopalis eſt explicativa poteſtatis ipſi
collatæ.

Tertio: Idem evincitur ex Pontificali-
bus Eccleſiæ Latinæ, & quidem ex omni-
bus jam citatis, quorum antiquitatem
notavimus. Namque Pontificale Ebora-
cenſe ſic habet: “ Unguantur manus
,, iſtæ, & ſanctificentur, & in te Deo
,, Deorum ordinentur. Unguo has manus
,, oleo ſanctificato, & Chriſmate unctio-
,, nis purificato, ſicut unxit Moſes
,, verbo oris ſui manus ſancti Aaron ger-
,, mani ſui, & ſicut unxit Spiritus ſan-

G 4 ,, ctus

„ ctus per ſuos flatus omnium Sacerdo-„ tum, & ſicut Jeſus Salvator omnium „ ſanctas manus, & ſanctificentur, & „ conſecrentur, ut in omnibus ſint perfe-„ ctæ. In nomine tuo, Pater, &c. „

Pergit Pontificale: " Unguantur manus „ iſtæ & conſecrentur ..... In nomine Dei Patris, &c. „ Tum: " Unguatur, „ & conſecretur caput tuum cœleſti be-„ nedictione in ordine Pontificali. In no-„ mine Patris, &c. „

Cum datur baculus hæc oratio dicitur. *Accipe baculum Paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitiis ſæviens, in ira judicium ſine ira tenens, cum iratus fueris miſericordiæ reminiſcens.*

Cum annulus datur hæc oratio ſequitur. *Accipe annulum Pontificalis honoris, ut ſis fidei integritate munitus.* Per traditionem, ut claret, Baculi Paſtoralis, & annuli explicatur poteſtas Epiſcopalis. Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis refert orationem prolixam, quam recitat Epiſcopus conſecrator, poſtea conſecrationem capitis cum unctione olei, ſub forma memorata ſuperius: Tum legitur alia prolixa oratio deprecatoria, ad hoc ut Deus conſecrato largiatur omnia neceſſaria, ut exequatur omnes functiones ſuas, deinde habetur benedictio de ſeptiformi Spiritu; poſtea conſecratio manuum, ut ſupra, & collatio baculi, ſed alia eſt oratio cum datur annulus; hujus autem ſunt hæc verba: " Accipe ergo „ annulum diſcretionis, & honoris fidei „ ſignum; ut quæ ſignanda ſunt, ſignes; „ & quæ aperienda ſunt, prodas; quæ „ legenda ſunt, legas; quæ ſolvenda „ ſunt, ſolvas, atque credentibus per fi-„ dem Baptiſmatis, lapſis autem & pœ-„ nitentibus per miniſterium reconciliatio-„ nis, januas regni cæleſtis aperias; cun-„ ctis vero de Theſauro Dominico no-„ va, & vetera proferas. Ad æternam „ ſalutem omnibus confortatus gratia Do-„ mini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Pa-„ tre, &c. „

Orationem, *Deus honorum omnium &c.* quæ in omnibus Pontificalibus legitur, in duas partes dividit Pontificale Gellonenſe. Secunda ibi ſic incipit: *Comple Domine in ſacerdotibus tuis miniſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructos cæleſtis unguenti flore ſanctifica &c.* Tum ſicut & in alio Pontificali ſanctæ Mariæ Noviomenſis, habetur duntaxat conſecratio manuum ſub hac forma: " Unguantur manus iſtæ de oleo ſancti-„ ficato, & chriſmate ſanctificationis. „ Sicut unxit Samuel David in Regem, „ & Prophetam, ita unguantur, & „ conſummentur in nomine Dei Patris, „ & Filii, & Spiritus ſancti, facientes „ imaginem ſanctæ crucis Salvatoris Do-„ mini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos a „ morte redemit, & ad regna cœlorum per-„ ducit. „ Deinde ſequitur oratio, *Exaudi nos pie Pater, omnipotens æterne Deus, & præſta qui te rogamus, & exoramus per &c.*

Pontificale Cadurcenſe 800. ann. eodem modo refert conſecrationem manuum & capitis, porrectionem baculi & annuli ſicut Egberti Eboracenſis Pontificale, de quo ſupra.

Pontificale Salisburgenſe annorum 600. præcipit facere unctiones in præfatione, hoc modo, cum pervenit ad hæc verba, *Cæleſtis unguenti flore ſanctifica*; hic, inquit, mittatur Chriſma in caput ejus in modum crucis, & dicitur: " Ungua-„ tur, & conſecretur caput tuum cœle-„ ſti benedictione in Ordine Pontificali. „ Cetera pro conſecratione manuum, collatione Baculi, & annuli, ut in ordine Romano.

Pontificale Biſuntinum in medio Præfationis Miſſæ recenſet conſecrationem, & unctionem capitis, manuum vero a poſt communione, eo modo quo ſupra; ſequitur poſtea benedictio, & collatio Baculi, & annuli ſub forma memorata.

Pontificale Beccenſe annorum 500. in medio orationis: *Deus honorum omnium &c.* reponit unctionem capitis, verba eadem ſunt ac in Præfatione qua utitur Salisburgenſe, conſecratio manuum ſicut in Egbertino, & ſic de aliis.

Ante Evangelium in diverſis præfationis partibus, quæ cantatur a conſecratore, omnia perfici refert Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria, ſic & Pontificale Noviomenſe, & Moguntinum an. 400. dilucide quidem Pontificale Romanum; ac tandem Lugdunenſe.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Tres Epiſcopi neceſſario prærequiruntur ad ordinandum Epiſcopum:

pum: Sed unctio capitis, & manuum; item traditio Baculi Paſtoralis, annuli, & libri Evangeliorum fit tantum ab uno Epiſcopo, ut videre eſt in Pontificali Romano; quod quidem confirmat Eccleſiæ praxis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ex illis unus tantum eſt conſecrator; alii vero duo ſunt aſſiſtentes, concedo: & omnes munus conſecratoris obeunt, nego: Iſto donantur nomine in Pontificali Romano; hæc autem diſtinctio appellationis, indicat etiam & diſtinctionem officii inter illos.

Inſtabis: Tres Epiſcopi imponunt manus ſuper ordinandum, & pronuntiant hæc verba: *Accipe Spiritum ſanctum*, quandoque etiam librum Evangeliorum ſuper caput ordinandi reponunt. Sed ſi hæc forent materiæ explicationes, utique ungendi caput & annulum dandi munus eis incumberet. Ergo &c.

Reſpondeo 1. non in omnibus Pontificalibus manuum impoſitionem, & formam præcipi faciendam a tribus, ſed ab uno ſcilicet conſecratore. 2. Nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia per primam illam actionem in numero Epiſcoporum reponitur Epiſcopus novus; cum autem illud fiat nomine Eccleſiæ, & ipſa pro ut dicit congregationem Epiſcoporum, non poſſit repræſentari minus quam per tres Epiſcopos, hinc eſt quod illa impoſitio debeat fieri a tribus, & verba ab illis pronunciari, cum autem alia quæ peraguntur fiant ad explicationem poteſtatis Epiſcopalis, ſufficit ut conſecrator illud perficiat, quia eſt Miniſter totalis omnium quæ peraguntur in Ordinatione Epiſcopi, alii vero duo ſunt Miniſtri partiales pro impoſitione manuum; aſſiſtentes vero pro aliis quæ perficiuntur: unde non mirum ſi nonnumquam, vel ipſum Evangelii librum ſuper caput ordinandi teneant; ſed hoc fit ſolum ut adjuvent conſecratorem: ipſe vero ſolus formam eſſentialem pronuntiat &c.

Urgebis: Si collatio annuli una cum Baculi porrectione fuit ab Eccleſia inſtituta ad explicationem, tum poteſtatis conferendæ, tum matrimonii Spiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam, ineundi, illud eſſet de eſſentia Ordinis Epiſcopalis: Atqui hoc falſum eſt: Et probatur: Primis ſæculis Epiſcopi erant abſque Clero & grege: vel noſtris etiam temporibus, tales ſunt Epiſcopi pro partibus Infidelium conſecrati. Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem; quod enim eſt ad majorem materiæ Sacramenti explicationem, poteſt omitti, ſalva ejus eſſentia: Et de facto primis ſæculis conſecratio Epiſcopi per ſolam manuum impoſitionem, ſub præſcripta verborum forma, ut multi autumant, fiebat. Neque vero inde ſequebatur Epiſcopos tunc temporis myſticum cum Eccleſia non contraxiſſe matrimonium; ad hoc enim ſufficit conſecratio, qua Eccleſiæ ſic conjuncti manebant, ut fidem ipſi datam ad ſanguinis uſque effuſionem ſervarent. Neque vero ad hoc ineundum ſacrum connubium, requiruntur actuales ſubditi, ſed ſatis ut vi ſuæ conſecrationis habeant eos regendi poteſtatem, quando, Deo providente, eorum aderit copia.

Inſiſtes: Impoſitio manuum omnem Epiſcopalem poteſtatem ſignificat: immo eam confert conſecrator quando cum oratoribus aſſiſtentibus, quæ in variis Græcorum Pontificalibus leguntur, adimplet: Igitur necesse non eſt alia adhibere ad illam denotandam poteſtatem inſtrumenta.

Reſpondeo diſtinguendo: Omnem poteſtatem impoſitio manuum denotat implicite, concedo: explicite, nego. Ad quid igitur Latini unguunt, dant baculum, & annulum Epiſcopo conſecrando, niſi ut quod implicite in conſecratione Græcorum perficitur, explicite ipſi & clariori modo exponant; nullum tamen inde diſcrimen eſt eſſentiale inter Ordinationes Græcorum & Latinorum; Namque per hujuſmodi inſtrumentorum traditionem Eccleſia latina nihil circa ſubſtantiam Sacramenti demutat; ſed ſolum magis explicat & exponit antiquam materiæ aſſignationem. Quod quidem poteſt illuſtrari exemplo particulæ *Filioque*, quam addidit Symbolo Nicæno non ad fidem divinitatis Spiritus ſancti tentandam, ſed potius ad explicandam contra Græcos negantes ejus a filio proceſſionem: hinc illis conquerentibus in hoc innovari fidem, reſpondit Eccleſia hanc particulam non eſſe fidei additamentum, ſed interpretationem: idem proportionaliter dicendum de ſacramento Ordinis. Nam ex D. Tho. in 4. diſtinct. 24. quæſt. unica ad 1.

Quia

" Quia pauciores erant fideles, ideo minor multiplicatio Miniſtrorum fuit neceſſaria, ſed multiplicato cultu divino, oportet Miniſtros cultus multiplicari. Sub ordine autem diaconatus omnes inferiores Ordines a Dionyſio comprehenduntur.,, Priori exemplo iſtud de uſu Euchariſtiæ adjungitur. Communio unius ſpeciei denotat refectionem ſpiritualem, ſed communio ſub utraque magis, & melius illam explicat: Igitur a pari quum antiquæ manuum impoſitioni Eccleſia latina addidit inſtrumenta, nihil novi eſſentiæ Sacramenti adjunxit, ſed ſolum materiam ſimul & effectus per ſacram ordinationem producendo magis explicavit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Impoſitio manuum eſt materia Epiſcopatus, inſtrumenta vero major explicatio.

PRIMUM patet: I. Ex Ordinatione Timoth. Tim. 4. II. Sic propugnat Cæleſtinus I. Epiſt. 2. ad Patres Epheſinos: Sic Dionyſius L. de Eccl. Hierar. Sic Theodoretus L. Hiſt. cap. 15. III. Idem patet ex Pontificalibus tum Græcis, tum Latinis. IV. Hoc ipſum fuſo calamo ſcribit Simeon Theſſ. L. de Sacr. cap. 7.

Alterum propugnatur etiam ab Auctoribus utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis. Inter Græcos, unctionem & baculum adhibent Gregorius Nazianz. Orat. S. Chryſoſtomus ut ſcribit Metaphraſtes. Job. Monachus eruditiſſimus &c. Inter Latinos vero Innocentius III. & refertur Extravag. *de ſacra unctione* cap. 1. Pontificale Eboracenſe 900. annor. &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tres Epiſcopi adſunt quidem conſecrationi Epiſcopi, ut Coadjutores; ſed unus tantummodo conſecrat.

Secundo: Juxta quædam Pontificalia, eſto, imponant quidem manus ſuper caput ordinandi, & dicant etiam iſta verba: *Accipe Spiritum ſanctum*, ſed ita fit ſolum, ut repræſentent Eccleſiam, unus quippe eſt conſecrator, ut alia innumera annuntiant Pontificalia.

Tertio: Nec inde ſequitur quidquam immutatum fuiſſe in materia Ordinationis Epiſcopi, cum impoſitio manuum ubique perſeveret.

SECTIO QUARTA.

Utrum Romanus Pontifex habeat poteſtatem creandi & inſtituendi Epiſcopos per univerſum orbem Chriſtianum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis capitibus.

Primo, ex Scriptura ſacra per SS. Patres explanata.

CHRISTUS Dominus ait Petro (Joan. c. 20. *Paſce oves meas, paſce agnos meos*: Rurſus Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris &c.* Hæc autem verba ſoli Petro non ſine Myſterio dicta ſunt. Nec mirum: ex iis enim teſtimoniis ſancti Patres, regendi, & gubernandi, nedum univerſos populos, ſed & populorum Paſtores atque Rectores auctoritatem Petro concedi teſtantur. Inter ceteros S. Epiphanius in Anchorato, pag. 354. ſic loquitur: " Ipſe autem Dominus conſtituit eum primum Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt adverſus illam. Portæ autem inferorum ſunt Hæreſes, & Hæreſiarchæ, juxta omnem enim modum in ipſo firmata & fides, qui accepit clavem cœlorum, & ſolvit in terra, & ligat in cœlo. In hoc enim omnes quæſtiones ac ſubtilitates fidei inveniuntur ..... Deus autem Spiritus exiſtens, qui a cœleſtibus ex Patre venit, hic qui audivit ex ipſo, Patre, Paſce agnos meos, cui concreditum eſt ovile. Igitur ſi Petro concreditum eſt ovile, ipſius eſt providere pro toto orbe Epiſcopos: Idem dicit D. Chryſoſtomus Hom. 87. in in cap. 21. pag. 88. Joannis ad hæc verba, *Paſce agnos meos*: " Os erat Apoſtolorum, & princeps: propterea & Paulus eum præter alios, viſurus aſcendit, ſimul ut ei oſtenderet jam ſibi fiduciam habendam, tamquam enim negationis oblivisceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque ex-

„ pro-

„ probrat, tantum dicit, Si amas me, „ fratrum curam ſuſcipias. „

Succinit Theophilactus, qui enarratione in illud caput Joan. 20. pag. 163. ſic habet: " Ita Chriſtus & gregi conſulit, & „ ſe diligentes remunerat, & ſuper mul- „ ta conſtituit, nempe ſuper eos pro qui- „ bus ſanguinem ſuum effudit. „

Item legimus in D. Ambroſio, qui Comment. in caput ultimum Lucæ pag. 1799.: " Denique, *ait*, tertio Dominus „ non jam, Diligis me? ſed, Amas me? „ interrogavit: & jam non agnos, ut, pri- „ mo, quodam lacte veſcendos, nec ovi- „ culas, ut ſecundo, ſed oves paſcere „ jubetur perfectiores, ut perfectior guber- „ naret. „

Aſtipulatur S. Leo Serm. 3. in die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum pag. 7. his verbis: " Et tamen de toto mundo unus „ Petrus eligitur, qui & univerſarum „ gentium vocationi, & omnibus Apo- „ ſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præ- „ ponatur: ut quamvis in populo Dei „ multi Sacerdotes ſint, multique Paſto- „ res, omnes tamen proprie regat Pe- „ trus, quos principaliter regit, & Chri- „ ſtus. „

Tandem D. Bernardus rem totam ſic concludit L. 2. de conſideratione ad Eugenium SS. Pontificem cap. 8. pag. 1135. " Tu princeps Epiſcoporum, tu hæres „ Apoſtolorum, tu primatu Abel.... „ Tu es cui claves traditæ, cui oves „ creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cœli „ Janitores, & gregum Paſtores, ſed tu „ tanto glorioſius, quanto & differentius „ utrumque præ ceteris nomen hæredi- „ tasti. Habent illi ſibi aſſignatos gre- „ ges; ſinguli ſingulos, tibi univerſi „ crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed „ & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. „ Unde id probem, quæris? Ex verbo „ Domini. Cui enim non dico Epiſco- „ porum, ſed etiam Apoſtolorum ſic ab- „ ſolute, & indiſcrete totæ commiſſæ „ ſunt oves? „

Nec levius argumentum ex his verbis deducitur, quibus ex D. Matthæo regni cœlorum claves Petro promiſſas fuiſſe deducitur; licet enim omnibus Apoſtolis poſtea dictum ſit: *Quodcumque ſolveritis ſuper terram erit ſolutum & in cælis*. Non tamen putandum eſt nihil peculiare Petro fuiſſe traditum: cur enim tanto verborum apparatu claves Petro Dominus promiſiſſet, niſi peculiarem aliquam ei poteſtatem dediſſet? Equidem ligandi, atque ſolvendi tam Petro, quam Apoſtolis Chriſtus conceſſit; ſed Evangelium, ſed claves ſoli Petro commiſſas, omiſſis aliis, commemorat: non quod clavibus Apoſtolos caruiſſe credamus, ſed quod claves peculiari jure Petro traditæ fuerint, ut per eum ex primatus jure tribuerentur ceteris, qui caput omnium a Chriſto fuiſſet conſtitutus: Eccleſiæ enim exigebat unitas, ut ab eo tamquam a capite Sacerdotali emanaret poteſtas, a quo Eccleſiaſtica adminiſtratio primitus dependebat.

Secundo, ex traditione Patrum.

HÆC traditio jam patet ex gloſſa Patrum interpretantium verba Chriſti modo laudata de primatu S. Petri ſuper ceteros Eccleſiæ Præſules. Eamdem tamen veritatem iteratis auctoritatibus aſtruere non injucundum erit. Multus eſt dei hac poteſtate ſermo in primorum ſæculorum Patribus & Doctoribus.

Agmen ducet S. Cyprianus, qui Epiſtola ad Jubajanum, quæ eſt 73. ſic loquitur: " Nam Petro primum Dominus ſuper „ quem ædificavit Eccleſiam, & unde „ unitatis originem inſtituit & oſtendit, „ poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur „ in cœlis quod ille ſolviſſet in terris. „ His verbis principaliter commiſſam Petro Eccleſiam, tum & ſuper ipſum eamdem fundatam, ac demum unitatis atque Epiſcopatus originem ab eo profluxiſſe tradit.

Ejuſdem eſt labii D. Gregorius Nyſſenus; ſic enim ſcribit L. de caſtig. " Ni- „ hil falſi ſcriptum eſt in Evangeliis, „ neque Chriſti prædictio exitum falla- „ cem habet, per Petrum Epiſcopis de- „ dit claves cœleſtium honorum. „

Illis ſe adjungit Optatus Milevitanus L. 10. contra Parmenianum his verbis: " Bo- „ no unitatis B. Petrus, cui ſatis erat ſi „ poſtquam negavit, ſolam veniam con- „ ſequeretur; & præferri omnibus Apo- „ ſtolis meruit, & claves regni cœlo- „ rum communicandas ceteris, ſolus ac- „ cepit. „

Tertio,

Tertio, ex Summis Pontificibus.

S. Anacletus Epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ can. *In novo* diſt. 21. ſic loquitur: " In „ novo autem Teſtamento, poſt Chriſtum „ Dominum a Petro Sacerdotalis cœpit „ ordo, quia ipſi primo Pontificatus in „ Eccleſia a Chriſto datus eſt, dicente „ Domino ad eum: Tu es, inquit, Pe- „ trus, & ſuper hanc petram ædificabo „ Eccleſiam meam: „ Hic ergo ligandi atque ſolvendi poteſtatem primus accepit a Domino.

Syricius Epiſt. 4. ſic ſe explicat: "Cum „ in unum plurimi fratres conveniſſemus „ ad ſancti Apoſtoli Petri reliquias, per „ quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus in „ Chriſto cœpit exordium. „ Ergo &c. Innocentius I. epiſtola ſecunda ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, ſimilia profert. Iſta autem verba, non ſolum, aut temporis, aut ordinis, ſed dignitatis & juriſdictionis ſuper ceteros Epiſcopos inſtituendos prioritatem denotant: eo igitur ſenſu Epiſcopatus a Petro profluere dicitur, quatenus ipſe ceteros Epiſcopos auctoritate avita inſtituere, ac confirmare poteſt; neque vero ille legitimus Paſtor evadet, qui fuerit contra ejus voluntatem inſtitutus; hinc uſus obtinuit ad ſummum Pontificem Petri ſucceſſorem recurrere, quoties circa alicujus Epiſcopi electionem dubium emergit, ut ipſe judicet quid ſit, aut abjiciendum, aut ſupplendum.

Quarto, probatur exemplis.

POTESTAS in corpus Chriſti myſticum in factis potiſſimum affulget: Atqui ſummi Pontificis in tota Eccleſia auctoritas ex multis elucet factis, quibus Præſules ubique modo inſtituiſſe, modo etiam aliquos propter peccata probata dejeciſſe conſtat: Et probatur multis momentis.

Primo quidem, de primis Pontificibus, quos perſecutor iterata falce abſtulit, multus eſt apud Baronium & Binium ſermo. Secundum eorum hiſtoriam S. Linus creavit pro diverſis locis Epiſcopos quindecim. Anacletus ſex; Anicetus novem; Zephyrinus, tredecim; Felix, quinque; Soter, undecim; Cajus, quinque; Marcellus, viginti unum.

Secundo: Decurſu temporum alia adſuere ejuſdem poteſtatis argumenta. Lucifer Calaritanus ut ſummi Pontificis Legatus Paulinum Antiochiæ Epiſcopum creavit, quam quidem ordinationem nedum Occidentales, ſed & Ægyptii & Cyprii ut ratam habuerunt; ſic ſcribunt Nicetas Comment. ad Orat. Hieronymus L. de Script. Eccleſ.

Non omittendum, Maximum Antiochenum a S. Leone in Epiſcopatu fuiſſe confirmatum, ut legitur in Concilio Chalcedonenſi Act. 7. Similiter & Anatolii Epiſcopi CP. electionem ſuo munivit calculo idem ſanctus Pontifex, ut liquet ex ejus epiſtola 55. ad Martianum Imperatorem.

Neque vero minus eamdem probat auctoritatem jus deponendi Epiſcopos alicujus criminis reos. S. Cyprianus L. 3. Epiſt. 13. vult ad Stephanum I. dirigi litteras, ut Marcianum deponere dignetur: " Dirigantur, *inquit*, in Provinciam, „ & ad plebem Arelate conſiſtentem a „ ſe litteræ, quibus abſtento Marciano, „ alius in locum ejus ſubſtituatur.

Eadem in Agapiti facto auctoritas SS. Pontificis elucet, qui nempe cum Marcellino Comite, Victore Tunenſi Epiſcopo, & aliis Conſtantinopolim adveniens, Anthymum Conſtantinopolitanum Epiſcopum exauctoraſſe, Menamque in ejus locum ſubrogaſſe dicitur, ut narrat Liberatus in Breviculo cap. 21. " Denique, *ait*, „ petentibus Principibus, ut Anthymum „ Papa in ſalutatione, & communica- „ tione ſuſciperet, illa fieri, inquit, poſ- „ ſe, ſi ſe libello probaret orthodoxum, „ & ad cathedram ſuam reverteretur. „ Impoſſibile eſſe ajebat translatitium ho- „ minem in illa ſede permanere. Augu- „ ſta vero clam promittente munera mul- „ ta, & rurſus Papæ minas intentante, „ in hoc Papa perſiſtit, ne ejus audiret „ petitionem. Anthymus vero videns ſe „ a ſede pulſum, pallium, quod habuit, „ Imperatoribus reddidit, & diſceſſit, „ ubi eum Auguſta ſuo patrocinio tuere- „ tur. Tunc Papa Principis favore Me- „ nam pro eo ordinavit Antiſtitem, con- „ ſecrans eum manu ſua in Baſilica ſanctæ „ Mariæ. „ Audis ſummum Pontificem ubique terrarum, nedum in agnos ſeu populos, ſed & in oves, hoc eſt juxta D. Bernardum, vel in ipſos Epiſcopos ſuam exercere poteſtatem.

Mar-

Digitized by Google

Martinus I. eadem, qua Agapetus auctoritate pontificia, flagrante Monothelitarum hæreſi, Epiſcopum Philadelphienſem Legatum ſuum per totum Orientem conſtituit, cui poteſtatem in ordinandis etiam Epiſcopis, & qua auctoritate dederit, ipſe teſtatur Epiſt. 5. ad eumdem pag. 1050. his verbis: “ Et ſic proſperans ,, in Domino, ea quæ deſunt corrigas, ,, & conſtituas per omnem civitatem earum, quæ ſedi tum Jeroſolymitanæ, ,, tum Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos, ,, & Presbyteros, & Diaconos: hoc tibi omnino facere præcipientibus nobis ,, ex Apoſtulica auctoritate, quæ data eſt ,, nobis a Domino per Petrum ſanctiſſimum, & Principem Apoſtolorum: ,, Propter anguſtias temporis noſtri, & ,, preſſuram gentium: ne uſque in finem ,, in illis partibus deficiat Sacerdotalis ,, decoris eximius ordo: ac ne inde de ,, cetero noſtræ religionis magnum & venerandum myſterium ignoretur. ,, Ibi ſanctus ille Pontifex oſtendit, auctoritate Petri, cujus cathedræ ſe ſucceſſorem eſſe ſciebat, non ſolo charitatis motivo, ſed ex plenaria poteſtate Epiſcopos etiam extra ſuum Patriarchatum, onus ordinandi, ubi exigit neceſſitas, ſibi incumbere.

Similiter Conſtantinus Papa Nicomediam vocatus a Juſtiniano juniore Imperatore, ut ſcribit Anaſtaſius in ejus vita, fecit ordinationes duodecim Epiſcoporum per diverſa loca mittendorum. Ex eo enim recte conjicit Cardin. Baronius ad annum 711. Conſtantinum in ea peregrinatione Epiſcopos per diverſa Orientis loca Patriarchæ CP. ſubdita, aliquos creaſſe; neque enim probabile eſt a Cajeta Romam uſque tot Epiſcopos eum conſtituiſſe, præſertim cum eorum locorum Præſules conſecrandos Romam ſecum venire potuiſſet jubere, nec in tam parva locorum diſtantia, tot ſedes poterant vacare. Jam vero niſi auctoritate ſua id potuiſſet; alii Patriarchæ Sedis Romanæ ut plurimum invidi fuiſſent paſſi.

Venerabilis Beda non mera Patriarchali, ſed ſumma Pontificali auctoritate, Auguſtinum ad Anglos convertendos miſiſſe clare oſtendit Lib. 1. Hiſt. c. 23. Quia cum primum, inquit, in toto orbe gereret Pontificatum ſanctus Gregorius, & converſis jam dudum multis ad fidem, noſtram gentem eatenus idolis mancipatam Chriſti fecit Eccleſiam &c.

Quinto, rationibus Theologicis.

PRIMA hæc eſt. Qui eſt totius Eccleſiæ primas & caput, poteſtatem ex jure avito habet, tum creandi, tum mittendi ubique Epiſcopos: Atqui talis eſt ſummus Pontifex: Ergo &c.

Altera: Ille jus habet per omnem terram conſtituendi Epiſcopos, cui ineſt Sacerdotii plenitudo: Sed hujuſmodi prærogativa donatur Papa: Ergo &c. Utraque illa ratio eſt divi Thomæ. L. 3. de regim. Eccleſiæ, art. 19.

Tertio: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Atqui ab ipſa vagiente Eccleſia ad nos uſque ſummus Pontifex per univerſam terram mittit Epiſcopos, qui Miſſionarii dicuntur, ut ſanctum diſſeminent Evangelium; nec ceteri Præſules Catholici contradicunt. Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Apoſtolis omnibus Chriſtus poſt Reſurrectionem dedit poteſtatem æqualem Petro, dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: Igitur S. Petrus non habet creandi ubique Eiſcopos poteſtatem.

Reſpondeo, eumdem Dominum, ut unam eſſe Eccleſiam manifeſtaret, unam cathedram Romanam conſtituiſſe, in qua ſumma Eccleſiæ Romanæ poteſtas ordinaria eſſet, & a qua ceterarum Eccleſiarum origo peteretur: unde diſtinguo propoſitionem: Chriſtus dedit poteſtatem ceteris Apoſtolis quantum ad juriſdictionem in omnes populos extraordinariam, ſalvo S. Petri Primatu, concedo: non ſalvo, nego. Quia tunc Chriſtus mittebat Apoſtolos in omnem terram, ut docerent gentes, & eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti tingerent; expoſtulabat neceſſitas, ut Apoſtoli & creandi, & inſtituendi ubique Epiſcopos poteſtate donarentur. Quod autem hæc auctoritas fuerit extraordinaria, illud irrefragabile argumentum eſt, quod ipſis mortuis, ad alios non tranſierit; ſed perenni fluxu & refluxu a Sede Romana ut a primigenio fonte, & totius unitatis principio ad alios ſeſe, ordinante ſummo Pontifice,

exten-

extenderet. Nec inde quidquam ab Epiſcoporum auctoritate detrahitur, cum ſuas habeant in propria Diœceſi oves, quas ut veri & connaturales Patres paſcunt & gubernant.

Inſtabit: D. Auguſtinus L. 3. contra Donatiſtas c. 17. affirmat Petro totam Eccleſiam figuranti ac repræſentanti, clavium poteſtatem fuiſſe traditam. Ita ſimiliter, tum de agone Chriſti c. 30. tum in Pſalm. 108. Item Tract. 124. in Joannem, Lib. 50. Hom. 45. ſermone 30. de diverſis denique L. retract. c. 1. Concinunt Origines tract. 1. in Matt. Ambroſius in Pſ. 38. Gaudentius Brixianus Tract. in die ſuæ ordinationis, & Pacianus L. 1. contra Simpronianum, qui docent Epiſcopos omnes in Petro claves accepiſſe. Igitur non ſoli Petro competit conſtituere per univerſam terram Epiſcopos.

Reſpondeo diſtinguendo: Et illi id unice volunt, ſcilicet poteſtatem remittendi peccata, & aperiendi cœlum ita Petro promiſſam fuiſſe, ut tamen ſoli Petro non eſſet tribuenda, nec Sacramenta quæ ad remittenda peccata instituta ſunt, a ſolo Petro adminiſtrari debuiſſe, concedo: & eo ſenſu ſic locuti ſunt, quaſi Petrus claves non recepiſſet, ut eorum virtutem ceteris quantum ad alia munia obeunda non communicaret, nego. Quod hæc ſit mens S. Auguſtini, patet ex eo quod dicat, ideo Petrum Eccleſiæ figuram geſſiſſe, quia ejus caput & ceterorum Rector foret conſtitutus; ſic enim ipſe Tract. ultimo in Joan. loquitur: " Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat, figurata generalitate perſonarum. " Rurſus in Pſal. 108. " Cujus ille agnoſcitur geſſiſſe perſonam propter primatum quem in diſcipulis habuit: Denique Petrus a petra cognominatus Beatus, Eccleſiæ figuram portans Apoſtolatus Principatum tenens &c. " Idem & alii innuunt.

Urgebis: Auctoritates ſummorum Pontificum non probant eos habere poteſtatem ordinandi, & inſtituendi Epiſcopos in univerſo orbe, quippe qui hæc dicendo, impenſius ſuæ dignitati favere videntur: Ergo.

Reſpondeo, SS. PP. laudatos ſicut eruditione, ſic & pietate fuiſſe inſignes; hinc eorum ſententias, ea qua par eſt erga ſancti Petri cathedram reverentia, omnes ſuſcipiunt; maxime vero ex eo quod nihil pro religione niſi auctoritate Scripturæ ſacræ, & Patrum ſuffulti ſcripſerint.

Replicabis: 1. Patriarchæ, 2. Primates, 3. Metropolitani non ſemel olim creaverunt Epiſcopos in univerſo orbe: Igitur munus illud ad ſolum non pertinet ſummum Pontificem.

Reſpondeo ad 1. primas Sedes Patriarchales a D. Petro immediate vel mediate inſtitutas fuiſſe, ut dictum eſt. Sic docet Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum. Sic Chryſoſtomus Homil. in B. Ignatium: Sic Leo I. Epiſt. 55. ad Anatolium: Gelaſius Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ, Gregorius L. 6. Epiſt. 87. Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum 192. Hincmarus opuſculo 55. unde diſtinguo propoſitionem: Patriarchæ, accedente ſummi Pontificis conſenſu, ordinavere per diverſa loca Epiſcopos, concedo: ipſo reluctante, nego. Hanc ob rationem Sedem Alexandrinam, Antiochenam, & Romanam unius Petri eſſe dixit D. Gregorius Magnus Epiſt. 48. & Epiſt. 37. L. 6. hinc Alexandrinam cathedram ſuam ipſe appellavit, unumque trium illarum ſedium Sacerdotium Symmachus Papa Epiſt. 1. ad Eonlum Arelatenſem dixit, ita & Carolus Calvus Epiſt. ad Adrianum II. Non quod pari per omnia poteſtate præditi fuerint, ſed quod totius Eccleſiæ ſollicitudinem, cum iis SS. Pontifex particeps ſit.

Jamvero quod ſpectat ad Patriarchas Jeroſolymitanos, & CP. hanc dumtaxat prærogativam habuerunt a Conciliis generalibus, ſcilicet CP. 1. & Chalcedonenſi, cui tamen innovationi ſeſe oppoſuerunt S. Leo I. Epiſt. 54. Felix II. Epiſt. 1. Gelaſius 1. ut ſupra, Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum, quocirca Ordinationes Patriarchales ab eis factæ, eatenus validæ fuerunt, quatenus firmitatem dignitatis a Sede Romana habuerunt.

Ad difficultatem quæ ſpectat Primates, ſimiliter diſtinguo: Ordinaverunt Antiſtites tamquam Vicarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, concedo: abſque ejus conſenſu, nego. Hoc nomen Primatis referente Morino L. 1. Exercit. Ecc. 4. n. 21. & 22. ſibi aſſumpſerunt, 1. Theſſalonices, & Corinthii Præſules, deinde Arelatenſes,

Re-

Remenſens , Cantuarienſes ; tum Lugdunenſes, Bituricenſes, & alii .

Par fere eſt ratio Metropolitanorum Præſulum , quæ Primatum; eos enim ſaltem in Occidente a ſolo Romano Pontifice primum conſtitutos , aſſignatis etiam majoris , vel minoris pro diverſa temporum ratione Provinciæ limitibus , ex Hiſtoriarum monumentis claret . Licet igitur Metropolitani , & Primates Ordinationum jus diu ſibi vindicaverint , ſic tamen illo potiti ſunt privilegio , ut ſemper Romani Pontifices poteſtatem ordinandi , & dubia ordinationum reſolvendi ſibi retinuerint , inde Aurelius , & Africani ab Innocentio I. Epiſt. Proculus Maſſilienſis a Zoſimo Epiſt. 6. ad Epiſcopos Galliæ , Hilarius Narbonenſis a Bonifacio I. Epiſt. 8. correpti ſint , eo quod indebitas feciſſent ordinationes . Inde Tarraconenſium ad Hilarium I. de ordinationibus a Sylvano factis , querimoniæ , inde rejecti quidem a D. Gregorio Magno electi , & ordinati L. 6. Epiſt. 38. diſt. 15. inde in Concilio Chalcedonenſi Act. 11. Baſſianus qui per vim in Epheſinam Eccleſiam intruſus fuerat , a ſancto Leone dejectus dicitur , cujus auctoritate factum eſt, ut alius nomine Stephanus eligeretur . Hinc ceteri Patriarchæ , referente Theodoreto , tum Socrate , & Sozomeno , Athanaſius , & Petrus in Sede Alexandrina , Chryſoſtomus in CP. Paulinus & Evagrius in Antiochena, ſummorum Pontificum auctoritate , vel retenti , vel reſtituti fuerunt ; quocirca D. Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum de tribus illis Patriarchis Antiochenis , qui ſe jactabant communionem ſanctæ Sedis habere , ſic loquitur : " In tres partes „ ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat: „ Monachorum circa manentium antiqua „ in me ſurgit auctoritas . Ego interim „ clamito : Si quis cathedræ Petri jun„ gitur, meus eſt . Meletius , Paulinus , „ Vitalis tibi hærere ſe dicunt , poſſem „ credere , ſi hoc unus aſſereret , nunc „ aut duo mentiuntur , aut omnes . Idcir„ co obteſtor beatitudinem tuam per cru„ cem Domini &c. ut mihi litteris tuis „ apud quem in Syria debeam communica„ re ſignifices . „ Paulino autem poſtea adhæſit , & ab eo Presbyter creatus eſt, eo quod SS. Pontifex cum eo communicaret .

Hinc & de Neſtorio S. Cyrillus Alex. Epiſt. 29. cap. 4. ad Cæleſtinum Papam , quæ reperitur in actis Concilii Epheſini , ſic loquitur : " Non prius tamen illius „ communionem confidenter deſerere au„ ſi fuimus , quam hæc ipſa pietati tuæ „ indicaremus . Digneris proinde , quid „ hic ſentias declarare ; quo liquido no„ bis conſtet , communicare ne nos cum „ illo oporteat , an vero libere eidem „ denuntiare , neminem cum eo commu„ nicare debere , qui ejuſmodi erroneam „ doctrinam fovet & prædicat . „ Similiter Anatolius poſt Flaviani necem , referente Liberato , in Breviario c. 12. in prædatoria Synodo Epheſina , a Dioſcoro & aliis ejuſdem formæ conſtitutus atque ordinatus , ſuæ ordinationis effectum habere noluit, niſi SS. Pontificis conſenſus accederet . Quocirca Theodoſium rogari curavit per S. Leonem Romæ tunc ſedentem , ut ejus electionem , ordinationemque comprobare dignaretur . Id conſtat in Epiſt. 33. D. Leonis ad Theodoſium Auguſtum ; quare idem S. Leo poſtquam conditiones appoſuit , quibus adimpletis , ſe cum eo communicaturum aſſerit, Epiſt. 54. ad Martianum ſic habet : " Quam„ vis enim neceſſarie ſibi frater meus „ Anatolius conſuluiſſe videatur, ut ordi„ natorum ſuorum errorem deferens , in „ aſſenſum catholicæ fidei ſalubri corre„ ctione tranſiret , cuſtodire tamen de„ buit , ut quod noſtro beneficio noſcitur „ conſecutus &c. „ Si igitur beneficio S. Leonis Epiſcopatum eſt aſſecutus , ipſum igitur in ſuam communionem recipiendo in Epiſcopatus poſſeſſione confirmavit .

Hanc confirmandorum Patriarcharum poteſtatem in ſummo Pontifice agnovit Synodus Chalcedonenſis Act. 10. his verbis : " Sanctus, & beatiſſimus Papa , qui Epi„ ſcopatum ſancti ac venerabilis Maximi „ Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ confirma„ vit , juſto ſatis judicio , ejus meritum ap„ probaſſe videtur &c. „

Inſtabis: Patriarchæ Alexandrini non ſemel ordinarunt Conſtantinopolitanos Patriarchas, non conſulto prius ſummo Pontifice . Petrus v. g. Alexandrinus pro Eccleſia CP. ordinavit Gregorium Nazianz. & poſtea Maximum Philoſophum Cynicum . Similiter ad ordinationem D. Chryſoſtomi evocatus eſt ab Impera-

Digitized by Google

tore Theophilus Alexandrinus ; ſic refert Liberatus in Breviario c. 12.

Reſpondeo diſtinguendo : Et hoc factum eſt ex tacito vel explicito ſummi Pontificis conſenſu , concedo : eo prorſus abjecto , nego . Si qui igitur , urgente aliqua neceſſitate , non prius expoſtulato Papæ conſenſu, Patriarchæ inaugurati ſint, dubio-procul illum ex benignitate Sedis Romanæ propter diſtantiam locorum , ſupponebant ; cujus reſponſionis argumentum eſt, quod ut primum permittebat tempus, Confirmationem a ſummo Pontifice ſibi concedi ſatagerent .

Ad primum factum jam diſtinguere juvat . Petrus Alexandrinus , alias ſtrenuus Athanaſii, & fidei acerrimus defenſor S Gregorium Nazianzenum Patriarcham ordinavit, nondum conſulto ſummo Pontifice , ſed ſupponente ejus conſenſum , concedo : non ſupponente , nego. Eccleſiæ CP. ab Arianis exagitatæ expoſtulabat calamitas , ut abſque mora haberet Epiſcopum , qui tum Hæreticorum , qui Conſtantinopoli dominabantur , tum Schiſmaticorum ,qui Antiochiæ tragœdias movebant , frangeret impetus : Quod autem ſummi Pontificis pro Patriarchis vel inſtituendis , vel defendendis , aut etiam abjiciendis , ſi mali eſſent , auctoritatem per omnia agnoverit , patet ex eo quod , referente Theodoreto L. 4. Hiſt. cap. 20. tum & Socrate L. 4. cap. 30. ab Arianis a ſede pulſus , confugerit ad Damaſum Papam, qui , illo audito, eum in ſedem propriam reſtituit.

Ad ſecundum , diſtinguo : Et ordinatio Maximi ab Orientalibus abjecta eſt, concedo : & uti genuina cenſenda erat , nego. Hac data occaſione , ne quid ſimile contingeret, Concilium I. CP. Oecumenicum can. 2. pag. 510. ſic ſtatuit : " Epi„ ſcopi ad Eccleſias quæ ſunt ultra ſuam „ Diœceſim , ſuoſque limites nec acce„ dant , nec Eccleſias confundant : Sed „ ſecundum canones , Alexandriæ qui„ dem Epiſcopus Ægyptum ſolum re„ gat, Orientis autem Epiſcopi , Orien„ tem ſolum adminiſtrent . „ Audis Patres metam imponere Patriarcharum Diœceſibus , nullam vero ſummi Pontificis poteſtati , ut oſtendant ad univerſalem Eccleſiam ejus Primatum extendi .

Ad tertium utique diſtinguo : Theophilus ordinationi S. Chryſoſtomi adſuit ad majorem celebritatem , concedo : ad eam ſua auctoritate faciendam, nego.

Urgebis : Nedum Patriarchæ Alexandrini , ſed & Conſtantinopolitani Patriarchas, inconſulto ſummo Pontifice , conſecrabant . Sed hoc abſque jure avito facere nuſquam tentaſſent . Ergo &c. Probatur major in qua eſt difficultas . Anatholius Patriarcha CP. Maximum Antiochenum Patriarcham ordinavit, ut ſcribit Liberatus in Brev. cap. 12. Similiter Acacius conſecravit Stephanum juniorem. Sic habet Simplicius Papa Epiſt. 13. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem . Ad primam probationem diſtinguo : Et audacia Anatholii a ſanctiſſimo Pontifice fuit retuſa, concedo : & ei non ſe oppoſuit , nego . Leo Magnus Epiſt. 56. ad eumdem , acriter ipſum de iſta ordinatione redarguit , eam fuiſſe contra canonicam regulam aſſerit , ibique teſtatur ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones illo facto infringi ; Epiſt. 57. ad Martianum, ait, factam: " Sine ullo exemplo, „ & contra ſtatutum canonum . „

Ad ſecundum dico, Simplicium Papam ita excuſare factum Acacii , qui ad turbas Antiochenas ſedandas , præcipiente Joanne Imperatore Conſtantinopoli , Patriarcham ordinaverat , ut tamen peccatum levius illud eſſe affirmet , eo quod inſtante neceſſitate , ſic egiſſet , de cetero autem diſtricte exemplum trahi , aut in poſterum id præſumi vetat.

Inſiſtes : Magna quædam contentio orta eſt inter Romanos Pontifices , & Patriarchas CP. pro Epiſcopis Bulgariæ confirmandis : Igitur illud non ſpectat ſummos Pontifices.

Reſpondeo diſt. Et diſceptatio erat de jure Patriarchali , concedo : de poteſtate Romani Pontificis quatenus eſt caput Eccleſiæ, nego . Id unum intendebant Græci , ſcilicet non expedire , ut intra fines dominationis ſuæ ſummi Pontifices Francorum fœderibus inhærentes , ordinationes in Bulgaria peragerent ; maxime cum S. Ignatius Patriarcha CP. inter legendo Epiſtolas Legatorum ſanctæ Sedis pro illo negotio ſibi datas, hæc eum dixiſſe refert Anaſtaſius Biblioth. in Adriano II. " Abſit a me, ut ego his præſumptioni„ bus contra decorem Sedis Apoſtolicæ „ implicer , qui nec juveniliter ago , ut „ mihi ſubripi valeat, nec ita ſimiliter deliro,

„ liro, ut quod aliis prohibere debeo, i- „ pſe committam. „Quod igitur pro Bulgaria ſibi retinenda egit, ei debet condonari; ſpecioſo enim juris prætextu Eccleſiæ ſuæ jure ſe tueri poſſe arbitratus eſt, & ſi quid in ea diſſenſione exceſſit, abſterſit variis pro religione laboribus ſuſceptis culpam; nec igitur in dubium vertit jus ſanctę Sedis, ſed urgebat Patriarchicum jus in iis ſibi Provinciis deberi.

Perſiſtes: Electio Cornelii SS. Pontificis a ſancto Cypriano comprobata dicitur, & ab Epiſcopis Africanis firmata; ut enarrat D. Cyprianus Epiſt. 42. ad Cornelium: Igitur poteſtas Papæ ſicut aliorum Patriarcharum inter quoſdam terminos concluditur; ſic enim ait: " Secundum con- „ ſilium noſtrum .... ſalubri ratione li- „ bratæ in hoc fluctu æſtuantium men- „ tes ..... tuum Sacerdotium probave- „ runt. „

Reſpondeo diſtinguendo: Electio Cornelii comprobata, hoc eſt ut genuina habita eſt, concedo: hoc eſt auctoritative & juridice, ita ut a S. Cypriani ſuffragio penderet, nego. Novatus intruſus, ut legitimus Papa haberi volebat, hinc ad S. Cyprianum direxerat contra Cornelium epiſtolas, ut Eccleſia Africana ratam haberet ſuam electionem; quocirca ne ſchiſma ad Africam ſeſe extenderet, S. Cyprianus, ut ſolus Cornelius tamquam legitimus Pontifex haberetur ſategit: hunc ſenſum ipſe prodit Epiſt. 45. ad Cornelium: " Ne in urbe ſchiſma factum ab- „ ſentium animos incerta opinione con- „ funderet, placuit, ut per Epiſcopos, re- „ tenta a nobis rei veritate, & ad com- „ probandam ordinationem tuam facta „ auctoritate majore, tum demum ſcru- „ pulo omni de ſingulorum pectoribus „ excuſſo, per omnes omnino iſtic poſi- „ tos litteræ fierent, ſicuti fiunt, ut te „ univerſi collegæ noſtri, & communica- „ tionem tuam, id eſt, Catholicæ Eccle- „ ſiæ unitatem pariter & charitatem pro- „ barent firmiter, ac tenerent. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Summus Pontifex habet poteſtatem creandi Epiſcopos per univerſum orbem.

PRIMO: Iſta Chriſti ad Petrum verba Joan. 20. *Paſce oves meas; paſce agnos meos*, hoc indicant, quippe quæ univerſalem ſedis Apoſtolicæ annuntient juriſdictionem.

Secundo: Sic locum interpretantur Patres. In primis Epiphanius in Anchorato pag. 354. Theophilactus Enarr. in verba laudata pag. 163. &c.

Tertio: Hoc ipſum facta comprobant. Binius in vita SS. PP. ſcribit S. Linum per diverſa loca creaſſe Epiſcopos quindecim; Anacletum, ſex; Anicetum, novem &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi Chriſtus vel aliis Apoſtolis contulerit poteſtatem, etiam per univerſum orbem inſtituendi Epiſcopos, nihil inde a ſuprema S. Petri & ejus Sedis auctoritate detrahitur, cum hoc factum ſit de via extraordinaria; videlicet, ut omnes nationes abſque mora audirent Evangelium, & ad Chriſtum converterentur. Unum hoc auctoritates in contrarium probant.

Secundo: Non negamus Patriarchas Diœceſes quandoque erexiſſe, ſed hanc poteſtatem a Petro promanatam fuiſſe conſtat; immediate quidem, ſi de Antiochena & Romana civitate ſermo ſit, cum in utraque ipſe ſederit, de Alexandrina per Marcum ejus in texenda Evangelii Hiſtoria ſcribam, quippe qui illud, ſicut acceperat a Petro, ſcripſerit: De Jeroſolymitana tandem non eſt relictus ambigendi locus; namque S. Jacobus non niſi, annuente Petro Apoſtolorum Principe, hanc obtinuit ſedem. Demum ſi florente & creſcente Eccleſia, Primates aliqui per quaſdam Provincias creaverint Epiſcopos, dubio-procul hoc non factum eſt, niſi accedente SS. Pontificis ſuffragio.

Tertio: Verum quidem eſt Orientales Patriarchas non ſine auſu temerario Patriarcham pro aliqua ſede, nonnumquam, inconſulto ſummo Pontifice, creaſſe; ſed hoc abjectum eſt, nec electio conſecrati rata habita eſt, donec Papæ calculo muniretur.

SECTIO QUINTA.

Quis Conſecrationis Epiſcopi ordinarius Miniſter?

VETUS hæc fere in omnibus Chriſtiani orbis Provinciis fuit regula, ut Epiſcopi a Metropolitano tamquam a præcipuo conſecratore, & a reliquis Provinciæ Epiſcopis tamquam adjutoribus & aſſiſtentibus in unum omnibus collectis ordinarentur; ut autem tam iſta quam alię reſolvantur quæſtiones, juvat quamlibet in particulari diſcutere.

PUNCTUM PRIMUM.

De jure Metropolitæ.

CONCLUSIO.

Jus Metropolitanorum eſt, vel conſecrare ſuæ Provinciæ Epiſcopos, vel licentiam dare aliis Epiſcopis, ad illud munus obeundum.

Probatur ex praxi Eccleſiæ.

Ex primis Sæculis: In epiſtola 1. Clementis poſt medium, in 3. Anacleti poſt principium, in 2. Stephani ante medium, de illo jure mentio fit: Sic habetur in epiſtola Aniceti: " Reliqui vero Com-„ provinciales Epiſcopi, ſi neceſſe fue-„ rit, ceteris conſentientibus, a tribus, „ juſſu Archiepiſcopi, conſecrari poſſunt „ Epiſcopis; ſed melius eſt, ſi ipſe cum „ omnibus, eum qui dignus elegerit, „ & cuncti pariter ſacraverint Pontifi-„ cem. „ Neque vero dubium eſt, quin Metropolitanorum jura, ſi quæ his ſæculis fuerint, ad Epiſcoporum ſibi ſubditorum conſecrationes ſeſe extenderint: quo magis igitur crevit Eccleſia, eo magis ſeſe produnt Eccleſiæ conſuetudines: apud D. Cyprianum Epiſt. 40. 42. 45. Primatum ſeu Metropolitanorum jura clara ſunt.

Ex quarto Sæculo, luculenta habemus pro jure Metropolitanorum circa Epiſcoporum ſibi ſubditorum ordinationes, teſtimonia. Concilium Nicænum 1. can. 6. ſic definivit: " Quod ſi quis abſque Me-„ tropolitani ſententia factus ſit Epiſco-„ pus, magna Synodus definivit non eſſe „ Epiſcopum. „

Laodicenum Provinciale cap. 12. hæc ait: " Epiſcopi judicio Metropolitano-„ rum, & eorum Epiſcoporum, qui cir-„ cumcirca ſunt, provehantur ad Eccle-„ ſiaſticam poteſtatem. „

Antiochenum 1. ſub Iulio I. fuſius rem totam explicat c. 19. his verbis: " Epi-„ ſcopus ne ordinetur abſque Synodo & „ præſentia Metropolitani Provinciæ: „ eo autem præſente, omnino melius eſt, „ omnes una cum eo adeſſe, qui ſunt in „ Provincia ejuſdem muneris, officiique „ ſocii, & oportet per epiſtolam, Me-„ tropolitanum eos convocare, & ſi „ omnes quidem acceſſerint, bene eſt: „ ſin autem hoc fuerit difficile, plures „ omnino adeſſe oportet, vel per litteras „ una cum illis ſuffragium ferre, & ſic „ cum plurimum præſentia vel electione „ fieri conſtitutionem. Sin autem aliter „ præter hæc quæ decreta ſunt, fiat, „ non valeat ordinatio. „

Aſtipulatur Carthaginenſe 2. c. 12. " Placet omnibus, *ait*, ut inconſulto Pri-„ mate cujuslibet Provinciæ, tam facile „ nemo præſumat, licet cum multis Epi-„ ſcopis, in quocumque loco, ſine ejus, „ ut dictum eſt, præcepto Epiſcopum „ ordinare. Si autem neceſſitas fuerit, „ tres Epiſcopi, in quocumque loco ſint, „ cum Primatis præcepto ordinare de-„ beant Epiſcopum. „ Nomine vero Primatis intelligitur Metropolitanus; quod patet ex Carthaginenſi 4. dum c. 1. expoſito examine conſecrand: in Epiſcopum, hæc ſubdit: " Cum in his omnibus exa-„ minatus, inventus fuerit plene inſtru-„ ctus, tunc cum conſenſu Clericorum „ & Laicorum, & conventu totius Pro-„ vinciæ Epiſcoporum, maximeque Me-„ tropolitani, vel auctoritate, vel præ-„ ſentia ordinetur Epiſcopus. „

Ex quinto Sæculo, non minus clara pro Metropolitanorum in ordinationibus Epiſcoporum auctoritate, teſtimonia eruuntur. In Concilio Taurinenſi c. 1. de Primatu Eccleſiæ Arelatenſis, & Viennenſis controverſia ita definita eſt: " Ut „ qui ex eis comprobaverit ſuam civita-„ tem eſſe Metropolim, is totius Pro-„ vinciæ honorem primatus obtineat, „ & ipſe juxta præceptum canonum, „ Ordinationum habeat poteſtatem. „

In-

Innocentius I. Epiſt. 2. c. 1. ad Victricium Rotomagenſem, canonem Syricii ſic explicat: " Primum ut extra conſcientiam Metropolitani Epiſcopi nullus audeat ordinare Epiſcopum; integrum eſt enim judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur. „ Bonifacius Papa Epiſt. 3. ad Hilarium, jus Metropolitanorum plurimum commendavit, & contra Primatum uſurpationem firmavit: " Ecce enim, *inquit*, ut charitas tua recognoſcit ex ſubditis, Luttubenſis Eccleſiæ Cleri ordo, vel plebis, preces ſuas & lacrymas ad nos, quantum datur, intelligi, magno cum dolore miſerunt, dicentes, Coepiſcopum noſtrum Patroclum, ſua petitione ceſſante, in locum decedentis Epiſcopi, neſcio quem in alia Provincia, prætermiſſo Metropolitano, contra Patrum regulas ordinaſſe. Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum ſanctionum eſſe diligentes cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe poſſe ſubjectas. „

S. Leo Magnus duplici præcipue epiſtola privilegia Metropolitanorum ſervanda putavit: Et primo quidem Epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem cap. 2. ſic loquitur: " Igitur ſecundum ſanctorum Patrum canones ſpiritus Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum Provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis, intemeratum habere decernimus, ita ut a regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant. „ Tum Epiſt. 89. ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos, ait: " Ordinationem ſibi, ſinguli Metropolitani ſuarum Provinciarum, cum his, qui ceteros Sacerdotii antiquitate præveniunt, reſtituto ſibi per nos jure, defendant. Alienum jus aliter ſibi non audeo vindicare. Suis limitibus, ſuis terminis ſit unuſquiſque contentus. Et privilegium ſibi debitum, in alium transferre ſe poſſe, noverit non licere. „

Sexto Sæculo, eamdem regulam pluribus ſummorum Pontificum, & Conciliorum decretis ſtabilitam habemus. Ex multis ſequentia ſeligimus. Concilium Arelatenſe 2. c. 5. ſic habet: " Nullus Epiſcopus ſine Metropolitani permiſſu, nec Epiſcopus Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis Comprovincialibus, præſumat Epiſcopum ordinare; ita ut alii Comprovinciales epiſtolis admoneantur, ut ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificent. „ Aurelianenſe 4. c. 5. ait Epiſcopos: " Sub præſentia Metropolitani, aut certe ut ejus auctoritate intra Provinciam omnino a Comprovincialibus ordinetur. „ Arvernenſe 1. c. 2. jubet: " Ut Epiſcopatum deſiderans electione Clericorum, vel civium conſenſu, etiam Metropolitani ejuſdem Provinciæ, Pontifex ordinetur. „ Turonenſe 2 c. 9. contradicentes quoſdam huic conſuetudini in Britannica & Romanorum Armorica Provincia anathemate percellit: " Adjicimus etiam ne quis Britannum, aut Romanorum in Armorico ſine Metropolitani aut Comprovincialium voluntate vel litteris, Epiſcopum ordinare præſumat. Quod ſi quis contraire tentaverit, ſententiam in anterioribus canonibus prolatam obſervet, & a noſtra charitate uſque ad majorem Synodicam ſe cognoſcat remotum & excommunicatum: quia merito a charitate noſtra, vel noſtris Eccleſiis ſegregantur, qui Patrum ſtatuta contemnunt. „

Ejuſdem ætatis duos habemus Pontifices acerrimos conſuetudinis iſtius aſſertores. Primus eſt Joannes III. qui in Epiſt. unica contra Epiſcopos diſputans, tres ſaltem ad conſecrationem Epiſcopos requirit, eoſque, *auctoritate Metropolitani*, convocatos. Secundus eſt Gregorius, qui L. 4. Epiſt. 50. Arelatenſem Epiſcopum in Primatu quidem confirmavit: *Singulis tamen Metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem, proprio honore ſervato.*

Septimo Sæculo, eadem viguit obſervantia, quæ ſeſe manifeſte prodit per can. 18. Concilii Toletani 4. his verbis, quæ leguntur in medio: " Epiſcopus autem Comprovincialibus ibi conſecrandus eſt, ubi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem non niſi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra præ-

„ prædicta vetita canonum ad gradum Sacerdotii indignus adſpirare contenderit, „ cum ordinatoribus ſuis adepti honoris „ periculo ſubjacebit. „

Octavo Sæculo, licet pro extraordinaria in Galliis miſſione Bonifacius Moguntinus Metropolitanus multos ſacraverit; pro iis tamen pallia a Zacharia SS. Pontifice petiit, ut idem Papa ſcribit Epiſt: 4. ad eumdem Bonifacium; quæ ſigna ſunt plenitudinis poteſtatis, quam ſcilicet Grimoni Rothomagenſi, Abeli Remenſium, Harberto Senonenſium, ille contulerat; ut hi ſuos Comprovinciales Epiſcopos ordinarent; eamdem & poteſtatem dedit Metropolitanis Germaniæ, ut ex Epiſt. 4. ejuſdem Zachariæ patet; hinc claret ordinarium jus conſecrationis Epiſcopi ad Metropolitanos pertinere, licet extraordinarie quibuſdam hoc ſit conceſſum; hine idem Zacharias in Capitulis ab eo miſſis ad Pipinum majorem, ad Epiſcopos, Abbates, & Proceres Francorum, jus illud confirmat ex canonibus Apoſtolorum, ex Concilio Antiocheno, & aliis. Quocirca ſeptima Synodus generalis cap. 3. ſancivit juxta canonem Nicænum ordines fieri, ut nempe Provinciales omnes ad Epiſcopi ordinationem conveniant, vel ſi præſentes eſſe nequeant, ſaltem per litteras conſenſum præbeant, rum & apud Metropolitanum præcipua auctoritas reſideat.

Ex nono Sæculo ſeligimus 1. Concilium Meldenſe habitum ſub Carolo Calvo. c. 3. ſtatuit ut in Metropolitanis ſedibus antiquitus ſtatuta jura ſerventur. Lingonenſe, cujus decreta in Tullenſi apud Saponarias relecta, & confirmata ſunt; pag. 2. c. 8. declarat: " Ut hi qui ordinandi „ ſunt, ſecundum Ordinem Eccleſiaſticum, „ & inſtitutionem ſanctorum Patrum or- „ dinentur, videlicet, ut Epiſcopi ju- „ dicio Metropolitanorum, & Epiſcopo- „ rum, qui circumcirca ſunt, prove- „ hantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem. „ His accedit Tullenſis Synodus apud Saponarias, quæ, in epiſtola quam ſcribit ad Epiſcopos Britonum, qui a Metropolitano ſuo Turonenſi deſciverant, in eamdem ſententiam collimat: " Sacris „ inſtructi canonibus non ignoramus, *ait*, „ Metropolitano veſtro chariſſimo fratri „ noſtro Erardo, competentem reveren- „ tiam vos debere, ita ut præter ejus præ- „ ſentiam & conſenſum, nullus in regione „ veſtra canonice poſſit ordinari Epiſco- „ pus. „ Wormatienſe ſub Ludovico II. Imperatore can. 76. reprehendit Metropolitanos: " Qui negligentius commiſſos ſi- „ bi greges, & ordinationes Epiſcopo- „ rum facere differunt. „ Eugenius II. „ in Synodo Romana c. 5. Leonis decretum renovat, ut inter Epiſcopos non habeantur, qui neque a Clericis ſunt electi: *Neque a Provincialibus Epiſcopis, cum Metropolitani judicio conſecrati.*

Decimo Sæculo, Joannes XIII. Epiſt. ad Epiſcopos citerioris Britanniæ, eis injungit, ut Metropolitano Turonenſi ſubdantur. Concilium Troslejanum ſub Heriværo Archiepiſcopo Remenſi habitum, ſtatim in præfatione Epiſcopos monet, ut attendentes ad regulares conſtitutiones Patrum, a Metropolis ſuæ quiſque regulari conſuetudine non abducatur.

Undecimo Sæculo Nicolaus II. Epiſt. 3. ad Gervaſium Tom. 3. Biblioth. PP. Belovacenſem Epiſcopum ſine Archiepiſcopo Remenſi ejuſque conſenſu ordinatum, non conſecratum, ſed execratum ait, eumque ſententia excommunicationis plectendum pronuntiat.

Concilium Pictavienſe ſub Paſchali II. c. 1. decrevit: " Ut nullus Epiſcopus, Ab- „ bas, &c. accipiat de manu Regis &c. „ donum Epiſcopatus &c. ſed Epiſcopi „ a ſuo Metropolitano &c. „ Teſtimonia hujus ſæculi, quæ multa ſunt, Petri Damiani auctoritate concludo, qui Archiepiſcopurum auctoritatem ob prærogativam ordinandorum Epiſcoporum iis verbis extollit Opuſculo 25. de dignitate Sacerdotii, quem Archiepiſcopo cuidam obtulit: " Quanta vobis eſt dignitas præro- „ gata, ut benedictionem non modo vo- „ bis exhibitam poſſidere, ſed poſſitis et- „ iam aliis tradere, & non qualemcum- „ que, ſed etiam Epiſcopalem per quam „ ſcilicet veſtri juris eſt ordinare Ponti- „ ficem, & cum non parvi terroris ſit, „ atque formidinis, eſſe vel inferioris or- „ dinis Sacerdotem; nimirum ipſi quoque „ lege præcipitur, ut populi portet ini- „ quitatem. „

Querimoniam Eccleſiarum duodecimi ſæculi detulit D. Bernardus ad Eugenium de conſideratione L. 3. c. 4. pag. 1146. his verbis: " Truncari ſe clamitant, „ ac

,, ac demembrari. Vel nullæ, vel pau-
,, cæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam
,, aut non doleant, aut non timeant.
,, Quæris quam? Subtrahuntur Abbates
,, Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Ar-
,, chiepiſcopi Patriarchis, ſive Primati-
,, bus. ,, Atque hujus ſæculi initio Honorius Presbyter Auguſtodunenſis in gemma animæ L. 1. c. 186. Archiepiſcop. officia dicit eſſe, *Epiſcopos Conſecrare, Synodos congregare &c.* Illius juris D. Bernardo poſteriores Pontifices, meminerunt. Talis eſt Innocentius III. de jurejurando cap. *Ego idem*. Lib. 1. Epiſt. 537. Similiter Lucius 3. c. ſi *Archiepiſc.* de temporibus ordinationis. A tempore autem Bonifacii VIII. tum Clementis IV. & ſequentium Pontificum, jus ordinandi Metropolitis paſſim auferri cœpit. Hinc Concilia generalia confirmationes Epiſcoporum a Romanis Pontificibus factas, ſuſceperunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ordinarius conſecrationis Epiſcopi Miniſter eſt Metropolita.

PRIMO: Sic colligitur ex epiſtola 1. S. Clementis poſt medium, ex tertia Aniceti, & ſecunda Stephani I.

Secundo: Sic ſtatuit Concilium Laodicenum can. 12. ſic Nicænum I. can. 6. ſic Carthaginenſe IV. can. 1. ſic demum Synodus Nicæna ſecunda Oecumenica. can. 3.

Tertio: Concinunt ſummi Pontifices quarti, quinti & ſexti ſæculi, ut Innocentius I. Epiſt. 2. cap. 1. S. Leo Magnus, Epiſt. 84. cap. 2.

Quarto: Rupertus Opuſc. 25. de dignitate Sacerdotii, jus Metropolitani non ſilet.

PUNCTUM SECUNDUM.

Quot Epiſcopi eſſentialiter ad conſecrationem alicujus in Epiſcopum requirantur?

CERTUM eſt præceptum eſſe ne pauciores tribus Epiſcopis, Epiſcopali conſecrationi interſint, eique concurrant. Primo quidem vetus ab Apoſtolis traditio id oſtendit, juxta quam plures Epiſcopi ad Epiſcoporum ordinationem ſolebant confluere. Illud exemplis oſtenditur; aliquot enim in Ordinatione Timothei cum D. Paulo Epiſcopos conveniſſe, colligitur ex ejus epiſtola prima ad eumdem, in qua quidem ipſum monet, ne gratiam negligat quæ data eſt illi, *cum impoſitione manuum Presbyterii*: Porro Presbyterii nomine, D. Chryſoſtomus, & alii in hunc locum, intelligunt Epiſcoporum cœtum. Multa hujus veritatis monumenta habentur in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Theodoretus L. 4. hiſtoriæ c. 4. refert Antiochum Samoſatenum a pluribus Epiſcopis manus ſimul imponentibus, ex more conſecratum fuiſſe, idem c. 21. tradit de Moyſe ſanctiſſimo Monacho. In ordinatione D. Baſilii plures adfuiſſe Epiſcopos memorat D. Gregorius Nazianz. oratione 20. in ejus laudem. Auguſtini Ordinationem, a Megalio Calamenſi Epiſcopo, Valerio Hipponenſi, & quibuſdam aliis fuiſſe peractam, ſcribit Poſſidonius in ejus vita. Alia fere abſque numero hujus veritatis ſunt teſtimonia: Sed quæritur an tres ita ſubſtantialiter requirantur, ut ſi hic numerus deficiat, invalida ſit Ordinatio? In hanc opinionem divertere quidam Theologi non dubitant. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Tres Epiſcopi non requiruntur ad conſecrationis Epiſcopatus ſubſtantiam.

Probatur Auctoritate multiplici.

PRIMO QUIDEM: Probabile non eſt tempore Apoſtolorum, quo pauciores erant Epiſcopi, plures ad hoc conveniſſe; ſoli enim, ut plurimum Apoſtoli cum aliquo, vel Presbytero, vel Diacono univerſi orbis regiones ad fidem propagandam luſtrabant, Epiſcopos vero ab eis ubique miſſos non legitur a tribus ordinatos fuiſſe, cum eorum plures ab uno tantum Apoſtolorum memorentur ordinati.

Secundo: Sæculis ſequentibus talis numerus viſus non eſt neceſſarius: etenim in Concilio Arauſicano 1. refertur can. 21. quod ejus, qui a duobus fuerit ordinatus, ordinatio ſit valida, nec debeat ſine ſede Epiſcopali remanere; ſic enim ha-

habetur: " Duo ſi præſump ſerint ordinare
„ Epiſcopum in noſtris Provinciis, pla-
„ cuit de præſumptoribus, ut ſicubi con-
„ tigerit . . . . . Unius eorum Eccleſiæ
„ ipſe, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur,
„ ſi tamen vita reſpondet: & alter in
„ alterius dejecti loco nihilominus ordi-
„ netur. „ Ex his patet talem ordinationem
licet illicite factam a duobus, validam ta
men eſſe, & non ultra iterandam, cum
talis ſic ordinatus in locum dejecti ſuffectus
ſit, ut claret ex Concilio: " Et alter in
„ alterius dejecti loco nihilominus ordine-
„ tur. Ergo &c.

Tertio: Ordinationum non a tribus Epiſcopis factarum illuſtria habemus exempla, & quidem referente Sinegio Epiſt. 67. ad Theophilum Alexandrinum. Sideſius a ſolo Philonenſi Cyrenſi abſque Epiſcoporum conſortio fuit Ordinatus, ejus autem ordinationem tametſi illegitimam fuiſſe tradat, habitum tamen pro Epiſcopo docet, ab ipſomet D. Athanaſio, qui ad Metropolitanam Eccleſiam adminiſtrandam eum vocavit.

Secundum exemplum eſt Evagrii, quem a ſolo Paulino ordinatum refert Theod. L. 5. Hiſt. c. 23. attamen hæc ordinatio ab Occidentalibus probata eſt; immo & ab ipſo Innocentio I. agnita Epiſt. 16. ad Bonifacium Presbyterum; hic enim Alexandrum, ut legitimum Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopum agnovit pluribus conditionibus, quorum hæc una fuit: " Ut
„ & Evagrianos ſuis Ordinibus ac locis,
„ intemerata ordinatione, quam acceperat
„ a memorato ſuſciperet . . . . . Promit-
„ tens . . . . ſe ſine controverſia receptu-
„ rum, ac nomen Epiſcopi memorati in-
„ terquieſcentes Epiſcopos recitaturum. „
Agnovit igitur Evagrium pro vero Epiſcopo, immo & a ceteris agnoſci voluit; tenebat ergo tunc Eccleſia ab uno, vel duobus ordinatum, eſſe verum Epiſcopum. De Pelagio SS. Pontifice hæc refert Anaſtaſius Bibliothecarius: " Et
„ dum non eſſent Epiſcopi qui eum or-
„ dinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi,
„ Joannes de Peruſio, & Bonus de Feren-
„ tino, & Andreas Presbyter de Oſtiis,
„ & ordinaverunt eum Pontificem; tunc
„ enim non erant in Clero qui poſſent eum
„ promovere. „

Notum pro iſto momento argumentum deſumitur ex diſpenſationibus SS. Pontificum. Hoc ipſum colligitur ex reſponſione D. Gregorii ad 8. interrogationem Auguſtini Anglorum Epiſcopi; quærenti enim Auguſtino quot neceſſarii eſſent Epiſcopi pro Epiſcopi conſecratione, ita reſpondet: " Et quidem in Anglorum
„ Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epi-
„ ſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum
„ non aliter niſi ſine Epiſcopis potes.
„ Nam quando de Galliis Epiſcopi ve-
„ nient, illi ordinationem Epiſcopi te-
„ ſtes tibi adſiſtent. Sed fraternita-
„ tem tuam ita volumus in Anglia Epi-
„ ſcopos ordinare, ut ipſi ſibi Epiſcopi
„ longo intervallo minime disjungantur:
„ quatenus nulla ſit neceſſitas, ut in or-
„ dinatione alicujus Epiſcopi convenire non
„ poſſint. Cum igitur Deo auctore, ita
„ fuerint Epiſcopi etiam in propinquis
„ ſibi locis ordinati, per omnia Epiſcopo-
„ rum ordinatio ſine aggregatis tribus,
„ vel quatuor Epiſcopis fieri non debet,
„ &c. „ Ibi diſpenſatum eſt cum Auguſtino, ut in nova Anglorum Eccleſia Auguſtinus Epiſcopos ordinaret, ſi qui tamen ex Gallia accederent; eos ſtatuit D. Gregorius teſtes Ordinationis; ſed ſi nulli adſint, facultatem dat ei, ut ſolus eos conſecret; hinc Beda L. 2. c. 23. Hiſt. Anglorum dicit, Juſtum, & Mellitum ab Auguſtino fuiſſe Epiſcopos conſecratos ſine Gallicanis Epiſcopis: Ordinavit ſimiliter Laurentium, abſque præſentia Juſti, & Melliti.

Confirmatur: Refert Henriquez Tom 1. Summæ L. 10. c. 24. Gregorium XIII. conceſſiſſe Patriarchæ Æthyopiæ Societatis Jeſu alumno, ut ſolus ſine aliis Epiſcopis poſſet Epiſcopos conſecrare, ſi operæ pretium foret: Igitur ſi Papa diſpenſat, ad ſubſtantiam Epiſcopalis conſecrationis non pertinet, ut tres Epiſcopi accedant. Hinc in Pontificali Romano Tit. de conſec. Epiſc. & in veteri Romano Ordine, unus ſolum conſecrator vocatur, reliqui aſſiſtentes dumtaxat dicuntur, ſicque unus ſolum eſt Miniſter qui characterem confert.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Ille ritus eſt tenendus quem ipſimet obſervarunt Apoſtoli: Atqui ex S. Aniceto Pontifice Epiſt. 1. *inſtituente Domino*, religioſe tunc tenebat Eccleſia,

Tres

Tres requiri pro conſecratione Epiſcopi, Præſules. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Epiſtolam iſtam dubiæ admodum eſſe fidei. 2. Diſtinguo, tres Epiſcopi ex inſtitutione Apoſtolica requiruntur ad ſolemnitatem ordinationis Epiſcopalis, concedo: ad ſubſtantiam, nego. Multas in Sacramentis adminiſtrandis ſacras cæremonias habemus antiquitus obſervatas & ab Apoſtolis traditas, quæ tamen ad ſubſtantiam Sacramentorum non ſpectant. Ad hæc autem verba, *inſtituente Domino*, in eo ſenſu ea intelligi debent, ſcilicet ab intentione Chriſti promanare, quod ab Apoſtolis, inſpirante Domino, traditum accipimus; vel quia Chriſtus Apoſtolos de hoc ritu inſtituendo docere potuit, ſed tamen noluit eſſe neceſſario, ita quod huic numero conſecrationem alligaverit, cum ritus determinandi Eccleſiæ reliquerit poteſtatem: hinc juxta temporum varietates modo auxit, modo etiam, exigente neceſſitate, immutavit.

Inſtabis: S. Damaſus Epiſt. 4. quem ſequitur Joannes III. epiſtola unica ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ intendens probare Cor-epiſcoporum ordinationem nullam eſſe, & Pontificalia ab eis officia perperam attentari, niſi de novo ordinati fuerint, id ex eo colligit, quod a paucioribus quam tribus Epiſcopis, ordinarentur: Igitur tres ad ordinationem Epiſcopi requiruntur,

Reſpondeo diſtinguendo: Et illi duo Pontifices probant tantum a poſteriori Corepiſcopos non eſſe veros Epiſcopos, quia a tribus non fuerant ordinati, concedo: & ad ſubſtantiam Ordinationis Epiſcopalis tres neceſſario exigunt, nego. Ibi Cor-epiſcopos exagitant, qui licet ordinati non fuiſſent Epiſcopi, Pontificalia tamen munia exercere audebant; pro argumento quod tales non fuerint ordinati, adducunt quod ab uno fuiſſent ordinati: inſuper & quod in villis, vel in vicis, vel in modicis civitatibus, vel in aliis locis, inſtituti eſſent, in quibus nulla aderat Epiſcopalis canonica ſedes. Quid plura? Idem Joannes dicit illum non eſſe Epiſcopum, qui omiſſo Metropolitæ conſenſu, fit Epiſcopus; nemo tamen dixerit ordinationem ſic factam invalidam eſſe: Idem quoque & aſſerendum de ordinatione Epiſcopali quæ prætermiſſis tribus Epiſcopis celebratur.

Urgebis: Atqui hujuſmodi ordinatio prorſus eſt invalida. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Concilium Regienſe anno 439. adunatum eſt contra ordinationem Epiſcopi Ebredunenſis, eo quod a duobus ſolum Epiſcopis facta fuerit. Propoſita quæſtione num foret valida. c. 1. p. 933. ait: " Itaque ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam „ eſſe cenſuimus, in qua prætermiſſa „ trium præſentia, nec expetitis Provincialium litteris, Metropolitani quoque „ voluntate neglecta, prorſus nihil, quod „ Epiſcopum faceret, oſtenſum eſt. „ Tandem injungunt pœnas pro illo qui ſic ordinatus fuerat. Ergo &c. Confirmatur: Omnes tres Epiſcopi præbent materiam, & formam pronuntiant. Igitur omnes abſolute requiruntur.

Reſpondeo negando ſubſumptum; ad probationem diſtinguo ut ſupra: Synodus declarat ordinationem illicitam, concedo: irritam ſtricte, nego. Audis exigere eodem modo conſenſum Metropolitani, & Provincialium Epiſcoporum, qui certe non erat conſecrationi eſſentialis: quia tamen contra canones ordinatio facta fuerat, merito injunguntur pœnæ prævaricatoribus.

Ad confirmationem, nego conſequentiam; Sacerdotes enim ordinandi omnes in Miſſa pronunciant formam, nec tamen inde ſequitur eos eſſe Miniſtros neceſſarios iſtius Sacrificii, ſed ſolum Epiſcopum; ita a pari de conſecratore Epiſcopi dicendum; ceteri quippe ad teſtificandum ſuum conſecrationi aſſenſum verba proferunt, & materiam eum conſecratione exhibent; licet igitur omnes indiviſim conſecrationem operentur, ab uno tamen ſolo conſecratio valide perficitur, & cooperantes, ad neceſſitatem conſecrationis non requiruntur. Unde in forma, reſpondeo ſic diſtinguendo: Omnes Epiſcopi exhibent materiam, & verba pronuntiant, ut aſſiſtentes, concedo: ut conſecratores, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Non requiruntur abſolute tres Epiſcopi pro conſecratione Presbyteri ad Epiſcopatum promovendi.

PRIMO: Nullibi legitur primis ſæculis tres Epiſcopos abſolute pro conſecratione unius fuiſſe advocatos, cum Apoſtoli

H 4 ſibi

ſibi univerſum partiti ſint orbem ad diſſeminandum Evangelium, & quilibet unam peragraverit partem ſibi aſſignatam, ut S. Thomas Indiam, ubi tametſi ſolus, ordinavit tamen plures Epiſcopos, ut teſtantur annales temporum.

Secundo: Hoc ipſum clare liquet ex Magno Gregorio, qui reſponſione 8. ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum, licentiam ei facit compellente neceſſitate Epiſcopum, aliis prætermiſſis, conſecrare. Sic refert V. Beda L. 1. cap. 23. Hiſt. Angl.

Tertio: Henriquez Tom. 1. Summæ L. 10. cap. 24. ſcribit Gregorium XIII. eamdem conceſſiſſe facultatem cuidam Patriarchæ Æthyopiæ e Societate Jeſu alumno.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non diffiteor trium Epiſcoporum præſentiam pro conſecratione Presbyteri ad Epiſcopatum promovendi, a traditione Apoſtolica juxta Chriſti voluntatem promanaſſe, ſed ipſe Dominus ſuæ reliquit Eccleſiæ poteſtatem determinandi ritus, qui dubio-procul Sacramentorum eſſentiam non ſpectant; cum perſecutionis tempore, breviores, tum ipſa ceſſante, longiores evaſerint.

Secundo: S. Damaſus aliique Pontifices Cor-epiſcoporum conſecrationem uti Epiſcopalem abjecerunt, non ea ſola ducti ratione, quod per tres Epiſcopos non fuerant inſtituti, ſed ex eo maxime, quia pro infimis locis, ubi non aderat ſedes Epiſcopalis, nominati fuerant, ut ſimplicibus Presbyteris, ad quædam officia facilius exequenda præeſſent.

Tertio: Ne minimum quidem faceſſit negotium Synodus Regienſis, cum irritam dicit Epiſcopi ordinationem, quæ, omiſſis tribus conſecratoribus, facta eſt; non enim vocem *irritam*, ſtricte uſurpat, ſed ſolum late, pro ut idem ſonat, ac *illicitam*. Cujus rei argumentum eſt, quod ſimiliter eam conclamet irritam, ſi, omiſſo Metropolitæ conſenſu, fiat; quem tamen conſenſum, eſſentialem eſſe pro conſecratione novi Epiſcopi, nemo cordatus dixerit.

ARTICULUS SEXTUS.

De Presbyteratu in particulari.

PRESBYTER, ſi attendamus ad nominis Etymologiam, ætatis nomen eſt, quod idem ſonat ac ſenior; eo in ſenſu uſurpatur in veri Teſtamento; in novo autem nomen eſt officii ſignificans eum qui Eccleſiaſticam gerit præfecturam; aliquando quidem primam, quæ Epiſcopis convenit, ut videre eſt in Epiſtoli D. Joannis, quæ ſic incipiunt *Senior*, Græce *Presbyteros*; nonnumquam vero inferiorem, quæ competit Miniſtris, qui ſubjacent Epiſcoporum juriſdictioni, juxta illud 1. ad Timoth. c. 5. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus*.

Apud auctores, qui ſcripſerunt poſt Apoſtolorum tempora, vox *Presbyter* paſſim ſumitur pro Miniſtro qui cuidam Eccleſiæ, ſed cum dependentia ab Epiſcopo, præerat: Presbyteri quandoque etiam dicti ſunt Sacerdotes, eo quod ſpecialiter forent conſecrati ad Sacrificium offerendum. Viventibus Apoſtolis, ii qui nunc appellantur Presbyteri, non vocabantur Sacerdotes, ne confunderentur cum veteris legis Sacrificatoribus, qui tunc in templo Jeroſolymitano Moſaica offerebant Sacrificia: Tum poſtea eos hoc nomine celebrarunt auctores, qui proxime Apoſtolorum ævo florebant, ut patet ex S. Ignatio Antiocheno, qui Epiſtola ad Philadelphios, tum & in ea quam ad Heronem ſcripſit, Sacerdotum nomine Presbyteros vocat.

De hoc momento audiendus eſt Catechiſmus Romanus p. 2. ubi tractans de Sacramento Ordinis, n. 22. ſic loquitur: " Interdum enim Presbyteros appellant, quod Græce Seniores ſignificat, non ſolum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini maxime neceſſaria eſt: Sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam, & prudentiam. Ut enim ſcriptum eſt: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Interdum vero Sacerdotes vocant, tum quia Deo conſecrati ſunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta adminiſtra-

,, re,

„ re, ſacraſque res, & divinas tractare.
His poſitis.

Circa Presbyteratum hæc diſcutere juvat. Primum, an Presbyteratus ſit ordo ſacer, & Sacramentum? Secundum, quæ illius materia, & quæ forma? Tertium, an Parochi quatenus titulares immobiles, vel tantum, ut Sacerdotes, ſint de jure divino.

SECTIO PRIMA.

Utrum Presbyteratus ſit Sacramentum?

PROTESTANTES, qui verum abnuunt Miſſæ Sacrificium, negant etiam Presbyteratum eſſe proprie aliquod novæ legis Sacramentum. Contra quos ſit

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Conciliis.

CONCILIUM Carthaginenſe IV. cap. 1. refert Ordinationem Presbyteri, tamquam veri Sacerdotis conſecrationem, & ſicut in iſta, ſic & in aliis Synodis, Epiſcopi, ut veri Eccleſiæ Sacerdotes ſubſcripſerunt.

Florentinum in Decreto unionis pro inſtr. Arm. caput controverſiæ definit his verbis: *Sextum Sacramentum, eſt Ordinis*: Quod quidem probat proferendo Presbyteratus exemplum.

Tridentinum Seſſ. 23. cap. 3. & 4. Hanc probat veritatem ea ductum ratione, quod Presbyteratus imprimat Characterem indelebilem, ex quo quidem concludit Sacerdotem non poſſe fieri Laicum. Tum can. 1. ſic de fide definit: *Si quis dixerit non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum: vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantum & nudum Miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit*. Audis Patres Synodicos nedum Presbyteratum agnoſcere Ordinis Sacramentum; ſed etiam cuncta ejus munia recenſere. Ergo &c.

Secundo, ex Traditione Patrum.

QUOD Traditione firmatur, citra dubium, ut veritas inconcuſſa habendum eſt; maxime ſi accerit fidei definitio: Atqui ex traditione conſtat Presbyteratum eſſe vere Sacramentum: & hoc ipſum de fide definivit ſacra Synodus Tridentina, ut modo dictum eſt. Ergo &c. Probatur minor. Hujuſmodi traditionem claram habemus ex definitione & nomine Sacramenti, quo Patres, ſummi Pontifices, & Concilia celebrant Presbyteratum, cum definitio, & nomina explicent rerum naturam, ut fert Philoſophorum Adagium: Sed hoc ſic ſe habet; & probatur.

Sanctus Gregorius Nyſſen. Orat. de S. Baptiſmate ſic loquitur: " Eadem item „ verbi vis etiam Sacerdotem auguſtum, „ & honorandum facit, novitate benedi„ ctionis a communitate vulgi ſegrega„ tum... Quum nihil vel corpore, vel „ forma mutatus, ſed quod ad ſpeciem „ externam attinet, ille ſit, qui erat, „ inviſibili quadam vi ac gratia, inviſi„ bilem animam in melius transforma„ tam gerens. „ In his verbis totam velut eſſentiam Sacramenti *S. Doctor* tribuit Sacerdotio, ſcilicet eſſe ſignum externum cum verborum formula, dum ait: *Eadem item verbi vis etiam Sacerdotem facit novitate benedictionis*; eam autem producere gratiam ſanctificantem in Sacerdote, hęc verba denotant: *Inviſibili quadam vi ac gratia, inviſibilem animam in melius transformatam gerens*. Hæc enim mutatio intelligitur fieri per gratiam inhabitantem.

Sacramenti nomine appellat S. Cyprianus Presbyteratum L. de ablutione pedum; ibi enim recenſens Sacramenta quæ non reiterantur, ait: " Docetur ergo quæ „ ſit Baptiſmi, & aliorum Sacramento„ rum ſtabilitas.... Nam Baptiſmum re„ peti, Eccleſiaſticæ prohibent regulæ: „ & ſemel ſanctificatis nulla deinceps „ manus ritum conſecrans præſumit ac„ cedere. Nemo ſacros Ordines ſemel „ datos iterum renovat; nemo ſacro oleo „ lita iterum linit. „ Jam vero inter ſacros ordines non ultimum locum tenet Sacerdotium, Ergo &c.

Favet Auguſtinus L. de bono conjugali c. 24.

c. 24. his verbis : " Quemadmodum ſi
,, fiat Ordinatio Cleri ad plebem congre-
,, gandam , & ſi plebis Congregatio non
,, ſubſequatur , manet tamen in illis ordi-
,, natis ſacramentum Ordinationis ; & ſi
,, aliqua culpa quiſquam ab officio remo-
,, veatur , Sacrameuto Domini ſemel im-
,, poſito non carebit , quamvis ad judicium
,, permanente . ,,

Succinit S. Leo Epiſt. 81. ad Dioſiorum
c. 1. " Nam , *inquit* , præter auctoritatem ,
,, conſuetudinis , quam ex Apoſtolica no-
,, vimus venire doctrina , etiam ſacra
,, Scriptura maniſeſtat , quod cum Apoſto-
,, li Paulum & Barnabam ex præcepto
,, Spiritus ſancti ad Evangelium gentibus
,, mitterent prædicandum , jejunantes , &
,, orantes impoſuerunt eis manus , ut in-
,, telligamus , quanta & dantium & ac-
,, cipientium devotione curandum ſit , ne
,, tantæ benedictionis Sacramentum negli-
,, genter videatur impletum : & ideo pie
,, & laudabiliter Apoſtolicis morem geſ-
,, ſeris inſtitutis ; ſi hanc ordinandorum
,, Sacerdotum formam per Eccleſias , qui-
,, bus Dominus præeſſe te voluit , etiam
,, ipſe ſervaveris . ,,

Anaſtaſius II. Idem docet Epiſt. 2. ad
Anaſtaſium Imperatorem cap. 7. " Nam
,, ait , ſecundum Eccleſiæ Catholicæ con-
,, ſuetudinem , ſacratiſſimum ſerenitatis
,, tuæ pectus agnoſcit , quo nullum de
,, his , vel quos baptizavit Acacius , vel
,, quos Sacerdotes ſive Levitas ſecundum
,, canones ordinavit , ulla eos ex nomine
,, Acacii portio læſionis attingat , quo for-
,, ſitan per iniquum tradita Sacramenti gra-
,, tia , minus firma videntur . ,,

Catechiſmus Romanus n. 10. part. 2. ubi
de Ordine hæc ait : " Quod autem inter
,, cetera Eccleſiæ Sacramenta ſacra Or-
,, dinatio numeranda ſit , Sancta Triden-
,, tina Synodus ratione illa , quæ ſæpius
,, repetita eſt , comprobavit : nam cum Sa-
,, cramentum ſit rei ſacræ ſignum : id ve-
,, ro quod hac conſecratione extrinſecus fit ,
,, gratiam & poteſtatem ſignificet , quæ
,, illi tribuitur , qui conſecratur : omnino
,, ſequi perſpicuum eſt , Ordioem vere ac
,, proprie Sacramentum dicendum eſſe . ,,
Quæ quidem verba principaliter de Presby-
teratu intelligit .

Tertio , rationibus Theologicis .

PRIMA : Sacramentum eſt ſignum a
Chriſto Domino inſtitutum collativum gra-
tiæ ſanctificantis : atqui Presbyteratus eſt
hujuſmodi ; & probatur . Primo quidem ,
eſt ſignum externum , quippe quod
conſtet materia , & forma ſenſibilibus .
Secundo , fuit a Chriſto inſtitutum , juxta
illud Luc. 22. *Hoc facite in meam comme-
morationem ;* per quæ verba præcepit Apo-
ſtolis , & eorum in Sacerdotio ſucceſſo-
ribus , ut offerrent Sacrificium Euchari-
ſtiæ , juxta illud D. Cypriani Epiſt. 63.
ad Cæcilium ſub finem : " Religioni igi-
,, tur noſtræ congruit & timori , & ipſi
,, loco atque officio Sacerdotii noſtri , fra-
,, ter chariſſime , in Dominico calice mi-
,, ſcendo , & offerendo cuſtodire traditio-
,, nis Dominicæ veritatem . ,, Expreſſius
,, loquitur Theodoretus in c. 8. Epiſt. ad
,, Hebr. " Cur , *ait* , novi Teſtamenti Sa-
,, cerdotes myſticam Liturgiam ſeu ſacri-
,, ficium peragunt ? Sed clarum eſt iis
,, qui ſunt in rebus divinis eruditi , nos
,, non aliud Sacrificium offerre , ſed illius
,, unius & ſalutaris memoriam peragere .
,, Hoc enim nobis præcepit Dominus :
,, Hoc facite in meam commemorationem .
,, Ergo &c.

Quod autem in Sacerdotio habebatur gra-
tia ſanctificans , probatur ex Act. c. 14. ubi
hæc leguntur de Paulo , & Barnaba : *Et
cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias
Presbyteros , & oraſſent cum jejunationibus ,
commendaverunt eos Domino , in quem cre-
diderunt* . Huic autem cæremoniæ , quæ
fit per orationem & jejunium accedit col-
latio gratiæ , juxta illud ejuſdem Apoſtoli
2. ad Timoth. 1. *Admoneo te , ut reſuſcites
gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum
mearum* . Manet ex illis omnibus Sacramen-
tum Presbyteralis Ordinis eſſe inſtitutum ad
conſecrandum Chriſti Domini corpus , &
ſanguinem .

Jam vero , quod etiam fuerit inſtitu-
tum ad remittenda peccata , patet ex illis
verbis Jo. c. 20. quæ dicit Epiſcopus in ordi-
natione Sacerdotum : *Accipite Spiritum
ſanctum : quorum remiſeritis peccata , re-
mittuntur eis , & quorum retinueritis , re-
tenta ſunt* . Docent ſancti Patres , quorum
teſtimonia fuſe retulimus tractando de po-
teſtate clavium , eam remiſſionem peccato-
rum

Digitized by Google

rum dari; hinc duos dumtaxat proferre ſufficiet, Chryſoſtomum ſcilicet, & Hieronymum. Prior Homil. 5. de verbis Iſaiæ, *vidi Dominum*, p. 170. ait: " Verum Sacerdoti thronus in cœlis collocatus eſt, „ & de cœleſtibus negotiis, pronunciandi „ habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipſe „ Angelorum Rex: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Quid cum „ honore conferri poſſit? A terra judicandi principalem auctoritatem ſumit „ cælum. „ Poſterior vero, Epiſt. 5. ſecundum edit. RP. B. ad Heliodorum ſic habet: " Abſit ut de his, id eſt Clericis, quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore „ conficiunt ... Qui claves regni cœlorum „ habentes, quodammodo ante judicii diem, „ judicant. „

Secunda: Nomine Presbyteri intelligimus Miniſtrum qui ſolus vi Ordinationis ſacramentalis habet poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, remittendi peccata, & alia quædam adminiſtrandi Sacramenta: Sed ſolus Presbyter hanc habet poteſtatem, & quotieſcumque laici, vel etiam mulieres ea uſurpare munia auſi ſunt, eos anathemate ferire Eccleſia non dubitavit. Ergo &c. Iſta ratio eſt D. Thomæ q. 34 Suppl. art. 3. his verbis. " Propter quod „ unum quodque tale, & illud magis: „ Sed propter ordinem fit homo diſpenſator aliorum Sacramentorum: Ergo ordo habet magis rationem, quod ſit Sacramentum, quam alia. „ Quod quidem ratiocinium appellat ſupra Presbyteratum.

Tertia: In veteri lege erant Sacerdotes, ut habetur in libris legalibus: Sed iſti præfigurabant novæ legis Sacerdotes; hinc Chriſtus Pſalm. 109. dicitur, *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*: Igitur & ſic dicendi ſunt Presbyteri, eum ſacrificium tale in ejus commemorationem conficiant.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Sacerdotium non fuit a Chriſto inſtitutum. Ergo &c. Probatur antecedens: Si fuiſſet inſtitutum a Chriſto, ejus inſtitutio haberetur in Scripturis: Atqui non habetur: & probatur. Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. & 1. Cor. 12. enumerat ſingula officia quæ Chriſtus Dominus inſtituit in Eccleſia: *Et ipſe*, inquit, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas*, nullam tamen facit mentionem Sacerdotum, qui conficiant, & conſecrent Chriſti corpus, & ſanguinem. Rurſus, eodem loco commemorat omnes & ſingulas functiones, quibus voluit Miniſtros Eccleſiæ vacare in bonum corporis Eccleſiæ, ſed altum ubique de Presbyteratu ſilentium pro conficienda Euchariſtia. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens; inſtitutio quippe Sacerdotii habetur in illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad probationem diſtinguo: Et ibi non loquitur D. Paulus de Ordinibus Hierarchicis, concedo: & ibi de illis ſermonem habet, nego. Apoſtolus ibi non tractat de Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, qui ſunt Ordines Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ſed enumerat tantum aliqua dona gratiarum gratis datarum, quas Chriſtus dedit Eccleſiæ.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: Ibi D. Paulus non loquitur de Sacerdotio explicite, concedo: implicite, nego Meminiſſe Presbyteratus dicendus eſt, quatenus recenſuit Paſtores, qui non tantum ſunt Epiſcopi, ſed etiam ſimplices Sacerdotes, cujuſmodi ſunt Parochi, qui quidem ſub Epiſcopis paſcunt gregem non tantum verbo, verum etiam Sacramentis; inter quæ præcipuum obtinet locum Euchariſtia, ab illis vi characteris Presbyteralis conſecrata.

Ad confirmationem, planum eſt ibi D. Paulum non omnes functiones Hierarchicas recenſere, cum in epiſtolis ad Titum, & Timotheum loquatur de Diaconis velut de Eccleſiæ Miniſtris, quos tamen in hac epiſtola non memorat.

Inſtabis: Inſtitutio illa Sacerdotum in ultima cœna refertur dumtaxat a ſanctis Luca, & Paulo, qui ei non adfuerunt; hanc ſilent SS. Matthæus, & Marcus, quorum primus ei adfuit, alter vero a Petro edoctus eſt; ſed illi hanc debuiſſent referre, cum totam hiſtoriam inſtitutionis Euchariſtiæ referant. Igitur, cum texendo hiſtoriam eorum quæ fecit Dominus Jeſus, ſiluerint Presbyteratum, argumentum eſt illum a Chriſto non fuiſſe inſtitutum, adeoque non eſſe Sacramentum.

Re-

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo : Et eadem fides ſ adhibenda eſt SS. Lucæ & Paulo ac SS. Matthæo , & Marco , concedo : & non eſt adhibenda , nego . Porro cum illi ſcripſerint afflatu Spiritus ſancti , ideo in iis omnibus quæ nobis ſcripto tradiderunt , credendi ſunt ; nec enim præciſe credimus iis quæ ſcripſerunt , quia illis interfuerunt , ſed quia , dictante Spiritu ſancto , ſcripſerunt .

Ad ſecundum , nego antecedens : Sic enim Spiritus ſanctus diſpoſuit Scriptores ſacros , ut quod unus tacuit , alter memoret : infinita prope hu us rei exempla habemus : S. Joannes v. g. ablutionem pedum deſcripſit , iſte tamen inſtitutionem Euchariſtiæ ſiluit : inde tametſi Matthæus , & Marcus non dixerint , *hoc facito in meam commemorationem* , ſufficit quod S. Lucas ſcripſerit : ea enim fuit inter Evangeliſtas ſervata œconomia , ut quod unus omiſit , alter retulerit . Ceterum fuiſſe Sacerdotes , qui panem & vinum conſecrarent , aperte tradit S. Paulus 1. Cor. 11. ubi commemorata Euchariſtiæ per Chriſtum inſtitutione , eos admonet , ut ad eam digne ſuſcipiendam ſe diſponant , ne ſi accedant indigni , judicium ſibi manducent , non dijudicantes corpus Domini . A quibus , quæſo , conſecrata fuerat Euchariſtia , quam non nulli , omiſſis ſanctis diſpoſitionibus , ſumpſerant , niſi a Sacerdotibus ? En textus . *Itaque quicumque manducaverit panem hunc , vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis & ſanguinis Domini , &c.*

Urgebis : Si Chriſtus per iſta verba : *Hoc facite , &c.* inſtituiſſet Apoſtolos Sacerdotes , adhibuiſſet eos conſecrando Sacerdo tes , eam materiam qua utitur Eccleſia : Atqui tamen non fecit ; nec enim legimus quod eis manus impoſuerit : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Et tunc uſus eſt poteſtate excellentiæ , concedo : & ſe ſe geſſit eodem quo Apoſtoli modo , nego . Per poteſtatem excellentiæ potuit Chriſtus dare effectum Sacramenti , immo Sacramentum conferre ſine ſignis ſenſibilibus ; ut docet D. Thomas . 3. pag. quæſt. 64. art. 3.

Inſiſtes : Si velut Sacramentum inſtituiſſet Chriſtus Sacerdotium , hoc feciſſet diverſa actione ab inſtitutione Euchariſtiæ : Atqui tamen illud non fecit , cum eadem utriuſque videatur actio , nec ſunt duæ verborum formæ , & locutiones a ſe invicem diſtinctæ , ut patet in aliis Sacramentis : Sed illud denotat Sacerdotium non eſſe Sacramentum . Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem ; duæ enim tunc fuerunt diſtinctæ actiones in inſtitutione utriuſque Sacramenti . Et vero Chriſtus inſtituit Euchariſtiam , iſta pronunciando ſupra materiam verba : *Hoc eſt corpus meum* , *Hic eſt calix ſanguinis mei* . Ordinationem vero Presbyteratus ea actione & verborum formula complevit , qua practice pronuntiavit hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem* .

Perſiſtes : Atqui Chriſtus per verba modo laudata non inſtituit Sacerdotes : Igitur Sacerdotium non eſt Sacramentum , ſed quid humanum ab Eccleſia inſtitutum . Probatur ſubſumptum : S. Paulus erat Sacerdos : Sed ille non erat præſens cum Chriſtus inter cęnandum dixit Diſcipulis , *Hoc facite &c.* quandoquidem nondum erat ad fidem converſus : Neque vero legitur a Chriſto illum fuiſſe tempore ejus converſionis Ordinatum Sacerdotem : nam Act. 9. ubi deſcribitur , S. Lucas refert ſolummodo proſtratum , & jubente Domino ingreſſum fuiſſe civitatem , ubi ab Anania baptizatus eſt . *Abiit Ananias , & introivit in domum : & imponens ei manus , dixit : Saule frater , Dominus miſit me Jeſus , qui apparuit tibi in via qua veniebas , ut videaris , & implearis Spiritu ſancto . . . Et ſurgens baptizatus eſt* . Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum . Ad probationem diſtinguo : Et Paulus vocatus a Chriſto , ab ipſo de fide edoctus , ut ipſe dicit & conſtitutus Apoſtolus , baptizatus ab Anania , tum , ordinante Spiritu ſancto , Sacerdos & Epiſcopus a Diſcipulis Ordinatus eſt , concedo : & non fuit Ordinis ſacramento initiatus , nego . Sic enim habetur Act. 13. *Erant autem in Eccleſia , quæ erat Antiochiæ , Prophetæ & Doctores . . . . Et Saulus : Miniſtrantibus autem illis Domino , & jejunantibus , dixit illis Spiritus ſanctus : ſegregate mihi Saulum & Barnabam , in opus ad quod aſſumpſi eos . Tunc jejunantes , & orantes , imponenteſque eis manus , dimiſerunt illos* . Audis ordinationem , *orantes* , *imponenteſque eis manus* . Sic propugnat S. Chryſoſtomus Homil. 27. in Acta . Sic S. Leo Epiſt. 81. qui ambo

ambo explicant illa verba de ordinatione, tum Pauli tum Barnabæ.

Repones: Si Sacerdotes haberent poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti & ejus ſanguinem, videtur quod quilibet Sacer. dos ipſi Chriſto præemineret, cum ſacrificans ſit dignior victima a ſe oblata: abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

Reſpondeo negando majorem. Ad probationem, nego antecedens. Et vero Chriſtus ſe ipſum obtulit Deo Patri in ſacrificium, ut ait Apoſtolus, nec tamen fuit ſe ipſo major. 20. Diſtinguo: Et Chriſtus eſt primarius offerens, Sacerdos enim profert verba conſecrationis in perſona Chriſti, concedo: & Sacerdos, eſt principalis offerens, nego. Sicut ergo Prorex, vel Legatus loquens in perſona Regis, ipſo eſt inferior, idem de ſacerdote dicendum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Presbyteratus eſt verum Sacramentum.

PRIMO: Sic definiunt Concilia. In primis Florentinum in Decreto Inſtr. Arm. tum Trid. Seſſ. 23. can. 1. ubi de fide hoc definit.

Secundo: Aſtipulantur ſancti Patres: in primis Gregorius Nyſſ. Orat. de Bap. Cyprianus Lib. de ablut. Ped. Auguſtinus Lib. de bono conjugali cap. 24. S. Leo Epiſt. 81.

Tertio: Nec deſunt pro hoc momento rationes 1. in Ordinatione Sacerdotis adeſt materia, adeſt & forma cum Miniſtro; immo & producitur gratia, ut habetur Act. 14. de Presbyteris quos Paulus & Barnabas conſtituerunt per ſingulas civitates. 2. Quis Eccleſia habet ut Sacerdotes, verum offerunt ſacrificium. 3. Sacerdotes veteris legis præfigurabant novi Teſtamenti Presbyteros: Igitur ut figuræ adimpleantur, Presbyteratus eſt verus Ordo, & Sacramentum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Sufficit ad rationem Sacramenti, quod unus Evangeliſta referat inſtitutionem; non enim inde deneganda eſt, quod alii illam ſileant.

Secundo: Sufficit quoque quod Chriſtus inſtituendo Sacerdotes, præſentes tantum Diſcipulos ordinaverit, cum eis contulerit poteſtatem alios conſecrandi: ſic Paulus & Barnabas Act. 13. inaugurati ſunt Sacerdotes, & Epiſcopi.

Tertio: Tametſi, Sacerdote conſecrante, Chriſtus ſit victima, non inde ſequitur Sacerdotem Chriſto præeminere, quia Dominus Jeſus eſt ſimul victima & Sacerdos, & quidem primarius, & principalis.

SECTIO SECUNDA.

Quænam ſit materia, & forma Presbyteratus?

CONCLUSIO PRIMA.

Materia Presbyteratus in utraque Eccleſia tam Græca, quam Latina, eſt impoſitio manuum, forma vero ſunt verba ab Epiſcopo prolata.

Probatur mults momentis.

Primo, ex Scripturis.

PRIMÆ ad Timotheum c. 5. hæc leguntur, *Manus cito nemini impoſueris*. Quæ verba ſic explicat D. Chryſoſtomus Homil. 25. " Quid ſibi vult cito, non „ ex prima ſtatim probatione, nec ſe„ cunda, nec tertia, ſed ubi conſidera„ tio diuturna præſto ſit, exactiſſimaque „ diſcuſſio, tunc imponito manus. „ Similiter Theodoretus Comment. in eadem verba ſic loquitur: " Oportet enim prius „ examinare vitam ejus qui ordinatur, „ deinde in ipſum invocare gratiam ſpi„ ritus. „ Ex his ſic licet arguere: Ibi Apoſtolus præcipit Timotheo jam in Epiſcopum inaugurato quomodo in collatione Ordinum ſe ſe gerere debeat: eos conferri per impoſitionem manuum, aperte tradit; inter Ordines vero primas tenet Sacerdotium, cujus formam docet Theodoretus eſſe invocationem Spiritus ſancti: impoſitio igitur manuum, & oratio ſunt materia & forma Presbyteratus.

Se-

Digitized by Google

Secundo, ex Conciliis, & Summis Pontificibus.

CONCILIUM Nicænum 1. can. 9. ſic loquitur: " Si qui citra examinationem „ promoti ſunt Presbyteri, vel examina„ti ſua peccata confeſſi ſunt, eiſque con„feſſis, præter canonem moti homines „ manus impoſuerunt, eos canon non ad„mittit. Quod enim eſt a reprehenſione „ alienum, deffendit Eccleſia. „ Obſerves velim de impoſitione manuum, ut de materia Presbyteratus ſacram Synodum loqui.

Eamdem tenet doctrinam Neocæſatienſe can. 9. his verbis: " Si Presbyter qui „ corpore prius peccaverat, promotus „ fuerit, & ſi ante Ordinationem peccaſ„ſe confeſſus fuerit, ne offerat, manens „ in aliis, propter aliud ejus bonæ vitæ „ ſtudium. Reliqua enim peccata dicunt „ multi manuum impoſitione tolli. „

Carthaginenſe 4. can. 3. ſic habet: " Pre„ſbyter quum ordinatur, Epiſcopo eum „ benedicente, & manum ſuper caput e„jus tenente, etiam omnes Presbyteri, „ qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta „ manum Epiſcopi ſuper caput illius te„neant. „

Aſtipulatur Tridentinum Seſſ. 14. c. 3. & ſic loquitur de Extremæ-Unctionis ſacramento: " Oſtenditur illic proprios hu„jus Sacramenti Miniſtros eſſe Eccleſiæ „ Presbyteros, quo nomine, eo loco, „ non ætate ſeniores, aut primores in po„pulo intelligendi veniunt, ſed aut Epi„ſcopi, aut Sacerdotes, ab ipſis rite Or„dinati, per impoſitionem manuum Pre„ſbyteri. „

Hæc de Cor-epiſcopis pronunciat Damaſus Epiſt. 5. cap. 3. quæ indicant manuum impoſitionem eſſe materiam Presbyteratus: " Propterea magis vulnera„bant capita, quæ per manus impoſi„tionem tangebant, quum ea, quæ eis „ collata non erant, per aliquam benedi„ctionem darent. „ Supponit ibi Ordinationes fieri per manuum impoſitionem.

Similia docet Innocentius I. Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ c. 3. his verbis: " Cum nos dicamus ab hæreticis Ordi„natos, vulneratum per illam manus im„poſitionem habere caput, ubi vulnus in„fixum eſt, medicina eſt adhibenda, ut „ poſſit recipere ſanitatem.

Favet S. Leo Epiſt. 87. ad Epiſcopos Africæ explicans hæc verba Pauli, *Manus cito nemini impoſueris*: " Quid eſt, *in„quit*, cito manus imponere, niſi ante „ ætatem maturitatis, ante tempus exa„minis, ante meritum laboris, ante expe„rientiam diſciplinæ, Sacerdotalem hono„rem tribuere non probatis? „

Alexander Papa II. c. 1. q. 3. can. *ex multis*, ſic ait: " Chalcedonenſe Concilium „ unum ex principalibus ſimul pœna con„demnat eos, qui Eccleſiæ beneficium „ interventu pecuniæ acquirunt, & eos „ qui ſacram manus impoſitionem, per „ quam Spiritus ſanctus confertur, mer„cari dignoſcuntur. „ Ubique fit mentio de impoſitione manuum pro materia Presbyteratus. Ergo &c.

Tertio, ex Patribus tam Græcis quam Latinis.

S. Baſilius Epiſt. canonic. ad S. Amphilochium can. 1. loquens de nonnullis hæreticis, per impoſitionem manuum dari ſpiritualem donum Sacerdotii clariſſime docet, cum "ait: Defecerat enim collatio ſucceſſionis ſe„rie interrupta; qui enim primi receſſe„runt, Ordinationem a Patribus habe„bant, & per manuum impoſitionem ha„bebant ſpiritualem gratiam. „

S. Ephrem de Sacerdotio ſic exclamat: " O poteſtas ineffabilis, quæ in nobis digna„ta eſt habitare per impoſitionem manuum „ ſacrorum Sacerdotum. „

De Sacerdote Job Monachus in L. de Sacramentis ſic loquitur: " Similiter quoque „ in Sacerdotio res admiranda, & quæ „ fandi potentiam ſuperat; cum heri, „ & nudius tertius e vulgo quiſpiam, „ & plebejus extiterit, modo & hodie „ Spiritus ſancti, voceque Pontificis, & „ impoſitione dexteræ tantum in melius „ mutationem ſuſcipiat, & talis evadat, „ ut divina Myſteria ſanctæ Eccleſiæ ad„miniſtrare queat, ac mediator Dei, & „ hominum fiat, ſeque ipſum & alios ſan„ctificet. „

S. Ambroſius in L. de dignitate Sacerdotali c. 5. ait: " Homo manum imponit, & „ Deus largitur gratiam. „ Et S. Hieronymus in c. 58. Iſaiæ ſic habet: " Accedit im„precatio ad impoſitionem manus, & im„pletur hoc Sacramentum. „

Nec

Nec diſſimilia tradit alterum lumen Eccleſiæ S. Auguſtinus L. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 20. " Si ergo, *inquit*, ad hoc valet quod dictum eſt in ,, Evangelio, *Deus peccatorem non audit*, ,, ut per peccatorem Sacramenta noo celebrentur, quomodo exaudit homicidam ,, deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur. ,, Rurſus Serm. ,, 2. ſuper geſtis cum Emerito: " Ceteri ,, autem, *ait*, non aderant Ordinationi ,, ejus, quando ei maous impoſita eſt. ,, His addendus venerabilis Beda Hol. 40. ubi ſic loquitur: " Qui autem ſuot in templo ,, Dei hodie, qui columbas veoduot, niſi ,, qui in Eccleſia pretium de impoſitione ,, manus accipiunt? ,,

Hanc doctrinam tradidit D. Bonaventura in 4. diſt. 24. p. 2. art. 1. q. 4. his verbis: " In Ordinibus ſacris quooiam datur ibi ,, nobilis poteſtas, & excellens, fit ,, manus impoſitio, non tantum inſtrumenti traditio. Quoniam manus eſt organum organorum, in quo ſcilicet principalius reſidet poteſtas Ordinandi: Unde ſic ordinabaot in Eccleſia primitiva, ubi non niſi iſti duo Ordines expliciti erant. ,,

Iis omnibus ſeſe adjungit D. Thomas 3. p. q. 84. art. 4. in corp. ubi reddit rationem cur in Sacramento pœnitentiæ manus inpoſitio non requiratur, ſicut & in Baptiſmo, in ſacramento vero Confirmationis & Ordinis adſit: " Dicendum, ,, quod impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad ſignificandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo ,, illi quibus manus imponuntur, quodam modo per quamdam ſimilitudioem ,, cootiouantur Mioiſtris, in quibus copia ,, gratiæ eſſe debet. Et ideo manus impoſitio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus ſancti: & in ſacramento Ordinis, ,, in quo coufertur quædam excellentia ,, poteſtatis in divinis Myſteriis. Unde ,, & 2. ad Timoth. 1. dicitur, reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per ,, impoſitionem manuum mearum. ,, Ex his ſequitur impoſitionem manuum eſſe de eſſentia Ordioationis Presbyteri, cum ex D. Thoma, per eam detur Spiritus ſanctus.

Quod ſpectat ad formam, ea utuntur Græci: *Divina gratia quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat, ſeu promovet venerabilem Diaconum in Presbyterum Deo amabiliſſimum*. In aliis Ordinibus ſolum dignitates mutat; Eccleſia vero Latina ea utitur formula: *Accipe poteſtatem conſecrandi corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Miſſas offerendi, tam pro vivis, quam pro defunctis:* Similiter, *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, &c.* Forma Græcorum, inquit Arcudius, quoad ſenſum eadem eſt cum Latina; neque enim verba, ſed ſenſus attendendus eſt. Sane quidem, cum idem ſit dicere, Accipe poteſtatem ſacrificandi, ac dicere, Divina gratia conſecrat talem per me in Presbyterum; ad quid enim creatur Presbyter, niſi ut ſacrificium offerat, & in tribunali judicium exerceat ſuper corpus Chriſti myſticum.

Idem Auctor ait litteras quibus conſtituuotur Græci more Latinorum Confeſſarii, eſſe juſſorias ſive præſcriptitias, quibus nimirum præſcribunt Confeſſario, ubi, quomodo, & quid agere debeat; hioc nihil aliud quam executionem Ordinis in ſe continent, non autem ipſam collationem poteſtatis. Quod quidem conſtat tum ex uſu Orientalis Eccleſiæ, quæ nullam orationem ſuper Confeſſarios eo tempore ſolet recitare, tum ex ipſis litteris in quibus habentur hæc verba: *Noſtra humilitas largitur, & inſtar beneficii confert ei paternitatis Spiritualis Miniſterium*. Tum ex eo quod hanc facultatem abſentibus per litteras quandoque ſoleat concedere. Item novi Antiſtites eamdem facultatem Confeſſariis a Prædeceſſoribus ſuis conceſſam per ſimiles litteras confirmant aliquando, ac exhibent; ex quo ſequitur eas non eſſe aliquam ſacri Ordinis collationem, alioquin eam non reiterareot.

His additur ſuffragium Joaonis Maldonati e Societate Jeſu Theologi, qui tomo 2. de Sacramentis tractatu de Ordine q. 3. pag. 2. ſic habet: " Impoſitio manuum non eſt habenda tamquam cæremo- ,, nia non neceſſaria, ſed tamquam pars ,, eſſentialis Sacramenti, idque videtur tenendum fide Catholica. Primum, quia ,, in Scrlptura ubicumque fit mentio de ,, ordinatiooe, declaratur per impoſitionem manuum, & videtur mihi eſſe temerarium Scripturam deſerere, & conſectari

,, chi-

„ chimeras, id eſt rationes naturales. Secundo, Quia veterem Eccleſiam numquam ordinaſſe ſine impoſitione manuum ex omnibus auctoribus antiquis perſpicuum eſt. De traditione autem Calicis, & Hoſtiæ nulla eſt mentio apud illos. Tertio, quia videtur durum nimis eſſe cæremoniam, quam nobis perſpicue tradunt Apoſtoli, excludere a natura Sacramenti, & inducere illam de qua nulla mentio fit in Scriptura.

Martinus Becanus inſtruct. de ſacramento Ordinis q. 4. hæc ſcribit: " Concluſio 8. Impoſitio manuum videtur eſſe materia eſſentialis hujus ſacramenti, & a Chriſto inſtituta. Porrectio vero inſtrumentorum videtur eſſe accidentalis, & ab Eccleſia introducta. „

Quarto, ex Pontificalibus Græcis.

PONTIFICALIA & Ritualia pro ordinatione Epiſcopi jam laudata, iterum veniunt pro conſecratione Presbyteri in teſtimonium; hinc ea alternata vice recenſere non injucundum erit.

Pontificale vetus ſic habet: " Poſtquam allata ſunt dona ſancta, & in ſacra menſa repoſita ſunt, & completus eſt ſanctus Hymnus myſticus Cherubicus, charta conſueta traditur Archiepiſcopo, in qua ſcriptum eſt, *Divina gratia &c.* eaque lecta, ita ut omnes audiant, qui ordinandus eſt, adducitur, eoque genu flectente, tria crucis ſigna facit ſuper caput ejus, habenſque ei manum impoſitam hæc precatur. „ *Deus qui et principii, & finis expers, qui omni creatura longe es antiquior, quique denominatione Presbyteri, & honoraſti qui digni judicati ſunt in eo gradu ſanctæ adminiſtrare verbum veritatis tuæ. Ipſe omnium, Domine, conplaceat tibi hunc, quem a me propter politiam irreprehenſibilem modumque agendi inculpatum, & fidem conſtantem pron overi probaſti, manum illam gratia ſancti Spiritus tui ſuſcipere, perfectum redde ſervum tuum, ut tibi in omnibus placeat, & pro data ſibi a providente virtute tua magno illo ſacerdotali honore digne ſeſe gerat, & converſetur &c.*

Idem legitur in codice Monaſterii Græci Cryptæ Ferratæ: Idem habet pariter codex Græcus Bibliothecæ Regiæ ante annos trecentos ſcriptus. Idem legitur in codice græco Bibliothecæ Clericorum Regularium Romæ, ad Eccleſiam ſancti Andreæ Vallenſis nuncupatam.

In libro Simeonis Theſſalonicenſis cap. 5. de Ordinatione Presbyteri hæc habentur: " Epiſcopus manum imponens; ipſa eſt enim communicativa donationis divini Sacerdotii, & imitatur omnipotentem, & omnia operantem, protegentem, omniaque inſpicientem, & moderantem Dei dexteram, invocat divinam gratiam, & conſecrandum e Diacono Presbyterum creat, gratiam Spiritus ordinando advenire deprecans. „

Quinto, ex Latinis Ritualibus.

RITUS ex codice Anglicano antiquiſſimo Eccleſiæ Rothomagenſis excerptus, cujus univerſa ſcriptura octavi ſæculi characterem ſapit, & genium, quique in Anglia, & pro Anglia ſcriptus ex eo convincitur, quod coronationem Regis Anglorum contineat; hæc autem de Ordinatione Presbyteri refert: " Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus ponente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper illius ponant caput. „

Similia leguntur in manuſcripto Rituali, qui annorum prope ſeptingentorum ſcriptus videtur regnante Ludovico Tranſmarino Francorum Rege, qui obiit an. 955.

Ritus ex codice annorum ſeptingentorum ætatem ſuperante decerptus, de Ordinatione Presbyteri ſic habet: " Duo Presbyteri ducant ad ſedem Pontificis, & ipſe ſe erigens interrogat, ſi juſtus, & dignus ſit; illis autem atteſtantibus, eumdem dignum & juſtum eſſe Dei gratia, eo inclinato imponet manum ſuper caput ejus, & omnes Presbyteri qui cum eo adſunt pariter, & ille dat orationem ſuper eum. „ Illa autem oratio proſertur poſtquam paucis verbis Epiſcopus allocutus eſt populum.

Idem quod in codice Anglicano Eccleſiæ Rothomagenſis reperitur, duo codices Bellovacenſes, quorum unus eſt ſexcentorum, & quinquaginta annorum, alter paulo poſt, referunt. Primus ſcriptus eſt regnante Roberto Rege, & Conſtantia Regina, Rotgerio Bellovacenſi Epiſcopo, & Joanne Romano Pontifice, quod col-

Digitized by Google

colligitur ex eo quod hæc nomina in litaniis legantur.

Codex annorum circiter quingentorum, qui inſcribitur officium Epiſcopi cum benedictionibus Epiſcopalibus ſic habet : " Lecto Evangelio vocentur qui ordinan- ,, di ſunt Presbyteri . . . . legitimi na- ,, tali vita , & doctrina, perſonæ ſuæ Eccle- ,, ſiæ veſtiti , ut Diaconi cum orario , ,, & ſic ab Archidiacono præſententur ,, Epiſcopo . Ille coram ſe inclinatis po- ,, nat manus ſuper capita ſingulorum , & ,, Presbyteri qui aderunt , omnes levent ,, dexteras cum Epiſcopo ſuper eos , ipſe ,, vero ſundat preces pro ordinandis ad ,, Deum . ,, Tum refertur oratio mox ab Epiſcopo dicenda . Eumdem continet Ritum codex quadringentorum quinquaginta annorum , quem ſibi commodaſſe ait Morinus , ampliſſimum virum D. Petavium Supremæ Curiæ Pariſienſis Senatorem ; quique olim pertinuerat ad Eccleſiam Moguntinenſem ; idem & Liber Pontificalis minoris formæ qui habetur in Bibliotheca Rothomagenſi , quique eſt quadringentorum annorum .

Ritualia a Patre Martene allata idem ferunt quod codices ſupra memorati , ſcilicet primo Pontificale Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi , Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis , Cadurcenſe , Noviomenſe , Saliſburgenſe , Pontificale Eccleſiæ Biſuntinæ : duo manuſcripta Pontificalia Monaſterii Beccenſis , Cameracenſe , Pontificale manuſcriptum Eccleſiæ Apamienſis in Syria . Noviomenſe , Moguntinum &c. Iſtud ſic habet : " Incepto reſponſorio , Accipite ,, Spiritum ſanctum , Clero toties proſe- ,, quente , donec Epiſcopus circuitum per- ,, fecerit , imponat Epiſcopus ambas ma- ,, nus capiti cujuslibet Sacerdotis , & dicat: ,, Spiritus ſanctus ſuperveniat in te , & vir- ,, tus Altiſſimi ſine peccato cuſtodiat te ; & ,, Prælati ſeu Presbyteri huic officio aſſi- ,, ſtentes in religione omnes ſequentes Epi- ,, ſcopum , ſimiliter Sacerdotibus ordinan- ,, dis manus imponant , quo completo , ,, Epiſcopus dicat : *Oremus Dilectiſſimi Deum* ,, *Patrem* &c. ut in Pontificali Romano ,, legitur . ,,

Manuſcriptum Pontificale Romanum Bibliothecæ Colbertinæ ſic refert : " Iis ,, inclinatis , *ſcilicet ordinandis* , ad Presby- ,, teratum imponat Pontifex ſingulis ambas ,, manus ſub caput eorum , & omnes Pre- ,, sbyteri qui adſunt nihil dicendo , & ille ,, dat ſine mitra orationem ſuper eos te- ,, nens manus elevatas ; ſicut quando dicun- ,, tur orationes in Miſſa . Quando Epi- ,, ſcopus incipit orationem ad benedicen- ,, dum Sacerdotem , Presbyteri qui primo ,, tangebant caput , debent elevare manus ,, ſuas , ita quod non tangant caput ordi- ,, nandi , ſed teneant eas ſuſpenſas ſuper ,, caput ejus . ,,

Sexto , ex Ordinationibus Syrorum , Maronitarum , Neſtorianorum , Jacobitarum , & Coptitarum .

APUD Maronitas poſtquam varias thurificationes perfecit Epiſcopus , variaſque orationes dixit , ſic habetur : " Epi- ,, ſcopus imponit dexteram ſuam ſuper ,, caput ejus , & dicit , Ordinatus eſt in ,, Eccleſia : Archidiaconus clamat , N. ,, Presbyter , ad altare ſanctum Eccleſiæ ,, ſanctæ iſtius loci N. Epiſcopus , N. Pre- ,, sbyter . ,,

Hæc eſt apud Neſtorianos Presbyteri ordinatio . Præmiſſis variis thurificationibus & orationibus : *His dictis , vocem attollit . . . . Deinde ſignat . Et profert Archidiaconus , pax tecum , repetitque Præſul hanc manus impoſitionem , manu dextera poſita ſuper caput ejus qui ordinatur , dicitque demiſſa voce , Deus noſter bone* &c. Sic habetur apud Morinum part. 2. de ſacris Ordin. Syro. Neſt. pag. 456.

Quoad Jacobitas , & Eutychianos , ſic ordinant Presbyteros ex eadem Morini verſione pag. 484. " Epiſcopus ponit manus ,, ſuas ſuper Myſteria , & extendit bra- ,, chia ſua , colligitque & contrahit ea ,, tribus vicibus ſuper corpus , & ſangui- ,, nem , accipiens ex calice in pugillum ,, ſuum dum colligant ea , & ceperint peplo ,, ſeu linteo ſacro . Poſtea revertitur ad eum ,, qui eſt ordinandus , & imponit manus ,, ſuper caput ejus , eaſque illi admitti- ,, tur . ,, Multoties adhuc poſtea ponit & ,, reponit , modo dexteram , modo ſiniſtram ,, ſuper ordinandum , tum dicit quod dici ,, ſolet , ſcilicet , *Invocatio Spiritus ſancti* : ,, Poſtea revertitur Epiſcopus ad Occiden- ,, tem , ad eum qui ordinatur , imponit- ,, que dexteram ſuam ſuper caput ejus , ,, & eum ſignat inter oculos , ſic dicens : ,, Ordinatus eſt in Eccleſia ſancta Dei .

„ Archidiaconus dicit : N. Presbyter ad „ altare ſanctum domus Genitricis Dei „ &c.

Rituale Copticarum interprete Kirchero ex Societate Jeſu, refert pariter eorum Ordinationes fieri per impoſitionem manuum; eorum quippe Epiſcopi poſtquam varias orationes ad Deum emiſerunt, dicto a populo Kyrie eleiſon tribus vicibus, converſus ad Occidentem Epiſcopus, ponit manum ſuam dexteram ſuper caput ejus, ſic orando: *O Domine Deus qui omnia creaſti* &c. Hanc totam orationem cum aliis refert P. Martene L. de antiquis Ritibus: Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ad majorem explicationem duplicis poteſtatis quam recipit Sacerdos, ſcilicet in corpus Chriſti reale & myſticum, æquum duxit Eccleſia ad primam denotandam tradi patenam cum pane, & calicem cum vino; ad ſecundam vero in fine Miſſæ imponi manus ordinando ab Epiſcopo, dicente hæc verba Chriſti: Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittentur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.

Probatur multipliciter.

PRIMO: Græci legitime & valide Presbyteros conſecrant, & Eccleſia Romana eorum Ordinationes ſemper probavit: Sed apud eos incognita eſt inſtrumentorum traditio. Igitur ea non pertinet ad Ordinis Presbyteralis ſubſtantiam. Minor certa eſt, ut conſtat ex ſupra relatis; in eorum quippe Ritualibus, vel minima non fit mentio de traditione pateuæ, & calicis.

Secundo: Antiqua Ritualia Latina ſupra laudata non ſecus ac Græca iſtam inſtrumentorum traditionem non exhibent, immo nec referunt hodiernam verborum formulam, ſcilicet: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. amen*. Igitur inſtrumenta ſunt ſolum explicationes majores poteſtatis traditæ.

Tertio: Non tantum antiqua Ritualia iſta inſtrumenta prorſus ſilent, verum etiam & temporum præcedentium auctores, ut Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valafridus Strabo, qui tamen de officiis Eccleſiaſticis ampliſſime ſcripſerunt.

Quarto: Theologi de iſtis inſtrumentis tractantes ea ad majorem dumtaxat explicationem eſſe neceſſaria docent: Sic Hugo a S. Victore L. 2. de Sacramentis p. 3. c. 12. his verbis: " Accipiunt calicem cum vino, & patenam cum hoſtiis de manu Epiſcopi: quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant placabiles Deo hoſtias offerendi." Sic & Petrus Lombardus L. 4. Sent. diſt. 24. " Accipiunt, *ait*, etiam calicem cum hoſtiis, & per hoc ſciant ſe accepiſſe poteſtatem, placabiles Deo hoſtias offerendi." Igitur inſtrumenta ſunt ſolum poteſtatis acceptæ, & exercendę pignora ſeu documenta.

Quæres, Quandonam hic Ritus, & illius formula ſuperaddita ſint?

Reſpondeo, cum illud ſancitum non fuerit in aliquo Provinciali Concilio ſuſpicari poſſe ortum habuiſſe ab antiquo pio & docto Epiſcopo, qui religioſis aliquot ductus rationibus hoc addendum eſſe arbitratus eſt ad majorem explicationem: Tum paulatim vicini Epiſcopi id probantes, quum Ritualia nova effecerunt, in eis addi voluere: Nonnulli ad marginem antiquorum appoſuerunt; Morinus ſeptingentis circiter annis illud incepiſſe probabile autumat.

Probatur ſecunda pars, ultimam ſcilicet manuum impoſitionem, cum dicit Epiſcopus ordinato, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* eſſe etiam dumtaxat ad majorem explicationem poteſtatis traditæ ſupra corpus Chriſti myſticum; cujus rei non levius eſt argumentum, quod de illa in Ritualibus tam Græcis quam Latinis, nulla fiat mentio; fuit enim 1200. annorum ſpatio incognita, nec Ritualia ante hoc tempus, tametſi copioſa, ſingulos Ritus parvi admodum momenti etiam recenſentia, illius meminerunt, immo nonnulla ſunt tempore longe recentiora & diffuſa, quæ tamen, ut videre eſt, illam omnino prætereunt.

Martenus L. 1. de Eccl. Rit. cap. 8. art. 9. n. 12. de hoc momento ſic loquitur: " Præter hanc manus impoſitionem, aliam deſcribit editum Pontificale Romanum ab Epiſcopo poſt communionem faciendam, hæc proferente „ verba.

„ verba: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quæ „ quidem ita eſſentialis ordinationi Presbyterorum videtur nonnullis Scholaſticis, ut ea omiſſa, perfecti dici nequeant Presbyteri; nam etſi jam acceperint poteſtatem offerendi ſacrificium, „ necdum tamen acceperunt dimittendi „ peccata. Verum toto aberrare cœlo „ inficias nullus erit, qui antiquos Ordinationum ſacrarum Ritus vel levi perluſtrarit oculo; utpote qui nullam prorſus illius mentionem fecerint, nullam „ Pontificale Egberti, Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis, antiqua ſacramentaria, Regium, Rhemenſe, Noviomenſe, Gellonenſe annorum 900. „ Cadurcenſe, Turonenſe, Noviomenſe, „ Radbodi Pontificale annorum 800. Sueſſionenſe 700. Lugdunenſe Halinardi, „ Salisburgenſe, Biſuntinum ad uſum Eccleſiæ Turonenſis accommodatum, Noviomenſe tertium annorum 600. Remenſe S. Remigii duplex, Cameracenſe, „ Apamienſe, Conſtantinopolitanum annorum 500. Moguntinum duplex, Romanum duplex, & Aquenſe annorum „ 400. Jam vero quis credat tot Rituales libros, tot inſignium Eccleſiarum, „ ſingulos Ordinationum Ritus adeo religioſe, & in quibuſdam adeo diffuſe deſcribentes, in re tam eſſentiali defeciſſe. „

An. 1516. Comment. in 4. ſent. diſt. 24.q.1. ſcripſit ex eo præſertim probat hanc manuum impoſitionem ad Presbyteratus ſubſtantiam non pertinere, quod: " Aliqua „ paſtoralia hæc non habeant, nec ſit „ probabile quod deficerent in aliquo tam „ neceſſario ad ſacramentum.

Teſtatur Angelus in Summa 5. Ordinatio 1. n. 14. quædam Epiſcoporum paſtoralia alio modo variare; habere quidem manuum impoſitionem, ſed cum aliis verbis uti non iſtis, non ideo tamen ordinationem eſſe iterandam: " Si quis, „ inquit Presbyter habuiſſet in ſua ordinatione impoſitionem manuum, ſed „ non fuiſſent dicta prædicta verba: *Accipe Spiritum ſanctum &c.* ſed alia ſecundum alia paſtoralia Epiſcoporum, tunc „ nihil iterandum eſt vel ſupplendum. „

Similiter auctores qui ſcripſerunt ante quingentos annos, nullam iſtius impoſitionis manuum mentionem faciunt. Stephanus Æduenſis c. 4. ſic habet: " Iſti cum „ ordinantur ab Epiſcopo, ſuper capita eorum manus tenente benedicuntur. „ Omnes autem Presbyteri adſtantes cum „ Epiſcopo manus levant, & Spiritum „ ſanctum invocant. Invocatione facta, „ ſtolla ſuper utrumque humerum ponitur. „ Singula proſequitur, nec ullum habet de hac formula verbum. Similiter Yvo Carnotenſis in fine ſermonis de excellentia ſacrorum Ordinum, Hugo a ſancto Victore in ſpeculo Eccleſiæ c. 5. illi ordinationis Presbyteralis compendium eodem modo ſtruunt, & iiſdem ſæpe verbis.

CONCLUSIO TERTIA.

Græci in ſuis Ordinationibus ad explicationem poteſtatis collatæ utuntur etiam inſtrumentis.

PROBATUR ex Arcudio, qui L. 6. de ſacramento Ordinis cap. 3. pag. 423. & 424. cuncta refert his verbis: " Ut facilius diſcernere valeamus, quænam „ ſit materia ſacrorum Ordinum apud „ Græcos, Nota ex his quæ recenſuimus, „ quod in primis Lectori, Subdiacono, „ Diacono, Presbytero, & Epiſcopo, cum „ ordinantur, imponuntur manus a Pontifice, eſtque id commune omnium. „ Deinde peractis orationibus conſecratoriis, Lectori porrigit Pontifex Librum Epiſtolarum Canonicarum, cum „ Actibus Apoſtolicis; Subdiacono præbet „ vaſa, urceolum, & lebetem una cum „ mantili ad infundendam aquam Pontifici. Diacono exhibet flabellum, quo „ arcet muſcas, pulveres, & id genus a „ ſacratiſſima Euchariſtia.... Presbytero „ Pontifex porrigit Miſſale, & quamvis „ hoc de porrigendo Miſſali Presbytero, „ non ſit notatum in Euchologio, eſt tamen iſte mos alicubi uſitatus, immo „ in CP. Eccleſia. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OPPONES: Videtur Concilium Florentinum improbare mentem eorum qui propugnant impoſitionem manuum eſſe materiam Presbyteratus: Ergo &c. Probatur antecedens; Si illam eſſentialem pataret huic Ordini, eam commemoraſſet Eugenius

nius IV, in decreto pro Inſtructione Armenorum: Atqui tamen non fecit, immo ſola refert inſtrumenta, his verbis: " Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus ,, materia eſt illud per cujus traditionem ,, confertur Ordo, ſicut Presbyteratus tra- ,, ditur per calicis cum vino, & patenæ ,, cum pane porrectionem. Diaconatus ve- ,, ro per libri Evangeliorum dationem.,, Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Concilium omittit impoſitionem manuum, quia ſicut apud Græcos, ſic & apud Armenos, qui huc uſque Ritum Græcorum ſecuti fuerant, ſciebat eſſe familiarem, concedo: illam reſcindendo omittit, nego. Armenorum, prævio examine, fide adamuſſim diſcuſſa, in Ordinationibus inventi ſunt ab omni nævo immunes; quia tamen per omnia Eccleſiæ Romanæ obedientes ſe probabant, ut illi ſolemniori ritu conſociarentur, propoſuit illis Eugenius impoſitioni manuum, quam quidem jam obſervabant, addere ad majorem poteſtatis traditæ explicationem, inſtrumenta: quia vero ſummus Pontifex illa non credebat ad ordinationem abſolute neceſſaria, alio modo de eis loqutus eſt, quam de materia eſſentiali. Sic v. g. cum de Baptiſmo inſtituit ſermonem, dicit ſimpliciter, cujus materia eſt aqua naturalis, e contra vero ait poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum & myſticum tradi per inſtrumenta, hoc eſt explicari.

Inſtabis: Gregorius IX. c. *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis, docet manuum impoſitionem eſſe ritum ab Apoſtolis introductum: Igitur illa non eſt Sacramento eſſentialis. Confirmatur: De quodam ordinato ſine manuum impoſitione, nihil iterandum eſſe ait, ſed poſt tres menſes ſupplendum quod defuerat. Ex quibus ſic arguitur: Si manuum impoſitio eſſet eſſentialis, oporteret poſt tres menſes impoſitionem manuum celebrare, una cum forma correſpondente: Atqui tamen SS. ille Pontifex definivit nihil iterandum eſſe vel ipſa manuum impoſitione omiſſa: Ergo &c. Rurſus cum dicitur in canone nihil iterandum, ſed ſupplendum quod defuit, intelligitur res accidentaria quæ ſuppleri debeat; hinc Innocentius III. de ſacra unctione dicit; ſi Epiſcopus ſine unctione balſami conſecratus fuerit, nihil iterandum: Atqui conſtat unctionem hanc eſſe accidentariam, tum ex canone *Paſtoralis* de ſacramentis non iterandis, quo ſtatuitur nihil ſupplendum eſſe cum aliquis chriſmatus eſt cum oleo abſque balſamo: immo ibidem habetur, Diacono ſine manuum impoſitione ordinato, nihil iterandum, ſed ſupplendum: Cum igitur idem judicium ferat Papa de oleo ſine balſamo, ac de impoſitione manuum, ſicut illud eſt accidentale, ita pariter impoſitio manuum non erit eſſentialis, ſed tantum accidentalis.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo: Et vult unice Gregorius Apoſtolos primum incepiſſe per impoſitionem manuum ordinare, concedo: eos inveniſſe in Eccleſiam talem ritum, nego. Ad confirmationem, diſtinguo: Et ibi Pontifex loquitur de tertia manuum impoſitione, quæ fit poſtquam Epiſcopus percepit corpus Dominicum, illudque præbuit ordinatis concedo: de ſecunda, nego. Subnotandum eſt in ordinatione Presbyterorum tres fieri manuum impoſitiones. Prima quidem fi. quum Epiſcopus nihil dicendo ſupra ſingulos imponit manus, & poſt ipſum multi Sacerdotes. Secunda, cum pervenit ad altare, & poſtea extenſis manibus ſuper omnes recitat orationem conſecratoriam; deinde vero ad explicationem poteſtatis tradit inſtrumenta tangenda, & formam pronuntiat, quæ ſecundæ impoſitioni correſpondet. Tertiam facit, cum peracta communione, hæc profert verba: *Accipe Spiritum ſanctum &c.* Prior eſt cæremonialis, ſecunda eſt eſſentialis, & per eam ordinandus accipit poteſtatem in corpus Chriſti reale, & myſticum. Tertia autem eſt explicativa ſecundæ poteſtatis: Porro cum Gregorius IX. ait ſupplendum quod defuerat in eo qui ſine manuum impoſitione ordinatus fuerat, loquitur de tertia; quippe qui certe agnoſcat ſecundam ut eſſentialem; nam in calce iſtius epiſtolæ, ait quod ſuſpenſio manuum debeat fieri cum oratio ſuper caput ordinandi funditur.

Ad aliam probationem dico, tam eſſentialia quam accidentalia ſupplenda eſſe: unde exemplum petitum ab unctione facta ſine balſamo, non probat manuum impoſitionem eſſe accidentariam obſervationem.

Urgebis: Ex Pontificali Romano cum Epi-

Epiſcopus tradit ordinando inſtrumeta, dicit: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*: Igitur noo impoſitio manuum, ſed traditio inſtrumentorum eſt materia eſſentialis Ordinationis, alias foret mendax.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et hæc verba referuntur ad ſecundam manuum impoſitionem tamquam ad eſſentiam, concedo: exteodit enim immediate ante traditionem inſtrumentorum manus ſuper ordinandos Epiſcopus; hinc verba relationem dicunt ad inſtrumenta, velut ad explicationes poteſtatis traditæ: & dicunt ordinem ad ſolam inſtrumentorum traditionem, velut ad eſſentiam, nego. Solutio patet ex dictis.

Inſiſtes: Illud eſt materia Presbyteratus, quod adhibuit Chriſtus Dominus: Atqui quando ordinavit Apoſtolos in Sacerdotes, uſus eſt inſtrumentis, ſcilicet pane & vino: Ergo &c. Confirmatur: Materia ſacramenti debet illi eſſe propria: Sed impoſitio manuum non eſt talis, cum Apoſtoli per illam etiam Laicis dederint Spiritum ſanctum, ſic & quondam Eccleſia per impoſitionem manuum reconciliabat Hæreticos, & pœnitentes: Ergo &c.

Reſpondeo ad primum negando minorem, ſcilicet Chriſtum ordinaſſe Apoſtolos per inſtrumenta. Quandoquidem ordinavit illos Sacerdotes, cum hæc dixit verba Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Nuſquam vero porrigendo corpus ſuum manducandum, & ſanguinem bibendum; panis enim & vinum conſecranda, non ad ordinationem, ſed ad refectionem adminiſtrabantur, vel ipſo Domino dicente Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*.

Ad confirmationem diſtinguo: Et aliæ manuum impoſitiones non erant ordinativæ & conſecratoriæ, concedo: & erant, oego. Non una eſt manuum impoſitio: Altera eſt confirmatoria, altera morborum ſaoativa, altera etiam Hæreticorum, ſicut excommunicatorum pœnitentium reconciliativa: Sed forma prolata ad hunc vel talem effectum producendum determinant manuum impoſitionem, quæ ſic per verba prolata ab Epiſcopo actuata, jam non eſt materia omnibus communis: cum igitur verba conſecratoria & ordinativa noo eadem ſint quæ ſanativa ſeu reconciliativa, ſequitur quoque non eamdem eſſe impoſitiooem manuum ordinativam cum recenſitis, ſed prorſus diſcretam, & diverſam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

I. Materia Presbyteratus eſt impoſitio manuum, forma verba ab Epiſcopo prolata. II. Ad explicationem poteſtatis traditæ ſuper corpus Chriſti verum, traditur patena cum pane, & calix cum vino: Tum ad deſignandam eam quæ eſt ſuper myſticum, in fine Miſſæ imponitur manus ab Epiſcopo dicente: (Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittentur eis, & quorum retinueris, reteota ſuot.) III. Græci utuntur etiam inſtrumeotis ad iodicaodam utramque poteſtatem.

PRIMUM annuntiant Concilia, ſcilicet Nicænum 1. cao. 9. Carthagineoſe 4. cap. 1. Prædicaot Patres, maxime Baſilius Epiſt. ad Amphil. cao. 1. & S. Leo Epiſt. 87. Uſus Eccleſiæ ſic obtinuit, ut legere eſt in vetuſtiſſimis manuſcriptis.

Secundum utique colligitur ex antiquis & recentioribus Pontificalibus. Hoc ipſum docet Hugo Vict. L. 2. de Sacrament. p. 3. cap. 12.

Tertium probat Arcudius L. 6. de Sacr. cap. 3. & hoc variis auctoritatibus.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Verum quidem eſt Concilium Florentinum in decreto Inſtr. Arm. impoſitionem manuum ſilere, ſed ideo ſiluit quia ſupponebat, nec de hoc opus erat edocere Armenos, qui ſequebantur Ritum Græcorum, apud quos impoſitio illa familiaris erat. Quocirca Patres Synodici ſolum memorant ad majorem explicationem inſtrumentorum traditionem.

Secundo: Neque vero Gregorius IX. adverſatur concluſioni, dum ait cap. *Presbyter*, impoſitionem manuum eſſe ritum ab Apoſtolis introductum, cum hoc, ſicut a Chriſto acceperunt, fecerint: Nec magis urget dicendo eumdem Gregorium de ordinato, omiſſa maouum impoſi-

poſitione conſultum, non dixiſſe reiterandam eſſe, quod tamen injunxiſſet, ſi credidiſſet eam materiam eſſentialem; nam ſufficienter ſeſe explicavit, præcipiendo, ut quæ deerant in ordinatione, ſupplerentur.

Tertio: Tametſi Epiſcopus, ut habetur in Pontificali Eccleſiæ Romanæ tradendo inſtrumenta, ſimul hanc proferat formam, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* quia tamen immediate ante hanc inſtrumentorum traditionem imponit manus, liquido patet verba ad impoſitionem manuum referri. Igitur impoſitio manuum eſt materia eſſentialis.

SECTIO TERTIA.

Utrum Parochi ſint de jure divino?

STATUS quæſtionis eſt, utrum Parochi ſint ita de jure divino, ut habeant immediate a Chriſto ſuam in oves juriſdictionem, tamquam ſeptuaginta Diſcipulorum ſucceſſores: quæ quæſtio plures ſubit ſenſus: Primus eſt, utrum Parochi ſpectati ut Sacerdotes in genere veluti Miniſtri, quibus ad nutum poſſunt uti modo ſummus Pontifex Petri ſucceſſor, modo Epiſcopi qui Apoſtolis ſuccedunt, & pro diſpenſatione Sacramentorum, & pro populi alicujus regimine. Alter vero utrum hujuſmodi Parochiarum Rectores ſint de jure divino, ſicut Epiſcopus Diœceſeos ex jure avito, ſic & ſuæ Parochiæ Paſtores inamovibiles, ut videre nunc eſt in Gallia?

Nonnulli contendunt utroque modo Parochos eſſe de jure divino; multo plures eſſe ſolum in primo ſtatu ſpectatos.

Citra dubium eſt etiam Parochos ratione Sacerdotii eſſe quoad poteſtatem circa corpus Chriſti verum de jure divino, & magnis Sacerdotibus coæquales: totum igitur controverſiæ caput emergit de poteſtate circa corpus Chriſti myſticum; pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Parochi prout Eccleſiæ Miniſtri, quibus ſummi Pontifices & Epiſcopi uti poſſunt ad nutum pro animarum regimine, ſunt de jure divino.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Parochi ut Miniſtri Eccleſiæ ſpectati a Chriſto fuerunt inſtituti: Igitur ſunt de jure divino. Probatur antecedens: Nedum Presbyteratus, ſed & miniſterium in Epiſcopatu concluditur; ſed Chriſtus inſtituit in Petro ſummum Sacerdotem, in Apoſtolis vero Sacerdotes magnos ſecundi Ordinis: Igitur & in ſeptuaginta Diſcipulis Miniſtros tertii Ordinis, qui a prioribus dependentes, Eccleſiæ ſecundum eorum ordinationem famularentur. Quod non levius indicat Apoſtolus Epiſt. ad Titum 1. *Reliqui te Cretæ ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui.* Quæ quidem ſententia, nedum de Epiſcopis, ſed & de ſimplicibus Presbyteris intelligenda ſunt.

Altera ſic procedit: Ex Baronio & Binio trium priorum ſæculorum ſummi Pontifices Martyres in ſuis viciſſim ordinationibus conſecrabant Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos: Sed ſic diſtinguere Miniſtros ex Divina & Apoſtolica traditione habebant; igitur Presbyteri, ut Miniſtri Eccleſiæ ſunt de jure divino, quod abſque negotio colligitur ex Apoſt. 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei;* quæ quidem verba ad omnem dirigebat Clerum.

Tertia: Diaconi ſunt de jure divino propter miniſterium: Igitur & a fortiori Parochi, ut Eccleſiæ Miniſtri.

Quarta: Eſt de fide dari in Eccleſia Hierarchiam, quæ ordinationem quamdam Miniſtrorum importat, ut ait Dionyſius in toto libro de Eccleſiaſtica Hierarchia: Sed ex eodem ſub Epiſcopo ſummo Sacerdote duplicis generis ſunt Miniſtri ipſi ſubordinati ad operationes Hierarchicas, videlicet Diaconus ad quem ſpectat purgare evangelizando, Presbyter vero purgat & illuminat per Sacramenta & regimine ut paſcat oves ſibi commiſ-

ſas,

ſas, tum ſupra eos imminet Hierarcha, videlicet Epiſcopus: Ergo &c.

Quinta: Chriſtus eo fine miſit Apoſtolos in omnem terram, ut evangelizarent & baptizarent gentes: Sed ad hæc munia obeunda Miniſtris abſolute opus habebant, inter quos priores annumerantur Presbyteri: Igitur Sacerdotes ſimplices quibus incumbit curam animarum habere, ſunt de jure divino.

CONCLUSIO SECUDA.

Parochi certo cuidam loco irrevocabiliter affixi cum titulo, ſub hoc reſpectu ſunt ſolum de jure Eccleſiaſtico.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura Sacra.

QUOTIESCUMQUE Scriptura ſacra loquitur de Paſtoribus Eccleſiæ, primum Apoſtolos, deinde Epiſcopos, tum Presbyteros & Diaconos commemorat: Sed nullibi mentionem facit de Parochis inamovibilibus & irrevocabilibus: Igitur Parochi reduplicative ut inamovibiles non ſunt de jure divino.

Confirmatur: Equidem commemorat ſeptuaginta Diſcipulos: Sed eoſdem modo ad unum, modo ad alterum locum tranſire deſcribit: ſic enim habetur Luc. 10. *Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum quo erat ipſe venturus*: Igitur ad certum locum non erant irrevocabiliter affixi.

Hunc locum venerabilis Beda L. 3. cap. 10. ſic interpretatur: " Poſt hæc deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, ſicut duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul & præmonſtrare, nemo eſt qui dubitet: Sic & hos ſeptuaginta duos figuram Presbyterorum, id eſt, ſecundi ordinis Sacerdotum geſſiſſe ſciendum eſt. " Audis ſanctum illum Doctorem non niſi de Sacerdotibus in genere loqui, ut ſunt Eccleſiæ Miniſtri, & ipſi famulantur, nuſquam vero de Parochis ut a locis irrevocabilibus.

Theodulphus Aurelianenſis Præſul in ſuo Capitulario cap. 1. ſuæ Diœceſeos omnes indiſcriminatim ſic alloquitur Presbyteros: " Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum, & pene conjunctum eſſe. Sicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirum Presbyteri ceterorum Diſcipulorum Domini vicem tenent; & illi tenent gradum ſummi Pontificis Aaron, iſti vero filiorum ejus; unde oportet vos ſemper memores eſſe tantæ dignitatis, memores veſtræ conſecrationis, memores Sacræ quam in manibus ſuſcepiſtis unctionis. " Rurſus & cap. 10. Nemo autem non novit filios Aaron quibus comparat Sacerdotes fuiſſe pro officiis amovibiles. Igitur Theodulphus non loquitur de Parochis irrevocabilibus.

Eandem præbet explicationem Concilium Toletanum 2. in ſua Synodali epiſtola, ubi ait, eatenus Presbyteros loco Septuaginta fuiſſe ſuffectos, quatenus juxta neceſſitatis exigentiam ſub Epiſcoporum Ordinatione Dei Eccleſiæ famulantur: " Revolvatur, *inquit*, manibus veſtris, Presbyteri, ſanctiſſimus Numeri liber, in quo veſtri officii in ſeptuaginta ſeniorum perſonis auſpicatus eſt honor, & invenietis quorum negotiorum vobis prærogativa conceſſit; adjutores ſuos Dominus noſtri laboris ſecundo dignitatis gradu eſſe voluit .... Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare & baptizare ... tales eſſe ſtudeatis in adjutorium Moyſi, & duodecim Apoſtolorum, Epiſcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moyſen & Apoſtolos figurantur digne per gratiam Dei eligi valeatis .... Itaque, filii dilectiſſimi, quos ad noſtrum adjutorium, fratrum noſtrorum ſuffragium conſecrandos elegit ... quapropter infirmitati quoque, quæſumus, hæc adjumenta largire, innova in viſceribus eurum ſpiritum ſanctitatis, ut acceptum a te ſecundi meriti pondus obtineant .... ſint providi cooperatores ordinis noſtri. "

Ex his verbis, luce pomeridiana clarius apparet, Presbyteros eo ſolum fine fuiſſe inſtitutos, ut ad nutum Epiſcoporum, & ſub eorum directione tum in ſacris ſacramentis adminiſtrandis, tum in diſſeminando Dei verbo inſerviant. Sic propugnat Vaneſpen p. 1. cap. 1. de inſtitut. & offic. Canonic. neque aliter Septuaginta miniſterio ſubrogari.

Secundo, ex Conciliis.

PRIMO: Præter Toletanum laudatum, Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 10. expreſſe declarat Epiſcopos ex omnibus Presbyteris quoſcumque voluerit tamquam ſuos Coadjutores tum ad ſacramenta conferenda, tum ad diſſeminandum Dei verbum, poſſe eligere. Neque vero reponendum eſt ibi Parochos excludi: tum quia abſque limite loquitur de quibuſcumque Presbyteris; tum quia tunc temporis nullus Parochus titulum habebat, adeoque non erat a loco inamovibilis: quandoquidem ipſis providere volentibus ſtatuit ut proprio Parochiæ Rectori Fideles ſua deponerent peccata, ut ipſis ad vitam fovendam decimas ſolverent.

Secundo: Synodus Tridentina Seſſ. 23. can. 7. declarat Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores: Sed in hoc affulget iſta ſuperioritas, ut omnes ne uno quidem excepto, circa miniſterium ſubordinentur Epiſcopo, & ab ipſo dependeant. Igitur non poſſunt dici de jure divino irrevocabiles.

Tertio: Alia Concilia eamdem propugnant ſententiam, nec ullum reperies qui alio modo loquatur de Parochis in individuo: hinc ſi his temporibus in Gallia comperiantur, qui ut plurimum irrevocabiles ſint, ſeu inamovibiles, de jure humano hoc factum fuiſſe citra dubium eſt.

Tertio, ex Theologis.

QUOD Theologi omni exceptione majores propugnant, fruſtra revocatur in dubium: Atqui propugnant omnes Presbyteros Epiſcopis eſſe ſubordinatos, ut ad eorum nutum inſerviant Eccleſiæ; nullus vero eos de jure divino affirmat eſſe niſi ut Miniſtros ad nutum ſub Epiſcoporum directione inſervientes: Et probatur. Primus in teſtimonium venit S. Thomas, qui 3. p. q. 67. art. 2. quærit; *Utrum baptizare pertineat ad officium Presbyterorum*: cui quæſtioni ſic reſpondet ad 2. " Baptizare pertinet ad minores Principes Eccleſiæ, id eſt, ad Presbyteros, qui tenent locum ſeptuaginta Diſcipulorum Chriſti, ut dicit Gloſſa Luc. 10. „ Hoc eſt, ut ipſe dicit, dependenter ab Epiſcopis.

Expreſſius in opere de vita ſpirituali ex profeſſo docet ſolos Epiſcopos eſſe primo & principales Paſtores pro animarum regimine, Presbyteros vero, & Parochos, nonniſi dependenter ab eis & ad eorum voluntatem, cui concinit Sylvius ad art. 8. concl. 2. & hoc tamquam eorum in miniſterio inſtrumenta: " Soli Epiſcopi, *ait ſanctus Doctor*, primo & principaliter ſunt Paſtores, & habent curam animarum ſuæ Diæceſis. Presbyteri autem Curati, vel etiam Archidiaconi habent aliquas ſubminiſtrationes ſub Epiſcopis, ideoque non habent curam animarum principaliter, ſed minus principaliter, tamquam venientes in ſubſidium Epiſcoporum, quo fit quod ita ſe habeant ad Epiſcopos, ſicut locorum Gubernatores & Balivi ſe habent ad Reges & Principes; & propterea ſicut in mundanis ſoli Reges vel abſoluti Principes, qui ſunt inſtar Regum ſolemnem benedictionem accipiunt; alii vero per ſimplicem commiſſionem inſtituuntur; ita in Eccleſia ſoli Epiſcopi animarum curam ſuſcipiunt cum ſolemni benedictione, quod eſt ipſorum Epiſcopalis conſecratio. Alii autem earum quæ ſibi committuntur animarum curam accipiunt, abſque ulla ſolemnitate per ſimplicem injunctionem ſeu commiſſionem officii Paſtoralis. „ Audis ſanctum Thomam propugnare nedum Presbyteros, ſed & ipſos Curatos per omnia ſubjici Epiſcopis, quantum ad officia Eccleſiaſtica. Ergo &c.

Hoc ipſum declarat Pontificale Rom. in ordin. Sacerdotum, ubi eos ſic alloquitur Epiſcopus: " Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, baptizare .... tales eſſe ſtudeatis in adjutorium Moyſi & duodecim Apoſtolorum, Epiſcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moyſen & Apoſtolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis.. itaque filii dilectiſſimi quos ad noſtrum adjutorium, fratrum noſtrorum ſuffragium conſecrandos elegit ... quapropter infirmitati quoque quæſumus, hæc adjumenta largire.... innova in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis, ut acceptum a te ſecundi meriti pondus obtineant ... ſint providi cooperatores ordinis noſtri. „ Igitur nonniſi ad nutum Epiſcopi cuncti Sacerdotes famulantur Eccleſiæ, nec hoc de jure divino & irrevo-

revocabiliter ad certum locum habent".

Suffragatur R. P. Thomaſſinus ibidem p. 1. Diſcip. Eccleſ. L. 2. cap. 24. n. 6. ubi ait poteſtatem Parochorum mediate ab Epiſcopis promanare, illis quidem comparari ſolum quoad ſacramentorum adminiſtrationem, & Septuaginta eis præeminere, eo quod immediate a Chriſto miſſionem & prædicandi poteſtatem acceperint, ſecus vero Parochos: " Quibus, *inquit*, illud complacuit, ut divino " jure nitatur Parochorum auctoritas his " Patrum ſententiis doctrinam ſuam a" ſtruere potuerunt: ab ipſomet enim " Chriſto, & tota poteſtate ſui ordinis ſa" cra inſtructi, & ad prædicandum miſſi " ſunt Diſcipuli; at non tam perſpicue de" monſtrari poteſt, & adminiſtrationem " Sacramentorum, & clavium poteſtatem " eis a Chriſto immediare traditam fuiſſe, " quam prædicandi Provinciam evidentiſſi" me textus ipſe evangelicus edocet, non " eſſe delegatam a Chriſto ipſam poteſta" tem clavium niſi Petro & Apoſtolis. Ab " ipſis ergo, & miſſi, & neceſſariis man" datis inſtructi poſtea fuere Diſcipuli, quo " huc illucque per orbem ſparſi fundarent " Eccleſias & gubernarent. "

Quæ quidem omnia & ſimilia clare demonſtrant Parochos in eo ſenſu ſpectatos quo immobiles & irrevocabiles ſunt, nullo modo de jure divino eſſe.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Uſus obtinuit ab ipſa vagiente Eccleſia Presbyteros quoſcumque dependenter ab Epiſcopis, & ad eorum voluntatem altaribus inſervire: Sed traditio Apoſtolica in omnibus & ab omnibus ſervanda eſt. Igitur Parochi ſpectati ſecundum ſe, & ut ad certum locum affixi, non ſunt de jure divino. Probatur major in qua ſola poſſet eſſe difficultas, per ſingulas ætates.

Primo quidem: Tempore Apoſtolorum nihil erat, ſi Diaconorum officia excipias, determinatum: Sed omnia erant communia, tum Presbyteri modo ad unum, modo ad alterum locum cum Epiſcopis ibant, & ſicut iſti aliquo tempore in una civitate commorabantur, ſic & illi: Igitur ne quidem loci determinati ſpecies affulget aliqua. De ſolis Epiſcopis legitur ſedem ſuam alicubi fixiſſe, ut inde tamquam duces, Miniſtros ad propagandam fidem mitterent: Sic S. Petrus primum ſedit Antiochiæ, tum Romæ; Marcus Alexandriæ, Ignatius poſt diceſſum Petri, Antiochiæ.

Secundo: A primo ſæculo uſque ad quartum, ſcilicet ad Conſtantinum uſque, non erat pro ipſius Eccleſiæ Præſulibus certa ſedes, a fortiori nulla pro ſimplici Sacerdote ad Parochiam deſerviendam, cum toto iſto tempore ſævirent in Chriſtianos Imperatores Idololatræ, maxime in Paſtores, ut ipſis immani ſuppliciorum pondere hinc inde diſperſis, diſpergerentur & gregis oves. Hinc auctores Eccleſiaſtici, qui iſtarum ætatum texuerunt hiſtoriam, ſolos ſummos Pontifices, & Epiſcopos commemorant, ſilent vero Parochos.

Tertio: Creſcente ſubſequentibus ſæculis Eccleſia, crevit quoque ſacrorum Miniſtrorum copia; ita tamen quod non niſi ad nutum Epiſcopi, modo in uno, modo in altero loco Eccleſiæ famularentur; ſolus quippe Epiſcopus erat ſimul Paſtor, & omnium Canonicorum ac totius civitatis Parochus, qui quandoque ex Canonicis, quandoque etiam ex regularibus quoſdam ſeligebat, quos mittebat in villas; tunc enim puſillus erat admodum ſimplicium Sacerdotum numerus. Tum ipſis multiplicatis, in varia diſtributi ſunt loca, ſed ut ſubordinati, vel ipſis Canonicis & regularibus, ab Epiſcopis primum poſitis; hinc fidelibus, ut Vicarii miniſtrabant Sacramenta, & verbum Dei diſſeminabant: Inde, ut quidam autumant, ſicut Cathedrales Eccleſiæ, ſic & regulares jus primitivi Curati ſeu Eccleſiæ Rectoris cum decimis ſibi ſervare pro virili egerunt: non negamus tamen tum Curatos fuiſſe etiam in multis pagis ſolis Epiſcopis ſubordinatos, qui nomen Parochorum obtinebant.

Quarto: Vel ipſi Curati tempore Concilii Lateranenſis ſub Innocentio tertio titulum certum non habebant, ſed fideles ſolvebant decimas Sacerdoti qui ſuas audiebat Confeſſiones: Quia vero ex iſto more multi ad vitam ſuſtentandam neceſſaria vix habebant, ſtatuit Concilium ut unuſquiſque villæ, aut civitatis Parocho ſuo deponeret peccata, tum & neceſſaria ei ſuppeditaret; & hoc abſque juris epiſcopalis diſpendio, ut eo loci omnium argumentorum genere probavimus: Igitur ſecun-

ſecundum veterem diſciplinam Parochi non erant certo loco ita affixi, ut ab eo Epiſcopus nec eos divellere, nec in alium transferre poſſet.

Quinto: Noſtris etiam temporibus Parœciarum Rectores a ſuo loco moveri poſſunt, nec unum eſt de hoc momento argumentum. Epiſcopi una cum ſuperioribus regularium qui Beneficia Curata habent, juſtis de cauſis ipſos quandoque amovent: vidimus oculis noſtris quamdam Parœciam prope civitatem Decizienſem, vulgo S. Mauricii nuncupatam, ab uno e noſtris ſub titulo Curati adminiſtratam amovibili ad nutum Superiorum, & annuente Epiſcopo, ſed modo unum, modo elapſis aliquibus annis alterum, nulla alia interveniente cauſa, niſi Superiorum voluntate, pro Parocho habuiſſe. Igitur Parochi, ut ad certum locum cum titulo addicti, non ſunt de jure divino.

Altera ratio ſic procedit. Illi non ſunt ex jure divino indivulſi alicujus loci Paſtores, qui ſunt Epiſcopis inferiores, & Miniſtri ipſis ſubordinati: Atqui res ſic ſe habet: Et probatur variis momentis. Primo, ex his quæ ſupra diximus de Epiſcoporum, ſupra omnes Sacerdotes ſimplices Eminentia, quæ quidem ſuperioritas vix alias affulgeret; ſi ſicut Epiſcopi, ſic & Curati eſſent de jure divino. 2. Haberent juriſdictionem in oves independentem, adeoque juriſdictioni Epiſcopali parem, maxime cum nonnulli multo plures habeant oves quam quidam Epiſcopi; nam Præſules pro partibus Infidelium nullis certis præſunt: Tum Epiſcopus Bethlemicus apud Nivernenſes non habet pro Diocœſi niſi Clamentiaci ſuburbium. 3. Ipſi Epiſcopi non poſſent niſi dependenter ab illis alios coadjutores ſibi aſſumere pro ovibus ſuis debite, & efficaciter paſcendis, cum nulla ſit quæ proprium non habeat Parochum: Sed hæc non ſunt admittenda, & contra Concilium Tridentinum, quod Seſſ. 23. can. 7. de fide definit, Epiſcopos eſſe ſimplicibus Sacerdot. ſuperiores. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 10. ſic loquitur: " Tam in Cathedralibus, quam in aliis conventua-
„ libus Eccleſiis viros idoneos ordinari,
„ quos Epiſcopi poſſint coadjutores, &
„ cooperatores habere, non ſolum in prædi-
„ cationis officio, verum etiam in audien-
„ dis confeſſionibus. „ Ergo &c.

Tertio: Quod eſt de jure divino, ubi agitur de regimine Eccleſiæ, tum in Scripturis, tum in traditione Patrum commemoratur, & in praxi exhibetur: Atqui de Parochis ad unum locum determinatis, & independenter ab Epiſcoporum nutu, nulla fit in Scripturis mentio, nulla apud SS. Patres. Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem, in Epiſtolis beati Pauli, & in Lib. Apocal. fit ſolum mentio de Epiſcopis, qui citra dubium ſunt de jure divino, deinde de ſolis Eccleſiis conſiſtentibus in magnis civitatibus. Secundo SS. Ignatius & Cyprianus ſuas Epiſtolas ſolummodo, ad principalium urbium Epiſcopos dirigunt. Ibi de Presbyteris quidem & Diaconis loquuntur, ſed ut invicem ſibi conſociatis, maxime vero Epiſcopo unitis, qui in omnibus Eccleſiaſticis conventibus præſidebat. Sic colligitur ex S. Juſtino Apolog. 2. ubi clare aſſerit ſingulis diebus Dominicis fideles, tum ruris, tum civitatis in unum convenire locum, Epiſcopum vero, aſtantibus omnibus, libare ſacrificium, tum ſacram Euchariſtiam miniſtrare præſentibus, ad abſentes vero, modo per Diaconos, modo etiam per Acolythos mittere.

Eadem diſciplina ex canone 32. Apoſtolorum colligitur, quo quidem præcipitur Clericos abſque Epiſcopo adunatos tamquam ſchiſmaticos habendos eſſe. Quod nec levius indigitat Innocent. I. cap. 5. in ſua ad Decentium epiſtola; quippe qui dicat omnes & ſingulas Eccleſias ab urbe Roma dependentes intra civitatis terminos concludi; ſubdit vero pro more tunc ſui ſſe poſitum ſacram Euchariſtiam per Acolythos mitti ad Presbyteros alicujus Eccleſiæ ad nutum titulares, qui non adfuerant ſacrificio per Præſulem oblato. Et hoc quidem ut pignus eorum cum Epiſcopo unionis. Ex quo quidem liquet ſicut ceteros fideles laicos, ſic & Presbyteros titulares conveniſſe in Eccleſiam, ubi præſidebat Epiſcopus, ut Miſſæ ab eo celebratæ aſſiſterent & divinis participarent myſteriis. Ecce verba: " De fer-
„ mento vero, quod die Dominica per ti-
„ tulos mittimus, ſuperflue nos conſulere
„ voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ
„ intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum
„ Presbyteri; quia die ipſa propter ple-
„ bem ſibi creditam, nobiſcum convenire
„ non poſſunt, idcirco fermentum, a

„ no-

„ nobis confectum, per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die, non judicent ſeparatos. „

Fidenter dicam ne quidem ullum, niſi quarto circiter ſæculo appáruiſſe Parochiarum veſtigium, maxime in Alexandrina Eccleſia, cujus rei argumentum, quod vel ipſis Diaconis plebis catholicæ regimen committeretur, juxta illud Concilii Illiberitani can. 77. " Si quis Diaconus regens plebem &c. „ Quinimmo diebus ſolemnioribus in Eccleſia Alexandrina Curati a celebranda Miſſa abſtinebant, & una cum populo in Eccleſia adunati audiebant Liturgiam ab Epiſcopo celebratam, ut patet ex Apologia 2. ſancti Athanaſii, tum ex epiſtola 81. S. Leonis ad Dioſcorum Alexandrinum.

Hoc poteſt illuſtrari variis exemplis. Primo quidem S. Ambroſii, qui ſolus, ſicut alii Epiſcopi, Baptiſmum ritu ſolemni adminiſtrabat: tum Clericorum Eccleſiæ Edeſſenæ, qui ea qua par eſt reverentia, Patres Concilii Chalcedonenſis deprecati ſunt, quatenus Ibam ſuum Epiſcopum remittere dignarentur ut Catechumenorum inſtructioni vacaret, tum & eis ſacrum conferret lavacrum.

Neque vero functiones Paſtorales Epiſcoporum ad tingendum dumtaxat Catechumenos ſe ſe extendebant, verum etiam & ad verbum Dei diſſeminandum; tum & ad pœnitentes in confeſſione audiendos vacabant: ſic teſtatur Thomaſſinus L. 2. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ num. 12. ubi de hoc momento ſic loquitur: " Illius enim felicis & vere aurei ævi Concilia & reliqua ſcriptorum monumenta teſtatum faciunt, tunc Presbyteros nec prædicaſſe, nec baptizaſſe, nec reconciliaſſe pœnitentes, nec rem divinam peregiſſe, niſi abſente vel jubente Epiſcopo, qui tunc ſacra munera plerumque unus exequebatur. „ Igitur ex his omnibus abſque negotio concluditur Parochos tunc temporis non ſuiſſe ad certum locum immutabiliter affixos, ſed per omnia ſuiſſe ab Epiſcopis dependentes.

Reſpondetur Objectionibus contra ſecundam Concluſionem.

OBJICIES: Quod in Scriptura ſacra fundatur, dubio procul de inſtitutione divina agnoſcendum eſt: Atqui Parœciarum Rectores ſuam habent in Scriptura inſtitutionem: Et probatur. Primo quidem de eis non ſemel fit mentio in epiſtola tum ad Timoth. tum ad Titum. Secundo, quia Apoſtolus potiſſimum injunxit Tito, ut per civitates conſtitueret Presbyteros: Quos? niſi Parochos; Cum non omnes indiſcriminatim Sacerdotes velit in urbibus conſtitui, ſed tales qui præeſſent Clero, & gregi invigilarent; quandoquidem, vel ipſi Apoſtoli & eorum Diſcipuli in uno loco permanere non poterant. Tertio, eodem modo loquitur S. Paulus de Presbyteris ac de Epiſcopis, nec iſtis illos aſſimilare non dubitat Hieronymus, quod argumentum eſt Apoſtolum ſermonem inſtituere de Presbyteris inamovibilibus, quippe qui eos civitatum Paſtores eſſe velit. Ergò &c.

Reſpondeo pimo ſic diſtinguendo: Et hæc omnia unum dumtaxat probant, videlicet Parochos eſſe de inſtitutione divina ratione characteris & poteſtatis, circa corpus Chriſti verum & myſticum, concedo: ratione inamovibilitatis, nego. Non abs re erit hic breviter controverſiæ punctum texere, ut cito citus appareat argumenta in contrarium non niſi æquivoco fundari. Poteſt igitur Parochus multis modis ſpectari. 1. Quidem ratione characteris & poteſtatis Sacerdotalis. 2. Ut Miniſter Eccleſiæ Epiſcopo ſubordinatus ad quodcumque officium ſubeundum. 3. Ut Sacerdos ad unum locum determinatus cum quibuſdam annexis bonis pro vita ſuſtentanda, quod vocatur titulus. Certum eſt Parochum primo & ſecundo modo conſideratum, eſſe de jure divino, cum Chriſtus inſtituerit Sacerdotes his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: Habemus etiam ex Apoſtolo quoſdam Sacerdotes per civitates conſtitutos fuiſſe gregis Dominici Paſtores, nuſquam vero tertio modo. Equidem creſcente fidelium numero, cœperunt Eccleſiæ Præſules extra urbem in villis Parochias ſtabilire, in quibus Sacerdotes veluti ſuos Vicarios conſtituebant, cum antea non niſi in civitate erat Paſtor, qui unam habebat Parochiam, ſcilicet Eccleſiam Cathedralem, qui per omnia præerat, quique tamquam ſolus Paſtor & baptizabat, & verbum Dei diſſeminabat, & Sacramenta conferebat; quandoque tamen pro ut expoſtulabat neceſſitas, utebatur Sacerdotibus ad iſta munia ſubeunda. Parochi

rochi ad villas miſſi & determinati ſic habebant quemdam titulum in genere, non tamen omnibus determinatum modis, eum eſſent potius Præſulum Vicarii, quam Parochiarum Rectores: tandem de die in diem, & veluti in immenſum Eccleſia ſeſe extendente, Concilia quoſdam condidere canones, quibus Sacerdotes ad unum, aut alterum locum inamovibiliter affixerunt, ſic cuncta Eccleſiæ monumenta referunt; ex quibus liquet Parochos inamovibiles non eſſe niſi de inſtitutione Eccleſiaſtica.

Reſpondeo ſecundo negando minorem. Ad primam probationem diſtinguo: Et in Scripturis ſermo habetur de Parochis ab Epiſcopis ad nutum amovibilibus, concedo: ſecus, nego.

Ad ſecundam ſimiliter diſtinguo: Apoſtolus præcepit diſcipulo, ut conſtitueret per civitates Presbyteros Eccleſiæ ſimulantes ad nutum Epiſcopi, concedo: poteſtate ſibi avita & iudependenti, nego.

Ad tertiam, utique diſtinguo: Eodem modo loquitur de Presbyteris ac de Epiſcopis quoad aliquid, ſcilicet ratione characteris & poteſtatis circa corpus Chriſti verum, concedo: Quoad poteſtatem circa corpus Chriſti myſticum, nego. Quandoquidem ab ipſis Præſulibus accipiebant & juriſdictionem & miſſionem. Si quando vero contingat Apoſtolum per omnia aſſimilare Sacerdotes Epiſcopis, tunc ſermonem dirigit ad Presbyteros qui ſimul erant Epiſcopi & primi generis Sacerdotes. Ad inſtantiam ex Hieronymo petitam factum eſt ſatis ſupra.

Inſtabis: Atqui Parochi ad certa loca determinati, ſunt de jure divino: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Prioribus ſæculis jam titulos habebant Sacerdotales; ſic enim legitur in vita S. Marcelli ex Lib. Pontificali Damaſi Papæ, & refertur apud Binium Tom. 1. Concil. pag. 232. his verbis: " Hic fecit cœmeterium via Salaria „ & viginti quinque titulos in urbe Roma „ conſtituit. „ Sed nomine Parochi inamovibilis nihil aliud intelligitur, quam Sacerdos habens titulum: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: S. Marcellus viginti quinque titulos velut totidem Diœceſes quibus præeſſent Epiſcopi, inſtituit, concedo: veluti Parochias quibus Presbyteri inamovibiliter præeſſent, nego; ait enim immediate poſt verba in objectione laudata: " Conſtituit quaſi Diœceſes propter Baptiſmum & pœnitentiam multorum qui convertebantur ex Paganis, „ & propter ſepulturas Martyrum. „ Quod enim ibi conſtituerit Epiſcopos, quos poſtea alio mitteret, & quibus Presbyteri ſubditi eſſent, declarant ſubſequentia verba: " Hic ordinavit viginti quinque Presbyteros in urbe Roma, & duos „ Diaconos per menſem Decembrem, Epiſcopos per diverſa loca viginti unum. „ Ceterum quod non poſſit dici Presbyteros fuiſſe pro iſtis titulis conſtitutos, ex eo maxime patet, quod ſolus ſummus Pontifex, ut Papa, Patriarcha & Epiſcopus Romæ ſedebat ad gubernandam, tum particularem iſtam Eccleſiam, tum & ad univerſalem regendam per Epiſcopos & Presbyteros, quos ubique ad propagandam fidem mittebat.

Reponet: Parochi ſeptuaginta Diſcipulis ſuccedunt: Igitur ſunt ex jure divino immediate & conſequenter inamovibiles.

Reſpondeo diſtinguendo: Succedunt ſeptuaginta ut miniſtri Epiſcopis ſubordinati, concedo: ſecus, nego. Non alio modo, ut jam dictum eſt in probationibus, ſuccedunt ſeptuaginta Diſcipulis, nuſquam vero ut inamovibiles; ſin-minus dicendum eſt ſeptuaginta Diſcipulos non habuiſſe ſucceſſores, cum non niſi, elapſo quatto ſæculo, Sacerdotes habere titulos cœperint. Sed eſto quod illis ſucceſſerint, ex hoc manifeſte ſequitur quod ſicut Diſcipuli ad nutum Apoſtolorum modo in uno, modo in altero loco Eccleſiæ inſervirent, ſic & dicendum eſt de Parochis. Hanc ſeptuaginta ab Apoſtolis dependentiam manifeſte explicat ſanctus Lucas cap. 10. ubi dicit Diſcipulos, non Parochos inamovibiles, ſed Miſſionarios habuiſſe ſucceſſores. *Poſt hæc deſignavit & alios ſeptuaginta, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus .... Ite .... Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos: in quamcumque domum intraveritis ... In quamcumque civitatem intraveritis &c.* Quæ quidem miſſio ad nutum in diverſa loca, & hoc fateantur Parochi, non ipſis convenit, cum ſe titulares inamovibiles ventilent.

Reſpondeo ſecundo aliter diſtinguendo: Parochi ſuccedunt Septuaginta, & ſunt de jure

ure divino mediate, concedo: immediate, nego. Eatenus dicuntur eſſe de inſtitutione divina, quatenus Presbyteratus in Epiſcopatu concluditur; cum enim opus habeat Epiſcopus Miniſtris, Dominus Jeſus inſtituendo Epiſcopos, inſtituit & conſequenter Presbyteros, ut miniſtros ipſis ad nutum ſubordinatos. Solutio eſt Petri Aurelii, maxime vero Thomaſſini Lib. de diſciplina Eccleſiaſtica. Parte 1. cap. 26. his verbis: " Sed quod
,, ad Parochorum Collegium attinet,
,, idem præſtantiſſime P. Aurelius opta-
,, tiſſimum nobis videtur temperamentum
,, excogitaſſe, quo fiat ut delicatas homi-
,, num aures non offendamus, nec ob-
,, ſtrepamus Epiſcoporum majeſtati, nec
,, ampliſſimæ dignitati Parochorum &c.
,, Conſultiſſimus enim hic Theologus Apo-
,, logiam texens cenſuræ cujuſdam Theo-
,, logorum Pariſienſium circa quæſtiones
,, has ipſas; cum præfatus eſſet veriſimilli-
,, mum eſſe Parochum divina ex in-
,, ſtitutione proficiſci, ſi Parochorum mu-
,, nus divinæ inſtitutionis eſt, quod cer-
,, te probabiliſſimum eſt; ſubjicit, id ſal-
,, tem conſtare Parochorum officium di-
,, vinæ in tantum Originis & inſtitutio-
,, eſſe, in quantum in Epiſcopatu includi-
,, tur, ut in fonte & in plenitudine Sa-
,, cerdotii, ex qua manant Parochi, ut a
,, fonte rivuli, cujus, decurſus latiſſime, &
,, ſine detrimento ſui effunditur: non
,, aliter quam Spiritus ſancti exuberavit
,, plenitudo in ſeptuaginta Seniores,
,, quos in ſubſidium Moyſi Deus adoptabat,
,, nihil damni patiente Moyſe .... Ita ea-
,, dem Epiſcoporum auctoritas eſt, & Pa-
,, rochorum, divinaque prorſus, quia ipſa-
,, met eadem eſt quæ Chriſti; Parochorum
,, officium ſi minus inſtitutionis divinæ in
,, ſe eſt, ait Petrus Aurelius, adeſt in E-
,, piſcopo; quia in Epiſcopo incluſum a
,, Chriſto eſt, ut in fonte, ac plenitudine
,, Eccleſiaſticæ, & Hierarchicæ poteſta-
,, tis, cujus Parochialis poteſtas eſt reſi-
,, dua pars, ab Epiſcopo in Parochum, ut
,, a fonte in rivum transfuſa, ſine detri-
,, mento, aut imminutione, eo modo quo
,, res ſpirituales transferuntur, & com-
,, municantur, ut ſeptuaginta Senioribus
,, Moyſi Spiritu imbutis. ,,

Inſiſtes: Inde ſequeretur Parochos nihil habere aliud ſupra Archidiaconos, Pœnitentiarios, Officiales, Vicarios generales, ceteroſque Miniſtros, quos ſibi Epiſcopus pro coadjutoribus ſibi conjungit: Sed abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo: Quoad originem & inſtitutionem, concedo: quoad titulum ſubdiſtinguo; ex jure divino, concedo: ex jure Eccleſiaſtico, nego. Et ſic diſtincta minore nego conſequentiam. Ex jure divino Parochi nihil habent ſupra laudatos Miniſtros, ſed tantum ex jure Eccleſiaſtico, ut non ſemel diximus. Sic propugnat Thomaſſinus ibid. parte 1. Lib. 2. cap. 26. ubi diſtinctione facta de inſtitutione divina immediata, & mediata, primum dicit Parochos eſſe de jure divino mediate, quatenus Presbyteratus includitur in Epiſcopatu, tum ſic proſequitur: " Quod intuens Apoſtolus,
,, omnes generatim regum miniſtros &
,, ipſos reges, eorumque poteſtates ſub
,, uno præcepto complexus eſt, ſimul de
,, utriſque pronuntians: non eſt enim
,, poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt,
,, a Deo ordinatæ ſunt. Quod eadem ra-
,, tione ad Miniſtros Epiſcoporum transfe-
,, rendum, ex ſententia quæ officia Ec-
,, cleſiaſtica minora Epiſcopo a Chriſto
,, ipſo ſeorſim inſtituta eſſe negat. Ita
,, enim omnis omnium miniſtrorum pote-
,, ſtas Epiſcopis eſt ipſo a Deo data, ab
,, eo aliis commodata; adeoque in quoſ-
,, cumque devenerit, ſive in Parochos,
,, ſive in Archidiaconos alioſve Mini-
,, ſtros Epiſcopales, eadem eſt, ejuſdem-
,, que naturæ, inſtitutionis; ac poteſtas
,, ipſa Epiſcopalis ab ea differt, niſi fluxu
,, & emanatione & plenitudine prorſus,
,, ut rivus a fonte, ut pars potentialis a
,, toto. Unde cum officium Parochiale
,, nihil ſit aliud quam Parochialis, & hæc
,, ſit pars Epiſcopalis poteſtatis divinitus
,, inſtitutæ, ſequitur Parochorum officium
,, eſſe inſtitutionis divinæ, & a Chriſto
,, ipſo immediate inſtitutum, ſi minus
,, ſeorſum, & diviſim, at conjunctim in
,, officio ſeu poteſtate Epiſcopali, ut in mi-
,, niſterii Eccleſiaſtici totalitate, idemque
,, de omni ejusmodi Eccleſiaſticis officiis
,, Epiſcopo minoribus dicendum eſt. ,,

S. Thomas opuſculo de vita ſpirituali idem dicit, nec vult Parochos alio modo eſſe de inſtitutione divina, quam ratione Epiſcopatus, in quo Presbyteratus concluditur; hinc aſſerit Presbyteros ſe habere ad Epiſcopos, ſicut Balivi ſe habent ad

Reges

Reges & Principes, adeoque Epiſcopis ſemper ſubordinatos, & ut ſic ſpectatos, nihil ſupra Archidiaconos, & ceteros Miniſtros habere: ex quibus liquet dignitatem titularem inamovibilem quam gloriantur ſe habere, ab inſtitutione Eccleſiaſtica profluere.

Replicabis: Multi Doctores in Sorbona adunati Decretum emiſerunt, quo decernunt de fide eſſe Parochos habere inſtitutionem divinam: variiſque innituntur auctoritatibus. Primo Concilii Trid. quod Seſſ. 23. can. 6. ſic deffinit: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam; anathema ſit.* Secundo Patrum, quorum per modum cumuli aggerunt auctoritates, in libro qui inſcribitur Cenſura ſacræ Facultatis Theol. Pariſienſis in librum cui titulus eſt: Defenſio auctoritatis D. N. S. P. noſtrum DD. Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Miniſterii Religioſorum mendicantium contra iſtius temporis errores, auctore Jacobo de Vernant. Metis anno 1654. Cenſura vero Pariſiis juris publici facta eſt anno 1665. tum in probationem, multorum Theologorum ſuffragia attollunt: Ergo &c.

Reſpondeo primo: Et eorum cenſura non alium ſubit ſenſum, quam de inſtitutione divina mediate Parochos eſſe, concedo: immediate, nego. Ne hoc intelligeretur, immediate poſt P. Aurelius Doctor Sorbon. in ſua pro hac cenſura Sorbonæ Apologia, ait non alium ſubire ſenſum, quam Parochos eſſe de inſtitutione divina mediata juxta explicationes ſuperiores, ſic & Thomaſſinus una cum eo propugnat parte prima diſciplinæ Eccleſiaſticæ Lib. 2. cap. 26. num. 5. his verbis: " Conſultiſſimus enim „ hic Theologus *P. Aurelius* Apologiam „ texens cenſuræ cujuſdam Theologorum „ Pariſienſium circa quaſtiones has ipſas .... Subjicit id ſaltem conſtare Parochorum officium divinæ in tantum „ originis & inſtitutionis eſſe, in quantum in Epiſcopatu includitur, ut in fonte &c. „ Immo idem Thomaſſinus contendit Parochos eſſe de inſtitutione divina ſolum ratione characteris & poteſtatis circa corpus Chriſti verum, ibid. Lib. 2. c. 24. num. 6. tametſi alias defendat Parochos eſſe de jure divino.

Sed quomodo? audias velim ſic ſcribentem. " Quibus illud complacuit, ut divino jure nitatur Parochorum auctoritas, his Patrum ſententiis doctrinam „ ſuam aſtruere potuerunt. Ab ipſomet „ enim Chriſto & tota poteſtate ſui Ordinis „ ſacra inſtructi, & ad prædicandum miſſit ſunt Diſcipuli, at non tam perſpicue „ demonſtrari poteſt, & adminiſtrationem „ Sacramentorum, & clavium poteſtatem „ eis a Chriſto immediate traditam fuiſſe; quam prædicandi Provinciam evidentiſſime textus ipſe Evangelicus edocet non eſſe delegatam a Chriſto ipſo „ poteſtatem clavium niſi Petro & Apoſtolis. Ab ipſis ergo & miſſi, & neceſſariis mandatis inſtructi poſtea fuere „ Diſcipuli, quo huc illucque per orbem „ ſparſi, fundarent Eccleſias, & gubernarent. „ L. 2. cap. 24. num. 6.

Ad primam probationem diſtinguo: Et ſacra Synodus Tridentina, nedum de Epiſcopis & Presbyteris, ſed & de ceteris Miniſtris loquitur, concedo. Et omittit ceteros miniſtros, nego: ex quibus conſtat ne minimum quidem cogitaſſe ſacram Synodum ibi loqui de Presbyteris immobiliter alicui titulo affixis, cum nec Diaconi, nec Subdiaconi, quos in ſuo concludit decreto, non ſint inamovibiles, ſed ad nutum Epiſcoporum Eccleſiæ famulantes; ſic igitur Canon abſque interpolatione legendus eſt: *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris, anathema ſit.* Nec mirum: ibi enim Patres perſtringunt Lutheranos & Calviniſtas, qui negabant Eccleſiaſticam Hierarchiam, complectentem Epiſcopos, Sacerdotes & Diaconos; hinc ne quidem indirecte, prout eſt ſcopi impetus, de Parochis immobiliter titulatis inſtituit ſermonem; de quibus tamen præſens movetur controverſia.

Ad ſecundam probationem ſimiliter diſtinguo: Et Patres adducti in teſtimonium pro cenſura, non niſi de Parochis in genere ſpectatis ut Eccleſiæ miniſtris loquuntur, concedo. Nec huic veritati refragari licitum eſt, cum Chriſtus inſtituendo Epiſcopos, conſequenter & inſtituit Miniſtros, qui Eccleſiæ juxta eorum mandata inſervirent: & mentionem faciunt de Parochis ad certum locum immobiliter determinatis & alligatis, ſicut nunc videre eſt in Gallia, nego. Altum enim eſt apud

eos de iſtis immobilibus miniſtris ſilentium: quocirca Petrus Aurelius, æquum duxit explicare Sorbonæ ſenſum, ne in adulterinas explicationes manus alienæ in ſacræ Facultatis dedecus detraherent.

Ad tertiam, oppono Theologos Theologis, maxime divum Thomam Doctorem nedum Sorbonæ, ſed & totius Eccleſiæ Egregium & Angelicum, qui unus, contra ceteros, ſi qui ſint, in immenſum præponderat, cum ſolus a Chriſto Domino ipſi loquente audierit: *Bene ſcripſiſti de me, Thoma*: & poſt ipſum alios omni exceptione majores, qui nedum in ſcriptis juris publici factis, ſed & in manuſcriptis noſtram docuere ſecundam concluſionem, in primis Dominus Blin, doctor Sorbonicus, nedum pietate, ſed omni Theologiæ ſanæ & Catholicæ genere percelebris, qui in diſſertatione eruditiſſima, hanc docet & probat veritatem.

Perſiſtes: Illi ſunt de jure divino etiam ſecundum ſe ſpectati, qui adfuere Conciliis pro rebus fidei definiendis: Atqui Presbyteri non ſemel adfuere Conciliis pro rebus fidei definiendis: Et probatur. Primo quidem in Concilio primo ab Apoſtolis adunato, aderant multi Presbyteri: tum & in Concilio Nicæno I. Poſtea vero in Chalcedonenſi, maxime Cælius Bonifacius Presbyter ſanctæ Romanæ Eccefiæ. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Adſuerunt Presbyteri Conciliis, ut Theologi, vel etiam ut conſiliarii, concedo: ut judices, nego. Propter miniſtrorum paucitatem in Conciliis ab Apoſtolis adunatis aderant Presbyteri, ſed ſolummodo ut Theologi, qui dogmata probarent, & ſuas de quolibet concluſiones exponerent; nuſquam vero ut judices: hinc Petrus alloquens Apoſtolos pro controverſia inter Gentiles & Judæos de legalibus exorta, ait: *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Tum Petro loquente tacuit omnis multitudo, inquit S. Lucas, & poſt eum ſolus Jacobus, qui ejus expoſuit definitionem, locutus eſt.

Ad primam probationem eadem eſt ſolutio, quæ quidem illuſtrari poteſt exemplo ſancti Athanaſii, qui adſuit primo Concilio Nicæno, dum erat ſolum Diaconus: Ergone dicendus eſt ad aliquem locum titularem immobiliter affixus? Abſit. Igitur ne concludas velim, ex eo quod Presbyteri quandoque adſuerint Conciliis, eos eſſe de jure divino, reduplicative, ut Sacerdotes alicujus Parœciæ immobiles titulares.

Ad ulterius exemplum Cælii Bonifacii, qui adſuit Concilio Chalcedonenſi, etiam ut Judex, diſtinguo: Et erat Judex tamquam ſancti Leonis Legatus, concedo: præciſe ut Presbyter, nego. Tres erant ſummi Pontificis Legati ſuo nomine Concilii Præſides, videlicet Paſchaſinus, & Lucius Epiſcopi, deinde vero Cælius Presbyter, ut refert Binius Tom. 2. action. 3. Conc. 1. pag. 80.

Replicabis: Atqui Parochi etiam ut titulares alicujus loci immobiles adſunt Conciliis, ut Judices. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Singulis annis adſunt Synodo ab Epiſcopo congregatæ, nec alii ibi ſunt præter Epiſcopum, Archidiaconum, & aliquos ſimplices Sacerdotes quadam dignitate fulgentes. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Adſunt Synodo ut rationem reddant villicationis ſuæ, & boni Paſtores in fide & morum ſanctitate firmentur, tepidi vero excitentur, peccatores autem ad meliorem frugem revocentur, concedo: ut fidei dogmata diſcutiant, ſubdiſtinguo; tamquam Theologi quos Epiſcopus circa Novitates graſſantes conſulit, concedo: tamquam auctoritatem habentes, nego. Hoc quippe ſolos ſpectat Epiſcopos, qui ſunt dogmatum fidei judices.

Hæc ſolutio variis innitur auctoritatibus, quas eruimus ex libro, cui titulus, Cenſura Doctorum Pariſienſium &c. Et qui de facto eſt defenſio cenſuræ ſacræ facultatis Pariſienſis latæ adverſus librum Jacobi De Vernan; ut lector intelligat ex ipſis juris Parochorum defenſoribus, eos, ut titulares alicui loco irrevocabiliter addictos, non eſſe de jure divino.

Pagina 186. canon 26. Concilii quarti Toletani ſic refertur: " Quando Presby-
,, teri in Parochiis ordinantur, libellum of-
,, ficialem a Sacerdote ſuo accipiant, ut
,, ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuc-
,, cedant: ne per ignorantiam etiam divi-
,, nis Sacramentis offendant; ita ut quan-
,, do ad litanias vel ad Concilium vene-
,, rint, rationem Epiſcopo ſuo reddant,
,, qualiter ſuſceptum officium celebrant,
,, vel baptizant. ,,

Pagina 187. canon 3. Concilii Leptinenſis laudatur his verbis: " Decrevimus
,, quo-

„ quoque juxta canones Sanctorum, ut
„ ut unuſquiſque Presbyter in Parochia
„ habitans ſubjectus ſit illi Epiſcopo in
„ cujus Parochia habitat, & ſemper
„ in quadrageſima rationem & ordinem
„ miniſterii ſui ſive de Baptiſmo, ſive de
„ fide Catholica, ſive de precibus & or-
„ dine Miſſarum reddat & oſtendat,
„ & quandocumque jure canonico E-
„ piſcopus circuierit Parochiam ad con-
„ firmandos populos, Presbyter ſem-
„ per paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſco-
„ pum... Et Epiſcopus teſtis ſit caſtita-
„ tis & vitæ & fidei & doctrinæ &c. „

Pagina 190. Hæc verba capitis 28. capitularii Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi commemorantur: " Hortamur vos para-
„ tos eſſe ad docendas plebes. Cum ve-
„ ro Domino opitulante, ad Synodum
„ in unum convenerimus, ſciat nobis
„ unuſquiſque dicere quantum Domino
„ adjuvante laboraverit, aut quem fru-
„ ctum acquiſierit; & ſi quis forte indi-
„ get adjutorio..... pro viribus adjuto-
„ rium ferre non differemus. „

Ibidem canon 4. Concilii Arelatenſis anno 813. ſic citatur: " Quia a ſanctis
„ Patribus inſtitutum eſt, & quando ad
„ Concilium venerint, rationem Epiſco-
„ po ſuo reddant, qualiter ſuſceptum of-
„ ficium, vel Baptiſmum celebrant. „

Pagina 195. recenſetur canon capitularii Herardi Archiepiſcopi anno 858. editi. " Omni anno Parochias Epiſcopi gi-
„ rent, & ut Presbyteri rationem ſui
„ miniſterii ac creditorum omnium ipſi
„ reddant. „

Pagina eadem in medium profertur canon 6. Concilii Aroſletani ubi hæc habentur: " Cum ſui Epiſcopi Concilio
„ ac diſpoſitione ſecundum regulas anti-
„ quitus & divinitus conſtitutas... Obe-
„ dientiam quam promittunt debent Epi-
„ ſcopis ſuis; Sacramentaliter alligati
„ ſunt Eccleſiis, quas tamquam uxori-
„ bus propriis, lege autem communi ca-
„ nonum ſine licentia Epiſcoporum ſuo-
„ rum quibus obedientes eſſe debent, nec
„ ipſi recedere, nec aliæ recipere eos de-
„ bent. „

Ex his omnibus liquet, etiam non diffitentibus Parochorum advocatis, eos eſſe Epiſcopis ſubditos, & ea de cauſa ad Synodum venire, ut monita ſalutis ab ea humiliter accipiant, & tamquam fideles ſervi, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, dilecti Deo & hominibus facti, laudentur.

SYNOPSIS CONCLUSIONUM.

Parochi, ut Miniſtri ad nutum Epiſcoporum Eccleſiæ famulantes, ſunt de jure divino, ſecus vero, ut Paſtores ad certum locum inamovibiliter alligati.

Prima pars patet. I. Ex omnibus Scripturæ locis, ubi paſſim de Sacerdotibus fit mentio. II. Ex Tridentinos Seſs. 23. can. 6. ubi definit Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtare, tum ex Epiſcopis, tum ex Presbyteris & Diaconis. III. Quia opus habet Eccleſia miniſtris, maxime Sacerdotibus, tum ad prædicandum Dei verbum, tum ad miniſtranda Sacramenta.

Altera pars, non minus claret, tum quia quatuor prioribus ſæculis, exardeſcente perſecutione, nullus erat certus locus nedum pro miniſtris, ſed & pro ipſis Epiſcopis, qui ſæpius, ſede propria relicta, in ſpeluncis & cavernis terræ deliteſcere compellerentur: tum quia prioribus temporibus, Epiſcopi, pro ut exigebat neceſſitas, Presbyteros, modo in unum, modo in alterum locum ad fidem propagandam mittere cogerentur. Tum quia etiam Patres Parochorum inamovibilitatem per omnia ſilent. Hinc decurſu temporum ex Eccleſiæ inſtitutione ad certa loca alligati ſunt, ut octavo circiter ſæculo, cum Synodus ſecunda generalis, Presbyteros in loco tituli ſui permanere ſtatuat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO QUIDEM omnes & Scripturæ, & Patrum auctoritates unum tantummodo probant, videlicet Parochos, ut miniſtros, ad nutum Epiſcoporum amovibiles, & juxta eorum voluntatem Eccleſiæ inſervientes, eſſe de jure divino; nuſquam vero ut titulares certis locis inamovibiliter affixos.

Secundo: Eſto quod ſuccedant ſeptuaginta Diſcipulis; igitur ſicut iſti omnia loca ad nutum Apoſtolorum peragrabant, ſic & ea pertranſire, ſi voluerint Epiſcopi, debent.

Tertiò:

Tertio: Quum Sorbona ſtatuit Parochos eſſe de jure divino, hoc non intellexit, niſi mediate; quatenus Presbyteratus in Epiſcopatu concluditur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Diaconatu.

TRIA quæruntur de Diaconatu: I. Num ſit Sacramentum? II. Quænam ejus materia, quænam & forma? III. Quodnam ejus officium?

SECTIO PRIMA.

Utrum Diaconatus habeat rationem Sacramenti?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic procedit. Ille Ordinis gradus eſt Sacramentum, cui competit definitio Sacramenti ſtricte ſumpti: Atqui ordinationi Diaconi competit hujuſmodi definitio: Et probatur. Sacramentum eſt ſignum practicum inviſibilis gratiæ ad noſtram ſanctificationem inſtitutum: Atqui talis eſt Diaconatus: Et probatur. Primo quidem eſt ſignum ſenſibile; legitur enim Actuum 6. Apoſtolos elegiſſe ſeptem viros Spiritu ſancto plenos. Sic enim habetur: *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Tum impoſuerunt illis manus: adeſt materia. II. Oraverunt pro ipſis ut acciperent gratiam Spiritus ſancti, ut digne fungerentur officio ad quod erant electi; ecce forma, ſcilicet oratio; deinde vero effectus; non enim alio motivo Apoſtoli ſuper iſtos ſeptem fuderunt preces, niſi ut miniſterii gratiam conſequerentur. Hæc omnia dilucide eodem loco habentur his verbis: *Elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum: hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Ergo &c.

Secunda: Levitarum ordinatio in veteri lege erat Sacramentum, olei quippe unctione conſecrabantur, ut habetur Levit. 8. ſed Diaconi ſuccedunt Levitis, quibus præluſi ſunt, & præfigurati. Ergo &c.

Tertia ratio hæc eſt. Quod Traditione firmatur, hoc ipſum ita ſe habere exiſtimandum eſt: Atqui habemus ex Traditione Diaconatum eſſe Sacramentum. Et probatur, primo quidem ex ipſa Scriptura, quæ nedum in loco jam laudato, verum etiam 1. ad Tim. 3. mentionem facit de Diaconis tamquam de Miniſtris ab Epiſcopis inſeparabilibus; ſic enim habetur: *Oportet autem illum*, Epiſcopum, *& teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.... Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes. Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Audis; officium Diaconorum eſſe quid ſacrum, adeoque ſubindigitans Sacramentum. Rurſus jamjam idem Apoſtolus diſtinguerat Philipp. 1. Diaconos a ceteris Miniſtris, quique ex dignitate præcipua ſemper cum Epiſcopis adeſſent. *Paulus & Timotheus ſervus Jeſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus.* Nomine autem Epiſcoporum ait Bellarm. hic Lib. 1. de Sacrament. Ordinis cap. 5. tres illos ordines, Diaconatum ſcilicet, Presbyteratum, & Epiſcopatum veluti ſuperiores ceteris, & tamquam Sacramenta habet.

Secundo: Eadem traditio ex Dionyſio liquet, qui Lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia Diaconatum inter ordines hierarchicos, ſeu principales annumerat; quod non levius eſt argumentum iſtum Ordinem eſſe ſacrum, maxime cum nullum fuerit tempus in quo non fuerint Diaconi, nec deſint, qui ab ipſo Chriſto inſtitutos fuiſſe autument, ut inſinuat Bellarminus ibid. cap. 6. " Patet ... qui in ,, Eccleſiaſtica Hierarchia non ponit, niſi ,, hos tres ordines, quia hi ſoli ſunt hie- ,, rarchici, inferiores enim non præſunt ,, populo, ſed tantum ſerviunt ſuperio- ,, ribus ordinibus. ,,

Tertio: Eamdem Traditionem firmant SS. PP. qui mira de Diaconis commemorant, & multa Epiſcopi munera in abſentia Præſulum & Presbyterorum eis tribuunt, v. g. baptizare, Euchariſtiam dare; re-

reconciliare pœnitentes publicos, prædicare verbum Dei. Ex his concludit Bellarm. ibid. cap. 6. pag. 1671. Diaconatum eſſe ſacramentum: " Ex quo ſequi„ tur, *inquit*, eos gratia Dei indigere, „ ac proinde eorum Ordinationem eſſe ſa„ cramentum. Antecedens patet: nam de „ Baptiſmo id teſtantur Tertullianus in „ Lib. de Baptiſmo, & Hieronymus in L. „ contra Luciferianos. De Euchariſtia, „ quod videlicet Diaconi Euchariſtiam „ laicis miniſtrare poſſint, patet ex Con„ cilio Nicæno can. 14. immo olim or„ dinarie Diaconi ſanguinem Domini mi„ niſtrabant populo, ut patet ex Cypria„ no Serm. 5. de lapſis. De reconciliatio„ ne pœnitentium patet ex eodem Cypria„ no Lib. 3. Epiſt. 17. de prædicatione, „ teſtatur Greg. Lib. 4. Epiſt. 88. „

Quarto: Idem demonſtratur ex Concilio 4. Carthaginenſi, ubi aderat S. Auguſtinus, quod in immenſum extollit Diaconos ſuper Subdiaconos, aſſerendo ordinari per impoſitionem manus Epiſcopi, Subdiaconum vero per inſtrumenta. Porro manus impoſitionem denotare gratiam ſacramentalem, conclamant primorum ſæculorum Patres, maxime cum illis temporibus principaliores Ordines ſola manus impoſitione conferrentur c. 1. n. 4. ſic loquitur: " Diaconus cum ordinatur, ſolus „ Epiſcopus qui eum benedicit, manum „ ſuper caput illius ponat. „ Tum num. 5. " Subdiaconus cum ordinatur, qui ma„ nus impoſitionem non accipit, patenam „ de Epiſcopi manu accipiat vacuam & „ calicem vacuum. „

Quinto: His accedit Theologorum præclarus cœtus, qui uno veluti calamo propugnant Diaconatum eſſe Sacramentum ſtricte dictum. Agmen claudet ſacra Synodus Tridentina, quæ Seſſ. 23. can. 6. ſic loquitur: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit*. Nomine Miniſtrorum intelligit præcipue Diaconos, ut ipſe Catechiſmus declarat hic n. 39. his verbis: " Secundum „ autem ſacrorum Ordinum gradum, „ Diaconus obtinet: cujus miniſterium la„ tius patet, ſanctiuſque ſemper habi„ tum eſt. „ Quibus poſitis ſequitur iſtud argumentum. Ordo qui inſtitutionem divinam habet, Sacramentum eſt: Sed Diaconatus hanc habet originem, quippe qui Eccleſiaſticam componat Hierarchiam, quæ eſt quædam divina ordinatio: Ergo &c.

Tertia ratio: Ille Ordo eſt ſacramentum, cujus virtute Miniſter aſſumitur in partem miniſterii, quo vel fiunt, vel diſpenſantur Sacramenta, quo etiam in perſona Chriſti multa patrantur, quo demum ad regendam Eccleſiam cum Epiſcopis, non nihil ei incumbit. Atqui hæc omnia Diaconus vi Ordinationis ſuæ peragit. Ergo &c. Minor patet de collatione Baptiſmi, quem ſoli Epiſcopi quondam ritu ſolemni conferebant. Res certa eſt de adminiſtratione ſacræ Euchariſtiæ; immo cum Presbytero offert oblata, ac tandem legit Evangelium, quo quidem tempore, ceteri Miniſtri relinquentes celebrantem, præeunte cruce, Diaconum, quem Evangelium in loco Eccleſiæ eminentiori lectorum ſequuntur, & velut in perſona Chriſti loquentem audiunt. Quid plura? Patres laudati aſſerunt cum S. Cypriano, Diaconos non ſemel pœnitentes publicos reconciliaſſe, quod regimen Eccleſiæ ſpectat: Ergo &c. Non injucundum erit, hæc Diaconorum munia ſecundum ordidem ab ipſo Catechiſmo Romano digeſtum n. 20. 21. 22. hic texere.

Munia Diaconorum.

AUCTOR Conſtitutionum Apoſtolicarum paucis recenſet munia Diaconi in Eccleſia Græca Lib. 8. cap. 28. pag. 94. his verbis: " Diaconus non benedicit, ne„ que dat benedictionem; accipit vero „ ab Epiſcopo & a Presbytero. Non ba„ ptizat, non offert. Oblatione vero ab „ Epiſcopo aut Presbytero facta, ipſe Dia„ conus dat populo, non tamquam Sacer„ dos, ſed tamquam qui miniſtrat Presby„ teris... Diaconus excommunicat Hypo„ diaconum, Lectorem, Cantorem. „

Multo plura, eaque præſtantiora habet in Eccleſia Latina officia.

Primum: Comitatur ſemper Epiſcopum, tum Sacerdotem ſacra facientem, & legit Evangelium. Catechiſmus num. 20. de hoc momento ſic loquitur: " Ad „ eum enim pertinet Epiſcopum perpetuo „ ſequi, concionantem cuſtodire, eique, „ & Sacerdoti ſacra facienti, vel alia Sa„ cramenta adminiſtranti præſto eſſe, & „ in

„ in Miſſæ ſacrificio Evangelium lege-
„ re. „

Secundum: Id muneris quondam illi incumbebat, invitare Fideles, ut Myſteria digne tractarent: " Olim vero inquit ibid.
„ Catech. fidelium animos ſæpius excita-
„ bat ut ſacra attenderent. „

Tertium: Erat in prioribus ſæculis ſanguinem Chriſti fidelibus potandum exhibere. Pergit ibid. dicens: " Sanguinem et-
„ iam Domini miniſtrabat in quibus Ec-
„ cleſiis ea conſuetudo erat, ut fideles
„ Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſume-
„ rent. „

Quartum: Bona Eccleſiaſtica diſpenſabat fidelibus. Sic proſequitur ibid. " Diaco-
„ no præterea Eccleſiaſticorum bonorum
„ diſpenſatio commiſſa erat, ut unicui-
„ que neceſſaria ad victum ſubminiſtra-
„ rent. „

Quintum: Epiſcopum certiorem faciebat, prævio maturo examine, de moribus fidelium, ut errantes paterne corrigeret. Sic enim ibid. habetur: " Ad Diaconum
„ etiam attinet tamquam Epiſcopi ocu-
„ lum perveſtigare, quinam in urbe pie
„ & religioſe, quive ſecus vitam tradu-
„ cant. Qui ad ſacrificium, & concionem
„ ſtatis temporibus conveniant, ut cum
„ de omnibus Epiſcopum certiorem fece-
„ rit, ille vel privatim unumquemque
„ hortari, admonere, vel palam corrige-
„ re, & objurgare poſſit, uti ſe magis
„ profecturum eſſe intellexerit. „

Sextum: Solebat invigilare ſuper Catechumenos, & ceteros qui ad ſacros Ordines initiari volebant: " Catechumenorum
„ etiam nomina, *ait Catechiſmus*, recita-
„ re debet, & eos qui Ordinis ſacramen-
„ to initiandi ſunt, ante Epiſcopum ſta-
„ tuere. „

Septimum: Abſentibus Epiſcopo & Preſbytero Evangelium explicare incumbebat olim Diacono; ſubdit enim ibid. " Licet
„ ei præterea, ſi abſit Epiſcopus & Sa-
„ cerdos, Evangelium explanare, non ta-
„ men e ſuperiori loco, ut intelligatur
„ hoc ejus proprium munus non eſſe. „

Demum enarrat Catechiſmus n. 21. ſolemniori ritu Diaconos ordinari, quod nedum eorum dignitatem, ſed & eorum ordinationem ſacramentalem eſſe non levius indicat: " Hoc idem ſatis etiam de-
„ clarant ritus & ſolemnes cæremoniæ,
„ *ait ibidem*, quibus ab Epiſcopo conſe-
„ cratur, pluribus enim & ſanctioribus
„ precibus ad Diaconi, quam ad Subdia-
„ coni ordinationem utitur Epiſcopus,
„ & alia addit ſacrarum veſtium orna-
„ menta. „

Ex his ſic argumentari fas eſt. Ordo Diaconatus eminet ordini Subdiaconatus: Atqui tamen Subdiaconatus eſt ordo major, & ita ſacer, ut a multis habeatur ut Sacramentum: Igitur relinquitur ut ſi Diaconatus iſti ordini ſuperemineat, ſit pro certo Sacramentum: ſin minus, nihil ſupra Subdiaconatum haberet. Bellarminus hic probat ex iſta alia ratione eſſe Sacramentum; quia non reiteratur & imprimit characterem.

De Diaconiſſis.

NE aliquid deficiat iſti materiæ, quædam de Diaconiſſis ad majorem explicationem addendum eſt iis, quæ jam in ſecunda tractatus parte delibavimus.

Diaconiſſæ de quibus multus eſt ſermo apud Scriptores Eccleſiaſticos priorum temporum, erant quædam piæ mulieres, quæ aut virginitatem, aut caſtitatem perpetuam profitebantur, ut ſanctis immo & ſacris vacarent operibus, quippe quæ inſervirent altaribus, tum in conſervandis, vel etiam reficiendis ſacris Sacerdotum veſtibus, maxime vero in adminiſtratione Baptiſmatis; cum enim tunc temporis per immerſionem iſtud Sacramentum conferretur: non ſine magna ædificatione, & Eccleſiæ jubilo, ut cuncta modeſte tractarentur, pro feminis alacri animo conſulebant.

Vel ipſo Apoſtolorum tempore, de Diaconiſſis fit mentio, juxta illud 1. ad Timoth. 5. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Rurſus Rom. cap. 16. *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*: Quibus quidem verbis, ſi a Preſbyteris & Diaconis exigebat Apoſtolus ut eſſent unius uxoris viri ad repræſentandam Eccl. cum Chriſto unionem & unitatem, ſic & volebat Diaconiſſas non niſi virgines, aut ſaltem unius viri uxores eligi. In eodem ſenſu loquitur Auctor Conſtitutionum Apoſtol. L. 6. c. 17. de Diaconiſſis: "Diaconiſſa
„ eligatur virgo pudica; ſi autem non fuerit
„ virgo, ſit ſaltem vidua, quæ uni nupſerit. „

Concinit Epiphanius in expoſitione fidei his verbis: " Illæ quidem univiræ & „ continentes eſſe debent, vel poſt unas „ nuptias viduæ, vel perpetuæ virgi- „ nes. „

Diverſa Diaconiſſarum genera.

QUATUOR vulgo Diaconiſſarum genera quondam numerabantur: Primum genus complectitur pias virgines, quæ ob virginitatis præclaram dotem, etiam dono prophetiæ donatæ ſunt. Sic Act. 21. commemorantur quatuor filiæ virgines, ſcilicet Philippi, unius e ſeptem Diaconis. *Huic autem*, ait S. Lucas, *erant quatuor filiæ virgines prophetantes*. Quorſum autem vocentur Diaconiſſæ? forſitan eo quod eſſent Diaconi filiæ.

Alterius generis Diaconiſſarum erant viduæ, de quibus mentionem facit Apoſt. 1. ad Tim. 5. his verbis: *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt*.

Tertium genus complectebatur viduas, quæ Eccleſiæ miniſterio totaliter incumbebant, quæque non ſimpliciter viduæ, quales commemorat ſanctus Paulus inter mulieres priores, ſed quæ ita Deo ſerviendo incumbebant, ut ad hoc eminentius exequendum, perpetuam voverent caſtitatem. Hinc ab omni Eccleſia nomine Diaconiſſarum celebrabantur.

Quarti generis occurrunt mulieres, quæ a dignitate mariti, qui ad ſacros Ordines promoti erant nomen retinebat: Sic uxor Epiſcopi dicebatur, Epiſcopa; Presbyteri, Presbytera; Diaconi, Diaconiſſa, Hypodiaconi, Hypodiaconiſſa. Concilium Turonenſe cap. 14. de his Diaconiſſis loquitur dicens: " Epiſcopum Epiſcopam „ non habentem, nulla ſequatur turba „ mulierum. „ Tum can. 20. " Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa, „ aut Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſſa, „ annum integrum excommunicatus habeatur. „

Munia Diaconiſſarum.

PRIMUM erat portas Eccleſiæ cuſtodire, dum id moris erat, ut mulieres in Eccleſia a viris ſeparatæ audirent ſacrum & prædicationem: quæ quidem egregia conſuetudo ad noſtra uſque tempora, maxime in Galliarum villis & in Belgio floret. De hoc officio mentionem facit S. Ignatius Epiſt. ad Antiochenos his verbis: " Saluto ſanctarum portarum cuſtodes Diaconiſſas; ſaluto Chriſto acceptas virgines. „

Secundum: Miniſtrabant Sanctis, & de neceſſariis ad vitam illis ſuppeditabant. De hoc momento loquitur Apoſtolus dicens, licitum utique ſibi eſſe, ſororem circumducere in peregrinationibus, ſicut alii faciebant Apoſtoli; ſcriptum eſt etiam quaſdam pias mulieres ipſum Dominum eodem ſequutas fuiſſe motivo. De prioribus ait. 1. Cor. 9. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli*. Quibus verbis: *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi*, denotat officium illarum Diaconiſſarum, quæ ſic miniſtrabant ſanctis, quod quidem motivo licitum erat eis ſequi viros Apoſtolicos. De poſteriori vero habetur Matt. 27. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa, miniſtrantes ei*.

Tertium munus & palmare Diaconiſſarum erat mulieres baptizandas veſtimentis exuere, ex baptiſterio vero eductas ſuſcipere: Sic ſcribit Epiph. hæreſi 79. " Quam„ quam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo „ ſit, non tamen ad Sacerdotii functio„ nem, aut ullam ejuſmodi adminiſtratio„ nem inſtitutus eſt, ſed ut mulieribus, „ ſexus honeſtati conſulatur; ſive ut Ba„ ptiſmi tempore adſit, ſive ut cum nu„ dandum eſt mulieris corpus, interveniat, „ ne virorum qui ſacris operantur aſpe„ ctui ſit expoſita, ſed a ſola Diaconiſſa „ videatur, quæ Sacerdotis mandato mu„ lieris curam agit. „

Quartum denique, ut doctrinam Chriſtianam docerent imperitas mulieres, maxime ruſticanas, tum ante, tum poſt Baptiſmum: Ante quidem, ut non niſi de Doctrina Chriſtiana edoctæ baptizarentur; poſtea vero ut ad probe & chriſtiane vivendum juxta Baptiſmi ſuſcepti leges eas inſtituerent. Sic præcipit Concilium Carthaginenſe 4. can. 12. quibus in edocendis mulieribus ſuccedunt piæ virgines, maxime vero illæ quæ dicuntur Providentiæ Sorores a R. admodum Patre Nicolao Barre Ordinis Minimorum veterano

ſacræ

ſacræ Theologiæ Profeſſore, cujus memoria in benedictione eſt, edoctæ & inſtitutæ, quarum zelus ita innotuit Ludovico XIV. Francorum Regi Chriſtianiſſimo, ut vel ipſo jubente & ordinante, plurimæ ad regiones montium Gebennarum, tum ad erudiendas in fide mulieres proteſtantes, tum ad ruſticanas chriſtianas in eadem fide confirmandas, non ſine magno animarum fruge miſſæ ſunt.

Veteres Diaconiſſæ a 600. circiter annis reſciſſæ ſunt, ut colligitur ex Concilio primo Arauſicano can. 26. maxime vero a Concilio Epaonenſi can. 21. his verbis: " Viduarum conſecrationem quas Diaconas vocitant, ab omni regione noſtra " penitus abrogamus.

Fit ſatis Objectionibus.

OBJICIES contra concluſionem. Sacramentum eſt a Chriſto inſtitutum: Sed Diaconatus non a Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtitutus eſt: Ergo &c. Confirmatur: Occaſione ſolum obmurmurationis Græcorum qui querebantur, quod earum viduæ in miniſterio quotidiano deſpicerentur, Apoſtoli ſeptem viros pro iſto munere fungendo elegerunt, ut habetur Act. 6. his verbis: *Creſcente numero Diſcipulorum factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum... Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Diaconatus inſtitutus eſt ab Apoſtolis quantum ad officii & ordinis executionem & uſum, concedo: quantum ad Sacramenti rationem, nego minorem & conſequentiam. Chriſtus inſtituit omnia Sacramenta, & tamen non niſi duobus uſus eſt, videlicet Baptiſmo Joannis, & Euchariſtia: Tum ſolos Apoſtolos ipſe ordinavit: Ergo ne nulla ſunt alia Sacramenta? Abſit dicere: Igitur Apoſtoli vivæ vocis Chriſti oraculo ſeptem Sacramentorum inſtitutionem habuerunt, tum & executioni ſeu adminiſtrationi invigilaverunt. Quid plura? Diaconatus tunc a Chriſto eatenus inſtitutus eſt, cum ipſe ſacrum Presbyteratus ordinem creavit; cum Miniſter ſit quid ad Presbyteratum conſequens.

Ad confirmationem diſtinguo: Occaſione obmurmurationis Græcorum Apoſtoli inſtituerunt Diaconos, quoad officii executionem, concedo: quoad Sacramenti rationem, nego.

Inſtabis: Atqui neque quoad executionem Apoſtoli inſtituerunt Diaconatum: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Executio Sacramenti tendit ad aliquid ſupernaturale: Sed Apoſtoli inſtituerunt Diaconos ſolum ad aliquid naturale, videlicet ut miniſtrarent menſis: ſic enim ibid. habetur Act. 6. *Conſiderate ergo fratres, viros... quos conſtituamus ſuper hoc opus, nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Quibus verbis excludunt Apoſtoli omne ſacrum & ſupernaturale officium a Diaconis. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: Diaconi electi ſunt ut miniſtrarent menſis ſacris, concedo: menſis prophanis ſeu civilibus, ſubdiſtinguo: ſecundum quid & indirecte, concedo: ſimpliciter & abſolute, nego. Hiſce temporibus inter fideles cuncta bona erant communia, quippe qui ad pedes Apoſtolorum ea afferrent, ut liquet ex Ananiæ & Saphiræ ejus uxoris punitione, qui reſiſtentes Spiritui ſancto aliquid de agro vendito non ſine fraude ſibi retinuerant, ut habetur Act. 5. Quia vero Chriſtiani adhuc vagiente Eccleſia, erant pauci, omnes ſimul manducabant, menſam vero Diaconi lectione ſacra condiebant, immo & ſacram in cœna adminiſtrabant Euchariſtiam: Colligitur enim ex 1. Cor. 11. id in more tunc fuiſſe poſitum, Chriſti corpus & ſanguinem ad perfectam Salvatoris imitationem in cœna ſub veſperam ſumere.

Neque vero ullum faceſſit negotium quod occaſione obmurmurationis ordinati ſint Diaconi, ut miniſtrarent menſis etiam civilibus: ſic enim diſtinguo: Et iſtud officium erat ſolum ſecundarium, & occaſionale, concedo: Primarium, & principale, nego.

Ergo cuncta ſunt diſtinguenda. Vel ipſi Apoſtoli adminiſtrabant Euchariſtiam in cœna fidelibus, creſcente vero fidelium numero, hanc Diaconis commiſerunt Provinciam, ut iſta ſacri textus indicant verba. *Convocantes autem duodecim multitudinem Diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei,* &

& miniſtrare menſis. Certe eo loci, nomine *menſis*, non niſi ſacræ menſæ intelligendæ ſunt, cum ne quidem in mentem venire poſſit, propter Græcorum obmurmurationem propoſitum fuiſſe Apoſtolis miniſtrare menſis communibus, porrigendo panem, vinum, eſcas, & ſimilia: Sed curam habere bonorum Eccleſiæ, quod officium tunc ad Diaconos tranſmiſſum eſt, quibus ut dictum eſt ſupra, hujuſmodi diſpenſatio demandata erat: hinc bene ſequitur iſtud Act. 6. de Apoſtolis: *Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus*. Igitur Apoſtoli committentes Diaconis & Euchariſtiç diſpenſationem, & bonorum Eccleſiæ diſpenſationem, toti vacabant tum orationi, ut obtinerent a Deo converſionem Gentilium, tum prædicationi, plurimos enim non ſine magno animi jubilo ad fidem convertebant. Hinc ſubdit ibidem S. Lucas: *Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum in Jeruſalem valde. Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei*.

Bellarminus hic Lib. 1. de Sacramento Ordinis cap. 6. pag. 1672. eam pro ſolvenda iſta maxima difficultate affert ſolutionem, hac potiſſimum ductus ratione, quod Diaconi vel ipſo Apoſtolorum tempore in multis civitatibus, ubi erant diſperſi Chriſtiani, non miniſtrarent menſis: " Neque verum eſt, *ait*, ſolum Miniſtros menſarum fuiſſe Diaconos tempore Apoſtolorum: nam Diaconi erant Philippis, & Epheſi, & in Creta, ut patet ex Epiſtolis Pauli ad Philippenſes, ad Timoth. & Titum; tamen in illis locis non vivebant Chriſtiani communiter, ut eſſet opus miniſtris menſarum.,, *Igitur* diſpenſantio bonorum Eccleſiæ ut neceſſaria pro victu & veſtitu ſuppeditandis, vocabatur menſarum miniſtratio, & hoc ut ſecundarium miniſterium, quod tamen decurſu temporum ſic in dignitate crevit, ut inſignem locum in Eccleſia haberent Diaconi, & Archidiaconi vocarentur, ita ut factum ſit, quod ex dignitate iuflati, multi enim faciunt homines eos a quibus neceſſaria vitæ habent, ſuperbiendo vel ipſos peſſundarent Presbyteros: qua de cauſa Hieronymus eorum contundit jactantiam in ſua ad Evagrium epiſtola. Neque vero omittendum ſeptem ſolum in qualibet Diœceſi fuiſſe in memoriam ſeptem primorum Diaconorum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Diaconatus eſt Sacramentum.

PRIMO QUIDEM hoc ex ipſa conſtat Scriptura, quæ Act. 6. eorum ordinationem velut Sacramentalem refert, cum & precibus & manus impoſitione ordinati recenſeantur, ſicut & tunc temporis vel ipſi ordinabantur Presbyteri.

Secundo: Hoc & conclamat Traditio, cum Diaconi ſint ipſi Eccleſiæ Chriſti coævi. Sanctus Ignatius Martyr. Epiſt. ad Trallianos ait: " Quid ſunt Diaconi, niſi imitatores Chriſti miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam?,, Tum S. Cyprianus Epiſt. 65. eoſdem exaltat his verbis: " Poſt aſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros.,,

Tertio: Inſignia Diaconorum munia pluſquam demonſtrant Diaconatum eſſe Sacramentum. Quandoquidem id muneris eis incumbit offerre cum Presbytero ſacrificium, & in perſona Chriſti legere Evangelium: Ceterum ſupereminent Subdiaconis: Igitur eorum Ordo eſt Sacramentum, alias iſtis æquipararentur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

PRIMO: Incaſſum aliquis reponeret Diaconatum non fuiſſe a Chriſto inſtitutum: eo enim ipſo quo ordo Diaconatus ad miniſterium ſpectat, cenſetur a Chriſto cum Presbyteratu inſtitutus; qui enim eligunt Regem, conſequenter & Miniſtros illi dant: Idem non abſimili ratione dicendum de ordine Presbyteratus reſpectu Diaconatus.

Secundo: Quamvis Act. 6. legatur Diaconos inſtitutos fuiſſe ab Apoſtolis, hoc intelligendum eſt de ſacramento Diaconatus, quantum ad ordinis exercitium.

Tertio: Nec magis proficiunt invaleſcentes, dum dicunt Diaconos ea ſolum ratione inſtitutos eſſe, ut miniſtrarent menſis, cum hoc meram bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem ſpectet, & quidem velut Diaconi munus ſecundarium; finis

Digitized by Google

ſnis enim erat miniſtrare menſis ſacris, & Epiſcopo per omnia inſervire.

SECTIO SECUNDA.

De Materia & Forma Diaconatus.

MATERIAM proximam Diaconatus eſſe ſicut in aliis Sacramentis ipſius applicationem, ultro conveniunt Theologi, ſed quænam res ſenſibilis ſit huic Sacramento eſſentialis, diſputant inter ſe ſicut & de forma. Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Materia huic Ordini eſſentialis eſt impoſitio manuum.

Probatur unico iſto, ſed efficaci argumento.

MATERIA eſſentialis Sacramenti ea dicitur, quæ a Scriptura commemoratur, a Traditione habetur, & uſu perpetuo conſignatur: Atqui impoſitio manuum talis eſt reſpectu Diaconatus: Ergo probatur.

Primo, ex Scriptura ſacra: Act. 6. Ordinatio Diaconorum his verbis exprimitur: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum; & orantes impoſuerunt eis manus.* Illis ſcilicet quos elegerant ad Diaconatum.

Secundo: Patres impoſitionem manuum de materia Diaconatus interpretantur. Sic definit Concilium Neoceſarienſe can. 14. venerabilis Beda eodem modo interpretatur verba Actuum his verbis: "Placuit eoſdem ipſos altaris quoque ſacri, „ ac Dominici ſanguinis, ſicut & refectio„ nis, menſæque communis multitudinis „ credentium, Miniſtros ordinari: quod „ probatum eſt verbo quod dictum: Et „ orantes impoſuerunt eis manus. Hoc „ enim proprium eſt eorum qui de com„ muni fidelium numero ad ſacro-ſancti „ altaris promoventur officium. „

Concinunt Patres Concilii 4. Carthaginenſis cap. can. 4. pag. 553. his verbis: " Diaconus quum ordinatur ſolus Epi„ ſcopus qui eum benedic, manum ſu„ per caput illius ponat: quia non ad „ Sacerdotium, ſed ad miniſterium con„ ſecratur. „

Nunc eumdem ritum ſequitur Eccleſia Græca. Simeon Theſſalonicenſis Lib. de ſacris Ordinat. cap. 4. de ordinatione Diaconorum ſic loquitur: " Poſt hos, *Sub„ diaconos*, veniunt Diaconi, qui & Mi„ niſtri & Levitæ velut a legalibus illis „ dicuntur.... Epiſcopus igitur, recita„ tis rogationibus, manum habens capi„ ti ipſius impoſitam, per eam enim „ gratia operatur &c. „

In Pontificali Moguntino ſeu MS. Pontificali Chriſtiani Archiepiſcopi, qui ab anno 1249. uſque ad 1251. Moguntinam rexit Eccleſiam, hæc habentur: " Finita „ litania, Diaconi ſtent ordinate per „ circuitum, & ſolus Epiſcopus ponit „ manum ſuper caput cujuſque. „

Tertio: Vel iſtis noſtris diebus ordinantur Diaconi per impoſitionem manuum, ut habetur in Pontificali Romano pag. 36. ubi primum laudatur canon Carthaginenſis.

Demum, non niſi ſubſequentibus ſæculis addita eſt traditio libri Evangeliorum. De hoc momento ſic loquitur Martenus Lib. 1. de Ritibus Eccleſiæ cap. 8. rat. 9. n. 5. pag. 314. " Subſecutis tempo„ ribus addita fuit & traditio Dalmati„ cæ, & libri Evangeliorum, in cujus „ contactu materiam Diaconatus conſti„ tuunt Scholaſtici nonnulli, tametſi ſe„ ptem primi Diaconi antequam ullum „ ſcriptum eſſet Evangelium fuerint or„ dinati, nec Diaconi antiquitus ubique „ legerent in Miſſa Evangelium, nec „ vetuſtiſſimi Libri Pontificales ante an„ nos 800. ſcripti, ſi excipias Anglica„ nos, ullam traditionis Evangeliorum „ in ordinatione Diaconorum mentio„ nem faciant. „ Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Traditio Libri Evangeliorum, quem Epiſcopus tangendum offert Diacono, eſt materia integralis.

PROBATUR hoc ratiocinio. Materia, quæ ordinante Eccleſia, ad majorem effectus Sacramenti producendi explicationem adhibetur, integralis cenſeri debet, cum ex Concilio Tridentino Eccleſia habeat poteſtatem a Chriſto apponendi ſenſibilia pro materia Sacramentorum, quando ab ipſo Domino materia

non fuit in individuo determinata: Atqui materia Diaconatus ab inſtitutore non fuit in individuo determinata, Eccleſia vero æquum duxit impoſitioni manuum Evangelii traditionem addere: Igitur illa materia dicenda eſt integralis. Probatur minor ex multiplici capite.

Primo quidem: Pontificale Anglicanum Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi ante annos 900. Litteris Saxonicis ſcriptum, Gemmeticenſe annorum 900. & Rothomagenſe ejuſdem ævi commemorant in ordinatione Diaconi traditionem libri Evangeliorum: In duobus prioribus ſic habetur: " Diaconus cum ordinatur, circumdetur ,, ejus humerus ſiniſter cum ſtola, & tra- ,, datur ei Evangelium. ,,

Secundo: Ab Anglia ritus iſte ad Gallias tranſmeavit; reperitur enim in Novioменſi codice Radbodi Epiſcopi annorum circiter 800. tum & in Bellovacenſi ann. 700.

Tertio: In Pontificali Romano pro ordinatione Diaconi habetur in titulo: *Poſtremo Pontifex accipit & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt*. Igitur ex his liquet traditionem libri Evangeliorum eſſe de integritate materiæ ordinationis Diaconi.

Non omittendum quaſquam Eccleſias olei benedicti unctione quondam Diaconos conſecraſſe; uti legitur in Pontificali Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi, aliiſque Anglicanis ab annis 900. ſcriptis, quandoquidem in ordinatione Diaconi habetur: *Conſecratio manuum Diaconi de oleo atque chriſmate*. Hæc forma conſecrationis habetur etiam ibidem: *Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur, & per iſtam ſanctam unctionem, noſtramque benedictionem, ut quæcumque benedixerint benedicta ſint, & quæcumque ſanctificaverint, ſanctificata ſint. Per Dominum &c.* Sed hanc materiam ne quidem eſſe integralem, ſed ſolum ad ſolemnitatem claret ex duobus momentis; primo quidem ex Nicolao I. Papa qui conſultus ſuper hoc a Rodulpho Archiepiſcopo Bituricenſi ſic reſpondet: " Sciſcitaris ,, utrum ſolis Presbyteris, an & Diaco- ,, nibus debeant, cum ordinantur, manus ,, chriſmatis liquore perungi; quod in ,, ſancta ac Romana, cui Deo auctore de- ,, ſervimus Eccleſia, neutris agitur: Sed ,, & quia ſit a novæ legis Miniſtris actum ,, nuſquam, niſi nos fallat oblivio, legi- ,, mus. ,,

Secundo: Nec eadem Eccleſia nunc hidiebus utitur, ut videre eſt in Pontificali Romano.

CONCLUSIO TERTIA.

Forma ordinationis Diaconi ſunt verba partim deprecatoria, partim etiam indicativa.

Probatur prima pars, ſcilicet quod Forma ſit deprecatoria.

PRIMO QUIDEM ex ordinatione ſeptem Diaconorum; nam Act. 6. ubi commemoratur, fit ſolum mentio de oratione his verbis. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus*: Ergo &c.

Secundo, ex antiquis Pontificalibus. In duobus Pontificalibus Romanis antiquis & in Aquenſi, Epiſcopus imponendo manus, ait: *Emitte in eos quæſumus Spiritum ſanctum*. In Moguntino ſupra laudato habetur: " Solus Epiſcopus ponit manum ,, ſuper caput cujuſque, quo facto redit ,, ad locum ſuum, & dicit: *Oremus dilectiſſimi &c.* Deinde conſecratio: *Adeſto, quæſumus, omnipotens Deus honorum dator, ordinumque diſtributor &c.* In alio Pontificali Moguntino recentiori ab annis 50. habetur: " Surgat & tranſiens per cir- ,, cuitum capiti ambas ſuperponat ad ,, quemlibet dicens ſigillatim: *Spiritus* ,, *ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Al-* ,, *tiſſimi ſine peccato cuſtodiat te in nomi-* ,, *ne Domini*. ,, Tum recitatis tribus orationibus, ſequitur conſecratio per modum præfationis proferenda, in qua quidem, cum ad illa pervenit verba: " *Emitte in eos* ,, *quæſumus, Domine, Spiritum ſanctum &c.* ,, Epiſcopus extendat manum dexteram ,, ſuper ordinandos, & extenſam teneat ,, uſque ad finem præfationis. ,,

In aliis Pontificalibus adhibentur etiam ſimiles orationes Spiritus ſancti advocatoriæ. In Pontificali Romano oratio ad Spiritum ſanctum cum manus impoſitione, per modum præfationis utique habetur pag. 37. ibid. duæ aliæ orationes ſubſequuntur ad traditionem libri Evangeliorum; quod argumentum eſt formam

Diaco-

Digitized by Google

Diaconatus partim eſſe deprecatoriam: Ergo &c.

Probatur altera pars,

Nimirum quod Forma ſit partim indicativa & abſoluta.

PRIMO hoc conſtat ex Pontificali Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi & Gemmeticenſis: *Diaconus cum ordinatur ... & tradat ei Evangelium, & dicat ſibi, Accipe iſtud volumen Evangelii, & lege, & intellige, & aliis trade, & tu opere adimple.* In conſecratione vero manuum: *Conſecrentur manus iſtæ &c.*

Secundo, in Pontificali Romano Epiſcopus imponens manum ſuper Diaconum ait: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.* Traditioni vero libri Evangeliorum correſpondent hæc verba tamquam forma: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES contra primam concluſionem. Non licitum eſt aliquid in Sacramentis immutare: ſed in hypotheſi qua impoſitio manuum adhiberetur pro materia Diaconatus, aliquid in Sacramento Diaconatus immutatum fuiſſet. Et probatur: Nunc pro materia aſſignatur traditio libri Evangeliorum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: non licitum eſt aliquid eſſentiale in Sacramentis immutare, concedo: aliquid accidentale, nego: Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Eccleſia addidit quidem impoſitioni manuum, Evangeliorum traditionem, ſed ſolum ad majorem officii Diaconi explicationem, & ut quid accidentale, quam quidem cæremoniam non ſine fundamento Eccleſia adjecit, cum inter Diaconorum munia illud celeberrimum erat, Scripturam ſacram interpretandi, & verbum Dei diſſeminandi. Utrumque egregie perſolvit Philippus unus ex ſeptem Diaconis, ut habetur Act. 8. Primum quidem in gratiam Eunuchi Æthiopis legentis Iſaiam Prophetam, cui dixit: *Putas ne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum ſi non aliquis oſtenderit mihi? Rogavitque Philippum ut aſcenderet, & ſederet ſecum. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt .... Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens a Scriptura iſta, evangelizavit illi J. ſum.* Alterum vero in Azoto. *Philippus autem*, ait S. Lucas, *inventus eſt in Azote, & pertranſiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.*

Inſtabis: Atqui non manuum impoſitio, ſed traditio libri Evangeliorum eſt materia eſſentialis. Ergo &c. Probatur ſubſumptum quoad utramque partem. Primoquidem patet ex eo, quod impoſitio manus facta ſit primis Diaconis ſolum ut miniſtrarent menſis, unde non potuit eſſe ſacramentalis. Altera vero pars, videlicet traditionem libri Evangeliorum eſſe ſolam materiam eſſentialem non una evincit ratio. 1. Ab ipſa vagiente Eccleſia Diaconi evangelizabant verbum Dei, ut modo dictum eſt de Philippo Diacono: Et certe fuit primum munus Eccleſiaſticum quo functi ſunt priores Diaconi, quippe qui modo lectione ſacra condirent menſas laicas, modo verbum Dei evangelizarent. 2. Vetuſta Pontificalia commemorant traditionem libri Evangeliorum, ut liquet ex Pontificali Egberti Eboracenſis, & Gemmeticenſi ann. 900. & Rothomagenſi ejuſdem ætatis, quæ ad Anglicanæ uſum Eccleſiæ ſcripta eſſe conſtat. Sed quiſque auſpicari poteſt, hunc ritum ante hanc ætatem in Anglia frequentatum fuiſſe, ſcilicet Diaconos per traditionem libri Evangeliorum fuiſſe ordinatos, cum nihil ſcriptis ſolemnioribus pro una tota natione mandetur, niſi prius longo tempore fuerit uſitatum. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam inſtantiæ partem, jam factum eſt ſatis; & de his in articulo ſequenti ex profeſſo ſermo redibit. Ceterum ſi ſeptem primi Diaconi eo ſolum ſcopo ab Apoſtolis inſtituti ſint, ut menſis laicis miniſtrarent, dubio-procul eorum ordinatio nec ſacra, nec ſacramentalis dicenda eſt, ſed mera fuit ad aliquod charitatis munus obeundum deputatio; quæ quidem omnia, & Conciliis, & SS. Patribus ita adverſantur, ut nullus Theologus ad hæc uſque tempora citra temeritatem contrarium propugnare auſus ſit.

Ad

Digitized by Google

Ad alteram partem dico, uſum diſſeminandi verbum Dei antiquitus non arguere traditionem libri Evangeliorum eſſe materiam eſſeutialem Diaconatus; ſin minus addendum foret ſacræ Eucharistiæ diſpenſationem utique eſſe materiam principalem, cum Diaconi ab ipſo Apoſtolorum tempore, illam in cœna Fidelibus diſpenſarent: Igitur cum prioribus ſæculis Eccleſia Diaconos ſola manuum impoſitione ordinaverit, argumentum eſt, illam ſolam eſſe materiam eſſentialem illius ordinis, traditionem vero libri Evangeliorum tantummodo integrantem; & iſtud unum arguit Pontificalium Angliæ antiquitas. Tametſi enim mos tradendi librum Evangeliorum tangendum promovendis ad Diaconatum ex Anglia ad Gallias uſque tranſierit, non omnes tamen Eccleſiæ hunc amplexi ſunt ritum: Nondum enim receptus erat ſæculo 14. in Anicienſi, in qua Durandus ex familia Prædicatorum Claromontenſium an. 1318. factus iſtius Eccleſiæ Epiſcopus, illum invexit.

Inſtabis: Impoſitio manuum non poteſt eſſe ullo modo materia eſſentialis Diaconatus: Ergo &c. Probatur antecedens. Materia Sacramenti ex Auguſtino debet habere aliquam aptitudinem ad effectum Sacramenti deſignandum: ſic aqua deſignat aliqualiter ablutionem interiorem per Baptiſmum operandam, eo ipſo quod de ſe eſt apta ad lotionem corporis: Sed impoſitio manuum ne quidem extrinſece deſignat ordinationem Diaconatus: Et probatur. Impoſitio manus eſt quid commune ordini Presbyteratus, tum Epiſcopatus, & tandem Confirmationis ſacramento: Igitur ne quidem extrinſece deſignat Diaconatus ordinem.

Reſpondeo 1. argumentum exuberare; ſi quid enim probaret, ne quidem Confirmatio, Presbyteratus, & Epiſcopatus forent Sacramenta, cum pro materia iſtorum ſacramentorum aſſignetur utique impoſitio manus.

Reſpondeo 2. negando antecedens. Ad probationem diſtinguo minorem: impoſitio manus ut determinata per verba non deſignat effectum ſacramenti Diaconatus, nego: ſecundum ſe, ſubdiſtinguo: non deſignat explicite, concedo: implicite, nego. Cum enim hujus Sacramenti effectus ſit gratia ac robur ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus, ut Diaconus ea qua par eſt & fidelitate & puritate inſerviat altari, recte pro materia habet manus impoſitionem, quæ deſignat quamdam in bono firmitatem dari: quia vero & gratia ſancti Spiritus eſt neceſſaria ad fidem coram Tyrannis audacter profitendam, & ad primaria altaris munia peragenda, ideo eſt communis ordinibus laudatis, ſicut & Confirmationi; ſed per verba quæ obtinent ſignificandi principatum, determinatur in individuo, modo ad unum, modo ad aliud Sacramentum. Et ſic patet reſponſio ad ulteriorem probationem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia eſſentialis Diaconatus eſt Impoſitio manuum, integralis Traditio libri Evangeliorum; Forma verò verba ab Epiſcopo prolata.

PRIMUM patet ex ipſa ſeptem Diaconorum ordinatione, quæ quidem ut legitur Act. 6. facta eſt ab Apoſtolis per manus impoſitionem. Concinit Concilium Carthaginenſe 4. capit. 1. can. 4. ſic tenet tota Eccleſia Orientalis, & Occidentalis.

Secundum facile etiam probatur ex Pontificali Gemmeticenſi annos circiter 900. ſuperante; huic accedunt omnia Ritualia Anglicana, immo & in Pontificali Romano traditur liber Evangeliorum Diacono tangendus, ſub præſcripta verborum forma; Tametſi autem Græci illam non admittant traditionem, quidam tamen Orientales aliquo modo eam adumbrant, namque: " Syri, Maronitæ, Diacono ,, poſt ſuam ordinationem, *ait Martenus hic* ,, *lib.* 1. *Rituum cap.* 8. *art.* 9. *pag.* 315. ,, tradunt Apoſtolum, ſeu librum Epiſtolarum Archidiacono, librum Evangeliorum cujus Pericopen intra Miſſarum ſolemnia legit. Simili modo Neſtoriani ,, librum epiſtolarum Diacono porrigunt, ,, lectori vetus teſtamentum, Presbytero ,, ſoli librum Evangeliorum. ,,

Tertium, utique ex dictis claret. Recenſuimus quippe formas juxta diverſa Pontificalia, quorum aliæ ſunt mere abſolutæ, aliæ vero etiam non nihil deprecatoriæ: Nec mirum, forma eſt id quod determinat materiam ad hunc, vel talem effectum

quod

quod quidem fit per verba, quorum proprium eſt aliquid ſignificare.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Nihil eſſentiale immutavit Eccleſia in materia Diaconatus, tametſi enim addiderit traditionem libri Evangeliorum, hoc ad explicationem ſolum fecit; manus enim impoſitio ad noſtra uſque tempora velut pars eſſentialis perſeverat.

Secundo: Ex eo quod traditio libri Evangeliorum ſit antiqua, non inde ſequitur eſſe materiam eſſentialem, cum impoſitio manus ſit prior, immo & Chriſtianiſmo coæva.

Tertio: Non eſt inconveniens aliquam materiam eſſe pluribus Sacramentis communem, cum rationem Sacramenti non ſubeat, donec accedat forma, quæ illam ad hunc potius effectum producendum quam alium determinat.

SECTIO TERTIA.

Utrum miniſtratio menſarum Laicarum, ſit primarium Diaconorum officium?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

OMNIA argumenta, quibus probavimus Diaconatum eſſe Sacramentum, probant etiam Diaconos primario & principaliter ad officia ſacra peragenda fuiſſe inſtitutos; quia tamen ſpeciales occurrunt circa iſtud momentum difficultates, non abs re erit impræſentiarum concluſionem variis illuſtrare rationibus.

Prima: Sacri Ordinis dignitas potiſſimum repetitur ex ipſa Ordinis collatione: Sed prima Diaconorum ordinatio, a qua cetera profluxerunt, nihil niſi ſacrum, vel in ipſo ſenſu obvio ſpirat: Igitur ſeptem Diaconi primario ad officium ſacrum, & non commune ordinati ſunt. Probatur minor ex ipſa ſacra Scriptura. Primo quidem ordinati ſunt Diaconi ipſa adunata & patrocinante Eccleſia. Sic enim habetur Act. 6. *Convocantes autem duodecim multitudinem Diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo Fratres, viros ex vobis ..... quos conſtituamus ſuper hoc opus*. Secundo ad hoc opus obeundum Apoſtoli a Concilio expoſtulavere, ut viri in Diaconos eligendi, eſſent gratia & Spiritu ſancto pleni: Ibidem. *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus*. Tertio, non ab inferioribus Sacerdotibus, ſed ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ principibus, ad quos ſolum ſpectabant ſacræ Ordinationes, inſtituti & ordinati ſunt. Pergit S. Lucas iſtam texendo Hiſtoriam. *Elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum*. Quarto non abſimili modo ab Apoſtolis facta eſt iſta ordinatio, ſicut fieri ſolet ordinatio Epiſcopi & Presbyteri, quippe quæ fiat per impoſitionem manuum, accedente oratione advocatoria Spiritus ſancti, qua deſignatur gratia, ut effectus a Sacramento producendus, ſicut contingit in ordinationibus Sacerdotum tum majorum, tum ſimplicium. Atqui res ſic ſe habet, juxta illa ejuſdem capitis verba: *Et orantes impoſuerunt eis manus*. Ergo &c.

Altera ſic exponitur: Qui ex officio & vi ordinationis ſuæ I. Verbum Dei diſſeminabant. II. Abſentibus Epiſcopo & Presbytero Catechumenos ſolemni baptizabant ritu. III. Euchariſtiam diſpenſabant, dubio procul ad officium ſacrum per ſe primo & principaliter ordinati ſunt; non enim Laici qui ſolum ad menſas communes adminiſtrandas inſerviunt, ad hoc indigent ſacra ordinatione, cum iſtud officium ſit quid commune & fidelibus & prophanis: Atqui Diaconi vi conſecrationis & ordinationis ſuæ hæc ſubibant munia; non enim Laicis hæc peragere licitum eſt, cum Saul tametſi Rex, quia tamen Laicus erat, a Deo propulſus eſt, eo quod incenſum adoleverit Domino, quo munere ſoli Levitæ fungebantur; ad hoc enim conſecratio requirebatur, dicente Apoſtolo Hebr. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Ergo &c. Probatur minor quoad ſingulas partes. De verbo Dei diſſeminando, res manifeſte claret.

claret. Tum ex S. Stephano qui, ut habetur Act. 7. prædicavit Chriſtum Scribis & Phariſæis propter quod lapidatus eſt. *Viri fratres & Patres audite*, ajebat &c. Tum & Philippo qui ibidem Act. 8. *Deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum*.

De baptizandis ritu ſolemniori Catechumenis audiendus eſt S. Hieronymus L. adverſus Luciferianos, ubi ait: " Non ab- ,, nuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudi- ,, nem, ut ad eos, qui longe in minori- ,, bus urbibus per Presbyteros & Diaconos ,, baptizati ſunt, Epiſcopus ad invoca- ,, tionem ſancti Spiritus manum impoſitu- ,, rus excurrat. ,, Rurſus Tertullianus L. de Baptiſmo cap. 17. hanc auctoritatem expreſſe tribuit Diaconis: " Jus, *inquit*, ,, dandi Baptiſmum Sacerdos habet: ,, dehinc etiam Presbyteri & Diaconi. ,, A quo, quæſo jus illud? Niſi ex ordinatione ſacra. Quandonam vero facta? Nonne cum Apoſtoli orantes impoſuerunt manus ſuper Diaconos: Igitur iſta cæremonia ordinati ſunt ad aliquid ſacrum, quandoquidem ad hoc per ſe primo hujuſmodi ordinatio tendebat.

De Euchariſtia adminiſtranda jamjam dictum eſt. Id confirmatur ex Juſtino Martyre Apol. 2. maxime vero ex Concilio IV. Carthaginenſi can. 38. decernente: " Ut Diaconus, præſente Presbytero, ,, Euchariſtiam corporis Chriſti popu- ,, lo, ſi neceſſitas cogat, juſſus ero- ,, get. ,,

Non injucundum erit hic ſubnotare in more fuiſſe poſitum Diaconos luſtrare carceres, tum ut Euchariſtiam ſanctis Confeſſoribus miniſtrarent, tum ut eoſdem in fide corroborarent; ita Cyprianus. Ergo &c.

Tertia hæc eſt: Qui ex eadem ordinationis virtute pœnitentes reconciliabant, certe primario ad aliquid ſacrum deputati ſunt: Atqui id muneris Diaconis utique incumbebat: Et probatur ex Alcuino, qui Lib. de divinis officiis in capite jejunii, dicit: "Si neceſſitas evenerit, & ,, Presbyter non fuerit præſens, Diaco- ,, nus ſuſcipiat pœnitentem, ac det ſan- ,, ctam communionem. ,, Succinit ordo Romanus in officio. Hinc in ordinatione Epiſcopus eos ſic alloquitur: " *Cogitate magnopere ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis; Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare.*

Quarta: Nullus poteſt regere Eccleſiam Dei ſine ſacra ordinatione: Atqui Diaconi non ſemel adſciti ſunt ad Eccleſiæ regimen: Et probatur ex Synodo Illiberitana can. 77. his verbis: " Si quis Dia- ,, conus regens plebem ſine Epiſcopo, vel ,, Presbytero aliquos baptizaverit, Epi- ,, ſcopus eos per benedictionem perficere ,, debebit. ,, Tum ex Tarrac. ann. 516. can. 7. " De Diœceſanis Eccleſiis, vel ,, Clero, id placuit definiri, ut Presbyte- ,, ri, vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt ,, cum clericis, ſeptimanas obſervent. Id eſt, ,, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, ,, qua expleta, ſuccedat ei Diaconus ſi- ,, militer. ,,

Quinta: Quotieſcumque ſancti Patres de Diaconorum officio loquuntur; vix unum aut alterum reperire eſt qui de menſis laicis faciat mentionem; ſed univerſim modo lectionem Evangelii, modo ſacræ Euchariſtiæ adminiſtrationem, modo etiam Verbi divini diſſeminationem commemorant, ut ex præcedentibus liquet: Sed hoc eſt irrefragabile argumentum Diaconos fuiſſe principaliter ad ſacrum officium ordinatos: Ergo &c.

Sexta: Quoties aliquis, ordinante Eccleſia, ad duo officia peragenda promovetur, illud quod ex duobus inſigne eſt, dicitur primarium inſtitutionis motivum: Sed ex traditione habemus Diaconos fuiſſe inſtitutos ad officia ſacra peragenda, eſto quod & ad menſæ diſpenſationem, longe tamen prævalet aliud Miniſterium: Igitur dicendum eſt Eccleſiam primario & principaliter ordinaſſe Diaconos ad officium ſacrum.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OPPONES: Scriptura ſacra Act. 6. expreſſe dicit electos & ordinatos fuiſſe Diaconos, ut miniſtrarent menſis: Igitur primario inſtituti ſunt Diaconi, ut miniſtrarent menſis.

Reſpondeo ſolutionem ex dictis patere, unde iterum eodem modo ſic diſtinguo conſequens: Diaconi inſtituti ſunt ut miniſtrarent menſis ſacris, concedo: Laicis & communibus, ſubdiſtinguo: ſecundario & quoad bonorum diſpenſationem, concedo: Primario, nego. Cum igi-

tur ut habetur Act. 2. Duplex tunc foret menſa, una quidem laica, quam ſubindigitat Apoſtolus 1. Cor. 11. his verbis: *Unuſquiſque cœnam ſuam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Altera vero ſacra, cum inter cœnandum ad imitationem Chriſti fideles ſacram ſumerent Euchariſtiam, ut ibid. habetur. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis &c.* Rurſus Act. 2. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.* Quæ quidem fractio, erat corporis Chriſti diſtributio, ut idem Paulus 1. Cor. 10. explicat, his verbis: *Panis quem frangimus, non ne participatio corporis Chriſti eſt?* Igitur non priori, ſed poſteriori menſæ ex officio Diaconi inſerviebant. Ceterum diſpenſatio bonorum Eccleſiæ non niſi Clericis dignitate præfulgentibus, ſcilicet aut Epiſcopis, aut Presbyteris, aut Diaconis committebatur: Igitur jam ſupponebat Eccleſia Diaconos in Ordine ſacro conſtitutos; cum illud miniſterium non conſecratione fiat, ſed ad conſecrationem ex honore ſubſequatur.

Inſtabis: Atqui Diaconi primario inſtituti ſunt ad miniſterium menſæ communis: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ordinati ſunt ad miniſterium diſtinctum a miniſterio verbi & orationis: Sic enim habetur Act. 6. *Conſiderate, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii, quos conſtituamus ſuper hoc opus, nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Igitur ad miniſterium commune, cum Apoſtoli Miniſteria ſacra ſibi reſervaverint.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et Apoſtoli non excludunt miniſterium ſacrum, concedo: Et excludunt, nego. Duo ut jam diximus erant officia; alterum miniſtrare menſis ſacris; alterum vero bona Eccleſiaſtica ſervare, & de his recte diſponere; utrumque dubio procul, vel ipſi peragebant Apoſtoli; primum quidem, ut patet 1. Cor. 11. ubi Apoſtolus præſens & ſacris miniſtrando menſis, cum quoſdam comperiſſet in cœna uſuali præcedente cœnam myſticam, de cibo & potu pluſquam par erat ſumpſiſſe, quocirca hujuſmodi indevotos increpat. De alio officio non eſt ambigendi locus, videlicet quod bona Eccleſiaſtica ad pedes Apoſtolorum afferrentur; cum ipſe Petrus tamquam principalis diſpenſator morte & Ananiam, & Saphiram ejus uxorem punierit, quod defraudato agri venditi pretio, unam tantum partem dediſſent. Sic enim habetur Act. 5. *Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore ſua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri conſcia uxore ſua, & afferens partem quamdam ad pedes Apoſtolorum poſuit &c.* Quia vero ut habetur ibid. cap. 6. *Multiplicabatur numerus diſcipulorum in Jeruſalem valde: multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Apoſtoli ut verbo Dei evangelizando inſtarent, & orationi, hoc eſt ſacrificio altaris offerendo, nomine ſiquidem Miniſterii ſacrificium intelligi conſtat ex Greco textu, in quo habetur λειτυργὸν ϖῦν αὐτῦν Porro λειτυργεῖν ſignificat ſacrificare. Unde hac de cauſa apud Græcos Miſſa λειτυργία dicitur; elegerunt & ordinarunt, ſeptem Diaconos; primo quidem ut miniſtrarent menſis ſacris, tum ſecundario, ut diſpenſarent bona Eccleſiaſtica, & curam de iis haberent: Igitur primario inſtituti ſunt ad officium ſacrum; nemo quippe dixerit Apoſtolos, quibus in miniſterio ſucceſſere Diaconi, menſis Laicis miniſtraſſe, quaſi panem, & vinum cuilibet fidelium diſtribuiſſent.

Inſiſtes: Scripturæ ſacræ ſenſus habetur per Patres; maxime per S. Hieronymum in textibus ſacris indagandis, ipſa teſtante Eccleſia, celeberrimum: Sed iſte S. Doctor aſſerit Diaconos non niſi ad miniſterium commune fuiſſe electos: Et Probatur. Epiſt. 89. ad Evagrium ſic loquitur de uno Diacono: " Quis patiatur ut menſarum &
" viduarum miniſter ſupra eos ſe tumidus
" efferret. " Ergo &c.

Reſpondeo 1. Opponendo Hieronymum Hieronymo, qui Epiſt. 85. ait: " Et ut
" ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas
" de veteri Teſtamento; quod Aaron &
" filii ejus, atque Levitæ in templo fue-
" runt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri,
" & Diaconi vindicant in Eccleſia. "
Audis S. Doctorem ſubſcribere Diaconos eſſe in Eccleſia, quod fuerunt in lege Moſaica Levitæ; iſti autem, ut ex textu ſacro liquet, vi ordinationi ſuæ erant ad miniſterium ſacrum conſociati.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Et eo loci S. Hieronymus ſic loquendo jactantiam inſolentis cujuſdam junioris Diaconi ſo-

lum

Secundo : Nec magis urget auctoritas D. Hieronymi vocantis Diaconos menſarum & viduarum Miniſtros, cum hoc eo ſolum ſenſu dicat, ut oſtendat eſſe inferiores Presbyteris, quos ex jactantia nonnumquam aſpernabantur : ſicque compreſſit eorum elationem.

Tertio : Canon ſextus-decimus qui tribuitur ſextæ Synodo, quo Diaconi excluduntur abſolute a miniſteriis ſacris, non eſt genuinus hujus Concilii fœtus, ſed potius Quini-ſexti, ſeu Trullani a Romana Eccleſia exploſi.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Subdiaconatu & quatuor Minoribus.

DE materia & forma illorum Ordinum pauca occurrunt dicenda, cum materia ſint inſtrumenta tangendo, forma vero verba quæ proferuntur ab Epiſcopo quum tradit inſtrumenta. Qualis ſit materia? Diximus parte 2. Diſſ. 6. pag. 972. & 973. Ex Concilio 4. Carthag. cap. 1. Non abſimilis eſt ea, quæ in Pontificali Romano ſub præſcripta forma legitur, quamque hic referre non abs re erit.

Materia & forma juxta Pontificale Romanum.

SUBDIACONATUS habet pro materia calicem vacuum, patenam vacuam, & librum Epiſtolarum, quibus reſpondet iſta oratio : *Videte cujus miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis*. Tum Archidiaconus tradit ei urceolos cum vino & aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia ſimiliter tangere debet. Huic materiæ hæc alia adjungitur oratio. *Oremus Deum ac Dom. noſtrum, fratres chariſſimi, ut ſuper hos ſervos ſuos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem ſuam & gratiam, ut in conſpectu ejus fideliter ſervientes, prædeſtinata Sanctis præmia conſequantur : Adjuvante D. N. J. C. qui cum eo vivit &c.* Tertio loco traditur utique omnibus Subdiaconis librum Epiſtolarum tangendum ſub iſta forma : *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Patris &c.* Pontif. Rom. pag. 27. 28. & 29.

Acolythus ordinatur traditione tum ceroferarii cum cereo, tum urceoli vacui. Prior materia hanc habet formam, & ſermo dirigitur ad omnes Acolythos. *Accipite ceroferarium cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini*. Amen. Poſterior vero iſtam. *Accipite urceolum, ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini. Amen*. Pontif. Rom. pag. 20. & 21.

Exorciſta ordinatur per traditionem libri Exorciſmorum cum hac ſequenti forma. *Accipite & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive Baptizatos, ſive Catechumenos*. Pontif. Rom. pag. 18.

Lector, eo prope modo ordinatur, videlicet per traditionem codicis Scripturarum. Epiſcopus, ſi adſint multi, hanc pronuntiat formam. *Accipite & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio &c.* Pontif. Rom. pag. 16.

Oſtiarius habet Claves pro ſuæ ordinationis materia, quas multi in unum congregatis præbet Epiſcopus ſub hac forma verborum, quibus eos ſic alloquitur. *Sic agite, quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Pontif. Rom. pag. 14.

Iſtos omnes Ordinum gradus S. Thomas hic 3. p. Supp. q. 37. art. 1. in Eccleſia admittendos eſſe probat duplici ratione : iſta. Primo quidem ex eo quod ſicut in corpore naturali multa ſunt membra, quorum non unum eſt officium, ſic & in corpore myſtico Eccleſiæ multi ſunt admittendi Ordines in varia diſtributos Miniſteria, quibus dignitas Sacerdotalis exaltetur. Alteram hanc ibidem ſubjicit. In veteri Teſtamento, nedum unus magnus Sacerdos, ſed & plures Levitæ ſub quo quilibet juxta ſuam vicem inſerviret altari, erant; Igitur a fortiori in novo plures debent eſſe Miniſtri, qui ſummis Sacerdotibus ea quæ ſunt neceſſaria, tum ad ſacrificium peragendum, tum ad ſacramenta diſpenſanda, miniſtrent. Quia vero hi omnes ſicut & Presbyteratus unum habent finem, ideo non multiplex,

ſed

Digitized by Google

ſed unicum eſt Ordinis Sacramentum .

Ibidem ſanctus Doctor art. 2. Ordinis ſacramentum in ſeptem dividit ordines . Primo , quia uſus Eccleſiæ ſic obtinuit . Secundo , Tot debent eſſe ordines , quot ſunt officia peragenda : Sed hujuſmodi officia ſeptem numerantur : Primus eſt Sacerdos , qui ſacrificium Deo optimo litat : Secundus , Diaconus , qui legit Evangelium : Tertius , Subdiaconus , qui librum Epiſtolarum , & ſic de ceteris . S. Thomas ibidem art. 3. quoſdam vocat ſacros propter materiam ſacram circa quam verſantur , ut Presbyteratus , Diaconatus , & Subdiaconatus ; quoſdam non ſacros , idcirco Minores nuncupatos , quippe qui non impediant Matrimonium contrahi , nec contractum dirimant . Sed num ſint omnes illi ordines Sacramenta , gravis eſt inter Theologos controverſia ? Num Subdiaconatus , & quatuor Minores habeant rationem Sacramenti , Bellarminus hic L. 1. cap. 7. & 8. tenet affirmativam ; non ſatis claret S. Thomæ mens circa iſtud momentum . Hic enim 3. p. Supp. a q. 34. uſque ad q. 41. excluſive dicit quidem Ordinem eſſe novæ legis Sacramentum , nimirum q. 34. art. 3. ſed nullibi reperies Subdiaconatum ab eo Sacramentum in particulari nuncupari ; immo q. 37. art. 3. expreſſe docet quatuor Minores non eſſe ſacros ; unde mirum eſt quoſdam Theologos propugnare vel iſtos inferiores Ordinis gradus juxta mentem ſancti Doctoris eſſe Sacramenta . Ne igitur incertą pro concluſione demus , nihil contra opinionem affirmativam propter reverentiam erga viros doctos , dicemus : Alteram uti faciliorem , & in ſenſu obvio veritati magis affinem hic ſubtexere animus eſt . Unde ſit

CONCLUSIO.

Opinio quæ propugnat Subdiaconatum , & quatuor Minores non eſſe ſacramenta , valde probabilis eſt .

Probatur rationibus Theologicis .

PRIMA ſic exponitur : Sacramenta fundamentum habent in ſacra Scriptura : Sed nullibi reperies in textu ſacro Subdiaconatum , & quatuor ordines minores eſſe totidem Ordinis ſacramenta partialia , cum ibi altum ſit de eis ſilentium , Ergo &c.

Altera : Sacramenta ſunt ex inſtitutione Chriſti : Sed neque ex novo Teſtamento , neque ex Traditione habemus ex Chriſto promanaſſe laudata : Et probatur . De Scriptura non eſt ambigendi locus propter rationem mox allatam . De Traditione res utique videtur manifeſta , namque Subdiaconatus undecim primorum ſæculorum ſpatio nonniſi ut ordo inferior habitus eſt . Sic teſtantur Cardinalis Bona L. 1. de rebus Liturg. cap. cap. 25. Morinus p. 3. de ſacr. ord. exercit. 1. & 12. Thomaſſinus Diſc. Eccl. Tom. 1. p. 1. L. 2. cap. 26. quam quidem non unum probat argumentum 1. S. Ignatius epiſt. ad Smirnenſes non alio modo loquitur de Subdiaconatu , a fortiori de ceteris inferioribus ordinibus . Ejuſdem eſt labii Concilium Antiochenum 2. in ſua ad Dionyſium Papam & ceteros Occidentales epiſtola . Hoc ipſum aſtruit S. Hieronymus in ſua ad Evagrium epiſtola , ubi ſolum de Epiſcopis , Presbyteris & Diaconis loquitur , ceteros vero Miniſtros ſilet . S. Auguſtinus ejuſdem eſt ſententiæ , quippe qui initiatos Subdiaconatu , Acolythatu , &c. vocet inferiores Clericos . Igitur Subdiaconatum & reliquos ſubſequentes ordines non habet ut ſacros . Sic loquitur Epiſt. 43. alias 161. n. 7. " Neque enim de Presbyteris aut ,, Diaconis , aut inferioris ordinis Cle- ,, ricis ; ſed de collegis *Epiſcopis* ageba- ,, tur ., His omnibus adjungitur Amalarius , L. 2. de offic. Eccleſ. c. 6. Eo loci propugnat Subdiaconatum , ceteroſque inferiores ordines eſſe dumtaxat de inſtitutione Eccleſiaſtica .

Tertia : Si Subdiaconatus , aliique inferiores ordines rationem Sacramenti haberent , dubio-procul Summi primorum ſæculorum Pontifices de his momentis locuti fuiſſent ; ſed hoc ſiluerunt , immo multi iſtos ordines , ut quid mere Eccleſiaſticum habent : Er probatur . I. S. Dionyſius Papa nihil corrigendum duxit in epiſtola Patrum ſecundi Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſatenum ab Euſebio allata , in qua tamen Synodici Patres inter maiores ordines ſolummodo Epiſcopos , Presbyteros & Diaconos commemorant . II. Joannes Diaconus L. 4. de vita S. Gregorii Magni cap. 31. ſcribit ſanctum Pontificem non aliis pœnis quam iis , quibus vel ipſi Laici rei puniuntur

Digitized by Google

tur, Subdiaconum gravioris peccati reum caſtigaſſe; cum tamen ſpeciales determineotur pro iis qui majoribus ordinibus ſunt iooitiati, quod ſane argumentum eſt S. Gregorium tunc temporis non habuiſſe Subdiaconatum ut ordinem majorem & ſacramentalem.

Quarta: Habemus ex veteribus Conciliis ea omnia quæ de ordinibus credenda ſunt: Sed ex nulla Syoodo conſtat eſſe fidei dogma Subdiaconatum, & reliquos inferiores eſſe ſacramentum; vel ipſum Concilium Tridentinum hoc non definivit, quod tamen faciendum erat, cum Sacramenta ſint fidei & objecta, & dogmata: Sed potius contrarium ſufficienter iodicavit: Et probatur. Laodicenum aote ipſam generalem Synodum Nicænam ſub S. Sylveſtro adunatum, ita Diaconum ſuper Subdiaconos & ceteros Miniſtros exaltat, ut velit iſtos ipſi ſubjici, & illum ut Miniſtrum ſacro & majori ordine initiatum honorari. Sic habetur can. 20. juxta primam canonum editionem: " Similiter autem & Diaconis honor habeatur ab obſequentibus, id eſt a Subdiaconis, & omnibus Clericis. ,, Juxta alteram editionem: " Similiter autem honorificetur & Diaconus a Miniſtris inferioribus, & omnibus Clericis. ,, Audis Subdiaconos nonniſi intra inferiores Miniſtros contineri, & Concilium eodem modo loqui, de eis ac de quatuor Minoribus, qui certe, etiam non diſſeotientibus contrariæ opinionis Doctoribus, e numero ſacrorum ordinum expunguntur.

Alterum quod pro concluſione aſtruenda laudamus, eſt Carthaginenſe 4. quod Diacono aſſignat ordinationem, qualis ſolum pro majoribus ordinibus adhibebatur, eam ſcilicet quæ per manuum impoſitionem fit; quæ quidem ſecernit Diaconum a Subdiacono, quem ad inferiores ordioes rejecit, uti ex ſola Eccleſiæ auctoritate inſtitutum. Sic loquitur cap. 1. can. 4. " Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat. ,, Tum can. 5. ſic proſequitur: " Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi, urceolum cum aqua, & manile, & manutergium. ,,

Præcedentibus Conciliis accedit Beneventanum, anno 1091. apud Yvonem decreti part. 5. cap. 72. in quo Urbanus II. ita loquitur: " Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum, hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia, ſuper his ſolis præceptum Apoſtolicum habemus, Subdiaconos vero quia & ipſi altaribus miniſtrant, opportunitate exigeote concedimus. ,, Audis ex Urbano Papa Diaconatum Apoſtolico inniti præcepto, Subdiaconatum vero ex mera Eccleſiæ ordinatione promanaſſe. Quod quidem confirmat Gratianus diſt. 21. ubi ait: " Levitas autem ab Apoſtolis ordinatos legimus: Subdiaconos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit. ,, Iiſdem prorſus terminis Petrus Lombardus Lib 4. diſt. 24. de Subdiaconis loquitur.

Quinta: Ille Ordo non eſt Sacramentum, cujus officia præſtare poteſt quilibet laicus: Atqui quilibet laicus poteſt Subdiaconi officia exercere, minime vero Diaconi: Ergo &c. Probatur minor. Laicus poteſt legere Epiſtolam, vel in ipſa Miſſa, a fortiori & Lector: Sed neuter poteſt in Eccleſia caotare Evangelium, nec offere cum Presbytero ſacrificium: Igitur Subdiaconatus & reliqui inferiores ordines non ſunt Sacramenta; immo nec ſacri, cum Subdiaconatus ordo ſolum ex conceſſione Eccleſiæ ſacer ſit, eo quod, illa permittente, tangat ſacra; at non omne ſacrum eſt Sacramentum, ait S. Thomas in 4. Diſt. 24. q. 2. art. 1.

Sexta: Non annumerandi ſunt inter Sacramenta illi Ordines, quorum modo unus ab alio abſtractus eſt, modo Ordine anterior, & modo etiam poſterior, ita ut varietas non ſemel in uſu aſſulſerit, quod certe repugat Sacramenti eſſeotiæ, quæ immutabilis eſſe debet: Atqui res ſic ſe habet: Et probatur, primo quidem ex Amalario Fortunato Trevirenſi Archiepiſcopo, qui Lib. 2. de Eccleſ. Officiis cap. 6. ait quidem Apoſtolum nominaſſe Presbyterum & Diaconum, tum de aliis Ordinibus hæc dicit: " Ceteri Ordines his adjecti ſunt, creſcente Eccleſia, crevit officium Eccleſiaſticum, ut multitudini Eccleſiæ ſubveniri poſſet: Adjiciuntur inferiores in adjutorium Præpoſitorum. Unde Ambroſ. in Tract. Epiſt. ad Timoth. illud vero dictis noſtris adjici ,, di-

,, dignum eſt: quoniam non convenit de-
,, mirari, ſi neque Subdiaconorum, ne-
,, que Lectorum memoriam Apoſtolus fe-
,, ciſſe videatur. Illis etenim gradibus fun-
,, ctionum qui in Eccleſia neceſſario haben-
,, tur, iſti poſtea magis ſunt adjecti pro-
,, pter utilitatem miniſterii, quod propter
,, multitudinem eredentium, per alteros
,, poſtea impleri debere neceſſitas flagita-
,, vit. Unde nec ordinationem ante al-
,, tare aſſequuntur, eo quod nec miniſte-
,, riis miniſtrare ſtatuuntur, ſed alii qui
,, oem eorum, Lectorum officium implent,
,, alii vero intra Diaconium illa præpa-
,, rant, quæ ad Diaconi pertinent miniſte-
,, ria; nec non ſolicitudinem implent lu-
,, minariorum. Nam myſterii miniſterium
,, Presbyteri ſoli implent & Diaconi. ,,
In his multa ſubnotanda ſunt: Primo quidem Subdiaconum & alios inferiores Ordines, ſolum ad quædam munia obeunda ex ordinatione Eccleſiæ nimirum, ut Sacerdoti & Diacono inſervirent, fuiſſe inſtitutos: ſecundo ſolum Sacerdotem & Diaconum implere myſterii miniſterium.

Quid plura adjiciam? Apud Græcos, ut plurimum non adeſt Subdiaconus, ſed Lector Subdiaconi munere fungitur, quinimmo Cantoratus, ſeu Pſalmiſtatus apud Græcos & Syros non ſecus ac Lectoratus & Subdiaconatus habetur ut ordo, ſi credamus Morino de ſacr. Ordinat. part. 3. exercit. 11. cap. 1. pag. 195. ſed Cantoratum nemo dixerit eſſe ordinem ſacrum: Igitur nec eſt Subdiaconatus, cum Orientales eodem modo loquantur de eo ac de Pſalmiſtatu. Morinus ibid. cap. 2. obſervat iſtorum miniſtrorum non ſemel ſubverſum fuiſſe ordinem: " Hoc eſt,
,, *inquit*, pag. 197. ſæpe Lectores Ordi-
,, natos fuiſſe, qui numquam fuerant
,, Oſtiarii; Acolythos, qui numquam,
,, fuerant Oſtiarii, Lectores aut Exorci-
,, ſtæ &c. ,, *S. J.* Chryſoſtomus primo conſtitutus eſt *Lector* a Zenone Tyri Epiſcopo, deinde Diaconus a Meletio Antiocheno, denique Presbyter a Flaviano Meletii ſucceſſore. Sic refert Georgius Patriarcha Alex. qui tanti doctoris vitam ſcripſit, vel ipſe Auguſtinus ex Laico invitus Ordinatus eſt Presbyter, ut expreſſe dicit Poſſidonius cap. 4. de ejus vita.

Septima: Num ordinatio Subdiaconatus & quatuor minorum ſit Sacramentalis, ex intentione Eccleſiæ quæ eis utitur, judicandum eſt: Sed ex ſcopo Eccleſiæ manifeſte ſequitur hanc Ordinationem non eſſe ſacramentalem: & probatur. Eo ſolum fine ſummi Pontifices in Eccleſiam hujuſmodi Ordines invexerunt, ne rudes officiis divinis vacarent, & Neophyti Presbyterio inaugurarentur antequam fidei dogmata & cæremonias ſacras didiciſſent: Igitur non ſunt Sacramenta, cum actus Sacramenti ſoli miniſtro rite ordinato & conſecrato competat. Hanc rationem urget Nicolaus I. Epiſt. 1. adverſus Photium ex Laico electum & ordinatum Patriarcham CP. " Verum iſte Pho-
,, tius, videlicet antea doctor prorupit,
,, quam doctus extiterit: Prius Magiſter
,, videri cupit, quam diſcipulus audiri.
,, Pridie auditor eſſe debuit, ac deinde
,, inſtitutor. Sed hic e contrario Cathe-
,, dram eligens, docere prius elegit, ac
,, deinde cœpit doceri, prius ſanctificare
,, curavit, ac demum ſanctificari: prius il-
,, luminare voluit, & poſtmodum illumi-
,, nari. ,,

Octava: Ordo ſacer & Sacramentalis ex modo, loco, & actibus dignoſcitur. 1. Presbyteri & Diaconi per impoſitionem manuum ordinantur. 2. In Sanctuario. 3. Intra Hierarchiam continentur, & ad eos, tum purgare, tum illuminare ſpectat: utique dum ſuſcipiunt ordinem proſternuntur. Sed perantiquus uſus obtinuit in utraque Eccleſia, Orientali ſcilicet & Occidentali ritus priores in ordinatione Presbyterorum & Diaconorum dumtaxat adhibere, nuſquam vero in Ordinatione Subdiaconorum; a fortiori ceterorum inferiorum ordinum. Ergo &c.

Nona hæc ſubjungitur. Ritus qui a ſimplici Sacerdote, accedente ſummi Pontificis diſpenſatione fieri poteſt, non eſt ſacer & Sacramentalis: Atqui ſimplices Sacerdotes quondam ex privilegio ipſis conceſſo Subdiaconos ordinaverunt: hoc enim conceſſit Gelaſius I. ut liquet ex ejus ad Epiſcopos Lucaniæ Epiſtola; quod quidem Privilegium nuſquam datum eſt pro majoribus Ordinibus Hierarchiam componentibus, videlicet pro Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu. Ergo &c. Quidam Diaconum ordinari poſſe ab Abbate Ciſtercienſi propugnant, ſed jus illud ipſi diſputatur; nuſquam

ſal-

ſaltem in Gallia, executioni demandatum eſt.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Quod inter Sacramenta annumeratur a Concilio Tridentino, uti Sacramentum habendum eſt: Atqui ita definitum eſt a Tridentino pro omnibus Ordinibus. Et probatur. Sacra Synodus Seſſ. 23. cap. 3. traditione ſuffulta docet Ordinem eſſe novæ legis Sacramentum, nec diſtinguit inter Ordines majores & minores: Igitur omnes Ordines, ex quibus unum coaleſcit Sacramentum, debent habere nullo quidem excepto gradu, rationem Sacramenti. Sic loquitur: "Cum „ Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditio„ ne, & Patrum unanimi conſenſu perſpi„ cuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ „ verbis & ſignis exterioribus perficitur, „ gratiam conferri, dubitare nemo debet, „ ordinem eſſe vere & proprie unum ex „ ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis: „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et ad veritatem definitionis Concilii ſufficit, ut duo priores Ordines habeant rationem Sacramenti, concedo: & ad hoc requiritur, ut quilibet Ordo hanc ſubeat rationem, nego: hoc poteſt illuſtrari exemplo hominis, qui eſſentialiter eſt homo, eo ipſo quo habet animam & corpus, tametſi uno aut altero pede, vel ex innato defectu, vel ex inflicto vulnere careat, cum pes non niſi de integritate corporis ſit. Pari & conſimili ratione ordo eſt vere Sacramentum, tametſi Subdiaconatus & ceteri inferiores Ordines hanc non ſubeant rationem: Nec mirum, Miniſtri inferiores ne quidem tangunt ſacra, ut primitus etiam legitur de Subdiacono: Igitur Subdiaconatus, Acolythatus &c. non ſunt Sacramenta, cum eſſentia Ordinis compleatur in Sacerdotio, nec niſi extenſive, vel ipſum ſpectet Diaconatum virtute ejus Ordinationis, quæ ex ſe & ſacra, & ſancta eſt, propter gratiam illi ex impoſitione manuum illi correſpondentem.

Eam eſſe Concilii mentem patet ex can. 3. & 4. in quibus Patres perſtringunt Lutheranos, qui Ordinem, ut figmentum vere humanum habebant, hinc miniſtros indiſcriminatim inter Laicos ſeligere non erubeſcunt. In primo quidem ſic loquitur: *Si quis dixerit ordinem ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei & ſacramentorum; anathema ſit*. Can. vero 4. eoſdem perſtringit his verbis: *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit*. Audis per ſacram ordinationem dari Spiritum ſanctum, nec fruſtra Epiſcopum dicere *Accipe Spiritum ſanctum*, quæ quidem verba dubio procul non dicit Præſul Ordinando Subdiaconum, & alios inferiores miniſtros; quod argumentum eſt iſtos Ordines non habere rationem Sacramenti.

Inſtabis: Atqui ſacra Synodus extendit rationem Sacramenti etiam ad inferiores Ordines: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ibid. cap. 2. recenſet cum Sacerdote & Diacono inferiores Ordines: Igitur Subdiaconatus & alii Ordines habent rationem Sacramenti. Ecce verba: "Cum „ autem divina res ſit tam ſancti Sacerdo„ tii miniſterium, conſentaneum fuit, „ quod dignius, & majori cum veneratio„ ne exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordi„ natiſſima diſpoſitione plures, & diverſi „ eſſent miniſtrorum Ordines . . . . . . „ De Diaconis ſacræ Litteræ apertam men„ tionem faciunt, quæ maxime in illorum „ ordinatione attendenda ſunt. Graviſſi„ mis verbis docent & ab ipſo Eccleſiæ „ initio ſequentium ordinum nomina, at„ que uniuſcujuſque propria miniſteria, „ Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorci„ ſtæ, Lectoris, Oſtiarii, in uſu fuiſſe „ cognoſcuntur. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Nominat Subdiaconatum, & alios inferiores Ordines, ut mere miniſtros, & gradus quibus aſcenditur ad Sacerdotium, concedo: ut Ordines ſacramentales, nego. Synodus eſt ſui ipſius interpres: Eo quippe loci inter illos gradus, vel ipſam annumerat tonſuram, quæ eſt ſolum præparatio ad Ordines; ſubjungit enim poſt verba in objectione

Digitized by Google

laudata: " Ita diſtributi, ut qui jam cle- ,, ricali tonſura inſigniti eſſeot, per mino- ,, res ad majores aſcenderent. " Tum de Diaconis loquens, illos a ceteris mioiſtris ſecernit, quod illorum ordinatio in Scripturis laudata ſit; ſubdit eoim: " ſed & ,, de Diaconis ſacræ Litteræ apertam men- ,, tionem faciunt; & quæ maxime in illo- ,, rum Ordioatione attendenda ſunt. ,, Cur quæſo, *maxime attendenda ſunt*, niſi quia Diaconorum & noo inferiorum ordinum ordinatio ſit ſacramentalis.

Inſiſtes: Subdiaconatus ab aliis inferioribus Ordinibus ſecernitur, quod ſit ordo major; ſic enim habetur ibidem de Ordinibus: " Cognoſcuntur, quamvis ,, non pari gradu; nam Subdiaconatus ,, ad majores ordines a Patribus, & ſacris ,, Conciliis refertur, in quibus, & de aliis ,, inferioribus frequentiſſime legimus: ,, Igitur ſaltem Subdiaconatus habet rationem ſacramenti.

Reſpondeo diſtinguendo: Subdiaconatus ab aliis inferioribus Ordinibus ſecernitur quod ſit ordo major ex inſtitutione Eccleſiæ, concedo: ex inſtitutione Chriſti, nego. Ordo ſacramentalis ille cenſetur qui habet annexam gratiam & ſpiritum ſanctum per impoſitionem manuum: non alio quippe modo Patres & Concilia cum de Ordinationibus loquuntur, dicunt dari ordinandis Spiritum ſanctum; ſic & propugnat eadem ſacra Synodus cap. 3. quæ ut probet ordinem eſſe Sacramentum, ait: *Dubitare nemo debet, ordinem eſſe vere & proprie unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis, inquit enim Apoſtolus: Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum meorum*.

Diaconi ordinatio fit per impoſitiooem manuum, nuſquam vero Subdiaconi; Epiſcopus enim extendens manum ſuper Diaconum ordinandum, ait, *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus in nomine Domini*. Tum proſequitur extenſam manum teneos dexteram: *Emitte in eos, quæſumus, Domine, Spiritum ſanctum, quo in opus Miniſterii tui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur. &c.* In ordinatione vero Subdiaconi altum eſt ſilentium de impoſitione manuum.

Replicabis: Atqui datur Spiritus ſanctus etiam Subdiacoois, & aliis inferioribus Miniſtris: Igitur par eſt utrobique ratio. Probatur ſubſumptum. Pontifex ordinando Subdiaconum ait: *Oremus Deum, ac Dominum noſtrum, fratres chariſſimi, ut ſuper hos ſervos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem, & gratiam; ut in conſpectu ejus fideliter ſervientes, prædeſtinata ſanctis præmia conſequantur*. Tum in ordinatione Acolythi, ait: *Deum Patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur in Ordine Acolythorum; quatenus lumen viſibile manibus præferentes, lumen quoque ſpirituale moribus præbeant*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ſubſumptum: Datur Spiritus ſanctus Subdiaconis, & aliis inferioribus Miniſtris quoad aliquos effectus, & hoc ex opere operantis, concedo: ſimpliciter & adæquate vi Ordinationis, ſeu ex opere operato, nego. Utrumque patet ex ipſo ritu ordinationum. Diaconum ordinando ait Pontifex: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur &c.* Ecce forma prolata dum manum impooit ſuper caput Diaconi: Sed ordinando Acolythum, hac ſolum forma ſine impoſitione manuum utitur: *Accipe urceolum, ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini. Amen*. In ordinatione vero Subdiaconorum, hac ſecluſa utique manuum impoſitione Epiſcopus eloquitur. *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritu ſancti. Amen*. Ex his patet beoedictioneni & gratiam pro iſtis Miniſtris expoſtulatas non niſi ex opere operantis, nuſquam vero ex virtute alicujus Sacramenti, & ex opere operato profluere.

Repones: D. Thomas Eccleſiæ ſenſum aſſequitur, maxime quum de dogmatibus tractat: Atqui ſimpliciter, expreſſe & abſolute Subdiaconum ioter Ordines majores & ſacros annumerat. Ergo &c. Probatur minor in 4. Sent. diſt. 24. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ſic loquitur: " Ad ,, tertiam quæſtionem dicendum, quod ,, ordo dicitur ſacer dupliciter: uno mo- ,, do ſecundum ſe, & ſic quilibet ordo ,, eſt ſacer, cum ſit Sacramentum quod- ,, dam: alio modo ratione materiæ circa

Digitized by Google

,, quam habet aliquem actum circa rem
,, aliquam conſecratam. Et ſic ſunt tan-
,, tum tres Ordines ſacri, ſcilicet Sacer-
,, dos, & Diaconus, qui habet actum cir-
,, ca corpus Chriſti, & ſanguinem conſe-
,, cratum; & Subdiaconus qui habet actum
,, circa vaſa conſecrata: & ideo etiam eis
,, continentia indicitur, ut ſancti & mun-
,, di ſint qui ſancta tractant. ,, Eo loci S. Doctor contendit Subdiacooatum non eſſe Sacramentum quoddam & ordo ſacer ſecundum quid, ut ceteri inferiores ordines: Sed Ordo major, & conſequenter ſacer & Sacramentum ſimpliciter. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Ex iſto D. Thomæ contextu manere quatuor inferiores ordines non habere ratiooem Sacramenti abſolute, nec eſſe ſacros.

Reſpondeo 2. Ex eodem textu ſequi Subdiaconatum rationem Sacramenti ſimpliciter dicti, ſibi non vindicare, cum Subdiaconus non habeat poteſtatem niſi circa vaſa ſacra; e contra vero Diaconus circa corpus & ſanguinem Chriſti. Neque vero quidquam urget quod S. Doctor ibidem dicat Sacramentum, item & diſtingui in ſeptem: Et totidem eſſe ordines qui veluti partes potentiales ſub uno continentur genere: Nam hoc non obſtante, quatuor minores non eſſe ordines ſacros expreſſe dicit S. Doctor. Igitur neque concludi poteſt Subdiaconatum eſſe Sacramentum, quamvis ſit ordo ſeu Ordinis gradus. Eſto quod circa vaſa ſacra occupetur, hoc ipſum etiam in aliquo ſenſu S. Thomas concedit pro minoribus Ordinibus, quos quædam eſſe Sacramenta partialia aſſerit. Idem quoque igitur de Subdiaconatu cenſet ſanctus Doctor. Quippe qui in eodem ſenſu loquatur ac Magiſter ſententiarum, quem interpretatur, in cujus textu nihil eſt quod arguat Subdiaconatum eſſe ſacramentum. Sic enim ibi ſcribit: " Ad Subdiaconum pertinet, ca-
,, licem & patenam ad altare Chriſti de-
,, ferre, & Levitis tradere, eiſque mini-
,, ſtrare; urceolum quoque cum aqua, ma-
,, nile & manutergium tenere: Epiſcopo,
,, & Presbyteris, & Levitis pro lavandis
,, ante altare manibus, aquam præbere.
,, Obſerves Grat. Sibdiaconos a Levitis ſecernere, adeoque Subdiaconatum non agnoſcere Sacramentum.

Ad id vero quod additur, S. Thomam dicere Subdiaconatum eſſe ordinem majorem, diſtinguo: ex ordinatione Eccleſiæ, concedo: ex ſe, nego. Innocentius prior fuit, qui Subdiaconatum, ut ordioem majorem habuit: & refertur io cap. 4. *Multis* 9. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum Lib. 1. tit. 14. Namque primum Urbani II. decretalis hæc verba, quibus Subdiaconatus a majoribus Ordinibus excluditur, commemorat: " Dia-
,, conatum dicimus, & Presbyteratum: hos
,, ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legi-
,, tur habuiſſe. ,, Tum ipſe inter majores ordines Subdiaconatum annumerat, his forſan impulſus rationibus, ut obſervatur in collationibus Lucioni Tom. 8. conſ. 4. q. 3. de ſacra Ord. quod S. Gregorius ſtatuerit votum caſtitatis ordini Subdiaconatus annecti, & poſtea Urbanus II. conceſſerit Subdiaconos, urgente neceſſitate, in Epiſcopos poſſe elegi. Ipſe vero, ſecluſa diſpenſatione, ſic promoveri permiſit. Ab Innocentio igitur III. dignitatis iſtud incrementum habuit, ut in poſterum ordo major & ſacer diceretur. Quod omnino non niſi novitatem ſpirat; hinc Petrus Eccleſiæ Pariſienſis cantor Innocentio III. coævus ſcripſit: " De novo inſti-
,, tutum eſt, Subdiaconatum eſſe ſacrum
,, ordinem. ,, Apud Pontas caſu XV. de Ordine.

Repones: Atqui ab omni ævo Subdiaconatus eſt Ordo ſacer, & major ſacramentalis. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. 1. Ab ipſo Chriſto inſtitutus eſt, quippe qui ejus munere functus ſit in cœna. Sic propugnat Magiſter Sent. L. 4. diſt. 24. q. 1. ubi de Subdiaconis, ait: " Hi cum or-
,, dinantur, accipiunt de manu Epiſcopi
,, patenam, & Calicem vacuum, ab Ar-
,, chidiacono vero urceolum, manile, &
,, manutergium. Hoc officio uſus eſt Do-
,, minus quando linteo ſe præcinxit, &
,, mittens aquam in pelvim, pedes diſci-
,, pulorum lavit, & linteo terſit. ,, Non abſimilia dicit Simeon Theſſalonicenſis Lib. de Ord. Græc. 2. Conc. Trident. Seſſ. 23. cap. 2. ſic loquitur: " Subdiaconatus
,, ad majores Ordines a Patribus, & ſa-
,, cris Conciliis refertur. ,, Quæ quidem verba falſa forent, ſi ſolum ab Innocentio III. inter majores Ordines annumeraretur. 3. Subdiaconatum eſſe Sacrameotum propugnat ſanctus Bonaventura, *Scotus* & alii. Ergo &c.

Reſpondeo II. Subdiaconatum non eſſe de inſtitutione divina, ut liquet ex probationibus, maxime cum undecim prioribus ſæculis, non niſi, ut quid commune habitus ſit, & ad officium aliquod in Eccleſia præſtandum ſicut ceteri Miniſtri inferiores, & ipſi Cantores inſtitutus.

Reſpondeo II. Negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: Chriſtus Dominus exercuit impropriè Subdiaconatus officium, concedo: proprie, nego. Implicat enim ſupremum & divinum Sacerdotem miniſtrare in altari, cum potius omnes Miniſtri inſtituti ſint, ut ipſi famularentur. Incaſſum ex allato humilitatis exemplo deducunt Subdiaconi inſtitutionem: Nec felicior eſt Simeon Theſſalonicenſis, qui ex aliquibus Chriſti actibus infert omnium ordinum, vel etiam minorum, quos S. Thomas non habet ut ſacros, inſtitutionem: ſicut Lectoratus Ordinis officium executioni demandaſſe Dominum dicit, quum annorum 12. natus, Doctores in templo docuit.

Ad Concilium Tridentinum diſtinguo: Ait ex Patribus & Conciliis ab Innocentio III. Subdiaconatum habitum fuiſſe ut ordinem majorem, concedo: ante Innocentium, nego. Cujus rei argumentum eſt, quod id de fide definire æquum non duxerit: Quia vero ante Innocent. Papam Subdiaconi, jam aliquod officium circa altare habebant, dicit ex Patribus & Conciliis eſſe majorem Ordinem, ſcilicet eſſe ſupra Ordines minores, immo & ſacrum, eo quod, conſentiente Innocentio, Subdiaconi tangant ſacra. Eam propter rationem Magiſter Sent. ait ibidem illos alligatos fuiſſe ad caſtitatis votum: "His *Subdiaconis*, lex continentiæ „ imponitur, quia altari propinquantes „ vaſa corporis & ſanguinis Chriſti por- „ tant. Unde illud implere debent. „ Mundamini, qui fertis vaſa Domini. „

Ad auctoritatem ex Theologis excerptam dico, eatenus ſolum eos dixiſſe Subdiaconatum eſſe Sacramentum, quatenus ordo in genere eſt; ſed dictum eſt ſupra, ad hoc ſufficere quod Epiſcopatus, Presbyteratus & Diaconatus rationem Sacramenti ſubeant, cum dignitas non a miniſtris, ſed a Rege, ſed a ſummo Sacerdote, denominetur. Igitur omnes Ordines, unus ſunt ordo unitate finis, non unitate Sacramenti, ita ut quilibet habeat Sacramenti rationem.

Inſiſtes: S. Ignatius Epiſt. ad Antiochenos, ait: " Saluto ſacros Diaconos, ſalu- „ to Hypodiaconos. „ Igitur Subdiaconi ſaltem, vel ipſa vagiente Eccleſia extiterunt: adeoque Subdiaconatus non eſt ordo recens ab Innocentio III. inſtitutus.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Subdiaconi ab ipſa vagiente Eccleſia exiſtebant quantum ad aliquod officium, concedo: Subdiaconatus ut Sacramentum, nego. Quidam erant miniſtri qui tunc altari inſerviebant, ſed non erant ſacri. Tum quia in pauciori erant numero, cum Diaconi ſæviente perſecutione, propter miniſtrorum penuriam, cuncta quæ Sacrificium offerendum ſpectabant, facerent. Solutio eſt D. Bonaventuræ, qui in 4. diſt. 24. art. 2. q. 1. reſp. ad tertium ſic loquitur: " Ratio autem quare non diſtinguebantur „ tur *Ordines*, erat propter paucitatem „ miniſtrantium, & propter paucitatem „ fidelium; ideo oportebat quod omnia „ officia darentur uni. „ Quid plura? S. Ignatius ſolos Diaconos vocat ſacros, nuſquam vero Subdiaconos.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Valde probabile eſt Subdiaconatum & quatuor Minores non habere rationem Sacramenti.

PRIMO: Sacramenta ſunt ex inſtitutione Chriſti: Sed nullibi in Scriptura ſacra legitur hujuſmodi Ordines eſſe Sacramenta. Ergo &c.

Secundo: Neque vero de hoc affulget ullum traditionis veſtigium, cum undecim prioribus ſæculis non niſi ut quid commune & ſine ſacris Officiis Subdiaconatus & quatuor minores Ordines habiti ſint; hinc ipſe Gregorius Magnus Subdiaconum quemdam gravioris criminis reum pœna laicali mulctavit. Ergo &c.

Tertio: Vel ipſe Subdiaconatus inter majores Ordines ab Innocentio III. Summo Pontifice annumerari cœpit. Igitur non a Chriſto, ſed ab Eccleſia tantum inter Ordines ſacros reponitur.

Digitized by Google

Synopſis argumentorum in contrarium & reſpoſionum.

PRIMO : Ne miremioi ſi ſacra Syoodus Tridentina inter Ordioes ſacros & majores Subdiaconatum reponat , cum quædam vaſa ſacra Chriſti ſaoguioem ſpoctantia Subdiaconus tangat ; eam enim tangendi poteſtatem Eccleſia potuit concedere : & traditio aliqua hoc innuit ; hioc Concilium ait juxta Patres & Goncilia illum ordinem eſſe majorem ; ad cujus rei veritatem ſufficit quoſdam Pootifices, & ab Inoocentio III. aliqua adunata Coocilia ſic celebraſſe Subdiaconatum , ſed non ait juxta Scripturam & traditionem Apoſtolicam eſſe Sacramentum , quo gratia conferatur , ſicut dicit de Ordine Seſſ. 23. cap. 3. Igitur Subdiaconatus eſt ordo major ſolum ſecundum quid , & ex inſtitutione Eccleſiæ .

Secundo : Verum quidem eſt ordinem ſecundum ſe & adæquate ſumptum eſſe Sacramentum ; Sed ad hoc non requiritur, ut vel omnes etiam Sacerdotis Miniſtri rationem Sacramenti ſibi viodicent : ſufficienter enim in Epiſcopatu , Presbyteratu & Diaconatu explicatur , ut affulgeat Ordiois Sacramentum , maxime cum iſti ſoli ad Ordinem Hierarchicum ſpectent .

Tertio : Non diffitoor quoſdam graviſſimos doctores in cootrariam propeodiſſe ſententiam : Sed hoc contigit ex eo quod Ordinem magis in genere & ſecundum ſe, quam ſecundum gradus, re non ſatis diſcuſſa, cooſideraverint : Quocirca facile utraque opinio conciliari poteſt , dicendo juxta mentem illorum doctorum , Subdiaconatum & quatuor Minores eſſe Sacramenta ratione finis, & Sacerdotii , in quo velut Miniſtri adunantur .

DISSERTATIO SEPTIMA
DE
INSTITUTIONE, MATERIA, FORMA, MINISTRO, DOTIBUS &c. SACRAMENTI MATRIMONII.

OMNI argumentorum genere probavimus in ſecunda hujuſce tractatus parte adverſus Proteſtantes, Matrimonium eſſe verum novæ legis Sacramentum. Nunc operæ pretium eſt, ut pro more Theologorum oſtendamus iſtud Sacramentum habere ſicut alia Sacramenta de quibus egimus, cuncta quæ dogmatibus & ſignis ſacramentalibus conveniunt, quæque juxta divi Thomæ mentem ad ſequentia reducuntur capita.

Primum, Quinam ſit auctor Sacramenti Matrimonii?

Secundum, Quæ ejus cauſa?

Tertium, Quid ſint ſponſalia, quæ debent præcedere?

Quartum, Quis dicatur Miniſter?

Quintum, Quæ bona?

Sextum, Quid nuptiæ ſecundæ?

Septimum, Qui actus honeſtus?

Octavum, Quæ impedimenta?

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine, & definitione Matrimonii.

Nomen.

MATRIMONIUM duplici modo poteſt conſiderari: videlicet ut eſt in officium naturæ, tum ut eſt novæ legis Sacramentum. Priuri modo multis celebratur numinibus; quandoque enim a matre nomen habet, eo quod incumbat matri prolis educandæ officium, ut ait S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. & hoc vocatur ſimpliciter Matrimonium: Nonnumquam a conjunctione duarum perſonarum, & ex hac conjugium dicitur: Quia vero a ſponſalibus ortum habet, non ſemel nuptiæ nuncupatur: " Et nubo, *ait D. Thomas hic 3. p. Suppl. q. 44. art.* 2. quia in ipſa ſolemnitate deſponſationis, qua Matrimonium perficitur, capita nubentium velantur." Eadem nomina tribuit Matrimonio Catechiſmus Romanus 2. p. de Matr. Sacr. n. 4. Poſteriori modo ſcilicet ut Sacramentum, appellatur unio in Chriſto, maris cum femina, juxta illud Apoſtoli ad Eph. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

Definitio.

NON una eſt Matrimonii definitio: ſi ſpectetur ut contractus naturalis a Creatore promanans, ab Hugone a S. Victore Lib. 2. de Sacrament. part. 11. c. 4. ſic delineatur, tum & a D. Thoma ibid. art. 3. *Matrimonium eſt duarum idonearum perſonarum legitimus de conjunctione conſenſus.* Non deſunt qui alio modo illud deſcribant, dicendo: *Matrimonium eſt conſortium communis vitæ, & communicatio divini & humani juris.*

Accuratior eſt definitio quam affert de Ma-

Matrimonio Catechiſmus Rom. hic num. 3. *Matrimonium*, ait, *eſt viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. I. Dicitur conjunctio, & in hoc potiſſimum Matrimonii eſſentia & ratio poſita ſunt, ut ex verbis ſubſequentibus liquet: " Nihil horum tamen Matrimo- ,, nii vim & rationem pruprie habere, ,, niſi obligationem illam, & nexum, qui ,, *conjunctionis* vocabulo ſignificatus eſt. ,, II. Additur *maritalis*, qua ſecluſa conjunctione, quælibet alia a ratione Matrimonii deficit. Pergit Catechiſmus: " Quoniam alia pactionum genera, qui- ,, bus viri, & mulieres obligantur, ut ,, ſibi mutuam operam præſtent, vel ,, pretii, vel alterius rei cauſa prorſus ,, aliena ſunt a Matrimonii ratione. ,, Apponitur, *inter legitimas perſonas*; quædam enim Matrimonio apponuntur leges, quæ ſi non ſerventur, Matrimonium inire non licitum eſt: " Quod vero, *ait* ,, *ibidem Catech.* extremo loco poſitum ,, eſt, *individuam vitæ conſuetudinem reti-* ,, *nens*, indiſſolubilis vinculi naturam de- ,, clarat, quo vir, & uxor colligantur. ,,

Si de Matrimonio ut Sacramentum eſt, loquamur, recte definiri poteſt, Gratiæ ſacrum ſignum practicum, quo unio Chriſti cum Eccleſia exprimitur. Ex eo quod ſit ſacrum ſignum, a quolibet ſigno naturali ſecernitur; per hoc quod ſit ſignum gratiæ practicum, convenit cum ceteris Sacramentis; ab illis vero differt, in eo quod ſpecialiter ſignificet, & producat unionem in Chriſto ſpiritualem inter conjugatos; hinc & ipſam unionem Chriſti cum Eccleſia non levius deſignat. De hoc momento audiendus eſt etiam Cath. Rom. ibidem num. 16. " Sacra- ,, mentum hoc magnum eſt: Ego autem ,, dico in Chriſto, & in Eccleſia. Nam ,, quod inquit, *Sacramentum hoc magnum* ,, *eſt*, nemini dubium eſſe debet ad Ma- ,, trimonium referendum eſſe: Quod ſci- ,, licet viri, & mulieris conjunctio, cu- ,, jus Deus auctor eſt, ſanctiſſimi illius ,, vinculi, quo Chriſtus Dominus cum ,, Eccleſia conjungitur, Sacramentum, ,, id eſt, ſacrum ſignum ſit. Atque hanc ,, eſſe eorum verborum proprium, & ve- ,, ram ſententiam, veteres ſancti Patres, ,, qui eum locum interpretati ſunt, oſten- ,, dunt, idemque ſancta Tridentina Syn- ,, odus explicavit. ,, Tum num. 17. ,, ſubdit: Sed gratiam quoque hoc Sa- ,, cramento ſignificari, & tribui, in quo ,, maxime ratio Sacramenti ineſt, ea Syn- ,, odi verba declarant, Gratiam vero, ,, quæ naturalem illum amorem perfice- ,, ret, & indiſſolubilem unitatem confir- ,, maret, ipſe Chriſtus, venerabilium ,, Sacramentorum inſtitutor atque perfe- ,, ctor, ſua nobis paſſione promeruit. ,,

Synopſis contentorum in articulo.

Matrimonium variis celebratur nominibus: ex S. Thoma dicitur modo Conjugium, a conjunctione perſonarum: modo Nuptiæ, a ſponſalibus quæ præcedunt, modo tandem Matrimonium, a matre cui incumbit curam prolis habere. Definitur a Catechiſmo Rom. hic parte 2. num. 3. *Viri & mulieris maritalis conjunctio inter legimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De cauſa inſtitutrice & motiva Matrimonii.

Matrimonium, ut dictum eſt, duplici modo conſideratur, videlicet ut quid naturale ad conſervandam humanam ſpeciem; deinde vero ut Sacramentum; & de eo ex utraque parte ſpectato diſſerimus.

CONCLUSIO PRIMA.

Matrimonium in ordine naturæ ſumptum habet pro cauſa inſtitutrice Creatorem.

Probatur rationibus Theologicis.

Prima: Deus, creato homine, Gen. cap. 2. dixit: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi &c.* Sed iſtæ voces denotant creatorem ex iſta cauſa hominem & feminam in perpetuam ſocietatem conjunxiſſe. Igitur Matrimonium habet Deum auctorem, cum nihil aliud ſit præter legitimam duarum perſonarum conſociationem, ex qua conjugium dicitur.

Al-

Altera : Matrimonium contrahitur ex mutua fide conjunctorum, qui ſibi invicem promittunt unionem indiſſolubilem, quod vocatur deſponſatio ſeu nuptiæ : Atqui Creator hanc ſtatuit inter virum & feminam unionem : Et probatur . Ibidem enim habetur, *Propter hæc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Ergo &c.

Tertia : Homo convenit cum muliere ut habeat prolem , qua mediante, ſuam ſpeciem ſervare queat: Sed hæc fecunditas eſt a Deo optimo , juxta illud Apoſt. Epheſ. 3. *Ex quo omnis paternitas in cælis*. Ergo &c.

Cauſæ motiva Matrimonii.

PRIMUM motivum eſt ut ſponſus & ſponſa in laboribus hujus vitæ perferendis mutuo ſe ſe adjuvent . Scriptum eſt enim Eccl. 4. *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quam unum : habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ : Si unus ceciderit , ab altero fulcietur . Væ ſoli , quia cum ceciderit , non habet ſublevantem ſe*. Quod quidem motivum Catechiſmus Rom. num. 13. ſic explanat . " Prima igitur ratio eſt, *ait* , hæc
,, ipſa diverſi ſexus naturæ inſtinctu expe-
,, tita ſocietas , mutui auxilii ſpe concilia-
,, ta : ut alter alterius ope adjutus , vitæ
,, incommoda facilius ferre, & ſenectutis
,, imbecillitatem ſuſtentare queat . ,,

Secundum motivum quo Deus ductus eſt, ut hominem cum femina conſociaret, fuit ut appetitus quo movetur homo ad ſui conſervationem , procreatione filiorum adimpleretur ; ſicut enim voluit cuncta animantia creſcere & multiplicari , ut replerent terram , ſic pariter & Protoparentes . Hunc conjugii finem commemorat Catechiſmus ibidem .

" *Altera* eſt procreationis appetitus ,
,, non tam quidem ob eam rem ut bonorum
,, & divitiarum hæredes relinquantur ,
,, quam ut veræ fidei , & religionis cultores
,, res educentur : Quod quidem maxime
,, ſanctis illis Patriarchis , cum uxores du-
,, cerent , propoſitum fuiſſe , ex ſacris lit-
,, teris ſatis apparet . Quare Angelus ,
,, cum Tobiam admoneret , quo pacto
,, mali dæmonis vim poſſet repellere , o-
,, *ſtendam* , inquit , *tibi* , *qui ſunt* , *quibus*
,, *poteſt prævalere dæmonium*. Ii namque ,
,, qui conjugium ita ſuſcipiunt , ut Deum
,, a ſe , & a ſua mente excludant , &
,, ſuæ libidini ita vacent , *ſicut equus* ,
,, *& mulus* , *quibus non eſt intellectus* , ha-
,, bet poteſtatem dæmonium ſuper eos :
,, Deinde ſubjicit : *Accipies Virginem cum*
,, *timore Domini* , *amore filiorum magis* ,
,, *quam libidine ductus* : *ut in ſemine*
,, *Abrahæ benedictionem in filiis conſequa-*
,, *ris*.

Pergit : " Atque una etiam hæc cauſa
,, fuit cur Deus ab initio Matrimonium
,, inſtituerit . Quare fit ut illorum ſit ſce-
,, lus graviſſimum , qui Matrimonio juncti
,, medicamentis , vel conceptum impe-
,, diunt , vel partum abigunt . Hæc enim
,, homicidarum impia conſpiratio exiſti-
,, manda eſt . ,,

Tertium motivum eſt , ut remedium concupiſcentiæ præſto adeſſet , ne , exardeſcente libidine , ſuperatus homo , in limo profundi non ſine evidenti animæ pernicie , infigeretur . Hujus etiam Matrimonii finis meminit Catech. Rom. & ſic proſequitur : " Tertia cauſa , quæ poſt primi
,, parentis lapſum ad alias cauſas acceſſit ,
,, cum propter juſtitiæ , in qua homo con-
,, ditus erat , amiſſionem , appetitus rectæ
,, rationi repugnare cœpit ; ut ſcilicet ,
,, qui ſibi imbecillitatis ſuæ conſcius eſt ,
,, nec carnis pugnam vult ferre , Matrimo-
,, nii remedio ad vitanda libidinis peccata ,
,, utatur . De quo ita Apoſtolus ſcribit ,
,, *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam*
,, *uxorem habeat* , *& unaquæque ſuum virum*
,, *habeat* . Ac Paulo poſt , cum docuiſſet
,, interdum orationis cauſa a Matrimonii
,, debito abſtinendum eſſe , ſubjecit , *Et*
,, *iterum revertimini in idipſum* , *ne tentet*
,, *vos ſatanas propter incontinentiam ve-*
,, *ſtram* . ,,

CONCLUSIO SECUNDA.

Matrimonii ut Sacramenti Inſtitutor eſt Chriſtus .

Probatur variis momentis .

PRIMO hac ratione generali : Chriſtus omnia novæ legis Sacramenta inſtituit : Sed eſt de fide definitum in Concilio Tridentino Seſſ. 7. can. 1. Matrimonium eſſe novæ legis Sacramentum , & hoc fuſo calamo probatum eſt in ſecunda tractatus parte . Ergo &c.

Se-

Secundo : Chriſtus ad hoc in mundum venit, ut diſſolveret opera diaboli, & pararet ſibi plebem perfectam, maxime educatione prolis : Sed ea potiſſimum ratione Matrimonium ad Sacramenti rationem elevavit, ut parentes magis fide quam corpore conjuncti, prolem in divinis præceptis inſtituerent, quod quidem eis ex officio incumbit, eo ipſo quo Matrimonium eſt Sacramentum, cum ad hunc tendat finem omnio ſacra conjugalis : Ergo &c. Iſta ratio eſt Catechiſmi Romani num. 15. his verbis : " Quemadmodum enim Matrimonium, ut naturalis conjunctio, ad propagandum humanum genus ab initio inſtitutum eſt : ita deinde ut populus ad veri Dei, & Salvatoris noſtri Chriſti cultum, & religionem procrearetur, atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa eſt. "

Tertio : Filius Dei humanæ unitus eſt naturæ, ut nos filios Dei etiam efficeret, juxta illud 1. Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* : Sed hoc fit per Matrimonium ut Sacramentum, quod teſte Apoſtolo, Eph. 5. *Magnum eſt Sacramentum, ego autem dico*, inquit, *in Chriſto & in Eccleſia*; namque non omnis conjunctio unionem hanc mirabilem ſignificat, ſed ſola ſacramentalis & ſupernaturalis, quæ a ſolo Chriſto profluere poteſt : Igitur Chriſtus eſt auctor & cauſa Matrimonii, ut Sacramentum ſpectatur. Iſta ratio eſt utique Catechiſmi Rom. ibidem num. 15. " Cum enim, *ait*, Chriſtus Dominus arctiſſimæ illius neceſſitudinis, quæ ei cum Eccleſia intercedit, ſuæque erga nos immenſæ charitatis certum aliquod ſignum dare, tanti Myſterii dignitatem hac potiſſimum maris, & feminæ ſancta conjunctione declaravit. Quod quidem aptiſſime factum eſſe, intelligi ex eo poteſt, quod ex omnibus humanis neceſſitatibus, nulla inter ſe homines magis, quam Matrimonii vinculum conſtringit, maximaque inter ſe vir, & uxor charitate, & benevolentia devincti ſunt; atque idcirco fit, ut frequenter ſacræ Litteræ nuptiarum ſimilitudine, divinam hanc Chriſti, & Eccleſiæ copulationem nobis ante oculos proponant. "

Synopſis contentorum in articulo.

PRIMO : Matrimonium ut contractus naturalis Deum creatorem inſtitutorem habet, quippequi maſculum & feminam produxerit eos, ut ſpeciem humanam generatione filiorum & filiarum conſervaret.

Secundo : Ut Sacramentum eſt, a Chriſto promanat, cum ſolus ſit Sacramentorum & cauſa & auctor.

ARTICULUS TERTIUS.

De Cauſa materiali, formali, & efficiente Matrimonii.

AD iſtam quæſtionem eliquandam, ſupponendum eſt cauſam efficientem Matrimonii eſſe contrahentes : de hoc ultro conveniunt omnes Theologi : cum enim Matrimonium ſit duarum perſonarum conjunctio in Chriſto & in Eccleſia, citra dubium eſt perſonas in unitatem convenientes, iſtam efficere conjunctionem, quæ quidem, ut ſupponitur, elevatur a Chriſto Domino ad Sacramenti dignitatem propter rationes non ſemel adductas. Supponimus etiam Matrimonii cauſam materialem eſſe corpora, mutuo ad invicem ſibi tradita, cum eo præſertim fine inſtitutum ſit Matrimonium, tum ad propagationem generis humani, tum ad ejus conſervationem, cujus corpora ſunt inſtrumenta ſeu etiam ſubjectum. Totum igitur difficultatis pondus impræſentiarum eſt de cauſa formali.

Circa iſtud momentum quæritur I. Num conſenſus ſit cauſa formalis Matrimonii. II. Num debeat ſenſibiliter exprimi. III. An hoc fieri queat per oratorem inter abſentes. IV. Num validum ſit, ſi ſolummodo occulte & clandeſtine fiat. Unde ſit

SE-

SECTIO PRIMA.

Num conſenſus abſolute requiratur ad rationem eſſentialem Matrimonii?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Matrimonium eſt Sacramentum magoum in Chriſto & in Eccleſia, repræſentans uoionem ipſius Chriſti cum ſua ſponſa, quæ eſt Eccleſia: Sed unio cordium, mutuo voluntatis conſenſu fit; ſin minus non unio, ſed potius disjunctio foret, quod quidem aperte repugnat: Igitur requiritur conſenſus ad rationem eſſentialem Matrimonii.

Altera, ſic expooitur: Matrimonium non in ſimplici coitu conſiſtit: alias non diſcreparet unio viri cum femina a conjunctione belluarum ad iovicem; abſurdum cooſequens: Ergo & antecedens. Iſta ratio eſt ſancti Chryſoſtomi, Homil. 32. in Matth. his verbis: “ Matrimooium non facit coitus, ſed voluntas. ”

Tertia: Per Matrimonium unus accipit poteſtatem in corpus alterius: Sed iſta poteſtas citra conſenſum partis, quæ eſt ſui Juris, non confertur. Ergo &c. Sic ratiocinatur ſanctus Thomas hic q. 45. art. 1. in argumeoto, *Sed contra*: “ Unus non accipit poteſtatem in eo quod eſt libere alterius, oiſi per ejus conſenſum: Sed per Matrimonium accipit uterque coojugum poteſtatem in corpus alterius, ut patet 1. Cor. 7. cum prius uterque liberam poteſtatem ſui corporis haberet: Ergo conſenſus facit Matrimooium. ”

Diluuntur Objecta.

OBJICIES: Quod eſt ex inſtitutione divina, non peodet ab humaoo conſenſu: Sed Matrimonium, utpote Sacramentum, eſt de ioſtitutione divina, ut oſtenſum eſt. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Quod eſt ex inſtitutione divina, non pendet a conſenſu humano, ut a cauſa prima, concedo: ut a cauſa ſecunda & applicativa quoad uſum, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Matrimonium ſecundum ſe habet Chriſtum auctorem, ut Sacramentum eſt: Sed ut contrahatur, habet hoc ab homine ut a cauſa ſecuoda. Sic reſpondet ſanctus Thomas ad difficultatem ibidem art. 1. ad 1. his verbis: “ Dicendum, quod Sacrameotorum prima cauſa eſt divina virtus, quæ in eis operatur ſalutem: Sed cauſæ ſecundæ ſive inſtrumentales, ſunt materiales operatiooes, ex divina inſtitutione efficaciam habentes: & ſic conſenſus in Matrimonio eſt cauſa. ”

Inſtabis: Idem non eſt cauſa ſui ipſius: Sed Matrimonium nihil aliud eſt præter conſenſum: Igitur conſenſus non eſt cauſa Matrimonii.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Matrimonium eſt ipſe conſenſus efficienter, concedo: eotitative & formaliter, nego. Matrimonium non eſt conſenſus, ſed unio duorum per conſenſum cauſata. Solutio eſt divi Thomæ ibidem ad 2. “ Matrimonium *ait*, non eſt ipſe conſenſus, ſed quædam unio ordinatorum ad unum, ut dictum eſt, quam conſenſus facit: nec conſenſus proprie loquendo, conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam ſignificat, ſed voluotatem ejus, qua factum eſt ut Eccleſiæ conjungeretur. ”

Repones: Illud a conſenſu non pendet, quod, ſecluſo conſenſu, poteſt eſſe: Atqui, ſecluſo cooſenſu cootraheotium, poteſt dari Matrimonium; & probatur: Princeps & Reſpublica poſſunt, premeote neceſſitate, aliquos tametſi invitos, ad Matrimooium contrahendum compellere, propter bonum publicum: Sed in hypotheſi noo foret conſeoſus, & tamen Matrimonium ratum haberetur, & filii ex illo progeniti forent legitimi: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et Matrimonium neutiquam eſſet, ſi deficeret conſenſus ioterior, concedo: ſecus, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Senſus eſt, Principem poſſe invitare aliquem pro bono publico ad contrahendum Matrimonium, immo & ſi opus eſt, miois compellere, oon ut iovitus nubat, ſed ut conſentiat nuptiis; ſecluſa eoim intentione, nullus ſacrameota & Baptiſmi, & Ordinis, & Mattimonii ſuſcipit, ut declaravit Innocentius III. cap. *Majores*.

Digitized by Google

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conſenſus eſt cauſa formalis Matrimonii .

PRIMO: Quia Matrimonium eſt cordium unio, quæ, ſecluſo conſenſu, non eſt.

Secundo: Matrimonium, ait Chryſoſtomus, non eſt mere coitus, ſed unio ex voluntate maritali, in quo ſecernitur a copula belluarum. Ergo &c.

Tertio: Nemo poteſt habere poteſtatem in corpus alterius perſonæ quæ eſt ſui juris, niſi ipſa velit. Ergo&c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Conſenſus non eſt cum ipſo Matrimonio confundendus, cum ab eo diſtinguatur, ſicut cauſa ab effectu.

Secundo: Idem ſub diverſo reſpectu poteſt eſſe cauſa efficiens ſimul & formalis unius ejuſdem effectus; hinc non implicat conſenſum active ſumptum, eſſe cauſam efficientem Matrimonii, formalem vero, paſſive uſurpatum, & ut terminatur ad unionem.

Tertio: Princeps poteſt quidem ſubditum compellere, ut pro bono publico conſentiat nuptiis, minime vero, ipſo ſemper reluctante, Matrimonium cauſare; voluntas quippe humana interius, ajunt Philoſophi, non poteſt cogi ad aliquid volendum, & conſequenter ad Matrimonium contrahendum, quod abſolute exigit conſenſum.

SECTIO SECUNDA.

Num requiratur ad valorem Matrimonii ut conſenſus ſenſibiliter exprimatur?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus D. Thomæ.

PRIMA ſic ſe habet: Quod jura præcipiunt, ſic debet fieri, maxime ſi in facto aliquid civile contingat: Sed jura præcipiunt conſenſum in Matrimonio exterius exprimi, eo quod Matrimonium ſit contractus nedum ſpiritualis, ſed & civilis: Et probatur ex divo Thoma, qui hic q. 45. art. 4. in argumento *Sed contra*, ait: " Innocentius III. dicit in decretali quadam in caſu iſto loquens. „ Sine conſenſu nequeunt cetera fœdus „ perficere conjugale. „ Ergo &c.

Secunda: Intentio requiritur ad Sacramentum, & quidem extrinſecus ſignificata, ſi negotium in ſocietate peragitur: Atqui Matrimonium in ſocietate humana contrahitur. Ergo &c. Sic diſcurrit S. Thomas ibidem his verbis: " Præterea, „ intentio requiritur in omnibus Sacra- „ mentis: Sed ille qui corde non con- „ ſentit, non habet intentionem Matri- „ monii contrahendi: Ergo non fit Ma- „ trimonium. „ Tum in corpore ſubjungit: " Sicut ſe habet ablutio exterior ad „ Baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc Sacramentum. „

Tertia habetur ibidem art. 2. his verbis: " Matrimonium eſt Sacramentum „ quoddam: Sed in omni Sacramento re- „ quiritur aliquod ſenſibile ſignum: Er- „ go & in Matrimonio. Et ita oportet „ ibi ſaltem eſſe verba exprimentia con- „ ſenſum ſenſibiliter. „

Quarta ibidem verbis iſtis per modum argumenti habetur: " In Matrimonio fit „ contractus inter virum & mulierem; „ ſed in quolibet contractu, oportet eſſe „ expreſſionem verborum, quibus ſe in- „ vicem homines obligent: Ergo & in „ Matrimonio oportet eſſe conſenſum „ per verba expreſſum. „

Quinta: Quod eſt de ſe indeterminatum, debet tum in Republica, tum in Religione determinari per verba, quia ex divo Thoma, 3. p. q. 60. art. 6. verba obtinuerunt ſignificandi principatum: Sed conſenſus de ſe indifferens eſt ad bonum vel malum: Igitur debet exprimi per verba ſenſibilia pro præſenti rem ſignificantia.

Ex rationibus Catechiſmi Romani.

PRIMA hæc eſt: Matrimonium non ſimplex donatio, ſed & pactio eſt in ſocietate humana. Atqui niſi exprimatur conſenſus inter virum & feminam, mutua non intelligitur pactio: Et probatur ex Catechiſmo R. qui hic n. 5. ſic habet: " Neceſſarium eſt, ut conſenſus verbis „ quæ præſens tempus ſignificant, expri- „ matur; neque enim Matrimonium eſt ſim- „ plex

„ plex donatio, ſed mutua pactio: Atque ita fit, ut conſenſus alterius tantum ad Matrimonium conjungendum ſatis eſſe non poſſit, ſed duorum inter ſe mutuum eſſe oporteat; atqui addeclarandum mutuum animi conſenſum verbis opus eſſe perſpicuum eſt. „

Secunda: Conſenſus interior ſolus non ſufficit. Igitur debet ſenſibiliter exprimi. Probatur antecedens multis momentis. Primo quidem, poſito ſolum interiori conſenſu, nihil conſtat uni parti de iis quæ vult alia. Secundo, Matrimonium eſt contractus quaſdam ſubiens conditiones, quæ niſi acceptentur, irritus manet: Sed niſi exprimantur, ne quidem hujuſmodi conditiones poſſunt cognoſci. Tertio, ſi conſenſus interior ſufficeret, vir centum leucis a muliere diſtans, illam poſſet, omiſſa etiam ejus voluntate, deſponſare; quod eſt abſurdum. Iſta ratio traditur ab eodem Catechiſmo ibidem n. 5. “ Si enim, *ait*, ex interiori tantum conſenſu ſine aliqua externa ſignificatione, Matrimonium conſtare poſſet, illud etiam ſequi videretur; ut, cum duo, qui disjunctiſſimis & maxime diverſis in locis eſſent, ad nuptias conſentirent, antequam alter alteri voluntatem ſuam, vel litteris, vel nuntiis declaraſſet, veri & ſtabilis Matrimonii lege conjungerentur: quod tamen a ratione, & ſanctæ Eccleſiæ conſuetudine, & decretis alienum eſt. „

Tertia: Matrimonium indiſſolubilitatem parit: Sed niſi conſenſus exprimatur de præſenti, non inducit indiſſolubilitatem: Et probatur ex eodem Catechiſmo ibidem n. 6. ubi ſic legitur: “ Atvero, qui Matrimonii fœdere alteri jungitur, quamvis poſtea pœniteat: tamen quod factum eſt, mutare, irritumque & infectum reddere non poteſt. Cum itaque conjugii obligatio nuda promiſſio non ſit, ſed ejuſmodi abalienatio qua re ipſa vir mulieri & viciſſim mulier viro corporis ſui poteſtatem tradit: idcirco neceſſe eſt verbis, quæ præſens tempus deſignant, Matrimonium contrahi: quorum verborum vis, poſtquam etiam enuntiata ſunt, permanet, virumque & uxorem indiſſolubili vinculo conſtrictos tenet. „

Solvuntur Objectiones.

OPPONES: Multi nubunt, quorum Matrimonium eſt ratum, tametſi loqui non valeant, ut muti. Igitur non requiruntur verba, quæ conſenſum exprimant.

Reſpondeo diſtinguendo: Et tales per ſigna ſuum poſſunt exprimere conſenſum, concedo: & hoc non ſufficit, nego. Verba ſunt in duplici differentia; quædam ſunt formalia, quædam vero virtualia, ut nutus: poſteriora defectu priorum ſufficiunt, cum voluntas ſufficienter per eos exprimatur. Sic reſpondet divus Thomas ad difficultatem hic q. 45. art. 2. ad 2. “ Dicendum, *inquit*, quod quamvis tales non poſſint vota ſua mutuo verbis exprimere, poſſunt tamen exprimere nutibus; & tales nutus pro verbis computantur. „

Inſtabis: Puella quandoque præ pudore ne quidem ſigna profert, & tamen eo ipſo quo eſt præſens, contrahit de præſenti Matrimonium. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ſufficit quod parentes pro ea reſpondeant, concedo: & non ſufficit, nego; modo enim non contradicat, ſtat Matrimonium. Solutio eſt divi Thomæ ibidem ad 3. his verbis “ Dicendum, quod ſicut dicit Hugo de ſancto Victore, eos qui conjunguntur, ſic oportet conſentire, ut inviccem ſe ſpontanee recipiant: quod judicatur fieri, ſi in diſpenſatione non contradicant, unde verba parentum computantur in caſu illo, ac ſi eſſent puellæ: ſunt enim ſufficiens ſignum, quod ſunt ejus, ex quo non contradicit. „

Catechimus Romanus ejuſdem eſt ſententiæ, hic n. 7. “ Verborum loco, *ait*, tum nutus & ſigna, quæ intimum conſenſum aperte indicent, ſatis ad Matrimonium eſſe poſſunt: tum ipſa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non reſpondet, ſed pro ea parentes loquuntur. „ Deinde vero ſubdit: “ Ex iis igitur Parochi fidelibus tradent Matrimonii naturam & vim in vinculo & obligatione ſitam eſſe, ac præter conſenſum eo, quo dictum eſt, modo expreſſum, ut verum Matrimonium exiſtat, concubitum neceſſario non requiri. Nam & primos parentes ante

pecca-

„ peccatum , quo tempore nulla inter „ eos carnis copula intercefferat, ut Patres teſtantur , vero matrimonio junctos fuiſſe plane conſtat . Quare a ſanctis Patribus dictum eſt, matrimonium „ non concubitu , ſed conſenſu exiſtere . „

Inſtes : Eodem modo ratiocinandum eſt de Matrimonio ac de voto, cum utrumque inducat obligationem : Sed conſenſus interior ſufficit ad votum : Igitur & ad Matrimonium celebrandum.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod Matrimonium ſit contractus ; hinc jura exigunt , ut contrahentium voluntates exprimantur, ne humana perturbetur ſocietas , & proles incertos habeat parentes , quibus incumbat curam ſui agere . Reſponſio hæc affertur a ſancto Thoma ibidem ad 1. ubi ſic diſcurrit : " Dicendum, quod in voto non „ eſt aliqua ſacramentalis obligatio , ſed „ ſpiritualis tantum, & ideo non oportet quod fiat ad modum materialium „ contractuum ad hoc quod obliget, ſicut eſt de Matrimonio. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Requiritur ad Matrimonium quod conſenſus exprimatur.

PRIMO : Quia Matrimonium eſt Sacramentum ; omne autem Sacramentum eſt eſſentialiter aliquid ſenſibile & manifeſtatum.

Secundo : Conſenſus eſt de ſe indifferens ad bonum & malum . Igitur neceſſe eſt ut per verba determinetur ad contractum ſacramentalem de præſenti celebrandum.

Tertio : Contractus multas ſubdit conditiones, modo de præſenti, modo etiam de futuro, quæ poſſunt abjici , niſi acceptentur : & de facto ſi ſint de futuro, jam non eſt Matrimonium , ſed ſolum Matrimonii promiſſio ſeu deſponſatio . Igitur requiruntur verba hic & nunc ut acceptetur in individuo.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Sufficiunt nutus , cum uſus obtinuerit ut verbis æquivaleant.

Secundo : Sufficit ipſe conſenſus parentum expreſſus pro puella nubenda , quæ præ verecundia nec verba , nec ſigna dat, modo expreſſe non contradicat , juxta illud adagium, *Qui tacet, conſentire videtur*.

Tertio : Votum abſque verbis fieri poteſt , cum ſit ſolum hominis ad Deum, qui renes & corda ſcrutatur ; ſecus vero in Matrimonio , quippe quod inducat obligationem ſacramentalem , adeoque ſenſibilem.

SECTIO TERTIA.

Num conſenſus inter abſentes per Procuratorem expreſſus ſufficiat ad Sacramentum?

CONCLUSIO.

Valet Matrimonium inter abſentes.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO : Quod ratum habet Eccleſia, ſic ab omnibus utique fidelibus habendum eſt : Atqui Matrimonium inter abſentes contractum, ſic habetur ab Eccleſia . Ergo &c. Minorem non unum probat exemplum inter Principes percelebre . Sic enim habitum eſt Matrimonium inter Ludovicum XIV. & Mariam Tereſiam ex ſtirpe Auſtriaca oriundam: Sic Matrimonium inter Delphinum iſtius Regis Chriſtianiſſimi primogenitum , & Duciſſam Bavariæ: Sic & multa alia quæ nominare ſuperſedeo.

Altera : Contractus civilis ubique gentium recte contrahitur per Oratores inter abſentes : Atqui Matrimonium eſt contractus nedum naturalis, ſed & civilis, cujus quidem ſpeciem non immutat, ſed ſolum perficit ratio Sacramenti. Ergo &c.

Tertia : Ubi adeſt materia , forma debita & Miniſter cum intentione faciendi quod facit Eccleſia , tunc eſt verum Sacramentum : Atqui iſta tria reperiuntur in Matrimonio inter abſentes celebrato : Et probatur . Primo quidem adeſt materia, adeſt & forma; ſiquidem dominium mutuum in corpora , ſicut & conſenſus per ſcripta oratori commiſſa exhibentur : Adeſt & Miniſter , videlicet Orator maſculum feminæ repræſentans . Ergo &c.

Quarta :

Quarta : Donatio bonorum facta homini abſenti, & ſcripto celebrata, juxta omnia jura tam divina quam humana, valida eſt; ita ut perſona teneatur alteri ſervire, vel bona ſua ei conſerre, ſi ad uoum aut alterum ſeſe adſtrioxerit: Sed vir & femina tametſi abſeotes ſcripto & ſervatis tum de more, tum de jure ſervandis, ſe mutuo dant: Igitur valet iſtud matrimoniale pactum.

Quinta : Eodem modo ratiocinandum eſt de Matrimonio ioter abſentes contracto, ac de eo quod contrahitur per interpretem, cum procurator viri reſpectu femioæ ſe habeat per modum interpretis: ſed valet Matrimooium per interpretem habitum: Igitur & per procuratorem contractum. Hoc confirmat iſtud juris axioma: *Quod quis per alium facit, per ſe facere cenſetur*. Rurſus & iſta juris civilis L. *Mulieres* ff. de Ritu Nuptiarum; *Mulierem abſenti per litteras ejus, vel nuntium poſſe nubere placet.*

Fit ſatis Objectionibus.

OBJICIES: Nullum Sacramentum inter abſentes fieri poteſt. Ergo &c. Probatur aotecedens. Subjectum debet eſſe præſens cum Miniſter pronuntiat formam, ſin minus nihil eerti haberetur de Sacramento. Ergo &c.

Reſp. diſt. Nullum Sacramentum inter abſentes valet, excepto Matrimonio, concedo: noo excepto, nego. Ratio diſcriminis eſt, quod ſolum Matrimonii ſacramentum, aliis ſecluſis, habeat rationem contractus; hinc non niſi inter præſentes alia Sacramenta adminiſtranda ſunt.

Ad probationem diſtinguo: Sacramentum exigit ſubjectum præſens moraliter, concedo; phyſice, ſubdiſtinguo: ſi conſiſtat in rebus mere phyſicis, ut Baptiſmus & Confirmatio, concedo: ſi habeat ſolum formam moralem, nego. Ad hoe eoim ſufficit præſentia moralis ſeu virtualis, & hæc per nuntium in Matrimonio exhibetur.

Inſtabis : Atqui etiam in Sacramentis quæ in rebus moralibus ſita ſunt, exigitur præſentia ſubjecti phyſica: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Pœnitentia ex actibus mere moralibus componitur, & tamen inter abſentes non valet: Igitur nec Matrimonium.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego paritatem: Ratio diſerepantiæ ea eſt, quod pęnitens ſit in Pęnitentia & teſtis ſimul, & aceuſator. Porro juxta juris axioma, nullus reus aut abſolvitur, aut damnatur, niſi audiatur: tum quia contritio eſt pars Sacramenti eſſeotialis, & cum hominis voluotas facile mutetur, nihil certi haberet Sacerdos Judex, niſi præſto haberet voluntatem pęnitentis contriti præſentem; ſed ad contractum qui cedit in utriuſque partis bonum, ſufficit quod conditiones per Oratorem apponantur, ſicut & utriuſque acceptatio.

Inſiſtes : Atqui eadem eſt utrobique ratio. Ergo &c. probatur ſubſumptum. Si in Pœniteotia requiritur præſens contritio, ne pęnitens ſuam immutet in detrimentum Sacrameoti voluntatem, ſic in Matrimonio requiritur perſonalis conſenſus, cum utraque pars poſt Nuncii diſceſſum, poſſit contractum factum abjudicare. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego iterum paritatem; modo enim probetur unam partem ante oratoris diſceſſum ſuam oon immutaſſe voluntatem, ſtat Matrimonium. Ad cautelam tamen poſt Matrimonium per Oratorem initum, partes quum ſunt præſentes ſuum addunt contractui eelebrato calculum.

Altera reſponſio hæc eſt, quod hic non ſermo ſit de voluntatum immutatione, ſed de veritate Sacramenti inter abſentes, quod certe omnibus fatentibus valet, modo vir & femina a voluotate contrahendi non diſceſſerint.

Repones : Atqui Matrimonium non eſt validum niſi hic & nunc partes ſint præſentes, ſicut in Pęnitentia. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ideo requiritur in ſacramento Pęnitentiæ ut penitens ſit præſens, quia forma ſuper præſentem pronuntiatur his verbis *Ego te abſolvo* : Sed ſimiliter in Matrimonio Sacerdos ait: *Ego vos conjungo* : quod non foret verum, ſi ſolum pronuntiaretur ſuper nuntios. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod in Pęnitentia Sacerdos eſt Miniſter, ſecus vero in Matrimonio; cum contrahentes ſint ipſi Miniſtri. Ceterum una pars eſt præſens, v. g femina,

mina,

mina, hinc Sacerdos ſuper eam recte pronuntiat formam & ſuper nuntium, qui virum præſentem exhibet.

Replicabis: Sacramentum producit phyſice gratiam: Sed ad hoc requiritur quod perſonæ ſint phyſice præſentes. Ergo &c.

Reſpondeo, gratiam produci phyſice in femina quæ eſt præſens, tum & in viro, ſi præſciens diem vel etiam horam qua ſacramentaliter conjungi debet cum femina, rectas adhibeat diſpoſitiones. Sed eſto quod in eo non producatur phyſice, poteſt ſaltem moraliter produci, quod ſufficit, cum non ſit neceſſarium Sacramenta ſemper gratiam phyſice producere: immo dato & non conceſſo, quod in mala tunc verſaretur diſpoſitione, modo in eo perſeveraret contrahendi Matrimonium intentio, vere ſuſciperet Sacramentum, tametſi ejus gratia privaretur, ſicut contingit impio qui cum obice accedit ad Pœnitentiam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Matrimonium inter abſentes contractum valet.

PRIMO ſic ſtatuit Eccleſia, quæ ratum habet hujuſmodi Matrimonium.

Secundo: Matrimonium eſt contractus: Sed apud omnes contractus valet inter abſentes. Ergo &c.

Tertio: Matrimonium valet per interpretem initum. Igitur & per procuratorem inter abſentes.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

Primo: Licet alia Sacramenta non valeant inter abſentes, bene tamen Matrimonium, quippe quod ſit de natura ſua contractus; ubique autem gentium valet contractus inter abſentes per nuntium initus.

Secundo: Non eſt eadem ratio de Matrimonio ac de Pœnitentia, quia in Pœnitentiæ Sacramento, pœnitens eſt teſtis & accuſator ſui, nec abſens judicatur, niſi audiatur; ſed in contractu inter abſentes celebrato, recte conditiones per ſcripta & explicantur, & acceptantur.

Tertio: Gratia ſacramentalis producitur in femina quæ eſt præſens; in viro vero, ſi tunc debitas adhibeat animæ diſpoſitiones, cum ſibi incumbat die præſcito, ſuo Confeſſario deponere peccata, & ad ſacram Euchariſtiam accedere.

SECTIO QUARTA.

Num valeat Matrimonium clandeſtinum?

CONSENSUM eſſe cauſam formalem Matrimonii, ex dictis conſtat: ſed præter difficultates de modo illum exprimendi una iſta ſupereſt, videlicet, an conſenſus in occulto expreſſus ad validitatem Sacramenti ſufficiat? Quæ quidem quæſtio a Theologis reſolvenda traditur de duplici ætate, nempe ante & poſt Concilii Tridentini adunationem.

Matrimonium clandeſtinum fuiſſe ab omni ævo illicitum non una eſt probatio, cum Syricius Papa illud habeat ut meram fornicationem, & Concilium quoddam vetus Londinenſe a quibuſdam terræ motus nuncupatum, ut quid abominabile deteſtetur: Etvero filii per hujuſmodi Matrimonia incertos habent parentes; ſicque ut plurimum deſunt qui nedum vitæ probæ inſtituendæ, ſed & conſervandæ invigilent. His accedit, quod ſæpius ſic contrahantur, ut libidini vacent contrahentes, & magis concupiſcentiæ explendæ, quam amoris honeſti prolis motivo celebrentur. Neque vero magis per ea conſulitur reverentiæ parentibus debitæ, qui innato jure habent filiorum mores probandos, quos ſic debent dirigere, ne effrænatis libidinis ardoribus ſuperati, tum in familiæ dedecus, tum in patrum ignominiam, maxime vero in propriæ animæ perniciem, ut ſæpe contingit, aliquid faciant. Totum igitur controverſiæ pondus de validitate Matrimonii per occultum conſenſum initi, ſive ſit quandoque licitum, ut quidam putavere, ſive nullo modo, procedit. Pro quorum eliquatione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Ante Concilium Tridentinum, valebat Matrimonium clandeſtinum.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod nec Scriptura ſacra, nec Patres, nec Eccleſia vetant, ſaltem ut quid licitum habendum eſt: Atqui ante Concilium Tridentinum nulla ex his capitibus auctoritate Matrimonium clandeſtinum erat prohibitum: Ergo &c. His accedit definitio ipſius Concilii Trid. Seſſ. 24. de Reform. cap. 1. ubi ait: " Dubitandum non eſt clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit."

Secunda ſic ſe habet: Poſitis omnibus requiſitis, fit Sacramentum: Sed in Matrimonio clandeſtino cuncta adſunt: nam & traduntur corpora, & conſenſus traditionis mutuæ per verba de præſenti exprimitur. Ergo &c. Iſta ratio eſt D. Thomæ hic q. 45. art. 5. in arg. *Sed contra*, his verbis: " Poſita cauſa ponitur effectus: Sed cauſa ſufficiens Matrimonii eſt conſenſus per verba de præſenti expreſſus: Ergo ſive fiat in publico, ſive in occulto, Matrimonium ſequitur."

Tertia: Sacramentum tribus potiſſimum conficitur, ſcilicet materia, forma, & perſona Miniſtri habente intentionem Eccleſiæ: Atqui adeſt materia, forma, & Miniſter, cum contrahentes ſint Miniſtri, & mutuo exhibeant per conſenſum materiam & formam: Ergo &c. Sic ratiocinatur ibidem Angelicus Doctor in ulteriori argumento *Sed contra*: " Ubicumque eſt debita materia, & debita forma Sacramenti, ibi eſt Sacramentum; ſed in occulto matrimonio ſervatur debita materia, quia ibi ſunt legitimæ perſonæ ad contrahendum; & debita forma, quia ibi ſunt verba de præſenti conſenſum exprimentia; ergo eſt ibi verum matrimonium."

Quarta: Ubi agitur de Matrimonio liber eſt homo independenter a quocumque illud contrahere. Igitur etiam in occulto poteſt valide contrahi Matrimonium; nec aliud exigit Apoſtolus 1. Cor. 7. præter conſenſum; ſic enim loquitur: *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, & ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, ſi nubat.*

Quinta: Contractus naturalis in hoc a mere civili ſecernitur, quod ille, omiſſis ſolemnitatibus, poſſit fieri, nec aliud exigat præter cordium unionem, quæ voluntatis conſenſu fit & completur: Sed Matrimonium eſt contractus naturalis, nec ab hac dote uſquam recedit. Ergo &c.

Sexta: Quod eſt mere accidentale non tollit rei eſſentiam: Sed quod Matrimonium fiat coram Parocho erat quid mere accidentale, ante Concilii Tridentini adinationem, cum nec ſit Sacramenti Miniſter, nec poſſit impedire cordium unionem intus formatam, & exterius expreſſam. Ergo &c.

Septima: Promiſſio in occulto viva voce, vel ſcripto facta inducit partibus Matrimonium contrahendi obligationem. Igitur & valet in occulto celebratum Matrimonium, cum par ſit utrobique ratio.

CONCLUSIO SECUNDA.

Poſt Concilium Tridentinum Matrimonium clandeſtinum eſt irritum.

Probatur variis momentis.

PRIMO: Eſt de fide definitum in Concilio Tridentino Eccleſiam poſſe impedimenta dirimentia Sacramento Matrimonii apponere; ſic enim habetur Seſſ. 24. can. 4. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.* Sed inter varia quæ affixit Matrimonio, unum eſt, quod conſenſus in occulto expreſſus, ad Sacramentum non ſufficeret. Ergo &c.

Secundo: Sacramentum eſt contractus: Sed ubique gentium contractus poteſt ſubire conditiones, quæ ſi deſint, non eſt validus. Hanc autem appoſuit Eccleſia, ut publice coram Parocho & teſtibus contraheretur Matrimonium. Igitur, hac prætermiſſa, non valet.

Tertio: Poteſtas Eccleſiæ tantum roboris habet in rebus moralibus ſpiritualibus, quantum habet Princeps pro civilibus:

libus : Sed Rex quaſdam poteſt exigere pro contractu civili conditiones , quæ ſi deſint non valeat . Igitur ſimiliter & Eccleſia poteſt quaſdam determinare pro contractu ſacramentali , v. g. ut conſenſus in Matrimonio publice annuntiaretur. Ergo &c.

Pro coronide probationum juvat hic texere decretum Concilii Tridentini , quod Seſſ. 24. de reform. cap. 1. irritat Matrimonia clandeſtina his verbis . *Qui aliter quam præſente Parocho , vel alio Sacerdote de ipſius Parochi , ſeu Ordinarii licentia , & duobus , vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt ; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit , & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit , prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat .*

Diluuntur Objecta contra primam Concluſionem .

OPPONES : Evariſtus Papa Matrimonia clandeſtina ut fornicationes & adulteria habet , & refertur cap. *Aliter* 30. L. 5. Igitur vel ante ipſum Concilium Tridentinum Matrimonium in occulto celebratum non erat validum .

Reſpondeo I. Decretalem Evariſti Papæ eſſe dubiæ fidei , nec alias niſi a Siricio ut genuinas habent viri doctiſſimi , ſi quaſdam excipias decretales , ut Victoris I. contra Quartodecimanos , & Stephani I. adverſus Rebaptizantes a ſanctis Patribus celebratas .

Reſpondeo II. diſtinguendo : Evariſtus Matrimonia clandeſtina habet ut adulteria ſuſpicative , & in foro externo , quia Reipublicæ non patent , concedo : & hoc non ſine fundamento , cum multi , relicta propria uxore , ad aliam convolarent : vere & rigoroſe , nego. Quod hoc fuerit Evariſti ſententia liquet ex Concilio Colonienſi ſub Paulo III. adunatum , quod quidem part. 7. cap. 43. deſiderat ut Concilium Oecumenicum tale renovet decretum , ut quæ huc uſque fuerant licita , tunc irrita evaderent : " Optandum , *ait* , ut canon Evariſti Pontificis , Concilio generali renovetur , tollanturque illa clandeſtina Matrimonia , quæ invitis parentibus ac propinquis , Veneris potius quam Dei cauſa contrahuntur . . . . Interea vero donec Eccleſia de hoc proſpiciat , ſi non irrita , prohibita ſaltem ſint . "

Inſtabis : Qui eſt ſub poteſtate alicujus , nequit inſcio Superiore inire contractum ; hinc contractus inter pupillos abſque tutore initi , nulli ſunt : Sed puella v. g. eſt ſub poteſtate parentum . Igitur occulte quocumque tempore Matrimonium contrahere non potuit .

Reſpondeo , ſermonem futurum eſſe ſequenti articulo de hac difficultate . S. Thomas hic q. 45. art. 5. ad eam reſpondet his verbis : " Puella non eſt in poteſtate patris quaſi ancilla , ut ſui corporis poteſtatem non habeat : ſed quaſi filia , ad educandum : Et ideo ſecundum hoc quod libera eſt , poteſt ſe in poteſtatem alterius abſque conſenſu patris dare ; ſicut etiam poteſt aliquis , vel aliqua intrare religionem abſque conſenſu parentum , cum ſit perſona libera . "

Repones : Ante Concilium Tridentinum Matrimonium clandeſtinum jam erat prohibitum , ut ex illa Synodo Seſſ. 24. de ref. cap. 1. habemus , cum ait : " Sancta Dei Eccleſia , ex juſtiſſimis cauſis , illa ſemper deteſtata eſt , atque prohibuit . " Sed quod eſt ab Eccleſia prohibitum , irritum eſt , ut patet de Matrimonio inter conſanguineos ſecundi gradus contracto . Igitur etiam ante Concilium Tridentinum Matrimonium in occulto celebratum nullum erat .

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Ante Concilim Trid. Matrimonium erat prohibitum ut quid anſam præbens ad multa peccata , ſeu etiam vitæ filiorum incommoda , quippe qui vix cognoſcerent parentes a quibus auxilium pro vita alenda vel fovenda exigerent , concedo : ut invalidum , nego majorem . Et ſic diſtincta minore , nego conſequentiam . Ad exemplum , nego paritatem . Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 4. his verbis : " Dicendum , quod non ſunt prohibita clandeſtina Matrimonia quaſi contra eſſentialia Matrimonii exiſtentia : Sicut ſunt prohibita Matrimonia illegitimarum perſonarum , quæ ſunt materia indebita huic Sacramento . Ideo non eſt ſimile . "

Digitized by Google

Solvuntur Objectiones contra ſecundam Concluſionem.

OPPONES : Eccleſia non poteſt immutare eſſentiam Sacramentorum, cum conſtet ea omnia eſſe a Chriſto Domino inſtituta : Sed in hypotheſi quod irritaret Matrimonium clandeſtinum, jam eſſentiam Sacramenti immutabit, cum eſſentia hujus Sacramenti potiſſimum ſita ſit in conſenſu per verba de præſenti expreſſo ; nunc vero ſi hoc fiat occulte, non ſufficit. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo : Eſſentia Sacramenti ſita eſt in conſenſu ut ſic, & ſecundum ſe ſpectato, concedo : in conſenſu tali vel tali modo expreſſo, nego. Manet ſemper conſenſus, adeoque, & eadem eſſentia : Sed ſi non fiat publice jam non eſt conſenſus formalis, ſed tantummodo materialis ; & hoc defectu conditionis ab Eccleſia appoſitæ, quæ exigit ut publice enuntietur, ad hoc ut ſit formalis.

Inſtabis : Atqui hoc ſemel admiſſo, eſſentia Matrimonii ante omnia eſt contractus naturalis, qui nullas ſubit alias conditiones, niſi ut naturaliter per verba de præſenti exprimatur : Sed ſi ratio iſta, quod hoc fiat coram Parocho & teſtibus requiratur, jam non eſt naturalis contractus. Ergo &c. Confirmatur : Naturalis contractus id ſolum exigit ut fiat inter perſonas legitimas, unde ea ſolum ratione illum inter conſanguineos prohibuit Eccleſia quia iſta deficit conditio, minime vero inter virum & feminam nullo aut conſanguinitatis, aut affinitatis nexu propinquos. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo ſicut prius : Matrimonium eſt contractus naturalis ſimul & liber, concedo : & non eſt liber, nego. Unde diſtinguo minorem : ſi requiratur conditio Matrimonium non eſt contractus naturalis neceſſarius, concedo : non eſt contractus liber, nego. Voluntas ſe habet dupliciter ad actus ſuos : Primo quidem ut natura, deinde vero ut libera : Priori modo agit ex impetu, & nulla prævia electione, ut in actibus primo-primis, & in aliis quibuſdam, ubi operatur ex impetu & proprio pondere : poſteriori modo e contra : hinc quia eſt libera, naturale eſt homini cum deliberatione, & cum quibuſdam diſpoſitionibus in rebus moralibus ſe gerere, quocirca jus gentium ipſi juri naturali quaſdam appoſuit conditiones, quæ ſi deficiant, non acceptatur, quippe quod tunc ſit præter intentionem naturæ, quæ, his omiſſis, proprio defraudatur bono, & fine ; unde omnes homines volunt iſtas conditiones, nec eas niſi concupiſcentia aut vitæ aut carnis illuſi propellunt in individuo. Eccleſia igitur non adverſatur contractui naturali, quaſdam alligando Matrimonio contrahendo conditiones, ſed potius illum perficit, eum ad debitum finem conducendo.

Ad confirmationem diſtinguo : Naturalis contractus exigit ſolum ut fiat inter perſonas legitimas tam in ordine civili & ſacramentali, quam naturali, concedo : in ordine ſolum naturali, nego. Contractus matrimonialis nedum naturalis ſed & civilis, & ſacramentalis eſt, quocirca quaſdam ſubit conditiones, quibus omiſſis, jam non cenſerentur perſonæ ad contrahendum legitimæ.

Replicabis : Illa conditio eſt ut conſenſus exprimatur coram teſtibus, quod ſi deſit, vacuum & irritum erit Matrimonium : Igitur immutat ejus eſſentiam formaliter Eccleſia. Probatur antecedens : Si Eccleſia hanc apponeret Baptiſmo conditionem, ut ex quacumque aqua etiam non naturali fieret, vel etiam ut panis ad conficiendam Euchariſtiam ſive triticeus, ſive non, valeret, citra dubium utriuſque Sacramenti immutaret eſſentiam : Igitur & in hypotheſi quod ipſa velit Matrimonium ſolummodo coram Parocho celebratum valeat, immutat Sacramenti naturam.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Iſta conditio ſi deſit, irritat Matrimonium materialiter, concedo : formaliter, nego. Conſenſus eſt ſemper eſſentia Matrimonii, ſed defectus conditionis, præſentiæ ſcilicet Parochi, & teſtium reddit contractum invalidum ; non enim omnis contractus eſt materia Matrimonii, ſed ſolus publicus ; hinc Summiſtæ ſolent dicere de contractu, ubi conditiones a Principe appoſitæ deſunt, informem eſſe, vacuum & invali-

validum, ſeu etiam nullum. Quidni & de Matrimonio clandeſtino idem diceretur? Eccleſia igitur apponendo conditiones non immutavit Sacramenti eſſentiam, ſed declaravit & voluit contractum in occulto factum non eſſe legitimam Matrimonii materiam.

Ad probationem nego utramque paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod materia ſacramenti tum Baptiſmi, tum Euchariſtiæ ſit phyſica, & quidem ab ipſo Chriſto in individuo determinata; materia vero proxima Matrimonii quid morale, contractus naturam ſubiens; quocirca poteſt ſubire conditiones in conſenſu exhibendo, quæ ſi deſint, deerit quoque legitima Matrimonii forma.

Contra: Quod eſt mere extrinſecum & accidentale, non poteſt, ſi deſit, reddere Matrimonium invalidum: Sed iſta clauſula, quod contractus ſacramentalis publice celebretur, eſt quid extrinſecum Sacramento, adeoque & mere accidentale. Igitur non poteſt vel ipſam contractus materiam ſic immutare, ut ſi prætermittatur, non ſit amplius legitima contractus materia.

Reſpondeo diſtinguendo: Conditio ab Eccleſia appoſita, eſt quid extrinſecum reſpectu Sacramenti ſecundum ſe ſpectati, concedo: ſpectati in ratione contractus, nego. Cum enim contractus ſit quid morale, habet relationem intrinſecam ad voluntatem Legiſlatoris, qui ipſi præſcribit formam; hinc conditiones in eſſe morali ſunt ita contractui, ut ſubeſt voluntati Principis ſeu Eccleſiæ, intrinſecæ, ut, his ſublatis, contractus materia legitima deficiat.

Reponet: Matrimonium clandeſtinum erat ante Concilium Tridentinum jure divino legitimum: Igitur & poſt Concilium, cum jus divinum ſit immutabile.

Reſpondeo diſtinguendo: Matrimonium eſt de jure divino, & Deus vult ut contractus quaſdam ſubeat conditiones, quæ ſi deſint, vacuus & nullus eſt, concedo: ſecus, nego. Matrimonium ſicut ante Concilium Tridentinum, ſic & poſt illud eſt de jure divino, ut alii inter homines emptionis & venditionis contractus; ſed ſicut ipſa divina lex ſtatuit ut iſti ſubirent conditiones ad vitæ humanæ utilitatem attemperatæ, ſic & ille, ſcilicet contractus Matrimonii ſacramentalis; quocirca cum Eccleſia ad reſcindenda omnia Matrimonii clandeſtini incommoda, voluerit ut contractus fiat coram teſtibus, hac deficiente conditione, perſonæ non ſunt ad contrahendum legitimæ, & ſufficientes.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Matrimonium in occulto factum valebat ante Concilium Tridentinum, e contra vero poſt ejus celebrationem.

PRIMUM variis momentis probatur I. Scriptura nullibi prohibet Matrimonium clandeſtinum. II. Matrimonium eſt contractus naturalis quo perſonæ duæ ex mutuo conſenſu conjunguntur, quod ſicut publice, ſic & in occulto fieri poteſt. III. Promiſſio facta puellæ in occulto de Matrimonio contrahendo ſtat, quidni & ſtaret ipſum Matrimonium, ubi nulla lex contrarium prohibet?

Secundum, ſcilicet quod poſt Conc. Trident. non valeat Matrimonium clandeſtinum, utique patet. I. Uſus & lex Eccleſiæ ſic obtinuit. II. Eccleſia poteſt Sacramentorum materiam, quæ non eſt a Chriſto in individuo determinata, quibuſdam conditionibus alligare, quæ ſi deficerent, non foret amplius ſufficiens Sacramenti materia. Igitur quædam potuit apponere Matrimonio impedimenta dirimentia, puta quod clandeſtinum non valeret. III. Matrimonium tametſi Sacramentum, eſt tamen contractus; porro nemo dixerit contractum quaſdam non ſubire conditiones ipſi ad validitatem requiſitas, niſi in rebus moralibus indagandis prorſus hoſpitem ſe eſſe probaverit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quandoque & ſummi Pontifices, & Patres Matrimonium in occulto contractum velut fornicationem habent, ſed hoc intelligendum eſt putative. Eo enim ipſo quo Matrimonium ignoratur, & inde filii naſcuntur, ſolent homines conjunctos habere ut fornicarios: hinc Eccleſia toleravit, ſed nuſquam probavit tale Matrimonium, quod quidem paſ-

ſim inſectantur ſancti Doctores, ſed eorum juſtę exprobrationes unum ſolummodo probant, videlicet Matrimonium occultum numquam fuiſſe licitum, juxta illud Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. cap. 1. " Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis il-
„ la ſemper deteſtata eſt. „

Alterum graviores ſubit difficultates: Sed abſque negotio reſpondetur. I. Eccleſiam in Synodo Tridentina non immutaſſe Sacramenti Matrimonii eſſentiam, quæ ſemper in conſenſu mutuo contrahentium ſita eſt; ſed voluiſſe perſonas non eſſe ad contrahendum ſufficientes, niſi coram Parocho & teſtibus ſuum exprimant conſenſum. II. Matrimonium eſt contractus, adeoque poteſt ab Eccleſia ſubire impedimenta dirimentia. III. Nec in apponendis hujuſmodi impedimentis Eccleſia juri naturali adverſatur, cum Creator voluerit ut omnes contractus quibuſdam attemperati conditionibus cederent in bonum publicum; cui certe multum providit Eccleſia reſcindendo Matrimonium clandeſtinum.

SECTIO QUINTA.

Utrum conſenſus parentum requiratur ad Matrimonium contrahendum?

QUÆSTIO procedit maxime de filiisfamilias, & hoc tum ante, tum poſt factam emancipationem, ità tamen ut ſint, dum contrahunt, ſuæ rationis compotes. Quod Matrimonia, omiſſo parentum conſenſu, nuſquam licita fuerint, annuntiant omnia tum civilia, tum canonica jura; unde controverſia præſens eſt ſolum de validitate. Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Prioribus ſæculis ad nonum uſque circiter ſæculum, matrimonia juvenum, & puellarum abſque parentum conſenſu erant invalida.

Probatur multiplici auctoritatum genere.

Primo, ex declaratione ſummorum Pontificum.

PRIMUM quod nobis occurrit decretum, eſt illud quod ab Evariſto Papa promanavit, a nobis jamjam ſupra non ſemel laudatum, & habetur can. *Aliter* 30. q. 5. Succinit Joannes III. in Concilio Pariſienſi anno 557. Similiter & Pelagius I. in can. *Patrem* 32. q. 3. Similiter & Nicolaus I. in can. *Noſtrates* 2. 30. q. 5. maxime vero Cæleſtinus I. in can. *Videtur* 2. 35. q. 6. his verbis: " *Si non interfuerint parentes*, & *eorum*
„ *defectu prox miores*, & conſenſum non
„ adhibuerint; ſecundum leges nullum
„ fiat Matrimonium. „ Pelagius ſtatuit filiam, cujus pater captivus factus eſt, ut ſine conſenſu avi materni nubere non poſſet, & habetur *Cit.* leg. *Si nuper*, cod. *De nuptiis*. Nicolaus vero I. ſic loquitur loco citato: " Fœdera quoque
„ *Nuptiarum*, conſenſu eorum, qui hæc
„ contrahunt, & eorum in quorum po-
„ teſtate ſunt, celebrantur. „

Gratianus can. *Aliter* 1. 30. q. 5. qui juxta aliquos tribuitur Evariſto, quique Imperatorum Occidentis edictis per omnia conveniebat, ſic refert: " Aliter
„ legitimum non ſit conjugium, niſi ab
„ his qui ſuper ipſam feminam domina-
„ tionem habere videntur, & a quibus
„ cuſtoditur uxor, petatur, & a paren-
„ tibus & propinquioribus ſponſetur...
„ ita per acta legitima conjugia, ſed
„ adulteria, vel contubernia, vel ſtupra,
„ aut fornicationes, potius quam legiti-
„ ma conjugia eſſe non dubitat. „

Tametſi vero hunc canonem veluti commentitium Evariſti fœtum habeant Bellar. & Sirmundus, cum tamen Carolus Magnus L. 7. Capitul. cap. 463. veluti legitimum aut ſaltem verum citat his verbis: " Decretum eſt, *inquit*, ut uxor
„ legi-

„ legitime viro conjungatur, *conſentiant* „ *parentes*, aliter enim legitimum, ut a „ Patribus accepimus, & a ſanctis Apo„ ſtolis, eorumque ſucceſſoribus tradi„ tum invenimus, non fit conjugium, „ niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam „ dominationem habere videntur; & a „ quibus uxor cuſtoditur, petatur; & a „ parentibus propinquioribus ſponſetur. Ergo &c.

Secundo, *ex Conciliis*.

CONCILIA priorum ſæculorum idem propugnant. Igitur primis ſæculis, omiſſo parentum conſenſu, irrita erant juvenum Matrimonia. Probatur antecedens ex variis Conciliis.

Carthaginenſe 4. an. 398. Anaſtaſio I. ſummo Pontifice a Leone III. approbato, can. 13. & refertur can. *Sponſus*. 5. 30. q. 5. his verbis: " Sponſus & ſponſa, „ cum benedicendi ſunt a Sacerdote; a „ parentibus ſuis, vel a paranymphis of„ ferantur. „ Ut ibidem habetur can. *Sponſus* 33. diſt. 23.

Aurelianenſe 4. an. 541. ejuſdem eſt ſententiæ can. 22. ubi ſic loquitur: " Ut „ nullus per imperium poteſtatis filiam „ competere audeat alienam, ne conju„ gium, quod contra parentum volunta„ tem impie copulatur, velut captivitas „ judicetur: Sed ſicut eſt prohibitum, „ non admittatur. „

Non abſimilia loquitur Pariſienſe an. 557. clavum Eccleſiæ tenente Joanne III. can. 6. ſimiliter & Turonenſe an. 567. can. 20. his accedit Toletanum 3. ann. 589. can. 101. his verbis: " Ne citra vo„ luntatem parentum, vel ſuam cogan„ tur maritos accipere. "

Ex his ſequitur iſtud argumentum. Eccleſia poteſt apponere impedimenta dirimentia Matrimonium, & quaſdam præfigere conditiones contractui ſacramentali, quæ ſi deſint, ſolvitur ipſe contractus, & nullus evadit, adeoque & vacuum Sacramentum: Sed tunc id moris erat ut Eccleſia Matrimonium juvenum, prætermiſſo parentum conſilio, invalidum foret. Ergo &c.

Tertio, ex Edictis Imperatorum tum Orientis, tum Occidentis.

Edicta Imperatorum Orientis.

PRIMO: Leges imperiales ſic ſtatuunt, videlicet Matrimonia juniorum quandiu erant ſub tutoris dominio nulla eſſe, ſi excluſo expreſſo vel ſaltem tacito parentum conſenſu celebrarentur, ut habetur leg. *Nuptiæ*, 2. ff. *de ritu nuptiarum* L. 23. tit. 2. *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt*, ut fert lex, *niſi conſentiant omnes*, *id eſt*, *qui coeunt*, *quorumque in poteſtate ſunt*. Quæ quidem leges non niſi filias, aut filios emancipatos notæ familiæ eatenus ab hoc eximebant onere, quatenus eoſdem e numero ipſius familiæ jure emancipationis divulſos habebant. Sic ſtatuitur leg. *Filius* 25. ff. cod. tit. Tum leg. *Quia etiam*, *§*. ibid. eoſdem utique excipiunt quorum pater vel ab annis tribus in captivitate tenebatur; leg. *Si filius* 11. leg. *Si nepte* 9. *§*. 1. ff. eodem tit. vel etiam ſi in furiam actus, non eſſet amplius ſui compos, leg. *Furioſi* 25. cod. de *Nuptiis* Lib. 5. tit. 4. & leg. *Si ut proponis* cod. *de nuptiis*.

Secundo: Juſtinianus iſtas leges pro filiis tum Paganorum, tum Chriſtianorum ſuo munivit calculo. Ejus inhærentes veſtigiis ſubſequentes Imperatores idem ſtatuerunt obſervari a filiis, ſi excipias eos qui jam viginti quinque annis ſuperatis, ex jure emancipationis perfectæ, vel ipſis invitis parentibus, nubere poterant.

Tertio: Eccleſiæ Orientales hanc Imperatorum diſciplinam ratam habere non dubitarunt, ut liquet ex S. Baſilii epiſtola ad Amphilochium can. 42. his verbis: " Quæ ſine iis qui habent poteſtatem, „ fiunt Matrimonia, ſunt fornicationes. „ Nec ergo, vivente patre, nec Domi„ no, ii qui conveniunt, ſunt ab accu„ ſatione liberi, donec conjugio Domini „ annuerint: tunc enim accipit firmita„ tem conjugium. „ Subſcribunt omnes ferme Auctores Græci a nono ſæculo ad decimum quartum uſque, qui teſtantur irrita eſſe Matrimonia eorum, qui infra viginti quinque annos nati, invitis vel etiam ignorantibus parentibus, nubebant. Hanc propter legem & morem Concilium

Florentinum ab hac diſciplina diſcedere æquum non duxit.

Eadem conſuetudo in Occidente, annuentibus Imperatoribus, ſervata.

NEQUE vero mos ille diverſus fuit in Occidente, quum Imperatores Græci Orientem ſimul & Occidentem occupabant. Inſtar omnium ſit Severus Imperator, qui an. 193. juſſit infantes juxta legum ſtatuta ordinaria, omiſſo parentum conſenſu, non nubere. Sic refert Tertullianus L. 2. ad uxorem c. 8. his verbis: " Nec in terris filii ſine conſenſu patrum rite & jure nubunt. „

Tertio, ex quibuſdam factis.

PRIMUM eſt Judith vidua Heſulphi & Etelredi Regum Angliæ, Caroli vero II. cognominati Calvi, Franciæ Regis filiæ, quæ cum poſtea nupſiſſet Balduino Belgii Comiti, prætermiſſo Caroli ſui patris conſenſu, ab ipſo ſeparata fuit judicio ſolemni Epiſcoporum, qui vel in ipſum Balduinum, propter hoc anathemate animadverterunt; qui quidem ad Nicolaum I. Papam confugiens cauſa cecidit, ſed tandem cum Carolo ad preces Nicolai reconciliatus, accedente patris conſenſu, Judith de novo publice in Eccleſia deſponſavit, ut ſcribit Flodoardus L. 3. Hiſtoriæ Eccleſiæ Rhemenſis.

Aliud nobis ſuppeditat Reginon in Chron. ubi commemorat Ludovicum II. filium & ſucceſſorem Caroli Calvi, qui inſcio patre, an. 882. cum Anſgarda filia Comitis Harduini nupſerat, coactum fuiſſe ab ea divelli; tametſi ab eadem filios ſuſcepiſſet; tum deſponſavit Alicem, ſeu Adelaidem Anglam ſororem Wilfridi Abbatis Flaviniacenſis in Burgundia, a qua quidem ſuſcepit Carolum Simplicem dictum, qui tamquam legitimus regni ſucceſſor habitus eſt, deinde vero Rhemis coronatus an. 14. natus, die 28. Januarii an. 893. manibus Fulques Archiepiſcopi, cui tamen conjugio ſuum addiderant calculum Nicolaus I. & Joannes VIII. ſummi Pontifices.

Quarto, ex variis rationibus.

NON una eſt præcedentis diſciplinæ ratio, quibus Principes tum Eccleſiaſtici, tum Laici compulſi, Matrimonia, omiſſo parentum conſenſu, irrita declaravere.

Prima eſt, honor & reverentia tum parentibus, tum conſanguineis debita; decet enim in re tanti momenti juvenes nihil ſine eorum conſilio & conſenſu peragere, ne Matrimonium ſic contractum, in ipſorum parentum vergat detrimentum, cum filii ſint aliquid patris & matris, & ex jure naturali incumbat eis curam filiorum agere.

Altera eſt, quod parentes teneantur dotem filio tradere, quocirca ne data dilapidentur bona, ipſos ſpectat ſcire quænam ſit, cujus indolis, cujuſnam virtutis ſit mulier, quam filius vult accipere in ſuam.

Tertia: Hoc ipſum aſtruit Scriptura ſacra; quandoquidem Gen. 24. & 28. Iſaac tum & Jacob non niſi explorata parentum voluntate, uxores ſuſceperunt. Idem dicitur de Sampſone Jud. 14. idem de Rebecca, quæ quamvis de voluntate ſua interrogata ad nubendum, patris tamen conſilium incunctanter ſecuta eſt, ut legitur Geneſeos 24. quod factum laudat Ambroſius L. de Abraham cap. ult. & in probationem affert verſum hunc Euripidis Poetæ, qui virginem introducit ſic loquentem.

Sponſalium quidem meorum pater meus curam ſubibit; Hoc enim non eſt meum.

Quarta: Præceptum de conjugio datur potius parentibus, quam filiis: Igitur filii abſque parentum conſenſu rite non poſſunt nubere. Probatur antecedens: Deuter. 7. Deus ſic loquitur: *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*. Rurſus Gen. 28. Iſaac præcepit filio ſuo Jacob, ut non acciperet conjugem de genere Chanaan, ſed ex filiabus Laban avunculi ſui, quod vir obediens ultro fecit. Ergo &c.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Ab undecimo circiter Sæculo ad nos uſque, matrimonium filiorum, prætermiſſo parentum conſenſu, validum fuit.

Probatur multis momentis.

CERTUM eſt propter rationes mox allatas, Matrimonium abſque parentum conſenſu nuſquam fuiſſe licitum. Tota igitur controverſia eſt de validitate.

PRIMUM ARGUMENTUM.

QUOD Scriptura ſacra permittit, ſaltem ad duritiam cordis, validum dicendum eſt: Atqui ex ipſa colligitur Matrimonium ſic celebratum validum eſſe. Ergo &c. Probatur minor.

Primo: Gen. 24. relinquitur voluntati Rebeccæ, ut nubat ad nutum: *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.*

Secundo: Numeror. ult. idem aſſeritur de filiabus Salphad his verbis: *Nubant quibus volunt, tantum ut ſuæ tribus hominibus.*

Tertio: Celeberrimum eſt exemplum Tobiæ, qui, inſciis parentibus, etiam ſuadente Angelo, nupſit cum Sara, ut habetur Tobiæ 7. Ergo &c.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex ſummorum Pontificum & Conciliorum auctoritate.

QUOD ex ſummorum Pontificum decretis & Conciliorum definitione promanat, illud habetur ut validum: Atqui ab undecimo ſæculo ad nos uſque Matrimonium, omiſſo parentum conſenſu, immo vel ipſis renitentibus, ut ratum tamen habitum eſt; & probatur. Primo, ex Alexandro tertio in cap. *Cum locum* 14. de ſponſal. & Matrimoniis. Lib. 4. tit. 1. ubi ait: *Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur*. Tum ſubdit Innocentius III. in cap. *Duæ* 25. eodem titulo, *Sufficiat ad Matrimonium ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur.*

Subſcribit Gregorius IX. in cap. *Gemina* 29. eodem titulo quo ſupra. Ergo &c.

Suffragantur Concilia. In primis Colonienſe primum part. 7. c. 43. ann. 1536. ubi ſic habet: " Interea vero, donec de „ hoc proſpiciat, *Eccleſia*, ſi non irri„ ta, prohibita ſaltem ſint, & pœnæ Ca„ nonicæ, hoc eſt, excommunicationi con„ trahentes, & qui his ope, aut conſilio „ adfuerint, ſubjaceant. „ Obſerves velim hujuſmodi Matrimonia, ad ſummum illicita eſſe.

Expreſſius Tridentium loquitur Seſſ. 24. c. 1. de reformatione, & rem ſic definit, ut non relinquatur ambigendi locus: " Tametſi, *inquit*, dubitandum non eſt „ clandeſtina Matrimonia libero con tra„ hentium conſenſu facta, rata & vera „ eſſe Matrimonia, quandiu Eccleſia ea „ irrita non fecit; & proinde de jure „ damnandi ſint illi, ut eos ſancta Syno„ dus anathemate damnat, qui ea vera ac „ rata eſſe negant; quique falſo affirmant, „ Matrimonia a filiis familias ſine con„ ſenſu parentum contracta, irrita eſſe, „ & parentes ea rata vel irrita facere, „ nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſ„ ſimis cauſis, illa ſemper deteſtata eſt, „ atque prohibuit. „ Igitur ex Tridentino non licitum quidem eſt hujuſmodi matrimonia citra peccatum celebrare, ſed non irrita haberi defendit.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex edictis Regum Franciæ depromitur.

REGES Franciæ ideo Chriſtianiſſimi dicti ſunt, quia Eccleſiæ in rebus quæ Religionem ſpectant ſedi Romanæ ſemper adhæſerunt: Atqui variis edictis Matrimonium filiorumfamilias, etiam omiſſo parentum conſenſu, tamquam Sacramenta habere ſtatuerunt. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Henricus II. ann. 1556. permittit parentibus filios, ipſis renitentibus, Matrimonium contrahentes hæreditatibus privare; ſed ne minimum quidem verbum de Sacramento dicit. Ejuſdem eſt ſtyli edictum Henrici III. anno 1579. Bleſenſe nuncupatum art. 141. ſimilis eſt declaratio Ludovici XIII. ann. 1639. art. 2. ubi pœnas coarctat ad eos ſolum qui in-

ſra

Digitized by Google

fra viginti quinque annorum ſpatium, inſciis parentibus, nupſerint.

Dices: Ludovicus XIII. confirmando Bleſenſe edictum art. 39. hanc addiderat particulam, contra Matrimonia *non validè contracta*: Igitur ea Regis mens erat, quod talia Matrimonia nedum illicita, verum etiam & irrita eſſent.

Reſpondeo: Principes ſæculares nullam habere in res ſpirituales poteſtatem, ut ipſe Clerus Gallicanus declaravit Regi an. 1675. per Joannem le Gentil, qui ſupplicationis libellum ipſi obtulit Regi, p. 671. cui libello reſpondit Rex Chriſtianiſſimus, verba ſuæ declarationis non niſi de Matrimonio, ut contractu civili, intelligenda eſſe. Hinc Dominus Duballier Lib. de inſt. Connubiorum explicans edictum Ludovici XIII. hæc ſcribit: Non “ multum laborandum eſt de reconciliandis Regiis edictis cum Eccleſiæ ſententia; nullo ſiquidem unquam edicto Matrimonia filiorum familias invalida ac nulla eſſe abſque conſenſu parentum, tutorum-ve conſtitutum eſt; etſi hic error multis impoſuerit. Prohibita quidem ſunt; ſed invalida & nulla eſſe haud quaquam definitum. Unde etiam deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, aut ſerius interdixit. Invalida tamen ac nulla eſſe, contra Tridentinæ Synodi Decretum ac Theologorum unanimem etiam in Regno ſuo ſententiam, minime ſanxit. ”

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex variis rationibus componitur.

PRIMA: Illi poſſunt, invitis parentibus, contrahere Matrimonium, qui ſui juris ſunt, ut vitæ ſtatum perpetuum ſeligant: Atqui quilibet hac donatur libertate. Et probatur: Primò quidem ex Apoſtolo, qui 1. Cor. 7. loquens de nubendo ait: *Poteſtatem habens voluntatis ſuæ*, ſcilicet de contrahendo, aut non contrahendo Matrimonio. Si poteſtatem habet: Igitur independenter a parentibus poteſt nubere. Secundo ex divo Thoma, qui in 4. diſt. 28. art. 3. ad 1. ſic loquitur: “ Puella non eſt in poteſtate patris, quaſi ancilla, ut ſui corporis poteſtatem non habeat; ſed quaſi filia ad educandum. Et ideo ſecundum hoc quod libera eſt, poteſt ſe in poteſtatem alterius abſque conſenſu Patris dare; ſicut etiam poteſt aliqua intrare in Religionem abſque conſenſu parentum. ”

Altera: Qui eſt liber, & a poteſtate parentum independens, validè poteſt nubere, etiam non advocato eorum conſenſu: Sed ut primum filius annos pubertatis attigit, hujus eſt conditionis: Et probatur ex eodem ſancto Doctore, qui ibidem diſt. 38. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 2. ait: “ Ex quo homo venit ad annos pubertatis, non eſt ſub poteſtate alterius, ſi ſit liberæ conditionis, quantum ad ea quæ perſonam ſuam ſpectant; & ideo, ſicut talis, invitis parentibus, poteſt Matrimonium contrahere; ita &c. ”

Tertia: Praxis Eccleſiæ eſt in moribus inſtituendis certa & infallibilis regula: Atqui ubique gentium Chriſtianorum Matrimonium conſenſu mutuo partium, vel ipſis invitis parentibus validum eſt, & in foro interiori ad onera Matrimonii viciſſim ſubeunda valet. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Quod prohibet Scriptura ſacra, nullo modo eſt admittendum: Atqui Scriptura ſacra prohibet filiis, ne omiſſo parentum conſenſu nubant. Et probatur 1. Exodi 22. negatur conjugium viro cum virgine quam ſeducit, niſi pater conſenſerit. 2. Ibidem c. 34. prohibetur parentibus ne filii ſui accipiant uxores de filiabus terræ Chanaan; quæ quidem prohibitio directa fuiſſet ad filios, ſi ex eorum nutu penderet conjugium. 3. Eccli. c. 7. habetur: *Trade filiam, & grande opus feceris: & homini ſenſato da illam*. Rurſus, 1. Cor. 7. idem relinquitur arbitrio parentum, his verbis: *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, bene facit*. Igitur ſolos ſpectat parentes filios aut filias Matrimonio conjungere.

Reſpondeo, hæc & ſimilia unum ſolummodo innuere, videlicet, Matrimonia, omiſſo parentum conſenſu, non eſſe licita, & ex debita erga eos reverentia, non aliter eſſe facienda, quippe quia ad eos ſpectet curam de filiis agere, & illis honeſta pro-

procurare Matrimonia, ut ipſe indicat Apoſtolus 1. Cor. 7. ſed quæſtio præſens de validitate Matrimonii procedit; quod quidem, ut probatum eſt, prætermiſſo parentum conſenſu valet. Unde in forma ſic diſtinguo: Juxta reverentiæ & honeſtatis legem pertinet ad parentes Matrimonio conjungere filios & filias ſuas, concedo: ita ut ſine ipſis Matrimonium non ſit validum, nego.

Inſtabis: Matth. 19. habetur: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Atqui nunc non conjungit immediate Deus virum cum femina, ſicut quondam conjunxit primos parentes, ſed mediantibus patre & matre, quibus filii, teſte Apoſt. Coloſſ. 3. debent obedire. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Deus nunc non conjungit virum cum femina immediate, quantum ad aliquid, eo quod ſuaſor ſit ut filii debitam exhibeant parentibus reverentiam, concedo: abſolute nego. Sicut enim primi parentes mutuo conſenſu Matrimonium ut contractum naturalem & civilem inierunt, nunc utique nedum ut civilem & naturalem, ſed ut ſacramentalem celebrant, & in hoc eſt quædam paritas inter Matrimonium primorum parentum, & Matrimonium novæ legis: Sed & aliqua diſparitas intercedit; non enim Eva & Adam habebant parentes quos conſulerent, ſecus e contra nunc filii & filiæ.

Inſiſtes: Concilia Matrimonium, omiſſo parentum conſenſu, abnegant: Igitur Scripturæ in eo ſenſu intelligendæ ſunt, quod hujuſmodi Matrimonia nulla ſint. Probatur antecedens: Toletanum 3. can. 10. prohibet ne filia nubat citra parentum voluntatem. Aurelianenſe 4. can. 15. & habetur 39. q. 1. cap. *de raptoribus*, præcepit puellam raptam reddendam eſſe Patri etiamſi raptori ipſa conſenſerit. Demum Tridentinum Seſſ. 24. cap. 1. prohibet Matrimonia clandeſtina abſque parentum conſenſu facta, immo & irrita eſſe declarat. Ergo &c.

Reſpondeo ut ſupra. Ad Toletanum dico, comprehendere ſaltem tacitum virginis conſenſum; abſurdum enim foret aſſerere patrem, invita puella, eam Matrimonio conjungere. Aurelianenſis canon ſermonem habet de puella quæ conſenſerat raptui, non autem conjugio. Demum Tridentina Synodus non irritat Matrimonium, propter omiſſum parentum conſenſum, ſed quia clandeſtinum: Ibidem enim Matrimonium in conventu Eccleſiæ factum, prætermiſſo patris & matris conſenſu, validum eſſe vult, tametſi non licitum.

Repones: Summi Pontifices, & ſancti Patres adverſantur Matrimonio præter voluntatem parentum inito. Ergo &c. Probatur antecedens. 1. Ex Evariſto Papa, qui Epiſt. 1. ad Epiſcopos Africæ, & refertur a Gratiano 3. q. 5. talia Matrimonia ut adulteria & fornicationes habet, adeoque ut irrita, ſin minus non forent adulteria & 2. Nicolaus I. & habetur 3. quæſt. 5. cap. *Noſtrates*, prohibet Matrimonium abſque conſenſu parentum fieri. 3. Gregorius apud Gratianum 36. q. 2. cap. *Apud omnipotentem*, ait: " Cum „ rapta patri fuerit reſtituta, ſi voluntas „ parentis utriuſque in unum convenerit, „ non prohibentur invicem raptor & rapta „ copulari. „ Audis exigere parentum conſenſum, ut conditionem eſſentialem pro legitimo Matrimonio contrahendo. 4. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium eodem modo loquitur ac Evariſtus, cap. 42. tum can. 40. & 41. ſervorum Matrimonia abſque conſenſu dominorum, ut nulla habet. Denique Ambroſius L. 1. de Abraham cap. ultimo, & refertur a Gratiano 32. q. 2. cap. *Honorantur*, his verbis: " Conſulitur puella non de ſponſalibus, illa „ enim judicium expectat parentum; non „ eſt enim virginalis pudoris eligere maritum, ſed jam deſponſata viro, de profectionis conſulitur die. „

Reſpondeo, jam factum eſſe ſatis ad auctoritatem Evariſti, dicendo unum dumtaxat velle, videlicet, Matrimonium ſine conſenſu parentum eſſe illicitum. Eadem eſt ad Nicolai textum reſponſio. Ad Gregorium eſt diſparitas, quia ſermo eſt de raptu, qui inter impedimenta dirimentia annumeratur. Baſilius in eodem ſenſu loquitur ac Evariſtus, quocirca eodem modo ipſi reſpondetur. Nec mirum ſi videatur innuere puellam in hac hypotheſi parentibus eſſe reddendam, ſcilicet, ut ad pacem componendam ultro ipſi conſentiant; ſed dato quod non aſſentirentur, Matrimonium foret ſemper validum, tametſi non licitum.

Eſtius hic in L. 4. Sent. diſt. 28. §. 3. pag. 87. ait: " Non conſtare quis ſit auctor illius

Digitized by Google

„ illius Epiſtolæ, quæ non ita dudum, „ haud ſcitur, unde accepta, in lucem „ prodiit. Certe Baſilii Magni non eſſe, „ etiam alia quædam quæ in ea leguntur, ſatis videntur arguere, ut canon „ 8. & 20. qui continet manifeſtos errores.„

Inſiſtes: Divus Thomas in 4. diſt. 34. q. 11. art. 1. ad 4. ſic loquitur: " Perſonæ illegitimæ ad Matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod ſunt contra legem, qua Matrimonium conſtituitur. Matrimonium autem, in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ, in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino: in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur jure Civili; & ideo ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua perſona effici ad Matrimonium illegitima. „ Sed Matrimonium præter conſenſum parentum eſt contra legem civilem: Igitur eſt irritum & invalidum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et ex hoc quod hujuſmodi Matrimonium ſit contra legem civilem, eſt irritum in foro externo, & habetur ut nullum, concedo: in ratione Sacramenti, & in foro interiori, nego. Cum autem lex civilis non ſe extendat ad Sacramentum, & alias lex tum naturalis, tum divina & Eccleſiaſtica habeat illud Sacramentum ut validum, non alio modo poteſt eſſe irritum, niſi in foro externo. Solutio colligitur ex ipſo divo Thoma in 4. diſt. 42. q. 2. ad 4. " Prohibitio legis humanæ, id eſt *Laica*, „ *addit Sylvius q. 50. art. 5. quæſito 5. concluſione quarta*, non ſufficeret ad „ impedimentum Matrimonii, niſi inter „ veniret auctoritas Eccleſiæ. „ Igitur ex ſancto Doctore non niſi extrinſece Matrimonium illud vacuum eſt.

Replicabis: Edictum Bleſenſe præcipit Parochos puniri, tamquam raptus fautores, qui Matrimonium celebrari permittunt omiſſo parentum conſenſu: Sed raptus eſt impedimentum dirimens. Ergo &c Confirmatur: Multa Senatus conſulta declarant hujuſmodi Matrimonia tamquam invalida abjicienda eſſe. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Rectores Eccleſiarum mulctandi ſunt ſi hujuſmodi Matrimonia annexum habeant raptum, concedo: ſin minus, nego. Hæc eſt interpretatio Domini Theveneau Summiſtæ Galliarum.

Ad confirmationem ſimiliter diſtinguo: Hujuſmodi Matrimonia abjicienda ſunt, tamquam nulla quoad effectus civiles, concedo: quoad rationem Sacramenti, nego. Sic interpretatur legem Georgius Louet, litt. M. n. 6. ubi explicans edictum Bleſenſe, art. 42. ſub Henrico III. dicit iſtos terminos, habeantur hujuſmodi Matrimonia *tamquam non valide contracta*, Gallice, *non valablement contractés*, non eſſe intelligendos de Matrimonio ut Sacramento, ſed ſolum ut eſt contractus civilis, &c.

Repones: Atqui Senatus conſulta declarant nullum eſſe Matrimonium etiam ſpectatum tamquam Sacramentum. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Quod evacuat Sacramenti materiam, Sacramentum utique irritum reddit, & declarat: Atqui lex Principis evacuat contractum civilem qui eſt materia Sacramenti: Ergo & ipſum Sacramentum.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Evacuat contractum civilem quoad forum externum, concedo: quoad forum internum, nego. Contractus civilis duplex ſecernitur, alter præ ſe ferens omnes a Principe appoſitas conditiones, alter vero qui eas ſolum ſubit quas admittit Eccleſia: cum autem Concilium Tridentinum ſatis habeat pro contractu civili, ut mutuus deſponſandorum conſenſus coram Parocho & teſtibus exprimatur, ſufficit ad validitatem Sacramenti. Ceterum edicta Principum rata ſolum habentur in foro interiori, cum Eccleſiæ regulis conſociantur, ut in caſu raptus, maxime cum contractus civilis quandoque a Sacramento poſſit ſejungi. Quod quidem poteſt illuſtrari iſto exemplo. Quando aliquis mortuus civiliter contrahit Matrimonium, verum celebrat Sacramentum, & tamen nullum eſt quoad contractum civilem. Hinc multa etiam Senatus conſulta declarant Matrimonia, omiſſo parentum conſenſu, eſſe valida. Inſtar omnium ſit declaratio Senatus Pariſienſis 26. Martii 1654. qui, Domino Bignon peroratore audito, validum declaravit Matrimonium cujuſdam militis minoris, qui, omiſſo parentum conſenſu, nupſerat, ut refert Soefve, tom. 5. Cent. 4. cap. 61.

Dices: Matrimonium prioribus ſæculis abſque conſenſu parentum erat invalidum, a nono vero ſæculo in Oriente, in Occiden-

cidente autem ab undecimo, validum habitum eſt. Igitur Eccleſia immutavit ſacramenti Matrimonii eſſentiam.

Reſpondeo negando conſequentiam, cum enim Matrimonium ſit contractus eſſentialiter, contractus vero diverſas, juxta diverſa tempora & diverſas neceſſitates, ſubeat conditiones, quibus demptis, modo eſt validus, modo non; non mirum ſi quandoque Matrimonium, omiſſo parentum conſenſu, invalidum fuerit, tum poſtea, hoc non obſtante, invalidum evadat; nam quod eſt eſſentiale Sacramento ſemper remanet, nimirum quod ſit contractus. Si quæras autem quænam fuerit diſciplinæ diverſitas cauſa, reſpondetur fuiſſe tum ignorantiam, tum morum pravitatem, tum etiam ſummorum Pontificum cum Imperatoribus diffidia; quæ quidem calamitates exeunte nono ſæculo ad dimidium uſque undecimi perſeveravere, quibus temporibus ab Hæreticis multum exagitata eſt Eccleſia, immo & multum in tota Europa perturbata regna; hinc ſicut leges Romanæ, ſic & Eccleſiaſticæ, vix ac ne vix quidem ſervatæ, ſed potius illuſæ & abjectæ fuerunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Matrimonium abſque parentum conſenſu a primo ad nonum uſque ſæculum invalidum erat; poſtea vero ratum habitum eſt.

PRIMA pars patet 1. Quia Scriptura videtur exigere conſenſum parentum: ſic Rebecca ſuorum exploravit voluntatem, ut cum Iſaac Matrimonio conjungeretur. 2. Tertullianus L. 2. ad uxorem, hoc propugnat. 3. Idem & Concilium Carthaginenſe 4. can. 13. 4. Hoc ipſum Imperatorum edicta ſtatuebant, ut habetur leg. *ſi ita* 10. leg. *ſi filius*. 11.

Altera pars, utique patet, 1. ex Alexandro III. in caput *Cum locum* 14. de Sponſal. & Matrimon. Lib. 4. tit. 1. Innocentius III. in caput *Due* 25. eodem tutulo. 2. Ex Conciliis, maxime ex Tridentino Seſſ. 24. cap. 1. de reformat. 3. Ex divo Thoma in 4. diſt. 28. art. 3. ad 1 Ratio eſt, quia homo eſt juris ſui quantum ad electionem ſtatus vitæ peragendæ, nimirum ut voveat Religionem, vel nubat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Omnes auctoritates probant ſolum Matrimonia, omiſſo parentum conſenſu, eſſe illicita, vel ſi vis invalida; intelligas velim a primo ſolum uſque ad nonum ſæculum.

Secundo: Senatus conſulta hujuſmodi Matrimonia quoad effectus quidem civiles irrita redduut, ſed non quoad Sacramentum, in quod jus non habent.

Tertio: Ex variatione diſciplinæ nihil innovatum eſt in ſubſtantia Sacramenti; cum Matrimonium maneat ſemper contractus.

ARTICULUS QUARTUS.

Num Sponſalia debeant Matrimonium antecedere?

QUÆRES 1. Quid intelligatur nomine ſponſalium?

Reſpondeo, ſponſalia a ſpondendo dici, eo quod uſus obtinuerat apud antiquos, ut ſcribit Ulpianus lib. 2. ff. *de Sponſalibus*, ſpondere ſibi uxores futuras; hinc ſponſalia nihil aliud ſunt quam Matrimonii contrahendi promiſſio, ut habetur cap. *Noſtrates* 30 queſt. 5. & lib. 1. ff. *de Sponſalibus*. Ex quo ſequitur obligatio nubendi inter perſonas determinatas, quæ ſibi mutuo fidem Matrimonii promiſere ſponſalia vocari. S. Thomas hic 3.p. Supplem. q.43. eodem modo loquitur de ſponſalibus.

Quæres 2. Quænam ſint perſonæ quæ poſſint ſponſalia contrahere?

Reſpondeo 1. Non celebrari niſi inter partes ad Matrimonium contrahendum capaces hinc ſi defectus naturalis, aut aliqua alia adeſſet impotentia phyſica, invalida evaderent ſponſalia.

Reſpondeo 2. Requiri contrahentes eſſe ſui juris, ſin minus, non rite ſponſalia celebrarent; ſic ſtatuunt jura.

Reſpondeo 3. Contrahentes ſeptennium ſaltem attingere neceſſe eſſe: ſic habetur, *Lege in ſponſalibus* ff. *de ſponſal*. In qua dicitur, *poſſe ſponſalia a primordio ætatis effici, ſi modo id fieri ab utraque perſona intelliga-*

ligatur, *id eſt*, *ſi non ſint minores quam ſeptem annis*. Sic quoque ſtatuit jus canonicum, ut liquet ex cap. 4. 5. *de Deſponſ.* impub. ubi Alexander III. interrogatus de ſponſalibus juvenis cujuſdam cum puella, reſpondet valida eſſe, ſi poſt ſeptennium celebrata ſint, ſin minus e contra. Idem declarat Bonif. VIII. cap. *unico* eodem tit. in 6.

Quæres 3. Quibus de cauſis ſponſalia ſolvi poſſint?

Reſpondeo 1. Poſſe ſolvi inter puberes contracta, ut docet S. Thomas hic art. 3. ad 5. his verbis: " Dicendum quod quidam non recipiunt iſtud caſum, ſed ,, contra eos eſt Decret. quæ expreſſe dicit, ,, ad inſtar, inquit, eorum qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt; & ,, poſtea eamdem ſibi remittunt, poteſt in ,, patientia tolerari, ſi mutuo ſe abſolvunt qui ſponſalia contraxerunt, ſed ,, ad hoc dicunt, quod Eccleſia magis ,, hoc ſuſtinet ne pejus eveniat, quam hoc ,, fit de jure; ſed hoc non videtur exemplo convenire quod Decret. adducit, & ,, ideo dicendum quod non ſemper eſt levitatis retractare quæ prius firmata ſunt, ,, quia incertæ ſunt providentiæ noſtræ: ,, ut dicitur in lib. Sapientiæ. ,,

Reſpondeo 2. Etiam ſolvi ſi unus ſponſus, alio inſcio, Matrimonio alteri conjungatur, ut habetur cap. *Sicut*, & cap. *Si inter* de ſponſal. Ratio eſt, quod vinculum Matrimonii præponderet vinculo ſponſalium præcedentium.

Reſpondeo 3. Utique ſolvi per fornicationem unius ſponſi cum altera, quandoquidem illud contra fidem promiſſam fieri cenſetur, cum ſponſalia ſint promiſſiones cum tali perſona conjungenda, & non cum altera.

Reſpondeo 4. Sponſalia dirimi, ſi unus e ſponſis abſque alterius conſenſu abeat in regionem longinquam; ſic enim promiſſionem factam retractare cenſetur. Sic reſpondet Alexandr. III. cap. 5. de ſponſal. ab Archiepiſcopo Panormitano de hoc conſultus: *De illis*, inquit, *qui præſtito juramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis, ſi non eſt amplius in facto proceſſum, hoc eſt, ſi non ſit vel de præſenti Matrimonium contractum, vel carnalis copula ſubſecuta, ad alia vota ſe transferre.*

Reſpondeo 5. Sponſalia ſolvi dilatione temporis præfixi pro Matrimonio contrahendo, Sic declarat Innocentius III. caput *Sicut ex litteris*.

Reſpondeo 6. Sponſalia ſolvi per ingreſſum in religionem, ex parte quidem ejus qui in ſæculo remanet, ſecus vero ex parte alterius. Primum patet, cum ingrediens religionem promiſſioni non ſtet, nec alter ipſi ſtare teneatur. Alterum vero quia religionem amplectens non certus eſt, num ibi emittet profeſſionem. Qua quidem denegata, poteſt ad ſæculum rediens nubere.

Synopſis eorum quæ in articulo referuntur.

PRIMO: Sponſalia ſunt ad Matrimonium diſpoſitiones, cum illud præludant, & ſint ipſius pactiones, quæ quidem obligant in conſcientia.

Secundo: Non quilibet ſponſalia celebrare poteſt, ſed ille ſolum qui eſt Matrimonii capax, tum phyſice, tum moraliter.

Tertio: Ante ſeptennium non permittunt jura hominibus celebrare ſponſalia.

Quarto: ſponſalia non inducunt indiſſolubile vinculum, cum ex legitimis cauſis ſolvi queant.

ARTICULUS QUINTUS.

Quinam ſit Matrimonii Miniſter?

QUÆSTIO in utramque partem movetur a Theologis, aliis contendentibus contrahentes eſſe ſacramenti Matrimonii Miniſtros, aliis vero eſſe Parochum, cujus præſentia ex jure novo exigitur ad Matrimonii validitatem. Utraque ſententia ſuas habet difficultates; hinc adamuſſim utrumque punctum diſcutere neceſſe eſt.

SECTIO PRIMA.

Num vel ipſi contrahentes ſint Sacramenti Matrimonii Miniſtri?

CAPUT iſtud duplicem habet reſpectum, unum ad Matrimonium, ut eſt in officium naturæ, alterum, ut eſt Sacramentum. De Matrimonio priori modo ſpectato

non

non eſt relictus ambigendi locus, eum certum ſit iſto modo conſideratum, non exigere Parochi præſentiam, ſicuti perſpectum habemus ex Matrimonio, tum in lege naturæ, tum in lege Moſaica contracto. Tota igitur controverſia eſt de Matrimonio reduplicative ut Saeramentum eſt. Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Contrahentes ſunt, vel ipſius Matrimonii Saeramenti Miuiſtri.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quotieſcumque Scriptura ſacra de Matrimonio loquitur, altum eſt de Presbytero ſilentium, nec aliud exigit præter conſenſum, maxime Apoſtolus 1. Cor. 7. ubi explicatis omnibus quæ Matrimonium ſpectant ſecundum juſtitiam, ait: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Rurſus ibidem, *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit: Igitur & qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Eo loci Apoſtolus loquitur de Matrimonio Chriſtianorum, adeoque ut ſacramento: Sed nihil aliud exigit præter conſenſum, nec probabilo eſt, quod omiſiſſet Presbyteri præſentiam, ſi eam uti neceſſariam crediſiſſet, cum ibi minora de Sacramento explicet, ut ea quæ debitum mutuum ſpectant: Igitur contrahentes ſunt iſtius Saeramenti Miniſtri.

Altera ſic exponitur: Concilia quæ cuncta de Sacramentis explicant, non alios præter contrahentes exigunt Matrimonii Miniſtros. Ergo &c. Probatur antecedens: Primo quidem ex Concilio Florentino, quod in decreto pro Arm. ubi ex profeſſo pro eorum inſtructione omnia quæ Sacramenta ſpectant, adamuſſim diſcutit & refert, nihil aliud exigit niſi mutuum viri & mulieris conſenſum, his verbis: " Septimum eſt ſacramentum Ma-
„ trimonii, quod eſt ſignum conjunctio-
„ nis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apo-
„ ſtolum dicentem, *Sacramentum hoc ma-*
„ *gnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in*
„ *Eccleſia.* Cauſa efficiens Matrimonii,
„ regulariter eſt mutuus conſenſus per
„ verba de præſenti expreſſus. „ Quis autem cordatus dixerit iſtam Synodum tacentem parochum, illius tamen præſentiam crediſiſſe de eſſentia Sacramenti, cum ibi edoceat Armenos omnium Saeramentorum eſſentiam. Ergo &c.

Concinit Tridentinum Seſſ. 24. eap. 1. de Reformatione, affirmans Matrimonium clandeſtinum, modo acceſſiſſet mutuus conſenſus, fuiſſe olim validum: tum can. 11. benedictiooem Sacerdotalem inter meras cæremonias ab Eccleſia adhibitas, recenſet. Ergo &c. Quod autem hæc fuerit Concilii mens, patet ex declaratione Cardinalium præfati Concilii ioterpretum, his verbis: " Non pertinet ad ſubſtan-
„ tiam Matrimonii, ut Parochus aliqua
„ verba proferat: ideo valet Matrimo-
„ nium, quamvis verba exprimentia con-
„ ſenſum, prolata ſunt tantum a contra-
„ hentibus, dummodo Parochus ſit præ-
„ ſens, & intelligat id quod agitur licet
„ diſſeotiat & contradicat: adhibitus vero
„ Parochus intelligitur, etiamſi ex alia
„ cauſa principaliter eſſet vocatus, dum-
„ modo ſit adhibitus etiam ad illum
„ actum. „

Non abſimilia profert ſanctus Thomas, & quidem clariſſime in diſt. 26. q. 2. art. 1. ad 1. " Verba, *ait*, quibus conſen-
„ ſus Matrimonialis exprimitur, ſunt for-
„ ma hujus Sacramenti, non autem bene-
„ dictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam ſa-
„ cramentale. „ Rurſus 3. p. ſupplementi q. 45. art. 5. in corpore. Expreſſius in reſp. ad 2. Ergo &c.

Tertia: Eccleſia falli non poteſt in iis quæ fidem & religionem ſpectant: Sed praxis Eccleſiæ eſt ut Matrimonium, omiſſa præſentia Parochi, validum ſit, quamvis non licitum, ait D. Thomas hic q. 45. art. 5. quod poteſt iſto illuſtrari exemplo: Qui contraxit Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ad hunc effectum ab eo delegato, ſed cum impedimento dirimente, quo poſtea cognito, petit diſpenſationem; ſed ea obtenta, non eſt neceſſe quod vir & femina iterum contrahant coram Parocho, ſed ſufficit quod hoc clanculum fiat, ut declaravit S. Pius V. teſte Navarro in manuali cap. 22. num. 7. tuncque Matrimonium incipit eſſe Sacramentum. Ergo &c.

Quar-

Quarta : Ubi Concilium Tridentinum non eſt pro reformatione ſuſceptum, quidam non ſine fundamento autumant validum eſſe Matrimonium clandeſtinum, tametſi non licitum: Igitur ſoli contrahentes ſunt ſacramenti Matrimonii Miniſtri.

Quinta : Matrimonium tametſi Sacramentum, eſt tamen eſſentialiter contractus: Sed ſoli contrahentes per mutuum conſenſum ſunt contractus Miniſtri, Notarius vero & ceteri, non niſi ut teſtes adhibentur. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES : Quod adverſatur Scripturæ, & decretis tum ſummorum Pontificum, tum Conciliorum non eſt admittendum: Atqui contrahentes eſſe Sacramenti Miniſtros adverſatur iſtis omnibus auctoritatibus. Et probatur : Primo quidem Apoſt. 1. Cor. 14. ne quidem permittit mulieribus in Eccleſia loqui; a fortiori nec miniſtrare Sacramenta. Secundo, Evariſtus Papa Matrimonium abſque Parocho celebratum, irritum, & ut adulterium habet, ut dicitur Epiſt. 1. ad Epiſcopos Africæ, & refertur 30. q. 5. can. 1. *Conjugia*. Rurſus Nicolaus I. Epiſt. ad Rodoaldum Portuenſem, & Joannem Ficolenſem Epiſcopos de Lothario Galliarum Rege, & habetur 31. q. 2. can. *Lotharius*. præcipit, ut iſtius Regis, qui repudiata Teutperga legitima uxore, nupſerat cum Waldrada, Matrimonium declararetur invalidum ſi fuerat abſque benedictione Sacerdotis celebratum. Quarto, his accedit Concilium Colonienſe anno 1636. adunatum ſub Paulo III. parte 7. cap. 40. " Si quis, *ait*, hoc Sacra-„ mentum *Matrimonii* ſicut decet accepe-„ rit, accedente Sacerdotali precatione „ confert donum Spiritus. „ Quibus verbis videtur exigere præſentiam Sacerdotis tamquam Sacramento eſſentialem : Ergo &c.

Reſpondeo primo has & ſimiles auctoritates unum tantummodo probare, videlicet Matrimonium, ſecluſa Parochi præſentia, eſſe illicitum.

Reſpondeo ſecundo, ad primum negando paritatem : Apoſtolus quippe eo loci prohibet mulieribus evangelizare, cum hoc officium ſpectet, Hierarchiam Eccleſiaſticam, ad quam ſolum pertinent Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, ſed non prohibet eas nubere, ut patet ex prima ad Cor. cap. 7. cum ad hoc nihil aliud ibi requirat præter conſenſum, & ad hoc procreata ſit mulier ut prolem ſuſcipiat.

Ad auctoritatem Evaſtri jam ſupra factum eſt ſatis, ubi de matrimonio clandeſtino; vult enim connubia, ſecluſo Parocho, eſſe irrita quidem, ſed extrinſece & putative, minime vero intrinſece.

Eodem modo reſpondemus ad factum Nicolao I. Propoſitum. Lotharius enim contendebat Teutpergam ex metu & coacte cum illo nupſiſſe, qua hypotheſi facta, volebat Rex matrimonium cum ea contractum nullum eſſe, iſta innixus ratione, quod metus ſit impedimentum dirimens, quem caſum optime ſolvit Nicolaus I. reſpondes Matrimonium habendum eſſe nt validum, ſi fuerat cum benedictione ſacerdotali initum, quandoquidem præſentia Sacerdotalis annuntiabat Teutpergam abſque legitimo metu cum Rege nupſiſſe. Punctum igitur controverſiæ tunc non erat, num præſentia Sacerdotis foret abſolute requiſita ad eſſentiam Matrimonii, ſed quod argumentum foret, reginam abſque metu nupſiſſe cum Lothario, adeoque metus impedimentum, hac admiſſa præſentia, nullum eſſe.

Ad Concilium Colonienſe facilis eſt reſponſio, namque exigit Parochi præſentiam ut contrahentes gratiam Sacramenti ſuſcipiant, qua quidem privantur ſi talem præſentiam negligant, cum peccent mortaliter, non obediendo præcepto Eccleſiæ, quæ eam exigit.

Inſtabis : Atqui juxta Tridentinum ſolus ſacerdos eſt Miniſter Sacramenti Matrimonii : Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Seſſ. 24. cap. 1. præcipit Parochum ut Miniſtrum adeſſe, & hanc pronunciare formam: *Ego vos in Matrimonio conjungo*, & juxta Paſtorale Mechlinenſe, *Et ego tamquam Dei miniſter vos in Matrimonium conjungo*. Confirmatur : Soli Sacerdotes ſunt Sacramentorum Miniſtri, nec Laici quidquam ſacrum, quale eſt Sacramentum, valent conficere: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo : Parochus ut Miniſter teſtis adeſt Matrimonio celebrando, concedo: ut Miniſter conficiens Sacramentum, nego. Miniſterium Sacerdotis nedum ad Sacramenta, ſed & ad alia multa ſe ſe ex-

extendit ; puta ad prædicationem Evangelii, tum ad curam pauperum, & eleemoſynarum diſpenſationem, ne cruciante paupertate, a fide deficiant .

Eadem eſt reſponſio ad Rituale Mechlinienſe. Ad ultimam probationem, nego abſolute antecedens ; mulieres enim in neceſſitate poſſunt baptizare . Reſpondeo II. Negando paritatem , cum enim ſacramentum Matrimonii ſit contractus elevatus, & contrahentes ſint Miniſtri, abſque negotio & irreverentia contrahentes ſunt Miniſtri Sacramenti Matrimonii , cujus quidem recipiunt gratiam, ſi ea pia qua par eſt intentione illud ſuſcipiant : ſin minus peccant mortaliter, ſicut Sacerdotes qui alia Sacramenta in pravis diſpoſitionibus conſtituti adminiſtrant .

Repones : S. Thomas exigit ut quid eſſentiale præſentiam Parochi. Ergo &c. Probatur antecedes: In 4. diſt. 1. q. 1. art. 3. ad 5. ſic ait :" Matrimonium ſecundumquod eſt ,, in officium naturę , & Pęnitentia ſe- ,, cundum quod eſt virtus non habent ali- ,, quam formam verborum ; ſecundum , quod utrumque eſt Sacramentum in diſ- ,, penſationem Miniſtrorum Eccleſiæ con- ,, ſiſtens, utrumque habet verba. ,, Rurſus 4. contra Gentes cap. 78. propugnat eatenus Matrimonium dici Sacramentum , quatenus per Miniſtros Eccleſiæ adminiſtratur : " Unde , *inquit* , be- ,, nedictio nubentibus per Miniſtros Ec- ,, cleſiæ adhibetur. ,, Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens . Ad probationem diſtinguo: Et verba ſancti Thomæ innuunt ſolum Parochi præſentiam, & ejus verba eſſe de eſſentia benedictionis nuptialis, concedo : de eſſentia ipſius Sacramenti Matrimonii, nego. Ipſe ſuam prodit mentem , namque poſt verba in priori loco adducta ſubjungit : " Sicuti in ,, Matrimonio ſunt verba exprimentia ,, conſenſum , & iterum benedictiones ,, ab Eccleſia inſtitutæ , ,, Tum quæſt. 45. Supplem. art. 5. his ulterioribus verbis : " Poſita cauſa , ponitur effectus : ,, Sed cauſa ſufficiens Matrimonii eſt con- ,, ſenſus per verba de præſenti expreſ- ,, ſus. ,, Ergo &c.

Inſiſtes : Tametſi actus noſtri requirantur ad Pęnitentiæ Sacramentum, nihilominus requiritur Sacerdos ut ſolus Sacramenti Miniſter : Ergo & idem dicendum de Matrimonio .

Reſpondet D. Thomas ibid. art. 5. ad 2. negando paritatem : " Dicendum , *inquit* , ,, quod actus noſter in Pœnitentia quam- ,, vis ſit de eſſentia Sacramenti , non ta- ,, men eſt ſufficiens ad inducendum pro- ,, ximum effectum Sacramenti , ſcilicet ,, abſolutionem a peccatis. Et ideo opor- ,, tet quod ad perfectionem Sacramenti in- ,, terveniat actus Sacerdotis . Sed in Ma- ,, trimonio actus noſtri ſunt cauſa ſuffi- ,, ciens , ad inducendum proximum effe- ,, ctum , qui eſt obligatio ; quia quicum- ,, que eſt ſui juris , poteſt ſe alteri obli- ,, gare , & ideo Sacerdotis benedictio non ,, requiritur in Matrimonio , quaſi de eſ- ,, ſentia Sacramenti . ,,

Dices : Idem non poteſt eſſe Miniſter & cauſa formalis Sacramenti : Sed in hypotheſi contrahentes , ut ſupponitur, forent Miniſtri Sacramenti , eorum vero conſenſus eſſet cauſa formalis : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens : Sub eodem reſpectu, concedo : Sub diverſo , nego : contrahentes per conſenſum activum ſunt Miniſtri efficientes Sacramentum , per paſſivum ſunt cauſa formalis, quod ſatis indicat Tridentinum aſſerendo conſenſum per verba de præſenti, ut expreſſum conficere Sacramentum : Igitur conſenſus reduplicative ut expreſſus , eſt cauſa formalis ſeu eſſentia ſacramenti Matrimonii .

SYNOPSIS PROBATIONUM,

Contrahentes ſunt Miniſtri Sacramenti Matrimonii .

PRIMO : Scriptura ſacra hoc indicat , cum nihil præter conſenſum contrahentium ad eſſentiam Matrimonii exigat : nam ſanctus Paulus , qui 1. Cor. 7. ea omnia quæ ſpectant Matrimonium, enarrat , ſilet tamen Presbyteri præſentiam .

Secundo : Favet Concilium Tridentinum, quod matrimonia clandeſtina ante ſuam celebrationem facta, utique rata habet. Concinit ſanctus Thomas , qui 3. p. Supplem. q. 47. art. 5. ad 2. expreſſe dicit præſentiam Parochi non niſi ad benedictionem & cæremoniam prærequiri .

Tertio : Ratio a priori ea eſt , quod Matrimonium , tametſi Sacramentum , ſit tamen eſſentialiter contractus ; porro ultro conveniunt cum Theologis ſummiſtæ

ad validitatem cujuſcumque contractus ſufficere mutuum contrahentium conſenſum, & Notarium, ſicut alios teſtes, mere extrinſece ſe habere.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Quandoque ſummi Pontifices in ſuis Decretalibus Matrimonia abſque Parocho celebrata, habent ut fornicationes & adulteria, ſed hoc ſolum innuere contendunt, videlicet eſſe illicita.

Secundo: Non diffiteor Parochum ut Miniſtrum Eccleſiæ, ex præcepto Concilii Tridentini, iſta proferre verba: *Ego vos conjungo*; ſed hoc vocatur benedictio nuptialis, teſte ſancto Thoma mox laudato; non enim Miniſtri Eccleſiæ in omnibus conficiunt Sacramenta, tametſi agant ut Miniſtri Eccleſiæ, v. g. quando evangelizant.

Tertio: Contrahentes ſunt quidem Laici; ſed quia opus eſt celebrare contractum, ex traditione Eccleſiæ in hoc haberi ut Miniſtros conſtat.

SECTIO SECUNDA.

Utrum præſentia Parochi ita requiratur pro Matrimonio contrahendo, ut ſolus ſit hujus Sacramenti Miniſter.

IN varias abeunt opiniones circa iſtud momentum Theologi; quidam enim affirmativam pro virili defendunt, ut Melchior Cano L. 8. de Loc. Theol. cui aſſentiri videtur Eſtius in 4. Sent. diſt. 26. §. 10. e contra vero S. Thomas 3. p. Supp. q. 47. art. 5. & nos cum eo. Sed quædam ante probationes ad quæſtionis intelligentiam obſervanda ſunt.

Quæſtio duplicem ſubit ſenſum, videlicet num Matrimonium validum ſit, ſecluſa Parochi præſentia? Deinde vero num ſit hujus Sacramenti Miniſter? De priori non eſt controverſia; certum enim eſt matrimonium clandeſtinum ex decreto Concilii Tridentini non eſſe validum: Tota igitur difficultas eſt num Parochus ſit Miniſter Sacramenti? Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Miniſter eſt cauſa efficiens Sacramenti: Sed Sacerdos non eſt cauſa efficiens ſacramenti Matrimonii: Et probatur. Cauſa efficiens, ut liquet ex omnibus Sacramentis, ea eſt quæ applicat formam, ſcilicet pronuntiando verba: Sed cauſa formalis Sacramenti Matrimonii eſt conſenſus, efficiens vero perſona quæ exprimit conſenſum, qui quidem conſenſus reduplicative ut expreſſus efficit Sacramentum: porro Parochus dubio-procul non applicat illam formam, ſed potius quilibet contrahens: Igitur Parochus non eſt Miniſter. Iſta ratio eſt D. Thomæ in 4. diſt. 26. q. 2. art. 1. ad 2. ubi ſic loquitur: “ Sacramentum Matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento utitur. „

Altera: Si Sacerdos foret hujus Sacramenti Miniſter, verba iſta quæ profert, *Ego vos conjungo in Matrimonium*, eſſent forma: Atqui non ſunt forma: Et probatur. Primo quidem, ex Concilio Florentino, quod in decreto pro inſtructione Armenorum, quo eis Sacramentorum fidem explicat, non aliam aſſignat formam, quam conſenſum expreſſum. Secundo, cauſa formalis eſt rei intrinſeca; ſolus autem conſenſus talis eſt, & dat ſpeciem, ita ut ſi deficeret, nullum eſſet Sacramentum; e contra vero, modo Parochus ſit præſens, etiam ſi taceat, validum eſt Sacramentum. Tertio, præſentia Sacerdotis ſe habet mere extrinſece, nec ex praxi Eccleſiæ adeſt, niſi ut benedicat contrahentes. Hæc ratio eſt etiam D. Thomæ, qui loco mox citato ad 1. ait: “ Verba quibus conſenſus Matrimonialis exprimitur ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale. „

Tertia: Sacerdotis verba non ſunt de eſſentia: Igitur Sacerdos non eſt Miniſter; ſin minus ejus actio eſſet de eſſentia, cum Conc. Florent. in decreto laudato, numeratis omnibus, ne quidem excepto Matrimonio, Sacramentis, dicat: “ Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Mi-

,, ni-

Digitized by Google

niſtri . ,, Sed nemo dixerit , Matrimonium conſtare ex Parocho, bene vero ex contrahentibus: Ergo &c.

Quarta : Sacramentum ab intentione Miniſtri dependet ; Ibidem enim ſubjicit Florentinum: " Et perſona Miniſtri con-
,, ferentis Sacramentum cum intentione
,, faciendi quod facit Eccleſia : quorum
,, ſi aliqnid deſit , non perficitur Sacra-
,, mentum . ,, Sed Parochus habeat intentionem vel non , modo contrahentes habeant , fit Sacramentum . Igitur non Sacerdos , ſed contrabentes ſunt Matrimonii Miniſtri .

Quinta , eaque validiſſima . Concilium Tridentinum eo ſolum ſcopo exigit præſentiam Parochi , ut ſit teſtis , & hoc ne deinceps matrimonia ſint clandeſtina , quę ſemper , ut teſtatur , Eccleſia abhorruit . Sed teſtis Sacramenti conficiendi non eſt Miniſter ; cum ſolum adducatur in teſtimonium ; immo ſupponit contrahentes , & Miniſtros. Ergo &c. Sic loquitur Seſſ. 24. de reformat. cap. 1. Tametſi dubi-
,, tandum non eſt clandeſtina Matrimo-
,, nia libero contrahentium conſenſu fa-
,, cta , rata & vera eſſe Matrimonia,
,, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit . . .
,, Nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex ju-
,, ſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt
,, atque prohibuit . . . . Cui malo cum ab
,, Eccleſia quæ de occultis non judicat ſuc-
,, curri non poſſit , niſi effacius aliquod
,, remedium adhibeatur ; idcirco ſacri
,, Lateranenſis Concilii ſub Innocent. III.
,, celebrati veſtigiis inhærendo , præcipit
,, ut in poſterum antequam Matrimonium
,, contrahatur , ter a proprio contrahen-
,, tium Parocho tribus continuis diebus
,, feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſo-
,, lemnia publice denuncietur , inter quos
,, Matrimonium ſit contrahendum : qui-
,, bus denunciationibus factis , ſi nullum
,, legitimum opponatur impedimentum ,
,, ad celebrationem Matrimonii in facie
,, Eccleſiæ procedatur , ubi Parochus vi-
,, ro & muliere interrogatis , & eorum
,, mutuo conſenſu intellecto , vel dicat :
,, Ego vos in Matrimonium conjungo ,
,, in nomine Patris &c. Vel aliis utatur
,, verbis juxta receptum uniuſcujuſque
,, Provinciæ ritum . Quod ſi aliquando
,, probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium
,, malitioſe impediri poſſe , ſi tot pręceſ-
,, ſerint denunciationes , tunc vel una
,, tantum denunciatio fiat , vel ſaltem Pa-
,, rocho , & duobus, vel tribus teſtibus prę-
,, ſentibus Matrimonium celebretur . ,,

In his verbis cuncta annunciant Parochum adhiberi ſolum , ut teſtem . I. Ejus exigit præſentiam Concilium , ut remedium contra matrimonia clandeſtina , quod quidem remedium adhibetur eo ipſo quo eſt præſens . II. Poſtulat tantum ut Parochus præſens certior fiat de eo quod expoſtulant contrahentes , *conſenſu intellecto* , inquit , Parochus , tum non abſolute exigit ut proferat verba , dictis enim illis verbis *conſenſu intellecto* , ſubjicit de Parocho , vel dicat , *Ego vos in Matrimonium conjungo* . Relinquit igitur arbitrio Sacerdotis ut ſolum concipiat contrahentium conſenſus , vel etiam dicat , *Ego vos conjungo* . III. Eo loci eodem loquitur modo de Parocho , ac de aliis teſtibus : " Si
,, aliquando , *inquit* , probabilis fuerit ſu-
,, ſpicio , Matrimonium malitioſe impedi-
,, ri poſſe , ſi tot præceſſerint denuncia-
,, tiones , tunc vel una tantum denun-
,, ciatio fiat , vel ſaltem Parocho , &
,, duobus , vel tribus teſtibus præſenti-
,, bus , Matrimonium celebretur . ,,

Solvuntur Objecta .

OBJICIES : Ex multis tum Ritualibus , tum etiam Synodis , Parochus eſt Miniſter : Ergo &c. Probatur antecedens . Rituale Ipreníe anno 1576. hoc æquivalenter dicit , maxime vero Attrebatenſe anno 1600. Mechlinienſe anno 1589. & 1607. Juris publici rurſus factum . ait : " Stan-
,, te viro ad dexteram , *ut habetur in po-*
,, *ſteriori* , muliere vero ad ſiniſtram , Sa-
,, cerdos hujus Sacramenti Miniſter . . . .
,, data ſibi utrimque fide dicat : Et ego
,, tamquam Dei miniſter , vos in Matri-
,, monium conjungo . ,, Romanum in eamdem collimat ſententiam ; ſic enim habetur in editione 1494 *Et ego auctoritate , qua fungor , conjungo vos in Matrimonium* ;

Suffragatur Synodus Toletana , Lib. 7. cap. 2. ubi ſic habet : " Efficiens cauſa
,, Matrimonii ſunt ipſi contrahentes , in
,, quantum eſt contractus quidam ; at
,, vero ut Sacramentum , Deus eſt cauſa
,, principalis , Miniſter eſt cauſa inſtru-
,, mentalis ſicut in aliis Sacramentiis . ,,
Tum Cameracenſis anno 1567. " Cum

„ conſtet, *ait*, in Matrimonio habendam „ eſſe rationem, non ſolum divinæ inſti- „ tutionis, ſed etiam Sacramenti & gra- „ tiæ, quam in illo conſequuntur fideles, „ admonendos eſſe dicimus Parochos, hu „ jus Miniſtros &c. „ Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: Et hæc omnia unum dumtaxat probant, ſcilicet Sacerdotem eſſe Miniſtrum Eccleſiæ, qui ejus nomine adeſt ut teſtis ne ſint occulta Matrimonia, concedo: ut Miniſter conficiens Sacramentum, nego. Dictum eſt enim Miniſtrum Eccleſiæ nedum Sacramentis conficiendis incumbere, ſed etiam alia peragere officia ab Eccleſia ipſi commiſſa, quale eſt invigilare ne Matrimonium clandeſtinum evadat.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: Et auctores tum Ritualium, tum Synodorum in ea forſitan fuere ſententia, quod crediderint verba a Sacerdote prolata eſſe forma Matrimonii, concedo: mentem tum Concilii Florentini, tum Tridentini attigere, nego. Prævalet igitur ſententia divi Thomæ, maxime cum Innocent. III. in cap. *Quanto* 7. de divortiis lib. 4. tit. 19. ſecernat Matrimonium Chriſtianorum a Matrimonio Infidelium, quod illud ſit Sacramentum, eo quod fiat ſecundum fidem Eccleſiæ, & ex hoc inducat indiſſolubilitatem, minime vero alterum: “ Nam, *inquit*, & ſi Matrimo- „ nium verum inter Infideles exiſtat, non „ tamen eſt ratum; inter Fideles autem „ verum & ratum exiſtit: quia Sacramen- „ tum fidei quod ſemel eſt admiſſum, num- „ quam amittitur, ſed ratum efficit con- „ jugii Sacramentum; ut ipſum in conju- „ gibus illo durante perduret. „ Audis rationem Sacramenti refundi in fidem contrahentium? Ergo &c.

Inſtabis: Eccleſia ſtatuit benedici Matrimonium, & hoc ut quid neceſſarium. Igitur cum verba a Parocho prolata benedictionem exprimant, dicendum eſt eſſe de Matrimonii ut Sacramenti eſſentia. Probatur antecedens: Tertullianus L. 1. ad uxorem cap. 8. ſic loquitur: “ Suffi- „ ciamus ad enarrandam felicitatem ejus „ Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, „ & confirmat oblatio. „ Tum S. Ambroſius Epiſt. 19. num. 7. ad Vigilium Epiſcopum Tridentinum: “ Cum ipſum „ conjugium velamine ſacerdotali & be- „ nedictione ſanctificari oporteat. „ 3. Simile quidquam habet Concilium Carthaginenſe IV. can. 13. “ Sponſus & „ ſponſa cum benedicendi ſunt a Sacer- „ dote, a parentibus ſuis, vel a para- „ nymphis offerantur: qui, cum accepe- „ rint benedictionem, ea nocte pro reve- „ rentia ipſius benedictionis in virginita- „ te permaneant. „ 4. Expreſſius loquitur Gratianus can. *Aliter*. 1. 30. q. 5. „ „ Aliter, *inquit*, legitimum non ſit conju- „ gium, niſi ... ſacerdotaliter, ut mos eſt, „ cum precibus & oblationibus a Sacer- „ dote benedicatur. Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad probationem diſtinguo: Ex patribus benedictio nuptialis eſt neceſſaria, ut deſponſandi uberes ſuſcipiant Sacramenti fructus, concedo: ad validitatem Sacramenti, nego. Nam vel ipſe Chriſtus primus & ſummus Sacerdos adſuit nuptiis in Cana Galilææ, in quibus, ut multi non ſine fundamento autumant, elevavit Matrimonium ad Sacramenti dignitatem, non tamen legitur aliqua protuliſſe verba per modum formæ, nec præcepiſſe proferri a Sacerdotibus; quod non levius argumentum eſt, Sacerdotem adeſſe Matrimonio ut teſtem; eſto, ſi vis, adſit etiam tamquam Miniſter, ſed ut benedicat, cum ad ſolos ſpectet Eccleſiæ Miniſtros nomine Chriſti benedicere conjunctos in fide, quandoquidem teſte Apoſtolo, Epheſ. 5. *Matrimonium eſt ſacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia*.

Ad canonem a Gratiano laudatum, diſtinguo: Matrimonium, omiſſa benedictione ſacerdotali, nullum eſt, quia eſt clandeſtinum, quæ ratio eſt impedimentum dirimens, concedo: nullum eſt, omiſſa præſentia Parochi qui ſit Miniſter, nego. Quod autem hic ſit genuinus canonis laudati ſenſus liquet ex alio canone Hormiſdæ Papæ ab eodem Gratiano utique citato, in can. *Nullus*, ea cauſa, & q. “ Nullus „ fidelis, cujuſcumque conditionis ſit, oc- „ culte nuptias faciat; ſed benedictione „ accepta a Sacerdote, publice nubat in „ Domino. „

Inſiſtes: Illud tamquam quid eſſentiale requiritur, quo poſito, eſt Sacramentum; quo vero ſublato, non perficitur: Atqui poſita præſentia Parochi dicentis, *Ego vos conjungo*, fit Sacramentum, prætermiſſa vero, prorſus vacuum & inane evadit. Ergo &c.

Re-

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Omiſſo Parocho , Matrimonium non eſt Sacramentum ratione impedimenti ex occulta celebratione dimanantis , concedo : ratione poteſtatis Sacerdotis benedicentis, & conjungentis , nego . Allucinantur contrariæ opinionis auctores , dum reſundunt invaliditatem ſacramenti in defectum præſentiæ Sacerdotis ut Sacramentum conficientis , cum potius reſundenda ſit in abſentiam Parochi ut teſtis , cum ex ejus abſentia reſultet impedimentum Matrimonio clandeſtino annexum .

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Parochus non eſt Sacramenti Matrimonii Miniſter .

PRIMO : Nullibi legitur in Scriptura Sacerdotem eſſe Sacramenti Matrimonii Miniſtrum .

Secundo : Concilium Florentinum in decreto Inſtr. Arm. ubi cuncta Sacramentorum dogmata explicat , ſilet Sacerdotem , & ſolum conſenſum expreſſum pro eſſentia Matrimonii exigit : Tridentinum vero Sacerdotem quidem vult adeſſe Matrimonio , ſed ut teſtem , & hoc ut reſcindat matrimonia clandeſtina .

Tertio : S. Thomas 3. p: Supp. q. 47. art. 5. ait Sacerdotis præſentiam pro Matrimonio ad ſolam benedictionem , non pro conficiendo Sacramento exigi .

SYNOPSIS ARGUMENTORUM

IN CONTRARIUM , ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Certum eſt cuncta Ritualia , & Concilia Provincialia , quæ vocant Parochum Matrimonii Miniſtrum, nonniſi de Miniſtro benedicente deſponſatos loqui , minime vero de conficiente Sacramentum .

Secundo: Canon *Aliter*, ait quidem Matrimonium abſque Parocho contractum eſſe irritum , ſed intellige extrinſece , & putative .

Tertio : Omiſſo Parocho nullum quidem eſt Sacramentum , non quia deficit Miniſter , ſed ex eo quod impedimentum eatenus annexum habeat , quatenus clandeſtinum.

ARTICULUS SEXTUS.

De Bonis Matrimonii .

BONA Matrimonii ſunt in duplici differentia , quædam generalia & communia Matrimonio in officium naturæ ſpectato ; quædam vero ſpecialia , & ut Sacramentum eſt . De utriſque agendum incumbit .

SECTIO PRIMA.

De Bonis Matrimonii univerſim ſpectati .

QUÆRES I. quænam ſint Matrimonii bona ?

Reſpondeo tria , videlicet fidem , prolem , & Sacramentum . Sic propugnat ſanctus Thomas hic 3. p. Supp. q. 49. art. 2. iſta innixus ratione . Deus cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, tot remedia homini per peccatum ſauciato adhibet , quot ſunt infirmitates curandæ : Sed in Matrimonio tria occurrunt incommoda : Igitur & totidem bona ei annectenda ſunt : Probatur minor : Primo quidem , per actum Matrimonii deprimitur ratio , & anima velut tota carnalis evadit : ita Hieronymus Epiſt. 11. de Monogamia . II. Nimia familiæ ſolicitudo occurrit, dicente Apoſtolo 1. Cor. 7. *Qui ſine uxore eſt , ſolicitus eſt quæ Domini ſunt , quomodo placeat Deo : qui autem cum uxore eſt , ſolicitus eſt quæ ſunt mundi , & diviſus eſt* . III. Eſt ſubjectio & veluti ſervitus ; nam ut ibidem ait Apoſtolus : *Mulier non habet poteſtatem corporis ſui , ſed vir* , & e contra : tria vero bona iſtis medentur incommodis , nimirum fides , proles & Sacramentum . Ita ſanctus Thomas hic q. 49. art. 2. his verbis : " Matrimonium eſt in officium na„ turæ , & eſt Sacramentum Eccleſiæ : „ in quantum autem eſt in officium na„ turæ , duobus ordinatur , ſicut & qui„ libet alius virtutis actus, quorum unum „ exigitur ex parte ipſius agentis , & „ hoc eſt intentio finis debiti , & ſic po„ nitur bonum Matrimonii proles : Aliud „ exigitur ex parte ipſius actus , qui eſt „ bonus in genere , ex hoc quod cadit „ ſupra debitam materiam , & ſic eſt fides „ per quam homo ad ſuam accedit , &

Digitized by Google

,, non ad aliam: Sed ulterius habet ali-
,, quam bonitatem in quantum eſt Sacra-
,, mentum, & hoc ſigoificatur ipſo no-
,, mine Sacramenti.

Catechiſmus Romanus 2. p. hic de hoc momento non leviora profert. De ſingulis enim iſtis boois multa præclara ſcribit n. 23. " Primum igitur bonum, *inquit*, eſt
,, proles, hoc eſt liberi, qui ex juſta &
,, legitima ſuſcipiuntur uxore: id enim
,, tanti fecit Apoſtolus, ut diceret: *Sal-*
,, *vabitur mulier per filiorum generationem*.
,, Nec vero hoc de procreatione ſolum, ſed
,, de educatione etiam & diſciplina, qua
,, filii ad pietatem erudiuntur, intelli-
,, gendum eſt. ,,

Pergit ibidem n. 24. Sequitur fides,
,, quod eſt alterum Matrimonii bonum,
,, non ille virtutis habitus, quo imbuiour,
,, cum Baptiſmum percipimus, ſed fideli-
,, tas quædam, qua mutuo vir uxori, &
,, uxor viro ita ſe obſtringit, ut alter al-
,, teri ſui corporis poteſtatem tradat: ſan-
,, ctumque illud conjugii fœdus numquam
,, ſe violaturum pollicetur. Id facile col-
,, ligitur ex illis verbis, quæ a primo pa-
,, rente annuntiata ſunt, cum Evam uxo-
,, rem ſuam accepit, quæ deinde Chriſtus
,, Dominus in Evangelio comprobavit:
,, *Quare relinquet homo patrem & matrem,*
,, *& adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in*
,, *carne una*. ,,

Non ſilet ulteriorem Matrimonii dotem:
" Tertium bonum, *ait*, Sacramentum ap-
,, pellatur, vinculum ſcilicet matrimonii,
,, quod numquam diſſolvi poteſt. ,, Ex qua quidem indiſſolubilitate alia profluunt bona, de quibus infra dicemus.

Quæres 2. Quænam ſint commoda, quæ ex conſociatione viri cum femina exurgunt?

Reſpondeo 1. Virum teneri ſuam ſecundum Deum amare uxorem, eam honeſte tractare, ac denium neceſſaria ad vitam fovendam ei ſuppeditare. De iis momentis audiendus eſt idem Catechiſmus, qui ibidem n. 26. hæc habet: " Ergo viri
,, muous eſt, uxorem liberaliter & hono-
,, rifice tractare. Qua io re meminiſſe
,, oportet, Evam ab Adamo ſociam appel-
,, latam eſſe, cum inquit: *Mulier quam*
,, *dediſti mihi ſociam*; cujus rei cauſa ali-
,, qui Patres factum eſſe docuerunt, ut
,, ea, non ex pedibus, ſed ex latere viri
,, formaretur: quemadmodum etiam ex
,, capite condita non eſt, ut ſe viri do-
,, minam non eſſe intelligeret, ſed viro
,, potius ſubjectam. ,,

Tum ſubdit: " Decet præterea virum
,, in alicujus honeſtæ rei ſtudio ſemper oc-
,, cupatum eſſe, tum ut ea ſuppeditet,
,, quæ ad familiam ſuſtentandam neceſ-
,, ſaria ſunt: tum ne inerti otio lan-
,, gueſcat, a quo vitia fere omoia flu-
,, xerunt. Deinde vero familiam recte
,, conſtituere, omnium mores corrigere,
,, ſingulos in officio continere. ,, Jam ſi de mutuo amore caſto ſermo ſit, ſufficit iſtud D. Pauli oraculum Epheſ. 5. *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*.

Reſpondeo 2. Mulieri incumbere in omnibus quantum eſt in ſe, auxilium viro pro ſuſtinendis matrimonii oneribus afferre; cum eo creata ſit fine ut maritum adjuvet, dicente Domino in gratiam Adæ Gen. 2. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*: Item viro ſubjectam eſſe propter Deum, prolem io cultu Dei inſtituere, virum tum conſilio, tum exemplo in probis moribus continere. n. 27. de iis capitibus loquitur Catechiſmus: " Uxoris
,, partes ſunt, quas Apoſtolorum Prio-
,, ceps eoumerat, cum inquit: *Mulieres*
,, *ſubditæ ſint viris ſuis*: ut & ſi qui non
,, credunt verbo, per mulierum conver-
,, ſationem ſine verbo lucrifiant: Conſide-
,, rantes io timore ſanctam converſationem
,, veſtram ...... Earum quoque præci-
,, puum ſtudium ſit filios in religionis
,, cultu educare, domeſticas res diligen-
,, ter curare. Domi vero libenter ſe con-
,, tineant, niſi neceſſitas exire cogat: id-
,, que ſioe viri permiſſu facere numquam
,, audeaot. Deinde io quo maxime ma-
,, ritalis conjunctio ſita eſt, memioerint
,, ſemper ſecundum Deum, magis quam
,, virum, neminem diligendum, eove plu-
,, ris facieodum eſſe neminem, cui etiam
,, omoibus io rebus, quæ chriſtianæ pie-
,, tati non adverſantur, morem gerere,
,, & obtemperare ſumma cum alacritate
,, animi oporteat. ,,

Quæres 3. Num unitas perſonarum ita ſit neceſſaria, ut polygamiam matrimonium perfectum excludat?

Ante reſponſionem ſupponendum eſt triplicem eſſe Matrimonii finem, primum & præcipuum, procreatiooem & educatio-

Digitized by Google

tionem prolis: Alterum mutua obſequia, ut remedium grave adverſus carnis tentationes habeant. Tertium ut Sacramentum, eſt Chriſti cum Eccleſia ſignificare unionem, quo ſenſu Apoſtolus Epheſ. 5. de Sacramento inter fideles celebrato ait: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. His prælibatis.

Reſpondeo 1. Nuſquam fuiſſe licitum mulieri plures ſimul habere viros. Sic propugnat ſanctus Thomas variis innixus rationibus, maxime quia pluralitas virorum cum una muliere generationem prolis impediat. S. Auguſtinus L. de bono conjugali cap. 17. de hoc momento ſic loquitur: " Non ſicut uni viro etiam plures habere ,, licebat uxores, ita uni feminæ plures ,, viros, nec prolis ipſius cauſa, ſi forte ,, illa parere poſſet, ille generare non ,, poſſet. ,, Tum ſubdit: " Duobus ſeu ,, pluribus maritis vivis, nullam legimus ,, ſerviſſe Sanctarum, plures autem femi- ,, nas, uni viro legimus conjunctas. ,,

Reſpondeo 2. Pluralitatem uxorum uni viro quondam, Deo diſpenſante, ut mundus habitaretur, fuiſſe conceſſam, ut legitur paſſim in libro Geneſis de SS. Patriarchis; ſic docet S. Thomas 3. p. Supp. q. 65. art. 2. & hoc ut veri Dei cultores multiplicarentur.

Reſpondeo 3. Polygamiam eſſe contra jus naturale. 1. Quia Deus unam tantum uxorem Adamo conceſſit, nec pluralitas licita fuit Patriarchis citra privilegium & Creatoris indulgentiam, qui juſtis de cauſis in eo puncto voluit eos diſpenſare. 2. Polygamia pacem familiæ temerare non deſinit, jurgia movet, incendia parat. 3. Opponitur Matrimonio ut ſacramentum eſt, quod quidem in hypotheſi unionem Chriſti cum Eccleſia non exprimeret; hinc Chriſtus præcipit in Evangelio ut vir unam habeat uxorem, & uxor viciſſim unum virum, quod totum fuſo calamo explicat D. Paulus Epheſ. 5. his verbis. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*.

Audis, *erunt duo in carne una*, quam quidem legem explanat Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 5. " Duas, *inquit*, ,, tempore uno habere uxores, nec ipſa ,, origo humanæ conditionis, nec lex ,, Chriſtianorum ulla permittit; nam Deus ,, qui fecit hominem ab initio, maſculum ,, unum fecit, & unam feminam tantum, ,, cui potuit utique, ſi vellet, duas uxo- ,, res tribuere, ſed noluit. Scriptum quip- ,, pe eſt: Propter hoc relinquet homo pa- ,, trem & matrem, & adhærebit uxori ,, ſuæ, non dixit uxoribus. Et iterum: ,, *Erunt duo in carne una*, maſculus ſcilicet ,, & femina in carne una, & non tres ,, aut plures. ,,

Concinit Hieronymus, qui iſta Chriſti verba Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos*, ait: " Dicendo maſculum & feminam, oſten- ,, dit ſecunda vitanda conjugia: non enim ,, ait maſculos & feminas, ſed maſculum ,, & feminam, ut unius conjungit con- ,, ſortia necterentur. ,,

Egregia de hoc capite dicit Catechiſmus Romanus hic num. 19. his verbis: " Ma- ,, trimonium ita a Deo inſtitutum eſt, ,, ut duorum tantum, non plurium con- ,, junctione definiretur, quod etiam ali- ,, bi apertiſſime docuit; inquit enim: ,, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & ,, aliam duxerit, adulterium committit ſu- ,, per eam, & ſi uxor dimiſerit virum ,, ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. ,, Nam ſi viro liceret plures uxores duce- ,, re, nulla omnino cauſa eſſe videretur, ,, cur magis adulterii reus dicendus eſſet, ,, quod præter eam uxorem quam domi ,, haberet, aliam duceret, quam quod, ,, priore dimiſſa, cum alia conjungeretur. ,, Pergit: " Atque ob eam rem fieri in- ,, telligimus, ut ſi infidelis quiſpiam, gen- ,, tis ſuæ more & conſuetudine, plures ,, uxores duxiſſet, cum ad veram religio- ,, nem converſus fuerit, jubeat eum Ec- ,, cleſia ceteras omnes relinquere, ac prio- ,, rem tantum juſtæ & legitimæ uxoris ,, loco habere. ,,

Juvat iſtam reſponſionem verbis divi Thomæ firmare, qui 4. contra Gentes c. 78. ſic loquitur: " Per conjunctionem ,, maris & feminæ, Chriſti & Eccle- ,, ſiæ conjunctio deſignatur: oportet ,, quod figura ſignificato reſpondeat; ,, Conjunctio autem Chriſti & Eccleſiæ ,, eſt unius ad unam perpetuo habendam; ,, eſt enim una Eccleſia, ſecundum il- ,, lud Cantic. 6. *Una eſt columba mea, ,, perfecta mea*, nec unquam Chriſtus a ſua

„ Eccleſia ſeparabitur ; dicit enim ipſe
„ Matth. ultimo : *Ecce ego vobiſcum ſum*
„ *uſque ad conſummationem ſaculi* , & ulte-
„ rius , *Semper cum Domino erimus* , ut
„ dicitur 1. Theſſal. 4. Neceſſe eſt igi-
„ tur , quod Matrimonium , ſecuudum
„ quod eſt Eccleſiæ ſacramentum , ſit
„ unius ad unam indiviſibiliter haben-
„ dam. „

Demum hoc totum de fide tenendum vult ſacro-ſancta Trident. Synodus, ſiquidem Seſſ. 24. can. 11. ſic loquitur : *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.*

Synopſis eorum quæ continentur in Sectione.

I. Pluralitas virorum pro una muliere eſt contra jus naturale.

II. Pluralitas vero uxorum pro uno viro tantum ſecundum quid : Lex Evangelica ſtatuit unum virum conjungendum eſſe cum una dumtaxat uxore.

PRIMUM patet ex SS. Doctoribus, maxime Auguſtino L. de bono conjugali cap. 17. ratio eſt, quia multi viri pro una uxore impediunt generationem.

Secundum utique, nam ab initio Creator fecit unum virum & unam pro eo mulierem, ut habetur Geneſ. 1. Concinit Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 5.

Tertium claret tum ex Evangelio Matth. 19. ubi Deus declarat eum, qui vivente propria uxore alteram ducit, eſſe criminis adulterii reum. Sic interpretatur Chriſti oraculum S. Hieronymus ; ſic & S. Thomas 4. contra Gentes cap. 78.

SECTIO SECUNDA.

De ſpeciali dote Matrimonii , ſcilicet indiſſolubilitate.

MATRIMONIUM duplici modo ſpectari poteſt ; Videlicet ut eſt in officium naturæ, deinde vero ut eſt Sacramentum, & de eo duplici iſto modo conſiderato quæſtio movetur. Quia vero in Scripturis ſacris mentio fit tum de repudii uxoris libello, tum de uxorum dimiſſione, fornicationis cauſa occurrente, idcirco de iis omnibus momentis ad completam capitis controverſiæ reſolutionem agendum incumbit. Unde ſit

PUNCTUM PRIMUM.

Num Matrimonium tum in officium naturæ, tum ut Sacramentum ſpectatum, ſit indiſſolubile?

CONCLUSIO PRIMA.

Matrimonium ut eſt in officium naturæ annexam habet indiſſolubilitatem.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Quod eſt de jure divino, non poteſt a Matrimonio abſtrahi : Sed talis eſt Matrimonii, etiam in officium naturæ ſpectati, proprietas, ſcilicet ut indiſſolubilitatem annexam habeat. Et probatur : Ipſe Chriſtus interpretans locum Geneſeos de Matrimonio inter Adam & Evam, ait virum patre & matre relictis, uxori ſuæ adhærendum eſſe, his verbis Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit : Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una* : Igitur Matrimonium ab ipſo Auctore naturæ indiſſolubilitatem ſibi vindicat, cum ex illo contracto concludat Chriſtus ; *erunt duo in carne una* ; ecce indiſſolubilitas.

Altera : Si Matrimonium ſolvi poſſet, maxime ab hominibus : Atqui Chriſtus eamdem Creatoris exponens legem hoc prohibet his verbis : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hunc prodit ſenſum Bonifacius VIII. cap. *Unico* de voto & voti redemptione, in 6. ubi ait rerum Conditorem Matrimonio indiſſolubilitatem affixiſſe. Concinit Tridentina Synodus Seſſ. 24. initio, ubi ſic loquitur : " Matrimonii perpetuum indiſſolu-
„ bilemque nexum primus humani gene-
„ ris parens, divini Spiritus inſtinctu pro-
„ nuntiavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex*
„ *oſſibus meis* &c. „

Tertia : Ibi eſt indiſſolubilitas, ubi Chriſtus prohibet diviſionem : Atqui pro Matrimonio res ſic ſe habet, juxta illud 1. Cor. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus,*

uxorem

uxorem a viro non diſcedere : Quod ſi diſceſſerit , manere innuptam , aut viro ſuo reconciliari , Et vir uxorem non dimittat &c.

Quarta : Lex vel ipſis belluis indita , eſt ut proli conſulant : ſed ad hoc requiritur iodiſſolubilitas in Matrimonio , & hoc propter duo ; Primo quidem ut ſocietas promiſſa ſit perpetua , deinde vero ut proles habeat & pro ſe , & pro nepotibus , ad vitam ſuſtentandam neceſſaria , quæ quidem neceſſaria citra indiſſolubilitatem vix haberi queunt . Iſta ratio eſt D. Thomæ hic q. 67. art. 1. his verbis : " Matrimonium ex intentiooe ordina-
,, tur ad educationem prolis, non ſolum
,, ad aliquod tempus, ſed per totam vitam
,, prolis , unde de lege oaturæ eſt quod
,, parentes filiis theſaurizent, & filii pa-
,, rentum hæredes ſint ; & ideo cum pro-
,, les ſit commune bonum viri & uxoris ,
,, oportet eorum ſocietatem perpetuo ma-
,, nere indiviſam , ſecundum legis naturæ
,, dictamen, & ſic ioſeparabilitas Matri-
,, monii eſt de lege naturæ . ,,

Quinta : Uxoratus qui alteram a propria uxore cognoſcit , graviſſime peccat , & propter hoc exulat a regoo cœlorum , ut habetur Roman. 1. Epheſ. 5. 1. Cor. 6. & ad Galatas 5. ſed ea potiſſimum ratione peccat , quia non ſervat unitatis & conjunctionis fidem : Igitur indiſſolubilitas eſt de ratione Matrimonii , ſin minus videtur quod non peccaret adulter .

CONCLUSIO SECUNDA.

Matrimonium ut eſt Sacramentum ſtrictiſſimam habet iodiſſolubilitatem .

Probatur rationibus Theologicis .

PRIMA ex adductis modo conſtatur . Nedum Conditor , ſed Redemptor & Auctor Sacramentorum , præcipiunt viro adhærere uxori , & eſſe duos in carne una , ita ut ſi unus aut alter a ſua diſcedat comparte , pecet & fornicetur . Ergo &c.

Secunda : Ibi eſt ſtrictiſſima indiſſolubilitas, ubi ſtricte prohibetur molieri a viro diſcedere , eique iojungitur legi indiſſolubilitatis , quandiu vir vivit , alligari . Atqui utrumque in Scriptura ſic habetur , & quidem 1. Cor. 7. ubi Apoſtolus ſic pronuntiat : *Iis qui Matrimonio juncti ſunt , præcipio , non ego , ſed Dominus , uxorem a viro non diſcedere* . Rurſus ibidem : *Mulier alligata eſt legi , quanto tempore vir ejus vivit* . Tandem adhuc ibidem ſubjungit : *Quod ſi diſceſſerit* vir , *manere innuptam , aut viro ſuo reconciliari , & vir uxorem non dimittat* . Ergo &c.

Tertia : Figura debet veritati concordare : Sed Matrimooium ut Sacramentum repræſentat indiviſibilem Chriſti cum Eccleſia conjunctionem : Ergo &c. Hæc ratio eſt Concilii Florentini in decreto Inſt. Am. " Tertium Matrimonii bonum eſt,
,, *ait Eugenius IV.* indiviſibilitas Matri-
,, monii , propter hoc quod ſignificat in-
,, diviſibilem conjunctionem Chriſti & Ec-
,, cleſiæ .

Quarta hæc eſt . Dei perfecta ſunt opera : Sed Chriſti lex , quæ teſte Apoſtolo Heb. 7. cuncta perfecta facit , in quo a veteri lege ſeceroitur : *Nihil enim* , inquit , *ad perfectum adduxit lex* ; multa indiſſolubilitati affixit bona : 1. Ut uxor adultera non poſſit alteri nubere , ne ſic ſuam foveat iocootinentiam : 2. Ut eadem ſcieos unionem cum marito eſſe indiſſolubilem , ei facilius reconcilietur : 3. Ut in Matrimonio conjungendi potius virtutem quam aut divitias , aut inania ſpurcitiarum carnis oblectamenta quærant , ne his omoibus faſtidientes , propter indiſſolubilitatem , tribulationem carnis uſque ad momordentes cruciatus ferre cogantur : Hæc & ſimilia continet Catechiſmus Romanus , ut probet nedum Matrimonium indiſſolubilitatem donari , verum etiam hoc eſſe convenientiſſimum . Sic habet hic part. 2. de Matrimonio n. 27.
" Chriſti Domini teſtimonio facile com-
,, probatur , nullo divortio vinculum
,, Matrimonii diſſolvi poſſe . Si enim
,, poſt libellum repudii mulier a viri le-
,, ge ſoluta eſſet , liceret ei ſine ullo adul-
,, terii crimine alteri viro oubere . Atqui
,, Dominus aperte deountiat ; *Omnis , qui*
,, *dimittit uxorem ſuam , & alteram ducit* ,
,, *mœchatur* . Quare conjugii vinculum
,, nulla re , niſi morte diſrumpi perſpicuum
,, eſt . ,,

Tum pergit recenſeodo indiſſolubilitatis bona n. 21 " Ac ne forte alicui videa-
,, tur durior Matrimonii lex , quod nulla
,, unquam ratio diſolvi poſſit , docen-
,, dum eſt , quæ ſint cum ea utilitates
,, con-

Digitized by Google

„ conjunctæ. Primum enim homines in „ conjuogeodis matrimoniis virtutem potius, & morum ſimilitudinem, quam „ divitias & pulchritudinem ſpectandam „ eſſe, hinc intelligent: qua quidem re „ communi ſocietati maxime conſuli, nemo dubitare poteſt. Præterea ſi divortio Matrimonium diſſolveretur, vix „ unquam diſſidendi cauſæ hominibus, quç „ eis ab antiquo pacis & pudicitiæ hoſte „ quotidie objicerentur, deeſſent ..... „ Quod ſi interdum etiam divortium faciant, & diutius conjugis deſiderium „ ferre non poſſunt, & facile per amicos „ reconciliati ad ejus convictum redeuot.„

Quinta: Quod de fide definitum eſt, non licet revocare in dubium: Atqui de fide definitum eſt a Coocilio Tridentino Seſſ. 24. initio Matrimonium annexam habere indiſſolubilitatem, & probatur. Primum Patres hujus indiſſolubilitatis afferunt rationes his verbis: " Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens, „ divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, „ cum dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, „ *& caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo, &c.*„ Tum ſubjungit ibid. " Ejuſdem nexus firmitatem ab Adamo „ tanto ante proouotiatam, Chriſtus his „ verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. „ Deinde canone 5. ejuſdem Seſſ. ſic habet: *Si quis dixerit, propter hæreſim aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam, a conjuge diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; anathema ſit*.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Sed non ſemel contigit Matrimonium ratum a ſummis Pootificibus fuiſſe ſolutum: Et probatur. Id aſſerunt multi Theologi a ſummis Pontificibus factum, videlicet, a Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Paulo IV. Gregorio XIII. ut referunt Covarruvias, decret. part. 2. cap. 7. §. 4. Henriquez Lib. 11. ca. 8. Navarrus in Summa cap. 22. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: SS. Pontifices quandoque ſolverunt Matrimonium ratum, & juxta multorum Theologorum placita, iſtud connubium non habet indiſſolubilitatem completam, concedo: Et habet omnibus numeris abſolutam, nego. Unio completa deſponſatorum, & conſequenter omnimoda indiſſolubilitas per Matrimonii conſummationem habetur; tunc enim ſunt duo in carne uoa, quod vel ipſe Chriſtus declaravit, Matth. 19. tum valent retiones pro indiſſolubilitate, quæ potiſſimum deſumitur relative ad prolem, quam parentes, nutrire, fovere, & educatione ſancta inſtituere tenentur, quod difficilius abſque parentum unione indiſſolubili fieret. Demum, omnibus conſentientibus Theologis & Canoniſtis, Matrimonium ratum abſque negotio ſolvitur per ingreſſum viri vel mulieris in religionem: Igitur Matrimonium ratum completam non habet indiſſolutionem, donec accedat Matrimonii conſummatio.

Inſtabis: Atqui etiam Matrimonium conſummatum indiſſolubilitate non donatur: Ergo &c. Probatur ſubſumptum, I. iidem Auctores addunt Paulum III. & Paulum IV. quandoque etiam ſolviſſe matrimonia conſummata. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Solverunt, quia aderant impedimenta dirimentia, concedo; ſecus, nego. Non præcise ſolverunt, ſed declararunt nulla, ut modo probavimus ex Nicolao I. qui declaravit matrimonium Lotharii Regis Franciæ cum Waldrada valere, ſi Matrimonium cum priori uxore ſcilicet Teutperga, quam quidem anno 862. repudiaverat, fuerat clandeſtinum.

Inſiſtes: Quod dependet a conſenſu humano, poteſt ſolvi, ſin minus læderetur libertas: Sed Matrimonium fit per conſenſum a partibus expreſſum. Igitur ad eorum nutum, variato conſenſu, poteſt ſolvi Matrimonium, maxime cum ſint ipſius Sacramenti Miniſtri.

Reſpondeo diſtinguendo: Quod dependet a conſeoſu poteſt variari & ſolvi, antecedenter, concedo: ſubſequenter, ſubdiſtinguo: ſi non adſit lex prohibens, concedo: ſi adſit, nego. Ratione libertatis poteſt homo nubere vel non nubere, ut dicit Apoſt. 1. Cor. 7. ſed ſuppoſito quod velit, ex jure tum naturali, tum poſitivo debet adhærere uxori: Neque vero io hoc læditur libertas, cum homo ſciens legem, libenter & ultro voluerit.

luerit ipſi alligari; ait enim Apoſtolus de muliere, quod quandiu vir vivit, maneat ſub lege cui alligata eſt, liberata vero tunc ſit, quando vir defunctus eſt.

Replicabis: Si Matrimonium foret indiſſolubile, maxime quia eſt contractus mutuo conſenſu factus: Sed, hoc non obſtante, contractus civiles & humani quotidie ſolvuntur, variato contrahentium conſenſu. Ergo &c.

Respondeo diſtinguendo majorem: Quia eſt contractus ſub auctoritate & Creatoris, & Salvatoris factus, concedo: citra utriuſque auctoritatem, nego. Et conceſſa minore, eodem modo diſtinguendum eſt conſequens, negando tamen paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod contractus humanus fiat ſub dominio hominum, qui cum ſint ſui juris, ad nutum poſſunt variare contractus; at vero & Creator, & Salvator legem poſuerunt immutabilem qua Matrimonium indiſſolubile foret propter rationes in probationibus allatas.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Matrimonium eſt indiſſolubile.

PRIMO: Ita ſtatuit Deus Geneſ. 2. tum & Chriſtus Matth. 19.

Secundo: Ita de fide definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 24. can. 5. Et ſic ſtatuunt jura tum divina, tum humana.

Tertio: Non deſunt iſtius indiſſolubilitatis rationes. Primo quidem ut bono prolis provideatur, deinde vero ut deſponſati quandoque a ſe invicem moribus diſſoni, facilius reconcilientur; cum ad hoc compellat indiſſolubilitatis lex.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum quidem eſt ſummos Pontifices quandoque ſolviſſe Matrimonium ratum, ſed non conſummatum, niſi occurrerint impedimenta dirimentia.

Secundo: Tametſi Matrimonium fiat conſenſu, ille tamen conſenſus contractui datus ex natura ſua indiſſolubiliter inter deſponſatos perſeverat.

Tertio: Eſto quod contractus humani, utraque parte conſentiente, ſolvi queant, non tamen contractus ſacramentalis propter legem divinam hoc prohibentem.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Libello repudii, ſeu mulierum dimiſſione.

CONCLUSIO.

Quandoque juſta de cauſa permittitur divortium.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Ab actu ad poſſe, valet conſequentia: Sed Deus permiſit Judæis dare libellum repudii, ut habetur Deuteronomii 24. & ex ipſis Chriſti verbis Matth. 19. cum enim quærentibus Phariſæis: *Liceret-ne homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa*. Reſpondit Chriſtus non licere juxta primam Matrimonii inſtitutionem Geneſ. 2. replicaverunt hanc eſſe Deuteronomii legem cap. 24. *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere*; Subjicit Chriſtus: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras. Ab initio autem non fuit ſic*. Ergo &c. Non abs re erit hic texere formam libelli repudii, quæ ſic habetur Deuteronomii 24. *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua*. Quæ quidem repudii cauſa non levior eſſe debebat, ſed v. g. quum timendum erat ne vir ex odio occideret uxorem, ut habetur Malachiæ 2. *Cum odio habueris*, uxorem tuam, *dimitte dicit Dominus Deus Iſrael*.

Hæc erat libelli forma v. g. *Ego Rabbi Simeon .... die 1. menſis ſecundi anno a creatione mundi &c. repudiavi Rachel .... & dedi illi libellum repudii in manu ſchedam abſciſſionis, & ſignaculum diviſionis, ut ſit a me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ducique poſſit ab omni viro, nec tum quiſque prohibere præſumat juxta conſtitutiones Moyſis & Iſrael*. D. Thomas hic quæſt. 67. art. 7. *ait* non opus fuiſſe cauſas divortii in ſpeciali exprimi.

Genetus hic Diſput. 5. de indiſſolubilit. Matr. art. 1. §. 2. docet libellum repudii ſolis

ſolis Hebræis fuiſſe permiſſum, minime vero Gentilibus, eo quod indiſſolubilitas in jure naturæ fundetur.

Altera: Nomine repudii intelligimus quodcumque divortium: Sed ipſe Chriſtus permittit juſtis de cauſis vel ipſis Chriſtianis dimittere uxores, ut habetur Matth. 19. Ergo &c.

Tertia: Jugum Chriſti eſt ſuave: Atqui ſæpius neceſſitas compellit virum a muliere quoad thorum & habitationem ſeparari, puta ſi pravis moribus adverſetur tum famæ, tum bono familiæ, tum etiam ne exuberantes defectus undique parent jurgii & litium incendia, & alia ſimilia incommoda.

Motiva dimiſſionis conjugis.

CERTUM eſt Matrimonium ut Sacramentum eſſe indiſſolubile, & quidem ſemper, ſi ſit conſummatum, ut ſupra oſtenſum eſt; hinc quæſtio præſens non niſi de Matrimonio ſolum rato & non conſummato procedit quoad ſolutionem: quoad dimiſſionem vero ad tempus, non eſt eadem ratio. Ceterum non loquimur de dimiſſione in præſenti quoad vinculum, in ſubſequenti quidem puncto de hoc capite ex profeſſo ſermo futurus eſt. Jam ad quæſtionem veniamus.

Primo: Matrimonium ratum per ſolemnem religionis profeſſionem ſolvitur. Ita declaravit Concil. Trident. Seſſ. 24. can. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, & non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugis non dirimi; anathema ſit*. Sic etiam habetur cap. *ex parte ſecunda*, de converſ. conjugat. ubi Innoc. III. idem declarat, tum & Alexander III. cap. *Verum* & cap. *Ex publico*. Succinit S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. in corpore: " Di-
,, cendum, *inquit*, quod ante carnalem
,, copulam eſt inter conjuges tantum ſpi-
,, rituale vinculum, ſed eſt inter eos et-
,, iam vinculum carnale, & ideo ſicut
,, poſt carnalem copulam Matrimonium
,, ſolvitur per mortem carnalem; ita per
,, ingreſſum religionis ante carnalem co-
,, pulam ſolvitur, quia Religio eſt mors
,, quædam ſpiritualis, qua aliquis ſæculo
,, moriens vivit Deo. ,,

Secundo: Matrimonium Infidelium etiam poſt conſummationem ſolvi poteſt, vel quoad ipſum conjugale vinculum, ſi alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit pacifice & ſine contumelia Creatoris habitare cum illo, ſecus vero ſi pacifice & citra ſcandalum cohabitare conſentiat. Hoc colligitur ex Apoſt. 1. Cor. 7. ubi ſic loquitur: *Nam ceteris ego dico, non Dominus, ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſenſit habitare cum illo, non dimittat illam, quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*.

Suffragatur Innocent. III. cap. *Quanto* de divortiis, ubi ſic loquitur: " Si alter In-
,, fidelium conjugum ad fidem catholicam
,, convertatur, altero vel nullo modo,
,, vel non ſine blaſphemia divini nominis,
,, velut eum pertrahat ad mortale pecca-
,, tum, ei cohabitare volente, ad ſecun-
,, da, ſi voluerit, vota tranſire poſſe. ,,

Audiendus de hoc momento S. Thomas hic quæſt. 59. art. 5. in corpore: " Quan-
,, do, *inquit*, alter conjugum ad fidem con-
,, vertitur, altero in infidelitate manen-
,, te diſtinguendum eſt: quia ſi infidelis
,, vult cohabitare ſine contumelia Creato-
,, ris, id eſt, ſine hoc quod ad infidelita-
,, tem inducat, poteſt fidelis libere diſce-
,, dere, *id eſt ab eo ſeparari quoad cohabi-*
,, *tationem & thorum*; ſed diſcedens non
,, poteſt alteri nubere. Si autem infidelis
,, non velit cohabitare ſine contumelia
,, Creatoris, in verba blaſphemiæ prorum-
,, pens, & nomen Chriſti audire nolens;
,, tunc ſi ad infidelitatem pertrahere nita-
,, tur, vir fidelis diſcedens poteſt alteri
,, per Matrimonium copulari. ,,

Gonetus ibid. ait in hac hypotheſi non diſſolvi Matrimonium donec vir v. g. converſus, & cum uxore altera jam fideli deſponſatus Matrimonium conſummaverit. Ita D. Thomas ibidem q. 59. art. 5. ad 2. his verbis: " Crimen uxoris nolen-
,, tis habitare ſine contumelia Creatoris,
,, abſolvit virum a ſervitute qua teneba-
,, tur uxori, ut non poſſet ea vivente
,, aliam ducere; ſed nondum ſolvit Matri-
,, monium, quia ſi illa converteretur an-
,, tequam ille aliud Matrimonium con-
,, traheret, redderetur ei vir ſuus. Sed
,, ſolvitur per Matrimonium ſequens, ad
,, quod pervenire non poſſet vir fidelis,
,, niſi ſolutus a ſervitute uxoris ſuæ per
,, culpam ejuſdem. ,, Dixi donec Matrimonium fuerit conſummatum, ſi enim ſo-

lum-

ſummodo ratum foret, vir poſſet ingredi Religionem, & ſic ſecundum ſolvere matrimonium.

Quidam ſunt caſus in quibus adulterum ne quidem dimittere licet.

PRIMUS: Si uterque conjux eſt adulter, ita habetur in decreto Innoc. III. *Extra* de adulteriis cap. *Tua fraternitas*; quia, inquit ſummus Pontifex ex regula Juris: *Paria crimina mutua compenſatione delentur*. Concinit Auguſtinus L. 2. de adulterinis conjugiis cap. 8. quod probat quadam lege ab Antonino Imperatore Ethnico lata, qua prohibuit ne maritus adulter uxorem adulterii crimine accuſaret.

Secundus: Si adulter reconciliatus ſit cum innocente; tunc enim vi reconciliationis in eumdem reſtituitur ſtatum ac ſi non peccaſſet.

Tertius: Si vir ipſe lucri motivo ſuam proſtituerit uxorem: namque uxoris crimen magis refunditur in virum quam in mulierem, & ipſe eſt criminis conſcius, quocirca nulla debetur ei compenſatio & vindicta.

Quartus: Si alter alteri longo temporis ſpatio debitum conjugale negaverit, quia in hac hypotheſi rebellis periculo fornicationis marte proprio ſuum committit conjugem.

Quintus: Si uxor poſt diuturnam viri abſentiam, cujus mortis certa dederit argumenta, alteri nupſerit. Si tamen vivat, ad hunc primum maritum eam redire neceſſe eſt, nec tamen adultera reputabitur, ſicut nec proles a ſecundo marito ſuſcepta illegima habebitur.

Sextus: Si pro vero conjuge per fraudem vel errorem in thorum quis ſe injecerit, excuſatur enim conjux fraude vel errore deceptus, ſeu vir, ſeu mulier: ſicut Jacob quando pro Rachele quam duxerat, Liam cognovit. Ita habetur ex decreto 34. quæſt. 2. cap. *Si virgo*, & cap. *In lectum*.

Septimus: Si mulier vim paſſa fuerit, quæ cadit in virum conſtantem.

Octavus: Si conjux conjugem poſt cognitum ejus adulterium ad thorum receperit. Hoc quippe reconciliationi æquivalet, ut definitur cap. *Si quis*, & cap. *quod autem* 32. quæſt. 1.

Nonus: Si in infidelitate uxor a marito præter cauſam adulterii repudiata, alio viro nupſerit, ac poſtea fuerint ambo ad fidem converſi, maritus uxorem recipere tenebitur; ſic definivit Innoc. III. *Extra* de divortiis cap. *Gaudemus*. Ratio eſt, inquit Eſtius in 4. diſtinct. 35. §. 5. pag. 139. quia non debet ut adultera a viro puniri, quæ legum publicarum permiſſione nupſit alteri.

Synopſis eorum quæ complectitur punctum ſecundum, ſeu caput.

PRIMO: Quandoque permittitur dimiſſio uxoris, puta ſi foret adultera, ut habetur Matth. 19.

Secundo: Nedum dimitti poteſt uxor, ſed & ſolvi matrimonium per ingreſſum in religionem. Sic ſtatuunt Jura.

Tertio: Mulier infidelis quæ ad fidem convertitur, ſi a marito propter ſuam religionem ſupra modum exagitetur, illo relicto, poteſt alii viro nubere.

Quarto: In quibuſdam caſibus non licitum eſt homini dimittere uxorem adulteram, maxime ſi ipſe ſit adulter, vel ei reconciliatus ſit.

PUNCTUM TERTIUM.

Num vir, vivente propria uxore, quam propter adulterium dimiſit, poſſit cum altera nubere?

CONCLUSIO PRIMA.

Vir, vivente propria uxore, alteram nequit ducere.

Probatur, multis momentis.

Primo, ex Scriptura Sacra.

QUOD prohibetur a Deo ſub pœna reatus adulterii, & pœnæ æternæ, non licitum eſt. Atqui res ſic ſe habet. Probatur minor exquiſitis Scripturæ locis.

Primo: Chriſtus Matth. 19. ſic pronuntiat: *Qui cumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur*. Quæ verba poſtrema, inquit Eſtius, in 4. diſt. 35. §. 10. ſic intelligenda ſunt: " Ut ſenſus ſit: Quicumque dimiſſam duxerit, etiamſi ab fornicationem ,, di-

,, dimiſſa fuerit, mœchatur. Ideo enim
,, Dominus in poſteriori ſententia non
,, repetivit illud, *excepta fornicationis cau-*
,, *ſa*, quod in priori dixerat, ut oſtende-
,, ret, dimitti quidem poſſe conjugem ob
,, fornicationem, non tamen ſi ob eam
,, cauſam dimiſſa fuerit, poſſe illam alteri
,, viro nubere. ,, Rurſus Marci 1. ea-
,, dem fit prohibitio, & clare explicatur
his verbis: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. Rurſus Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur*. Quibus ſententiis ſtatuit univerſim Chriſtus virum, dimiſſa uxore, non poſſe citra grande peccatum alteram ducere; nec viciſſim licitum eſſe uxori propter fornicationem dimiſſæ, viro alteri nubere.

Secundo: Eadem lex auctoritate Apoſtoli firmatur Rom. 7. his verbis: *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro &c.* Rurſus 1. Cor. 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit*. Igitur ex Apoſtolo nuſquam licitum eſt aut viro alteram uxorem vivente propria, & viciſſim mulieri alterum virum, ſuo vivente, ducere. Et ne remaneat aliquis circa iſtud dubitandi ſcrupulus, vult Apoſtolus quod mulier aut a marito non diſcedat; aut ſi abierit, innupta maneat. *Iis autem qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Ergo &c.

Secundo, ex traditione Patrum.

TRADITIO eſt moralitatis infallibilis regula; Sed concluſio iſta innititur auctoritate: Et probatur.

Ex primo Sæculo habemus doctrinam Chriſti, & Apoſtoli circa iſtud momentum.

Ex ſecundo Sæculo Juſtinus, & poſt ipſum, ſubſequente ſæculo Athenagoras in Apol. propugnant nuſquam licitum eſſe viro vivente propria uxore, tametſi juſte dimiſſa, alteram ducere.

Ex tertio Sæculo habemus teſtium nubem pro iſta veritate aſtruenda. Primus nobis occurrit Clemens Alexandrinus, qui L. 2. Strom. pag. 424. ſub finem ait: " Quod
,, autem conſulit Scriptura uxorem duce-
,, re, & nec a conjugio unquam permit-
,, tat diſcedere, legem aperte conſtituit:
,, Non dimittes uxorem, præterquam pro-
,, pter fornicationem. Adulterium autem
,, exiſtimat conjungi Matrimonio, vivo
,, altero ex ſeparatis ... Qui aut dimiſſam
,, accipit uxorem, mœchatur, inquit,
,, Si quis enim dimiſerit uxorem, me-
,, chatur ipſam, hoc eſt, cogit eam mœ-
,, chari. Non ſolum autem qui dimittit,
,, eſt ejus cauſa, ſed etiam qui eam ſuſ-
,, cipit, præbens mulieri peccandi occa-
,, ſionem: ſi enim non ſuſcipiat, reverte-
,, tur ad virum. ,,

Tertullianus ſimilia profert L. 4. adverſus Marcionem cap. 34. pag. 558. " Si
,, ideo, *ait*, quis dimittat uxorem, ut
,, aliam ducat. Qui dimiſerit, inquit, uxo-
,, rem, & aliam duxerit, adulterium com-
,, miſit: Et qui a marito dimiſſam duxe-
,, rit, æque adulter eſt; ex eadem uti-
,, que cauſa, qua non licet dimitti, ut
,, alia ducatur: illicite enim dimiſſam pro
,, indimiſſa ducens, adulter eſt. Manet
,, enim matrimonium, quod non recte di-
,, remptum eſt. Manente matrimonio nu-
,, bere, adulterium eſt. ,,

Ab hac ſana doctrina non diſcedit Origenes ejusdem ævi Doctor Homil. 7. in Matth. pag. 37. de Chriſto reſpondente Judæis quærentibus, ſi liceat dimittere uxorem? " Vide autem, *inquit*, quomodo
,, irreprehenſibiliter reſpondit. Primum
,, quidem interrogantibus, ſi licet dimit-
,, tere uxorem quacumque ex cauſa: di-
,, cens: Num legiſtis quoniam qui fecit
,, maſculum & feminam fecit... Qui di-
,, miſerit uxorem, excepta cauſa fornica-
,, tionis, facit eam mœchari, & vere qui-
,, dem quantum ad ſe facit eam mœchari,
,, dimittens eam non mœchantem. Si
,, enim vivente viro adultera vocatur, ſi
,, facta fuerit altera viro: ſine dubio qui
,, dimittit dat ei occaſionem ſecundarum
,, nuptiarum: Et propter hoc facit eam
,, mœchari. ,,

Ex quarto Sæculo ſe prodit SS. Baſilius in regula morali 73. cap. 2. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ: Ambroſius in

cap.

cap. 16. ſancti Lucæ, & alii complures qui eamdem propugnant ſententiam.

Ex quinto Sæculo ejuſdem ſententiæ tenaciſſimus eſt ſanctus Auguſtinus in Lib. 1. de adult. conjug. cap. 1. & ſequentibus. Rurſus L. de bono conjug. cap. 7. 21. & 22. Tum Homil. 47. inter 50. his verbis: " Solius fornicationis cauſa licet „ uxorem dimittere, ſed illa vivente non „ licet aliam ducere: Et vobis feminæ nec „ illos viros, a quibus per repudium receſ- „ ſerunt uxores eorum, maritos habere „ conceditur, non licet: adulteria ſunt „ iſta, non conjugia. „

Ex ſubſequentibus Sæculis omnes ejuſdem ſunt labii. In primis Iſidorus L. 2. de divinis officiis cap. 19. V. Beda in cap. 7. primæ ad Cor. Theophylactus in Matth. 10. Anſelmus in Matth. 19. Ergo &c.

Tertio, ex SS. Pontificum decretis.

JUDICIA ad mores Chriſtianorum recte inſtituendos lata, non citra injuriam ipſi Eccleſiæ factam peſſundantur: Sed Summi Pontifices non ſemel emiſerunt decreta quibus prohibent ne vir, vivente propria uxore, audeat alteri nubere. Et probatur: ſic ſtatuunt Innocentius I. in ſua ad Exuperium epiſtola cap. 6. Alexander III. *extra*. de ſponſalibus & Matrimoniis cap. *Ex parte*. Innocentius III. *Extra* de divortiis cap. *Gaudemus*, cap. *Quanto*. Ergo &c.

Quarto, ex Conciliorum definitionibus.

CONCILIA ideo adunantur, ut controverſiæ circa religionem metam accipiant: Sed Concilia, rebus æqua lance ponderatis, virum, vivente propria uxore, aliam non poſſe ducere ſtatuerunt: Ergo &c. Probatur minor ex multis capitibus.

1. *Inter* Canones Apoſtolorum quadrageſimus octavus ſic habet: *Si quis Laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.*

2. *Concilium Eliberitanum* can. 9. ait: *Femina fidelis, quæ alterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat; ſi duxerit, non prius accipiat communionem, niſi quem reliquerit prius de ſæcule exierit; niſi forte neceſſitas infirmitatis dare compulerit.*

3. *Milevitanum* 11. can. 17. idem ſtatuit his verbis: *Placuit, ut ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito, alteri conjungantur: Sed ita maneant, ut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendam promulgari.*

4. *Synodus* Anglicana ſub Theodoro Epiſcopo ann. 663. habita can. 10. eamdem confirmat doctrinam. Iſta enim loquitur: *Si quiſquam propriam expulerit conjugem legitimo ſibi Matrimonio conjunctam, ſi Chriſtianus eſſe recte voluerit, nulli alteri copuletur, ſed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.* Forojulienſe can. 10. & Nannetenſe can. 12. idem definiunt.

5. *Florentinum* in decreto Inſtr. Arm. egregie exponit iſtud præclarum puriſſimæ moralitatis dogma. Sic enim ibi legitur: *Quamvis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.*

6. *Demum* Tridentinum Seſſ. 24. can. 7. anathemate ferit contrarium propugnantes, his terminis. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.*

Quinto, rationibus Theologicis.

PRIMA: Ubi non eſt inconvenientia, Scriptura in ſenſu obvio intelligenda eſt: Sed Chriſtus Matt. 19. prohibet viro alteram uxorem, propria vivente, ducere; ſic iſtud oraculum interpretatur Ambroſius Comment. in 1. ad Cor. cap. 7. his verbis: " Non enim permittitur mu- „ lieri ut nubat, ſi virum ſuum cauſa for- „ nicationis dimiſerit. „ Tum Auguſt. Lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. 9. & quidem expreſſius; ait enim: " Qui ſu- „ mus nos, ut dicamus: Eſt qui mœchatur

uxo-

Digitized by Google

„ uxore dimiſſa alteram ducens, & eſt qui „ hoc faciens non mœchatur, cum Evan- „ gelium dicat omnem mœchari qui hoc „ facit? „ Ergo &c.

Altera & quidem a priori. Matrimonium in Conventu Eccleſiæ celebratum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia: Nec dici poteſt hanc dotem amittere peccatis ſubſequentibus; Tametſi enim graviter peccent tum furto, tum ebrietate deſponſati, manet tamen ſemper quod ſint vere nupti: Sed unio Chriſti cum Eccleſia eſt inamiſſibilis: Igitur nec amittit Matrimonium ſacramentaliter celebratum per fornicationem, quia hanc ſignificat unionem: cum non ſit potior ratio de uno peccato mortali, ac de altero, omnia quippe lethalia prorſus Deo & gratiæ adverſantur.

Tertia: Quod juramento firmatum eſt, debet ſic teneri: Atqui deſponſati mutuo ſibi fidem promiſere, acceptante Eccleſia, & poteſtas mutua in corpus tradita eſt, omni ſecluſa conditione; Neque enim dictum eſt a viro mulieri, eo ipſo quo fornicaberis, ſolutum eſt noſtrum Matrimonium: Nec jura tum Divina, tum humana iſtam admiſere clauſulam, ſed juxta Chriſti effatum, omnis qui, vivente propria uxore, alteram ducit, habetur ut adulter, & filii ſic procreati tamquam illegitimi abjiciuntur: Ergo &c.

Quarta: Omnis qui habet uxorem fornicariam poteſt illi, teſte Apoſtolo ſupra laudato, reconciliari, immo eum ad hoc invitat Apoſtolus 1. Cor. 7. his verbis: *His qui matrimonio juncti ſunt præcipio ..... uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Sed ad reconciliationem nemo dixerit opus eſſe ut de novo adultera contrahat cum viro matrimonium, quod argumentum eſt vinculum non fuiſſe ſolutum; Sic de facto Apoſtolus ibid. ſine reſtrictione dicit mulierem manere ſub lege quandiu homo vivit: Ergo &c.

Quinta: Si ſemel concederetur viro alteram ducere uxorem, ut primum ſua fornicata eſt, vel alia de cauſa dimittere, infinita propeinde ſequerentur abſurda; cum enim moribus, ut ſæpius contingit, diſſoni forent, aut evaderent deſponſati, abſque negotio viri dimitterent uxores, ut cum aliis nuberent, vel etiam ad fornicationem invitarent, ut legitimam haberent novarum nuptiarum occaſionem: Sed hoc eſt abſurdum: Ergo &c. Hæc ratio eſt D. Hieronymi Comment. in cap. 19. Matth. " Et quia; *inquit*, poterat accidere, „ ut aliquis calumniam faceret innocen- „ ti, & ob ſecundam copulam nuptiarum, „ veteri crimen impingeret: Sic priorem „ dimittere jubetur uxorem, ut ſecun- „ dam, prima vivente, non habeat. „

Ex his ſequitur polygamiam in lege Evangelica non eſſe licitam, non ſolum quia polygamia juri naturali adverſatur, verum etiam quia præceptum Domini eſt, ut vir propria vivente uxore, alteram non quærat; hinc Eccleſia deteſtata eſt matrimonium Ducis Saxoniæ, qui vivente propria uxore, ex qua ſuſceperat prolem; annuentibus impiis Luthero & Melanctone ad implendam libidinem, alteram accepit.

Fit ſatis Objectionibus.

OBJICIES: Chriſtus non prohibuit viro alteram ducere uxorem, vivente propria fornicaria, ſed tantummodo ne uxorem dimitteret, niſi proter ſolum fornicationis peccatum; ſi enim dimitteret alia de cauſa mœcharetur, ſin minus e contra; ſic enim habetur Matt. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Senſus enim oraculi Chriſti ille eſt, " Quicum- „ que dimiſerit uxorem ſuam niſi ob for- „ nicationem, mœchatur; & qui aliam „ duxerit, mœchatur. „ Iſta explicatio eſt Auguſtini Lib. 1. de Adulterinis Conjugiis cap. 9. quæque ipſa Apoſtoli auctoritate innititur, quippe qui Rom. 7. dicat: *Igitur vivente viro vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro*.

Rurſus ibid. *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Obſerves velim Apoſtolum loqui non de quacumque uxore, ſed de fornicaria, eique prohibere ne nubat, ſed aut innuptam manere, aut viro reconciliari.

Nec mirum ſi Chriſtus ſic locutus ſit, & reliquerit Apoſtolo ſuam ſuſius prodere mentem; cum enim tentaretur a Scribis & Phariſæis, qui ut illum in ſermone caperent, ſciſcitabantur enim ab eo, num quacumque de cauſa licitum foret marito

rito

Digitized by Google

rito dare libelli repudium, cum ad duritiam cordis hunc libellum eis permiſerat Moyſes, reſpondit non licitum eſſe dimittere uxorem niſi fornicationis cauſa, & hæc reſponſio ſufficiebat ad quæſitum, quandoquidem ex alia parte pluralitas uxorum Judæis permiſſa erat.

Eſtius in 4. diſtinct. 35. §. 13. Sequitur explicationem S. Auguſtini, & ſic loquitur, " Simile eſt ſi dicam, Quicum-
,, que mulierem cognoverit niſi conjugio,
,, & libidini ſuæ obſecutus fuerit, pec-
,, cat. Conſtat autem Eclipticum loquen-
,, di genus Hebræis admodum fuiſſe famil-
,, liare, & hujus rei exempla plurima re-
,, periri in ſacris litteris, quale iſtud eſt 1.
,, Timoth 4. *Prohibentium nubere abſtinere a*
,, *cibis &c.* Subauditur enim vocabulum
,, contrariæ ſignificationis, nempe juben-
,, tium. Hanc expoſitionem aliis verbis,
,, ſed eodem pene ſenſu reddunt alii quum
,, dicunt vocabulum *mœchatur*, referendum
,, eſſe diviſim ad utramque partem ſenten-
,, tiæ hoc modo: *Quicumque dimiſerit uxo-*
,, *rem ſuam niſi ob fornicationem mœchatur;*
,, *& qui aliam duxerit, mœchatur*: ut ſigni-
,, ficetur eum bis mœchari, qui uxorem
,, ducit, priore dimiſſa extra caſum forni-
,, cationis; Semel quidem adulterio uxoris
,, cui cauſam dedit per injuſtam dimiſſio-
,, nem, & iterum adulterio proprio, dum
,, illa vivente, aliam ducit. Indicat hunc
,, ſenſum Aug. Lib. de Sancta Virginitate
,, cap. 123. & tractatu 9. in Joan. .. eadem
,, videtur eſſe Sententia S. Thomæ ſcriben-
,, tis in hanc diſtinctionem art. 5. ad ulti-
,, mum.,, Addo & in hanc collimare Sententiam Origenes Homil. 7. in c. 19. Matt.

Inſtabis: Atqui ex reſponſione Chriſti ſequitur conjugium, occurrente fornicatione, nedum quoad thorum & habitationem, verum etiam & quoad vinculum ſolvi. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Phariſæi interrogabant Chriſtum de vinculi ſolutione, non enim alio motivo libellum repudii uxori dabant; hinc de ſola cauſa dimiſſionis ſoliciti erant: Sed Dominus reſpondit, uxorem poſſe dimitti non quacumque de cauſa, ſed ſolius fornicationis motivo: Igitur cum reſponſio Chriſti ad quæſtionem foret optima, dicendum eſt eam intelligendam eſſe de ſolutione Matrimonii etiam quoad vinculum; adeoque licitum eſſe, vivente propria uxore jure dimiſſa, aliam ducere.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et Chriſtus erat ſolum de cauſa divortii conſultus, concedo: de Matrimonii diſſolutione præciſe, nego. Phariſæis ad duritiam cordis uxorem dimittendi licentiam fecerat Moyſes, quia vero Chriſtum in ſermone capere volebant, petierunt num quacumque de cauſa poſſet dimitti uxor; ſic enim habetur Matth. 19. *Acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam?* Chriſtus Dominus reſpondet 1. non eſſe dimittendam, & hoc probat auctoritate Scripturæ Gen. 2. ubi habetur Deum feciſſe maſculum & feminam, eos eſſe unum in carne una, nec ſejungendum eſſe quod conjunxerat Deus: Quia vero replicando dixerunt, Moyſen eis mandaſſe dare libellum repudii uxoribus; ſubjungit Chriſtus, hoc ad duritiam cordis factum, & ab initio Matrimonium indiſſolubile fuiſſe. Tum ad punctum quæſiti venit, ſcilicet qua de cauſa poſſet dari libellus repudii, & ait ſolum ob fornicationem, quo facto, alteram quæſtionem a dimiſſione uxoris ſeparavit, eam ſcilicet quæ ſpectat vinculum, & ait manere, & quidem ſapientiſſime, ne ſi dixiſſet ſolvi Matrimonium etiam quoad vinculum, dixiſſent Chriſtum loqui adverſantia Creatori, qui indiſſolubilitatem Matrimonio affixerat.

Igitur quæſtio ſoluta manſit ex reſponſione Chriſti, ſed ne Phariſæi juxta intentionis pravitatem putarent Matrimonium ſolvi etiam quoad vinculum, dixit, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ecce libellus repudii prohibitus pro aliis cauſis; *Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur*: Ecce vinculi indiſſolubilitas, quæ quidem lex fuit præcipue pro nova lege, cum parvi ducerent Phariſæi mulieris dimiſſionem, eo quod plures ad libitum & haberent, & una dimiſſa, ulteriores poſſent aſſumere, vel ſaltem prioribus adhærere.

Inſiſtes: Ambroſius Comment. in cap. 7. 1. Cor. videtur permittere viro, dimiſſa uxore propria, alteram ducere, quippe qui aſſerat jus iſtud eſſe viri, ſed non e converſo mulieris, quæ, ipſo teſtante, maritum non poteſt dimittere quacumque de cauſa; in iſta enim Apoſtoli verba,

& vir uxorem non dimittat, ait: " Subauditur autem excepta fornicationis cauſa. Et ideo non ſubjecit dicens, ſicut de moliere, quod ſi diſceſſerit, manere ſic: quia viro licet ducere uxorem ſi dimiſerit uxorem peccantem: quia non ita lege conſtingitur, ſicut mulier, caput enim mulieris vir eſt." Rurſus ibidem: " Contumelia enim Creatoris, *inquit*, ſolvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur." Ergo &c.

Reſpondeo, primo illud commentarium eſſe dubiæ fidei, nec eſſe Ambroſii fœtum, quod quidem annuntiat ſtyli diverſitas, & doctrinæ diſſonantia, ſed potius cujuſdam Hilarii Diaconi Romani factionis Luciferianæ rei.

Reſpondeo ſecundo ſic diſtinguendo: Et verba laudata deſignant Matrimonium per fornicationem ſolvi, quantum ad thorum, concedo; adulter enim contumeliam in hoc irrogat Creatori: quantum ad vinculum, nego. Iſta verba, *Contumelia Creatoris*, *ſolvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur*, ſic annuntiant; hoc eſt adulter amittit jus ad debitum petendum.

Replicabis: S. Leo Epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos cap. 1. ait Sacerdotem, qui, uxore dimiſſa, alteram duxerit, tantum ab ordine removendum eſſe, ſed non ait Matrimonium ejus eſſe irritum. Ergo &c.

Reſpondeo Sanctum Pontificem loqui de uxore ante ordinationem ſuſcepta; hinc cum erat controverſia de ordinatione, reſpondit talem ab ordine removendum eſſe, nec curavit declarare Matrimonium fuiſſe irritum, cum hoc ſupponeret, nec quæſitum ulteriorem exigeret reſponſionem.

Repones: Apud Gratianum 32. quæſt. 7. extat canon cujuſdam Concilii, in hæc verba: *Quædam cum fratre viri ſui dormivit*, & habetur: *Decretum eſt ut adulteri numquam conjugio copulentur: illi vero cujus uxor ſtuprata eſt, licita conjugia non negentur*. Ergo &c.

Reſpondeo primo, canonem iſtum prorſus eſſe incertum, nec alicubi in Conciliis reperiri. Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Et ſenſus canonis eſt adulteros inceſtuoſos numquam poſſe conjugio copulari, cum ibi adſit impedimentum dirimens, concedo. Non poſſe cum aliis nubere, nego.

Eſtius in 4. diſt. 36. §. 13. pag. 146. ſic ſolvit difficultatem ": Reſpondetur ut canoni detur auctoritas, qui tamen cujus Concilii fuerit, ignoratur, quandoquidem nec hodie in ullo extat Concilio; ſenſum ejus hunc eſſe, adulteros inceſtuoſos, talis etenim caſus in canone propoſitus, numquam poſſe conjugio copulari, ne quidem poſt mortem conjugum: At eorum conjuges non prohiberi quominus adulteris mortuis ad alia conjugia tranſeant. Qui ſenſus canonis colligitur tum ex antitheſi partium, tum ex ſimili canone Gregorii, qui habetur eadem quæſt. cap. *Hi vero*, quem ſimiliter de adultera inceſtuoſa exponunt. In eo enim expreſſe poſt mortem conjugis adulteri conceditur, quod in vita negatur: Et ſimiliter reſpondendum eſt ad duos alios canones, alterum Zachariæ Papæ, & alterum Concilii Triburienſis, quos ibidem Gratianus recitat. Hoc enim dumtaxat concedunt innocenti, quod prohibetur nocenti, nempe aliud conjugium poſt mortem prioris."

Senſus igitur eſt I. mulierem quæ dormit cum fratre viri ſui, proprio viro mortuo, non poſſe Matrimonio conjungi cum fratre viri ſui propter affinitatis impedimentum quod contraxit, quando cum eo dormivit. II. Viventibus inceſtuoſis, eorum conjuges non poſſe cum aliis nubere: Ecce dogma concluſionis ſervatum, videlicet, neminem poſſe, vivente propria uxore, alteram ſumere. III. Mortuis inceſtuoſis, eorum conjuges ad alia honeſta conjugia tranſvolare poſſe. Hoc eſt uxor viri qui dormivit cum ſua propinqua, ſimiliter, & vir cujus uxor ſtuprata eſt, poſſunt nubere.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo, vivente propria uxore, alteram nequit ducere.

Primo: Chriſtus Matth. 19. Apoſtolus 1. Cor. 7. hoc prohibent.

Secundo: Sic tenent Patres: In primis Juſtinus & Athenagoras in ſuis pro Chriſtianis Apologiis: Sic Clemens Alex. L. 2. Stromp. pag. 424. ſic Tertulianus L. 4. adverſus Marcionem. cap. 34. ſic Origenes

nes Hom. 7. in cap. 19. Matth. Hoc ipſum de fide definivit Coocilium Trideotinum Seſſ. 24. cau. 7.

Tertio : Matrimonium ſignificat uoionem Chriſti cum Eccleſia : Sed illa eſt indiſſolubilis : Igitur & uoio conjugalis ; nam figura debet cum prototypo concordari, adeoque vir, vivente propria uxore, alteram nou poteſt ducere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Chriſtus nedum prohibuit propriam uxorem dimittere niſi ob ſoroicationom, ſed & iſta dimiſſa ac vivente, alteram ducere, quæ eſt perfectio Evaogelica.

Secundo : Fides non adhibeoda eſt Commentario Ambroſii in cap. 7. Epiſt. 1. ad Corinth. cum non ſit ejus fœtus.

Tertio ; Nec majori fide digous eſt canon a Gratiano 32. quæſt. 7. citatus, cum nullibi extet. Ceterum tametſi mulier in adulterio perſeveret, maritus hoc toto tempore tenetur contioentiam ſervare ea lege, qua promiſſis contrahendo Matrimonium Deo factis ſtare debet : nam periode eſt ac ſi mulier malo cootagioſo laboraret, quo tempore nollet ad eam acoedere.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Secundis Nuptiis.

NUPTIÆ ſecundæ illæ dicuntur, quę ſervatis ſervandis, mortuo uoo ex conjngibus, in Cooveotn Eccleſiæ celebrantur. Montaniſtæ, teſte Auguſtino Hæreſi 26. tum & Novatiani, ut refert Theodoretus Lib. 3. de Fabulis Hæreticorum, iſtas nuptias ut ſpurias & illicitas abjeceruot. Sed contra.

CONCLUSIO.

Nuptiæ ſecundæ, mortuo uno conjuge, licitæ ſnnt.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Qnod factum eſt, Deo approbate, dubio-procul licitum cenſeri debet : Atqui nuptiæ ſecundæ, quondam approbaote Deo, factæ ſunt ; & probatur. Geoeſ. 25. legitur Abraham alias ſanctiſſimum & Dei Amicum ſecundas nuptias contraxiſſe : ſic enim habetur : *Abraham vere aliam duxit uxorem nomine Ceturam : & quæ peperit ei Zamram & Jecſan, & Madan, & Madian, & Jelbec, & Gue.*

Altera : Quod permittit Apoſtolus, Catholicum eſt : Atqui res ita ſe habet pro ſecundis nuptiis. Et probatur 1. Cor. 7. indiſcriminatim dicit tam de non nuptis, quam de aliis, ſcilicet viduis, *quod ſi non ſe continent, nubant*. Deinde vero de viduas ſpecialiter hæc effatur : *Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt. Cui vult nubat*. Ergo &c.

Tertia : Idem Appſtolus præcipit viduis junioribus oubere, ne prolabaotur in fornicationem. Ergo &c. Iſta ratio eſt divi Thomæ, hic 3. p. Supplem. q. 63. art. 1. in argumeno *Sed contra*, his verbis. " Præterea, 1. Timoth. 5. dicit
,, Apoſt olus, volo ego juniores, ſcilicet
,, viduas, nubere, filios procreare : Ergo
,, ſecundæ nuptiæ ſunt licitæ.

Quarta : Qui eſt ſuis juris, poteſt nubere cui velit, ſi non adſit impedimentum : ſed ut primum mortuus eſt vir, jam ſoluta eſt a lege mulier : Igitur poteſt ad ſecundas nuptias tranſire. Sic propugnat divus Thomas ibidem in corpore, his verbis, " Dicendum quod vinculum ma-
,, trimoniale non durat, niſi uſque ad
,, mortem, ut patet Roman. 7. & ideo
,, morieote altero conjugum, vinculum
,, matrimoniale ceſſat : unde propter præ-
,, cedens Matrimonium, non impeditur
,, aliquis a ſecundo, mortuo conjuge, &
,, ſic noo ſolum ſecundæ, ſed tertiæ, &
,, ſic deinceps ouptiæ ſunt licitæ. ,,

Quinta : Praxis & poſſeſſio Eccleſiæ reddit aliquid non ſolum licitum, ſed & honeſtum : Atqui uſus Eccleſiæ obtinuit, ut mortuo uno conjuge, alter poſſit nubere ; & probatur ex SS. Patribus : Sic enim propugoat Ambroſius libro de Viduis, Gregorius Nazianzenus oratione in ſaocta lumina, Hieronymus in Apologia pro libris cootra Jovioianum, Chryſoſtomus homilia 20. ſuper Epiſt. ad Epheſios, Auguſtious libro de Bono Viduitatis, cap. 10. & 12. & alii.

Digitized by Google

Sexta : Quod damnat Eccleſia, abjici debet: Sed Eccleſia proſcribit Hæreticos qui adverſus ſecundas nuptias debacchantur, nec eos vult in communionem recipi, donec hunc ejurent errorem; & probatur. Concilium Nicænum 1. can. 8. ea de cauſa ſic inſurgit adverſus Novatianos: " Si qui voluerint venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis ... fateantur ſe cum omni conſenſu Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ſtatuta obſervaturos, id eſt, communicaturos ſe & his, qui forte ſecundas nuptias experti ſunt. „ Florentinum idem ſtatuit in Decreto pro Armenis contra errorem quorumdam, qui quartas nuptias tamquam auctoritate condemnatas reſpuebant, & probat auctoritate Apoſtoli ſuffultum, quaslibet ſecundas nuptias, poſitis ponendis, eſſe licitas.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Varia ſunt Patrum loca, quibus videntur abjicere ſecundas nuptias, Ergo &c. Probatur antecedens. I. Origenes Homil. 17. in Lucam, ait, " De cœtu primitivorum immaculatorumque Eccleſiæ ejicietur bigamus, non quo in æternum mittatur incendium, ſed quo partem non habeat in regno Dei. „

II. Baſilius in epiſtola ad Amphilochium can. 4. ait, bigamum non eſſe maritum, uxoremque aſſimilat uxori Samaritanæ, cui Chriſtus dixit, *Quem nunc habet, non eſt maritus*.

III. Gregorius Nazianzenus ait, eum eſſe porcinum, qui ad quartas tranſit nuptias; ſic enim loquitur oratione 31. in caput 5. Epiſtolæ ad Epheſios, " Si autem unus Chriſtus, unum Eccleſiæ caput, una etiam caro ſit. Secunda autem reſpuatur. Quod ſi ſecundam prohibeat, de tertia quid dicendum? Primum, lex eſt, ſecundum venia & indulgentia, tertium iniquitas: qui autem hunc numerum excedit porcinus plane eſt. „

IV. Tum Hieronymus L. 1. contra Jovinianum cap. 8. " Melius eſt, *ait*, licet alterum & tertium, unum virum noſſe, quam plurimos; id eſt, tolerabilius eſt, uni homini proſtitutam eſſe quam multis. Siquidem & illa Samaritana ſextum ſe maritum habere dicens, arguitur a Domino quod non ſit vir ejus. Ubi enim numerus maritorum eſt, ibi vir qui proprie unus eſt, eſſe deſiit. „ Ergo &c.

Reſpondeo ad hæc omnia diſtinguendo: Et Patres unum dumtaxat intendunt, videlicet ſecundas nuptias perfectionem non ſpirare, ſed magis, ut ſæpius teſtantur, eſſe concupiſcentiæ exæſtuantis argumentum, concedo: Et illas abjiciunt ut malas & illicitas, nego. Jam ad ſingula faciendum eſt ſatis.

Ad primum, Origenes vult ſolum primas Cœli ſedes non eſſe a bigamis occupandas, ſed a perfectioribus: male tamen diſtinguit inter vitam æternam, & regnum Dei, quod vocat Eccleſiam triumphantem primitivorum, hoc eſt perfectiſſimorum.

Ad ſecundum dico, hujuſmodi canones, qui nomine Baſilii circumferuntur, non eſſe magni ponderis. Ceterum auctor loquitur per figuram hyperbaton, dum comparat ſecundas viduæ nuptias cum mulieris Samaritanæ iniquo conſortio, quippe quæ non eſſet uxor virorum cum quibus diverſata eſt, ſed prorſus fornicaria & adultera: Vult igitur ſecundas nuptias non repræſentare caſtam & indiviſam Chriſti cum Eccleſia unionem propter varios ſibi ſuccedentes maritos.

Ad tertium, eadem eſt reſponſio: eo quippe loci Gregorius ſatagit, ut nuptias ſecundas tamquam minus perfectum avertat.

Ad quartum diſtinguo: Et Hieronymus ibi docet ſecundas nuptias non eſſe de præcepto, ſed ſolum ex indulgentia in remedium concupiſcentiæ, concedo: Et illas habet ut malas, ſubdiſtinguo: hoc eſt minus perfectas, concedo: abſolute & ſimpliciter malas, nego. Ipſe eſt ſui ipſius interpres Apologia ad Pammachium his verbis: " Non damno bigamos, immo nec trigamos, etiamſi dici poteſt octogamos. „

Neque vero quemquam movere debet quod S. Chryſoſtomus Hom. 31. in cap. 19. Matth. habeat bigamos ut fornicarios; hoc enim non niſi lato modo intelligendum venit, id eſt, minus unius uxoris viro perfectos. Solutio eſt D. Thomæ hic 3. p. Sup. q. 63. art. 1. ad 1. " Dicendum, *inquit*, quod Chryſoſtomus loquitur

Digitized by Google

„ tur quantum ad cauſam, quæ aliquando ſolet ad ſecundas nuptias incitare, „ ſcilicet concupiſcentiam, quæ etiam ad „ fornicationem incitat. „

Non abſimili modo ſanctus Doctor ibidem ad 2. explanat mentem Ambroſii, qui ſub finem Comment. in cap. 7. Epiſt. 1. ad Cor. ait, ſecundum Matrimonium non eſſe bonum. " Ad ſecundum, *ait*, „ dicendum, quod ſecundum Matrimonium dicitur non eſſe bonum, non quia „ non ſit licitum, ſed quia caret illo „ honore ſignificationis, qui eſt in primis nuptiis, ut ſit una unius: ſicut eſt „ in Chriſto & Eccleſia. „

Repones: Atqui ſecundum Matrimonium nullo modo eſt bonum. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Nullus arceri debet ne interſit illis quæ ſunt honeſta, & licita: Atqui tamen Sacerdotes arceantur ne interſint ſecundis nuptiis. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: Arcentur Sacerdotes ne interſint ſecundis nuptiis ex eo quod quid inverecundum ſpirent, concedo: Quia ſimpliciter ſunt malæ, nego. Iſta reſponſio eſt Doctoris Angelici, qui ibidem ad 3. ſolvit difficultatem his verbis. " Homines divinis dediti, non ſolum ab illicitis, „ ſed etiam ab illis quæ habent aliquam „ turpitudinis ſpeciem arceantur: Et „ ideo etiam arcentur a ſecundis nuptiis, „ quæ carent honeſtate, quæ erat in „ primis. „

Inſtabis: Nulli pœna imponitur niſi propter malum: Sed qui ad ſecundas nuptias tranſit, irregularitatem de facto incurrit. Ergo &c.

Reſpondeo tranſeat major, & diſtinguo minorem: Qui ſecundas nuptias contraxit, incurrit irregularitatis labem defectu Sacramenti, quia ſecundæ nuptiæ perfectam Sacramenti rationem non ſubeunt, quod eſt unionem Chriſti cum Eccleſia ſignificare, concedo: Incurrit, quia iſtæ nuptiæ malæ ſunt, nego. Hanc præoccupat objectionem S. Thomas ibidem, & ſic reſpondet ad 4. " Dicendum, quod Irregularitas non ſemper incurritur propter culpam, ſed „ propter defectum Sacramenti: & ideo „ ratio non eſt ad propoſitum. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Secundæ nuptiæ licitæ ſunt.

PRIMO: Eas permittit Apoſtolus 1. Cor. 7. ubi de vidua loquens, ait: *Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: Cui vult nubat*. Expreſſius 1. Tim. 5.

Secundo: Sic uſus obtinuit in Eccleſia; immo Patres 1. Conc. Nicæni can. 8. perſtringunt errorem Montaniſtarum & Novatianorum prohibentium alternata vice nubere.

Tertio: Vir cujus uxor mortua eſt, habet poteſtatem faciendi quod vult, ubi venit in periculum ejus ſalus: hinc Cor. 7. ait Apoſtolus, *Melius eſt nubere quam uri*: Sed quandoque contingit hominem viduum propter exæſtuantes concupiſcentiæ fluctus in periculum ſalutis venire. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Sancti Patres ut deterreant homines a ſecundis nuptiis, & viam perfectiorem demonſtrent, immo & ſuadeant, illas quandoque dicunt malas: Sed hoc latiori modo; hoc eſt minus primis perfectas.

Secundo: Prohibetur Sacerdotibus ſecundis nuptiis adeſſe, non quia malæ ſint in ſe, ſed ex eo quod quid inverecundum ſpirent.

Tertio: Irregularis quidem evadit bigamus, non certe ex peccato, ſed ex eo quod ſecundæ nuptiæ non repræſentent indivulſam Chriſti cum Eccleſia unionem.

ARTICULUS OCTAVUS.

De honeſto Matrimonii actu.

NON deſuerunt mali, qui teſte Apoſtolo prohibuerint nubere; quo fine & ſcopo, intelligite. Manichæi nuptias a diabolo ſuggerente promanare comminiſcebantur, ut mulieres indiſcriminatim forent omnibus communes. Montaniſtæ non abſimili ratione eaſdem abjiciebant; quocirca aliquid de honeſtate nuptiarum hic dicere non abs re erit, dicente Apoſtolo, *Ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.*

Quæres 1. Num actus matrimonii ſit honeſtus & licitus?

Reſpondeo affirmative: 1. Creator illum præcipit Gen. 9. his verbis: *Benedixit Deus Noe & filiis ejus. Et dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* 2. Chriſtus ipſe adfuit nuptiis in Cana Galilææ, ut habetur Jon. 2. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: Et erat mater Jeſu ibi. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.* Dominus certe adfuit, ajunt Patres, ut ſanctificatet nuptias; porro, *quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*, ut habetur Act. 10. Tum quia Sanctorum generationes iterum atque iterum in ſacris Scripturis a Deo benedicuntur: quo ſenſu ajebat quondam Apoſtolus Rom. 8. capite, Filii Sanctorum ſumus. 3. Tandem innuit veritatem procreatio multorum, cujus nativitas per Angelos annuntiatur in libris ſacris: Sic Angelus prænuntiavit Iſaac ortum, ſic & Sampſonis, ſic & S. Joannis Baptiſtæ Luc. 1.

Sanctus Thomas hic 3. p. Supplementi q. 41. a. 3. de hoc momento ſic ratiocinatur in argumento *Sed contra*. ,,Cor. 7. dicitur: " Si nupſerit virgo, non peccavit; & ,, 1. Tim. 5. Volo juniores nubere, filios procreare: Sed procreatio filiorum, ,, non poteſt eſſe ſine carnali conjunctione; ,, Ergo actus matrimonialis non eſt peccatum, alias Apoſtolus non voluiſſet illud. ,,

Præterea nullum peccatum eſt in præcepto: ſed actus Matrimonialis eſt in præcepto, 1. Cor. 7. uxori vir debitum reddat. Ergo non eſt peccatum.

Quæres 2. Num actus Matrimonii quandoque ſit peccatum?

Reſpondeo affirmative, & quidem exitiale, ſi maritus accedat tamquam ad non ſuam ſed alienam. Ita communiter Theologi cum ſancto Thoma hic, q. 41. art. 3. Veniale vero tantum, ſi magis ut libidinem faciet, quam amore caſto vel in uxorem, vel erga filios procreandos, juxta illud axioma, Quidquid agant homines, intentio judicat omnes; Nam actus moralis ſuam deſumit ſpeciem ab objecto formali & fine.

Quæres 3. Num actus ille poſſit eſſe meritorius, ſi fiat debito fine, & propter juſtitiam reddendam?

Reſpondet divus Thomas ibid. art. 4. affirmative, quod duplici probat ratiocinio in argumento *Sed contra*, his verbis: " Omnis actus quo impletur præceptum, ,, eſt meritorius, ſi ex charitate fiat: Sed ,, actus matrimonialis eſt hujuſmodi, quia ,, dicitur 1. Cor. 7. Vxori vir debitum ,, reddat: Ergo &c. Rurſus ibidem. Præ- ,, terea, Omnis actus virtutis eſt meritorius: Sed actus prædictus, eſt actus juſtitiæ, quia dicitur redditio debiti. Ergo eſt meritorius. ,,

Quæres 4. Quid requiratur ut actus laudatus ſit bonus & evadat meritorius?

Reſpondeo, Deum pro fine in omnibus eſſe ab uxoratis habendum, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 7. *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat .... Reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint.* Catechiſmus Romanus hic n. 33. de iſto capite egregia dicit: " Primum quidem, *inquit*, non ,, voluptatis aut libidinis cauſa Matrimonio operam dandam eſſe: Sed eo utendum intra illos fines, qui, ut ſupra demonſtravimus, a Domino præſcripti ,, ſunt. Meminiſſe enim convenit, quod ,, Apoſtolus hortatur: *Qui habent uxores, tamquam non habentes ſint*; tum vero a ,, ſancto Hieronymo dictum eſſe, Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu, reget impetus voluptatis, nec præceps feretur ad coitum. ,, Nihil eſt fœdius, quam uxorem amare, ,, quaſi adulteram. ,, L. 1. contra Jovin. in fine.

Quæres demum, Quænam ſint regulæ utendi Matrimonio ad ſalutem?

Reſpondet ibidem Catechiſmus n. 34. hæc

eſſe

eſſe obſervanda: " Quoniam, *inquit*, bo-
„ na omnia ſanctis precationibus a Deo
„ impetranda ſunt, alterum eſt, quod fi-
„ deles docere oportet, ut Deum orandi
„ & obſecrandi cauſa, a Matrimonio of-
„ ficio interdum abſtineant, in primiſ-
„ que, id ſibi obſervandum ſciant tribus
„ ſaltem diebus, antequam ſacram Eu-
„ chariſtiam percipiant, ſæpius vero,
„ cum ſolemnia Quadrageſimæ jejunia ce-
„ lebrantur, quemadmodum Patres noſtri
„ recte, & ſancte præceperunt. Ita enim
„ fiet, ut ipſa Matrimonii bona majori
„ in dies divinæ gratiæ cumulo augeri
„ ſentiant, & pietatis ſtudia ſectantes,
„ non modo hanc vitam tranquille, &
„ placide traducant, ſed æternæ etiam
„ Dei benignitate conſequendæ, vera &
„ ſtabili ſpe, quę non confundit, nitantur."

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Actus Matrimonii eſt licitus, cum ſit de illo præceptum Gen. 1. & 9. ſic propugnat S. Thomas hic 3. p. Supp. q. 41. art. 3.

Secundo: Eſt honeſtus, quum ſit amore filiorum, & juſtitiæ. Et colligitur ex Apoſtolo 1. Tim. 5.

Tertio: Quandoque etiam & meritorius evadit, ſi motivo ſupernaturali adimpleatur. Hoc ipſum ex profeſſo docet ibidem Sanctus Thomas art. 4.

ARTICULUS NONUS.

De impedimentis Matrimonii.

CERTUM eſt ex Concilio Tridentino Eccleſiam poſſe apponere matrimonio impedimenta, ut definitur Seſſ. 24. can. 4. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit*. S. Thomas in 4. diſtinct. 34. quæſt. unica art. 1. ad 4. totum hoc explicat negotium his verbis: " Matrimo-
„ nium in quantum eſt in officium natu-
„ ræ ſtatuitur lege naturæ; in quantum eſt
„ Sacramentum, ſtatuitur lege divina;
„ in quantum eſt in officium communita-
„ tis, ſtatuitur jure civili, & ideo ex qua-
„ libet dictarum legum poteſt aliqua per-
„ ſona effici ad matrimonium illegitima."
His ſuppoſitis, ſequitur impedimentum advenire matrimonio ut eſt in officium naturæ ex defectu naturali; quatenus eſt Sacramentum, ab Eccleſiæ auctoritate; ſpectatum ut contractus civilis, qui debet cedere in bonum communitatis, poſſe a Principe impediri. Jam vero inter illa impedimenta quædam ſolum impediunt Matrimonium, ſed contractum non dirimunt; quædam vero abſolute dirimunt, & de his omnibus breviter agendum eſt. Unde ſit

SECTIO PRIMA.

De Impedimentis prohibentibus Matrimonium.

QUÆRES I. Quot ſint impedimenta prioris generis?

Reſpondeo eſſe numero duodecim, quorum aliqua ex jure naturali, alia ex jure poſitivo, nonnulla ex crimine, quædam etiam ex aliis cauſis promanant.

§. I.

De quinque prioribus.

PRIORA quinque impedimenta, quæ quidem a crimine non promanant, ſequentibus verſiculis exponuntur.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum;
Impediunt fieri, permittunt facta teneri;

Primum habet ortum ex Eccleſiæ prohibitione; quæ quidem prohibitio quandoque eſt generalis, & omnibus communis fidelibus, qualis prohibitio contrahendi, omiſſis denunciationibus: quandoque etiam particularis, ut cum alicui perſonæ prohibetur ne nubat, eo quod in ſuſpicionem alicujus criminis veniat.

Alterum eſt tempus feriatum, hoc eſt, tempus ab Eccleſia determinatum, ut omittantur nuptiæ, de quo multus eſt ſermo apud Gratianum 33. quæſt. 4.

4. Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 10. de reformat. iſtud aſſignavit tempus, videlicet ab Adventu uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad Paſchatis octavam. Ecce verba: " Ab Adventu Domini noſtri J. C. uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum, uſque in octavam Paſchatis incluſive antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervare ſancta Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit. " Igitur aliis etiam temporibus, annuente Epiſcopo, poſſunt nuptiæ celebrari, ſed abſque ſtrepitu & ſolemnitate. Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini hunc produnt ſenſum. " Quocumque tempore, *ajunt Cardinales*, poteſt matrimonium contrahi coram Parocho, ſed nuptiarum ſolemnitates, convivia, traductio ſponſæ ad domum ſponſi, & carnalis copula certis temporibus prohibentur. "

Tertium, Catechiſmus, id eſt, cognatio ſpiritualis quæ oritur ex inſtructione in ſide, quæ fit ante januam Eccleſiæ ſuper baptizandum, ut habetur cap. 2. *de cognatione ſpirituali*, in 6. ſed Tridentinum Seſſ. 24. de Matrimonio cap. 2. hanc contraxit cognationem ſolum inter ſuſceptores & baptizatum ipſum, illiuſque patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem.

Quartum comprehendit ſponſalia, votum religionis ſimplex, aut caſtitatis, aut ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, aut etiam Matrimonium non contrahendi. De priori diximus ſupra. De poſteriori agit D. Tho. hic quæſt. 53. art. 1.

§. II.

SEPTEM alia impedimenta ex crimine procedunt, & ſequentibus verſibus explicantur.

Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors Presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium ſociandum.

PRIMUM eſt inceſtus, qui licet dirimat Matrimonium inter eos qui illum patrarunt, & inter eorum conſanguineos, uſque ad ſecundum gradum, non tamen inter ceteros, ſed ſolum impedit; ut habetur cap. *Si quis ſponſam* 27. q. 2. cap. *Quædam cum fratre viri &c.*

Secundum, damnabilis raptus ſponſæ alienæ, ſic ſtatuitur cap. *Statutum* 27. q. 2. *Statutum eſt ut ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & ſine ſpe conjugii remaneat.*

Tertium, uxoricidium, ut conſtat ex cap. *Interfectores* & ex cap. *Quicumque*. ubi ſic definitur. *Quicumque propriam uxorem, abſque lege, & ſine cauſa, & certa probatione interfecerit &c.*

Quartum, ſuſceptio propriæ ſobolis de ſancto Baptiſmatis fonte, &. habetur can. *De eo* 30. q. 1. *Si conjuges legitimi unus, aut ambo ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti permanere voluerint, bonum eſt. Sin minus gravis pœnitentia inſidiatori injungatur, & ſimul maneant; & ſi prævaricator conjugii ſupervixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, & ſine ſpe conjugii maneat.*

Quintum, mors Presbyteri privata auctoritate & injuſte facta. Sic habetur can. *Presbyterum* de Pœnit. & remiſſ.

Sextum, pœnitentia publica & ſolemnis: ſic ſtatuit Concilium Arelatenſe 2. can. 21. & habetur cap. *Antiqui* 33. q. 2.

In ſeptimo loco ponitur Matrimonium ſacrilege attentatum cum Sanctimoniali. Sic ſtatuitur cap. *Hic ergo*. 27. q. 1.

Hunc numerum eſſe legitimum probat S. Thomas hic q. 50. articulo unico, his verbis: " Dicendum quod in Matrimonio ſunt quædam quæ ſunt de eſſentia Matrimonii, & quædam quæ ſunt de ſolemnitate ejus, ſicut & in aliis Sacramentis: & quia, remotis his, quæ ſunt de ſolemnitate ejus, ſicut & in aliis Sacramentis, adhuc manet verum Sacramentum, ideo impedimenta quæ contrariantur his, quæ ſunt de ſolemnitate Sacramenti, non efficient, quin ſit verum Matrimonium, & talia dicuntur impedire Matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum, ſicut prohibitio Eccleſiæ, & tempus feriarum. "

AP-

APPENDIX SECTIONIS.

IMPEDIMENTA quæ Matrimonium celebrari prohibent quinque ſunt, videlicet, prohibitio Eccleſiæ. 2. Tempus feriatum. 3. Catechiſmus. 4. Sponſalia. 5. Votum. Quæ quidem ex jure tum naturali, tum poſitivo ortum habent.

His ſeptem alia ex crimine commiſſo adjunguntur, Nempe 1. Inceſtus. 2. Raptus ſponſatæ. 3. Mors mulieris. 4. Suſceptio in fonte baptiſmali propriæ prolis. 5. Mors Presbyteri injuſte facta. 6. Pœnitentia publica. 7. Conjugium cum Moniali.

SECTIO SECUNDA.

De Impedimentis dirimentibus.

S. THOMAS hic q. 50. articulo unico, duodecim numerat impedimenta dirimentia, ſequentibus verſiculis comprehenſa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

TUM hujus numeri reddit rationem his verbis. “ Horum autem numerus ſic
„ accipi poteſt: poteſt enim Matrimonium
„ impediri, aut ex parte contractus Ma-
„ trimonii, aut ex parte contrahentium.
„ Si primo modo, cum contractus Matri-
„ monii fiat per voluntarium conſenſum,
„ qui tollitur per ignorantiam & per
„ violentiam, erunt duo impedimenta
„ Matrimonii, ſcilicet vis, ideſt, coa-
„ ctio; & error ex parte ignorantiæ. Et
„ ideo de iſtis duobus impedimentis ſupra
„ Magiſter determinavit, ubi agebatur
„ de cauſa Matrimonii: nunc autem agit
„ de impedimentis quæ accipiuntur ex
„ parte perſonarum contrahentium; quæ
„ ſic diſtinguuntur. Poteſt enim aliquis
„ impediri a Matrimonio contrahendo,
„ vel ſimpliciter, vel reſpectu alicujus
„ perſonæ. Si ſimpliciter, ut cum nulla
„ poſſit Matrimonium contrahere, hoc
„ non poteſt eſſe niſi quia impeditur a
„ Matrimoniali actu, quod quidem con-
„ tingit dupliciter. Primo, quia non poteſt
„ eſt de facto, ſive quia omnino non poſ-
„ ſit, & ſic ponitur impedimentum, im-
„ potentia coeundi: ſive quia non libere
„ poſſit, & ſic ponitur impedimentum,
„ ſervitutis conditio. Secundo, quia non
„ licite poteſt, & hoc ſecundum quod ad
„ continentiam obligatur: quod contingit
„ dupliciter, quia vel obligatur ex officio
„ ſuſcepto, & ſic eſt impedimentum ordi-
„ nis: vel ex voto emiſſo, ſic impedit vo-
„ tum. Si autem impeditur aliquis a Ma-
„ trimonio non ſimpliciter, ſed reſpectu
„ alicujus perſonæ: vel hoc eſt propter
„ obligationem ad alteram perſonam, ſic-
„ ut qui uni, Matrimonio junctus eſt, non
„ poteſt alteri conjungi, & ſic eſt ligamen
„ Matrimonii; vel quia deficit proportio
„ ad alteram perſonam: & hoc propter
„ tria. Primo quidem propter nimiam di-
„ ſtantiam ad ipſam, & ſic eſt diſparitas
„ cultus. Secundo, propter nimiam pro-
„ pinquitatem, & ſic ponitur triplex im-
„ pedimentum; ſcilicet cognatio, deinde
„ affinitas, quæ importat propinquitatem
„ duarum perſonarum ratione tertiæ Ma-
„ trimonio junctæ: & publicæ honeſtatis
„ juſtitia, in qua eſt propinquitas duarum
„ perſonarum, reſpectu tertiæ per ſpon-
„ ſalia junctæ. Tertio, propter indebi-
„ tam conjunctionem ad ipſam, primo fa-
„ ctam; & ſic impedit crimen adulterii
„ prius cum ipſa commiſſi. „

Quæres 1. Num Matrimonium irritum evadat, ſi, aliquibus elapſis diebus a Matrimonio, contingat inter uxoratos impedimentum dirimens?

Reſpondeo negative, cum Matrimonium legitime fuerit initum. Ita S. Thom. in 4. diſtinct. 34. art. 1. ad 6. “ Si impedimen-
„ tum aliquod, *ait*, Matrimonium ſol-
„ vere non valet. “

Quæres II. Utrum Simon, qui defloravit ſub promiſſione Matrimonii Babaram, ex quo factu ſuſcepit prolem, poſſit cum ea nubere abſque mora, & nondum habita, diſpenſatione impedimenti dirimentis quod habet, ad quam tamen obtinendam ſolvit menſario expenſas, maxime cum neceſſitate compulſus, diutius propter peregrinationem imminentem procraſtinare non valeat.

Reſpondeo non poſſe donec advenerit diſpenſatio, ita expreſſe Innocent. III. in cap. *Inquiſitori* 44. de Sentent. excommunic.

Digitized by Google

munic. &c. " Debet potius excommunica- ,, tionis ſententiam humiliter ſuſtinere, ,, quam per carnale commercium peccatum ,, operari mortale. ,,

Quæres 3. Num Parochiæ Rector, qui via confeſſionis ſcit juvenem & puellam ad Matrimonium contrahendum accinctos habere impedimentum dirimens, poſſit conjugio adeſſe, immo & benedictionem nuptialem conferre, quamvis noluerint ſuis cedere conſiliis, & abſolute velint nubere?

Reſpondeo affirmative, quia ne quidem indirecte poteſt ſolvi confeſſionis ſigillum, ſic propugnat S. Antoninus 3. p. Summæ Theolog. tit. 17. cap. 22. *§. 1.*

Quæres 4. An deſponſandi dum ſua deponunt Parocho peccata pro nuptiis celebrand s, quædam ipſi aperiunt impedimenta dirimentia, de hoc monendi ſint?

Reſpondeo 1. Affirmative, ſi ignorantia ſit vincibilis, quandoquidem hujuſmodi ignorantia juxta omnes Theologos non excuſat a peccato, ut colligitur ex conſtitut. Greg. X. in cap. *Eos qui* 2. de temporibus ordinat. &c. in 6. V. *Affectata* l. 1. tit. 9. his verbis: *Æquipollent ergo ſcientia & ignorantia affectata .... & dicitur affectata ex quo ſcire potuit, ſed noluit, immo diſſimulavit*. Obſerves velim, non dari ignorantiam invincibilem de jure divino.

Reſpondeo 2. In hypotheſi, 1. Quod ſi ignorantia jus vel factum ſpectet, & ſit invincibilis, monendos eſse, cum effulget ſpes fructus, ſecus vero ſi nulla adſit. Sic propugnat Sylvius in Supplem. 3. p. Summæ D. Thom. q. 8. art. 5. quæſito 7. ubi ſic loquitur: " Si vero pœnitentis ,, ignorantia ſit inculpabilis, nec videtur ,, monitio profutura, vel ex ea timentur ,, gravia incommoda, non debet Sacerdos eum monere, quia monitio eſ- ,, ſet inutilis ac pernitioſa. ,, Subſcribit Navarrus Manual. num. 83. ſubſcribit & Sotus in 4. diſtinc. 18. q. 2. art. 4. *§.* 2. hoc ipſum colligitur ex S. Auguſtino in can. *Signis* 4. de pœnitentia diſtinct. 7. *Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem*. Subjungit Sotus citans iſtum canonem: " In hoc ergo caſu ,, tacendum eſt in quo ..... locum habet ,, ſententia Auguſtini: *ſi ſcirem &c.* præ- ,, terea etiam eſt attendendum, ſi magnum ſcandalum ſequeretur ex ſeparatio- ,, ne, quia ſunt perſonæ nobiles, aut ,, alias aliquod nomen habentes in repu- ,, blica, & habentes liberos. Et idem eſt ,, de ignorantia humani juris, ut ſi igno- ,, rans putet Matrimonium in quarto gra- ,, du eſſe licitum, aut ignorantia facti, ut ,, ſi ignoret maritum ſuum eſſe ſibi con- ,, ſanguineum, cum tamen ſit. ,,

Quæres 5. Utrum teneatur aliquis aperire impedimenta dirimentia quæ inter uxoratos, vel deſponſandos eſſe cognoſcuntur.

Reſpondeo 1. Confeſſarium teneri aperire hujuſmodi impedimentum, ſi pœnitens, elapſis aliquibus a Matrimonio menſibus, habeat de hoc aliquem ſcrupulum, quem præmente conſcientia aperit Confeſſario; tunc enim adeſt ignorantia vincibilis, & tenetur ſub pœna mortalis Confeſſor pœnitentis ſaluti providere. Sic cenſet Sylvius ibid. " Huc pertinet, *ait*, quod ſi ,, Confeſſarium videat pœnitentem verſari ,, in juris aut facti ignorantia .... aut ha- ,, bere ſcrupulum, teneatur eum monere ,, & inſtruere. ,,

Reſpondeo 2. Amicum non teneri monere uxoratos de impedimento dirimente, quod pro certo ſcit eos habere, ſi prævideat nullam eſſe corrigendi, aut medendi ſpem; propter rationes ſupra aſſignatas.

Reſpondeo 3. Quemlibet teneri monere deſponſandos de impedimentis dirimentibus quæ novit eſſe inter eos; cum enim nondum matrimonio conjuncti ſint, datur locus vitandi periculum, & tunc hoc cedet in perniciem eorum, ſi monita ſalutis aſpernentur. Sic pronuntiavit Alexand. III. in cap. *Præterea* 12. de ſponſal. & Matrim. Lib. 4. tit. 1. Rurſus in cap. *Super eo* 22. de teſtibus & atteſtationibus. L. 2. tit. 20. *Super illa vero quæſtione quam feciſti*; Scribens ad Epiſcopum S. Agathæ campaniæ Romæ; *An mulier conjungenda non ſit viro ex eo quod ſola mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur: Reſpondemus, quod ſi non eſt firmatum Matrimonium inter eos, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent conjungi: quia præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant*. Ratio eſt, quod tametſi unus teſtis ad probationem completam non ſufficiat, bene tamen ad præſumptionem, ut habetur Gloſſa in cap. *Licet* 23. v. *unius*, eod. tit. ſic tenent Navarrus,

ſic

Digitized by Google

ſic Panormitanus, & alii, modo teſtis ſit fide dignus.

Reſpondeo 4. Amicum non teneri ad ſecretum pro occultando impedimento dirimente quod ipſi ſub ſecreto revelatum eſt a Joanne, qui paratus eſt nubere, ſed ex charitate, ut ejus conſulat ſaluti, Parocho teneri revelare, ne cum deſponſata Matrimonio eum conjungat. Nam S. Thomas in hoc caſu propugnat neminem ad ſecretum naturale teneri, cum ſalus, & jus ſupernaturale tunc juri naturali præponderent. Sic loquitur 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. his verbis: " Quandoque enim ſunt " talia quæ ſtatim cum ad notitiam ho" minis venerint, homo ea manifeſtare " tenetur, puta ſi pertinet ad corruptio" nem multitudinis ſpiritualem, vel cor" poralem."

Reſpondeo 5. Amicum non teneri aperire impedimenta dirimentia quæ novit in ipſo qui ad Matrimonium contrahendum paratus eſt, ſi certus ſit per fas & nefas amicum velle nubere: ſic docet Adrianus VI. in 4. de confeſſ. q. 5. dubio 7. his verbis: *Si ſatis intelligit ex ſua denunciatione magnum ſcandalum ſecuturum, quamvis probare poſſit, ad denunciandum non tenetur*. Subſcribit Sylvius in Supplem. 3. p. Sum. Thom. q. 55. art. 9. modo non ſequatur aliquod grave denunciatori, vel pro ſe, vel pro liberis ſuis incommodum.

Non idem dicendum de patre erga filium, & de filio viciſſim erga Patrem: ſi enim pater aliquod aperit impedimentum pro Matrimonio filii, cito-citius celebrando, vel e contra filius noverit patrem viduum velle nubere cum muliere, & adeſſe impedimentum, unuſquiſque debet viciſſim alterum monere, quia hoc cedit in utriuſque ſalutem & bonum, in quo quidem caſu filius poteſt denuntiare patrem; ſic declarat Clemens III. in cap. *Videtur* 3. qui Matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtari, Lib. 4. tit. 18. his verbis in ſua ad Epiſcopum Florentiæ epiſtola: *Quod parentes, fratres & cognati utriuſque ſexus, in teſtificatione ſuorum ad Matrimonium conjungendum, vel dirimendum admittuntur, tam antiqua conſuetudine, quam legibus approbatur*. Et leg. *quamvis* eod. ad. legem. Juliam. de adult. *Qui enim melius recipi debent, quam illi qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe? Quod vero legitur pater non recipiatur in cauſa filii, nec filius in cauſa patris, in criminibus, cauſis & contractibus verum eſt, in matrimonio vero conjungendo & disjungendo, ex ipſius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res eſt, congrue admittuntur*.

Quid vero dicendum, ſi Petrus dum adſtat in Eccleſia, pro Matrimonio celebrando, & recordatur ſe habere impedimentum dirimens?

Reſpondeo, non teneri revelare, ſi hoc citra ſcandalum & famam non poſſit fieri, quia unuſquiſque curam de bono nomine habere debet, juxta iſtud ipſius ſancti Spiritus oraculum Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine*; ea tamen conditione, ut non conſummet Matrimonium, donec adveniat diſpenſatio, qua quidem obtenta, in ſecreto nubere poterit; tunc enim res ſolum in foro interiori & penes Deum habetur.

§. I.

De Impedimento erroris.

ERROR duplex a Theologis diſtinguitur, unus ſcilicet eſſentialis, alter vero accidentalis. Prior reſpicit perſonam, & rei ſubſtantiam; poſterior vero non niſi accidentia, puta qualitates, vel etiam loci aut temporis circumſtantias. Quod quidem nonnullis illuſtratur exemplis: ſi quis, v. g. exiſtimans deſponſare Mariam, ſubſtituitur ei altera, ſicut v. g. Jacob putans ſe dormire cum Rachel quæ illi deſponſata fuerat, evigilans invenit Liam, quam non ſine fraude parentes loco Rachel poſuerant in thalamo: de ſecundo vero, ſi Joannes putans nubere cum Claudia divite, & de facto iſta ſit pauperrima.

Rurſus error quandoque eſt antecedens, quandoque concomitans, aliquando etiam conſequens. Primus antecedit electionem, & tollit voluntarium, ita ut ſi non adeſſet, non fieret effectus: Secundus, actionem concomitatur, ut ſi quis credens nubere cum Barbara, de facto contrahit Matrimonium cum Sara, ſed ita eſt affectus, ut ſi Sara ipſi innoteſceret, vellet utique cum ea nubere. Tertius, conſequitur ad effectum, & eſt volitus.

Certum eſt, & de hoc conveniunt omnes Theologi errorem circa ſubſtantiam evacuare Matrimonium, quippe qui ſit antecedens,

cedeos, & tollat prorſus voluntarium: porro, intentio requiritur ad ſuſcipienda Sacramenta, ad ea potiſſimum quæ magna inducunt onera, quale eſt Matrimonium; ita Concilium Florentinum in decreto pro Armenis. Sic propugnat ſanctus Thomas hic, q. 51. art. 1. ubi in argumento *Sed contra*, ſic loquitur: " In „ Digeſtis dicitur, Quid tam contrarium „ eſt conſenſui quam error? Sed conſenſus „ requiritur ad Matrimonium: Ergo error Matrimonium impedit: „ Rurſus ibidem: " Conſenſus aliquid voluntarium „ nominat: Sed error impedit voluntarium, quia voluntarium ſecundum Philoſophum, & Gregorium Nyſſenum, „ & Damaſcenum, eſt cujus principium „ eſt in aliquo ſciente ſingularia, in quibus eſt actus: quod erranti non competit: Ergo error Matrimonium impedit. „

Certum eſt etiam errorem concomitantem circa perſonam, irritare Matrimonium; ratio eſt, quia non adeſt poſitivus, actualiſque conſenſus: hinc nullum de præſenti efficit conſenſum, quod tamen exigit Concilium tum Florentinum, tum Tridentinum.

Non eodem modo ratiocinandum eſt de errore circa qualitatem, tametſi relationem haberet ad perſonam: hoc quippe ſe habet per accidens. Sic docet Sanctus Thomas ibidem art. 2. ad 5. ubi ſic loquitur: " Error nobilitatis in quantum hu„ juſmodi non evacuat Matrimonium ea„ dem ratione, qua nec error qualitatis: „ Sed ſi error nobilitatis, vel dignitatis „ redundat in errorem perſonæ, tunc im„ pedit Matrimonium; unde ſi conſenſus „ mulieris feratur in iſtam perſonam dire„ cte, error nobilitatis ipſius non impedit „ Matrimonium: Si autem directe intendit „ conſentire in filium Regis, quicumque „ ſit ille, tunc ſi alius præſentatur ei, „ quam filius Regis, eſt error perſonæ, „ & impedimentum Matrimonii. „

Quæres 1. Utrum, Claudia nubens cum Jacobo quem nobiliſſimum putat, qui tamen non eſt, validum contraxerit Matrimonium?

Reſpondeo Matrimonium valere, quippe quod non ſit circa ſubſtantiam ſeu perſonam; ſed tantummodo circa accidentia. Ita Gratianus §. *Quod autem* 19. q. 1. his verbis: " Error fortunæ & qualitatis non excludit conſenſum, veluti ſi ..... quæ nubit, putans illum eſſe divitem, non poteſt renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit, ut colligitur ex ſancto Thoma.

Quæres 2. Num error ſolum concomitans dirimat Matrimonium?

Reſpondeo, errorem concomitantem dirimere etiam matrimonium ſi ſit circa perſonam, propter rationes ſupra laudatas. Subſcribit Innocentius III. in caput *Tua fraternitati*, 2. de Sponſal. & Matrimonio.

§. II.

De Errore conditionis.

CONDITIO ad vitæ inſtitutum ſpectat, ſeu ad perſonam ſub ſervitute redactam, quæque eſt talis, vel jure Belli, quandoquidem victi tranſeunt in poteſtatem victoris: vel jure emptionis, ut ſi parentes, pretio ſoluto, ſuos liberos venderent. 3. Ex natalibus, quales ſunt filii, quos vir captivus ſuſcipit ex uxore utique captiva. His prælibatis,

Dico errorem conditionis ſervilis dirimere matrimonium jure Civili & canonico, non tamen jure naturali.

Primum patet ex Authent. *de nuptiis* §. *Si vero decretum*: " Si ab inſcio putaverit „ aliquis liberæ jungi perſonæ, illa vero „ famula poſtea declaretur exiſtens, non „ dicimus ſolvi matrimonium, ſed ab „ Initio neque matrimonium fieri propter „ inæqualitatem perſonarum. „ Sic declarat Alex. III. cap. 2. De conjugio ſervorum, & hanc reddit rationem hic S. Thom. q. 52. art. 1. his verbis: " Dicendum, „ quod in matrimonii contractu obliga„ tur unus conjugum alteri ad debitum „ redendum; & ideo ſi illi qui ſe obli„ gat eſt impotens ad ſolvendum, igno„ rantia hujus impotentiæ in eo cui ſit „ obligatio, tollit contractum: ſicut au„ tem per impotentiam coeundi effici„ tur aliquis impotens ad ſolvendum de„ bitum, ut omnino non poſſit ſolvere; „ ita per ſervitutem ut libere debi„ tum reddere non poſſit: & ideo ſic„ ut impotentia coeundi ignorata impedit „ matrimonium, non autem ſi ſciatur; ita „ conditio ſervitutis ignorata Matrimo„ nium impedit. „

Se-

Secundum, propugnat utique S. Thomas ibidem ad 3. Quia, *inquit*, ſervitus ex natura rei non opponitur Matrimonio; ſin minus etiam quando non ignoratur ipſum evacuaret; ſiquidem quod aliquid ignoretur vel non, nihil ad contrarietatem confert, ſeu ſpectat.

Quæres 1. Utrum validum ſit Matrimonium habitum inter Titium liberum & Liam ſervam ab ipſo ejus Domino in Matrimonium Titio datam?

Reſpondeo affirmative; error enim conditionis tunc ſe habet materialiter; eo enim ipſo quo Dominus ancillam ſuam Titio, quem novit eſſe liberum dedit uxorem, jam a ſervitute ſuam ſolvit ancillam, & ſic Titius qui putabat nubere cum libera, quamvis revera non eſſet, tamen habet liberam pro uxore, eo ipſo quo Dominus conſentit matrimonio: hinc Titius non defraudatur formaliter. Sic declarat Innoc. III. in cap. *Ad noſtram*. 4. de conjugio ſervorum leg. 4. tit. 9. ubi habetur: " Mandamus, quatenus ſi conſtiterit „ quod miles ignoranter contraxerit cum „ ancilla, ita quod poſtquam intellexit „ conditionem ipſius nec facto nec verbo „ conſenſerit in eamdem .... contrahen„ di cum alia liberam ipſi concedas au„ ctoritate Apoſtolica facultatem. „ Idem declarat Alexander III. in cap. *Propoſuit* 2. de conjugio ſervorum, & habetur authentic. collat. 4. de nuptiis tit. 1. cap. 11.

Quæres 2. Num validum ſit matrimonium puellæ, quæ nupſit quidem viro libero, ſed ad triremes pro tota vita addicto, inter quos tamen conſummatum eſt matrimonium?

Reſpondeo 1. negative. Idem enim eſt ac ſi vir foret ſervus: nec conſummatio Matrimonium reddit validum, cum ei ſolum conſenſerit puella putans cum libero diverſari; hinc conſenſus in copulam non cenſetur voluntarius.

Reſpondeo 2. Non idem eſſe ſentiendum ſi mulier eidem pœnæ addiceretur, vel ſi Joanna alias ſerva nuberet cum Claudio, quem putaret liberum, qui tamen revera utique foret ſervus; ubi enim eadem eſt utriuſque conditio, jam non fit injuria, ita S. Thom. in 4. diſtinct. 3. art. 1. ad 1. " Servus etiam, *inquit*, ſi „ contrahit cum ancilla quam credit libe„ ram, non propter hoc impeditur matri„ monium, & ſic patet quod ſervitus non „ impedit matrimonium niſi quando igno„ rata eſt ab alio conjuge, etſi ille ſit li„ beræ conditionis. „

Reſpondeo 3. Matrimonium inter duas perſonas ſerviles, invito Domino celebratum, eſſe validum; conditio enim ſervitutis eſt ſolum de jure gentium; quocirca contractum naturalem & ſacramentalem ſolvere non valet, ut docet S. Tho. in 4. diſtinc. 36. q. 1. art. 2. in corpore: " Ideo ſervitus quæ eſt de jure poſitivo „ non poteſt præjudicare his quæ ſunt de „ jure naturali. „ Expreſſius loquitur Adrianus in cap. *Dignum* 1. de conjugio ſervorum. *Sane juxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Jeſu neque ſervus eſt a Sacramentis Eccleſiæ removendus; ita nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi, & ſi contradicentibus Dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc diſſolvenda.*

Ex his ſequitur ſervum, invito Domino poſſe nubere, ut propugnat S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 3. in corp.: „ Nec tenen„ tur ſervi, *inquit*, Dominis .... obe„ dire de Matrimonio contrahendo ... „ Sed in his quæ pertinent ad diſpoſitio„ nem actuum, & rerum humanarum, „ tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire „ ſecundum rationem ſuperioritatis, ſic„ ut ... ſervus Domino in his quæ perti„ nent ad ſervilia opera exequenda. „

§. III.

De Impedimento voti caſtitatis.

NON de quocumque voto quæſtio inſtituitur, ſed ſolum caſtitatis: quod quidem duplex diſtinguitur; unum ſcilicet ſimplex, alterum vero ſolemne: Primum, eſt ſolum promiſſio facta Deo: Secundum, promiſſio publice facta, vel ipſa acceptante Eccleſia. Ita Gonetus hic diſp. 9. art. 2. §. 3. his verbis: " Differentia autem „ eſſentialis inter votum ſolemne & ſim„ plex, conſiſtit in hoc, quod ſimplex eſt „ tantum promiſſio facta Deo, at vero ſo„ lemne, ſupra promiſſionem, addit tra„ ditionem & acceptationem. „

Dico primo votum caſtitatis ſimplex impedire quidem Matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimere. Sic docet S. Thomas hic q. 53. art. 1. quod quidem

dem probat in argumento *Sed contra* his verbis: " Clemens Papa dicit quod „ votum ſimplex impedit Matrimonium „ contrahendum, ſed non dirimit con- „ tractum. „ Ratio quam affert in corpore ea eſt, quod promiſſio ſimplex alicujus rei non transfert dominium boni, illi cui promittitur; hinc, obtenta diſpenſatione, vir aut mulier poſſunt nubere. " Dicendum, *inquit*, quod per hoc res „ aliqua deſinit eſſe in poteſtate alicujus, „ per quod tranſit in dominium alicujus. „ Promiſſio autem alicujus rei non trans- „ fert eam in dominium ejus, cui pro- „ mittitur; & ideo non ex hoc ipſo quod „ aliquis rem promittit aliquam, deſinit „ res illa eſſe in poteſtate ſua: cum ergo „ in voto ſimplici non ſit niſi ſimplex pro- „ miſſio proprii corporis, ad continen- „ tiam Deo ſervandam facta, poſt votum „ ſimplex adhuc remanet homo Dominus „ ſui corporis: & ideo poteſt ipſum alte- „ ri dare, ſcilicet uxori; in qua datione „ ſacramentum Matrimonii conſiſtit, quod „ indiſſolubile eſt. Et propter hoc votum „ ſimplex, quamvis impediat Matrimo- „ nium contrahendum, quia peccat con- „ trahens Matrimonium poſt votum ſim- „ plex continentiæ: tamen quia verus „ contractus eſt, non poteſt Matrimonium „ per hoc dirimi. „ His accedit declaratio Alexandri III. in cap. *Conſuluit*. 4. qui Clerici vel voventes &c. Tum & Cæleſtini III. in cap. *Rurſus* eod. tit.

Dico 2. Votum ſolemne caſtitatis ſolvere Matrimonium. Hoc ipſum ſequitur ex ratione divi Thomæ in contrarium, & hoc ex profeſſo docet ibidem art. 2. cujus hanc affert rationem, quia homo non eſt amplius juris ſui circa corpus, quod Deo per votum conſecravit; hinc per profeſſionem mortuus eſt ſpiritualiter ſæculo: ſic loquitur in argumento *Sed contra*: " Ille „ qui facit votum ſolemne, contrahit Ma- „ trimonium ſpirituale cum Deo, quod eſt „ multo dignius quam materiale matri- „ monium: Sed materiale Matrimonium „ prius contractum dirimit matrimonium „ poſt contractum, ergo & votum ſo- „ lemne. „

Quæres 1. Num Lucia, quæ ante liberam Matrimonii conſummationem, religionem ingreſſa eſt, veram emittat profeſſionem?

Reſpondeo, non unam eſſe auctorum ſententiam: ſuppoſito tamen quod vir ſubreptıcie, vel etiam, adhibita violentia cum ea conſummaverit matrimonium, perinde eſt ac ſi Lucia non conſummaſſet, cum hoc totum, ipſa ſemper diſſentiente, factum ſit; quocirca reſpectu illius conſummatio ſe habet mere materialiter. Sic colligitur ex Bonifacio VIII. qui in reg. 38. de Reg. juris in 4. ait: *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare*. Rurſus alia regula ſic habet: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Quocirca vir poteſt, emiſſa Luciæ profeſſione, cum alia nubere.

Quæres 2. Utrum validum ſit Matrimonium Franciſci, qui ante Matrimonii celebrationem cum Joanna ſuſcepit ex ea prolem, tum celebrato Matrimonio, viriato conſenſu, abiit in regionem longinquam, quo tempore deflorata ingreſſa religionem, emiſit votum ſolemne, ſervatis ſervandis, ſed maritus poſtea reverſus illam ad ſe via juris compellere ſatagit?

Reſpondeo, quoſdam auctores propugnare non teneri ad maritum, relicta religione, redire, eo inniti principio, quod fornicatio ante Matrimonium celebratum commiſſa, Matrimonii conſummatio non cenſeatur, & hoc colligitur ex Alexand. III. in cap. *Commiſſum* 16. de ſponſal. & Matrim. modo tamen vir non cognoverit puellam ante ſponſalia celebrata; tunc enim copula quaſi neceſſariam haberet cum Matrimonio proxime celebrando connexionem. " Si tamen, *inquit ſummus Pontifex*, „ poſt deſponſationem copula non digno- „ ſcitur interveniſſe carnalis. „

Non deſunt tamen qui aſſerant fornicationem præcedentem habere rationem ipſius Matrimonii conſummationis: poteſt addi ſi mulier ſpe Matrimonii verbis, aut ſcriptis expreſſa ſui fecerit copiam: Quidquid ſit in hoc opinionum conflictu conſulendus eſt Epiſcopus.

Quæres 3. Num valeat Matrimonium Liæ cum Joanne, ſi Lia intra duos menſes, qui a jure conceduntur de eligenda religione, relicto marito, ingrediatur religionem, ſed abſoluto probationis anno, nondum emittit vota, attamen duobus adhuc aut tribus annis in eadem religione cum habitu remanet, eumdem vitæ tenorem ſervans?

Reſpondeo juxta Regni Franciæ ſtatuta, puellam poſſe ad maritum redire, cum non

non adſit profeſſio explicita, nec tacitam in hoc florentiſſimo regno ut ratam haberi. Secundum quoſdam non poteſt, quia ex procraſtinatione in religione, cenſetur tacitam emiſiſſe profeſſionem.

Quæres 4. Utrum qui emittit publice caſtitatis votum inter manus ſuperioris cujuſdam Monaſterii, adſtantibus omnibus religioſis, poſſit tamen nubere?

Reſpondeo poſſe, cum ejus votum ſit ſolum ſimplex caſtitatis votum; nam ad votum ſolemne non ſufficit palam emittere promiſſionem, ſed requiritur ut quis emittat in Religione approbata, cum obligatione juxta Monaſterii regulas vivendi.

Quæres 5. An validum ſit votum in religione approbata emiſſum a viro, qui minis & terroribus propriæ uxoris, a qua multos ſuſcepit filios, conſenſum obtinuit de votis in religione emittendis?

Reſpondeo invalida eſſe vota, & mulierem poſſe maritum compellere, ut ad ſe redeat. Sic colligitur ex Innocentio III. in cap. *Accedens* 17. & ibi Gloſſ. de converſ. conjug. " Quocirca, *inquit Papa*, „ diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus, „ ſi res ita ſe habet, dictum virum ut eam „ recipiat, eique affectum exhibeat conju- „ galem, appellatione remota, cogatis. „ Cum hac tamen clauſula, modo uxor non ſit adultera, qua de cauſa maritus, emiſſa profeſſione, non teneretur ad eam redire.

Quæres 6. Num valida ſint Lucii vota religionis emiſſa, obtenta licentia ab uxore juniori, quæ ultro ei conceſſit, non credens ſeipſam teneri ingredi religionem ut ſuæ conſuleretur caſtitati?

Reſpondeo negative, cum uxor ignorans circumſtantias, conceſſerit licentiam. Sic reſpondet Alexander III. in cap. *Præterea* 1. tit. 9. " Utrum Laicus uxoratus, „ *inquit*, qui, præſentibus Sacerdotibus „ & Monachis, ignorante Epiſcopo, de „ licentia & permiſſione uxoris Monaſte- „ rium ingreſſus profeſſionem fecit, uxore „ in ſæculari habitu remanente, nec „ tranſeunte ad religionem, aut perpetuam „ continentiam vovente, ab Epiſcopo ſuo „ poſſit ad thorum revocari uxoris: an il- „ la compellenda ſit continentiam obſer- „ vare? *Reſpondet Alexander*: Dicimus quod „ niſi uxor ad religionem tranſierit, aut „ perpetuo caſtitatem ſervare promiſerit, „ vir poteſt & debet de Monaſterio re- „ vocari. „

Quæres demum, An valida ſit profeſſio Agathæ, quæ confictum accepit teſtimonium de morte mariti, qui profectus in regionem longinquam, ut probaret propriæ uxoris erga ſe amorem, ipſe confixit teſtimonium ſe vita jam jam functum.

Reſpondeo vota Agathæ eſſe legitima, juxta illud Innocentii III. in cap. *Officii* 13. de Teſtament. & ult. volunt. l. 3. tit. 26. & in cap. *Cum dilectus* 8. de religioſ. domibus eod. lib. tit. 36. " Fraus „ & dolus alicui patrocinari non debent. „ rum quia Agatha recte & legitime emiſit vota. Sic propugnat Navarrus L. 3. Conſil. tit. de converſ. conjugat. Conſ. I. 6. quandoquidem votum caſtitatis Agathæ ſolemne, ſaltem vim voti ſimplicis caſtitatis habet, quod quidem ſervare tenetur; hinc ſi non redeat, eſt culpa mariti.

§. IV.

De Impedimento Cognationis.

COGNATIO eſt unio multorum aliquo communi vinculo inter ſe conjunctorum: quia vero iſtud vinculum triplex diſtinguitur, videlicet carnale, ſpirituale, & legale, ideo totidem cognatio agnoſcenda. Alia eſt igitur carnalis, quæ dicitur mutua ſanguinis unitas, & juxta D. Thomam hic q. 44. art. 1. " Vinculum perſonarum „ ab eodem ſtipite deſcendentium, car- „ nali propagatione contractum. „ Et vocatur conſanguinitas. Altera ſpiritualis, & contrahitur per regenerationem in Baptiſmatis, tum & in Chriſmatis Sacramento. Tertia, quæ eſt legalis, habetur per legis adoptionem. Conſanguinitas uſque ad quartum gradum dirimit Matrimonium: Spiritualis vero uſque ad ſecundum; & contrahitur inter baptizantem & baptizatum, ſicut & inter confirmantem & confirmatum. Rurſus inter baptizantem, ſive confirmantem, patrinoſque ex una parte, & parentes baptizati ſeu confirmati ex altera. Tertia demum definitur propinquitas ex adoptione alicujus in filium proveniens, & contrahitur inter adoptatum & adoptantem: Deinde inter adoptatum & conjugem adoptantis, tum inter adoptantem & conjugem adoptati; deni-

denique inter adoptantem & legitimos filios adoptati ad quartum uſque gradum incluſive. De duabus primis conveniunt omnes Theologi. Tertia cognatio fundatur in jure Eccleſiaſtico & civili; Eccleſiaſtico quidem, nam in cap. *Ita diligere*, Nicolaus I. probat non eſſe conjugium inter illos inter quos adeſt cognatio legalis; ſic loquitur in can. 7. art. 1. 3. q. 3. " Nec inter eos qui natura, & eos qui ,, adoptione filii ſunt venerandæ Roma- ,, næ leges matrimonia contrahi permit- ,, tunt. ,, De jure etiam civili, ut habetur cap. unico *de cognatione legali*, his verbis: " Si qua per adoptionem mihi ,, ſoror eſſe cæperit, quamdiu durat ado- ,, ptio inter me & ipſam, nuptiæ conſi- ,, ſtere non poſſunt. ,,

S. Thomas hic q. 54. art. 4. dicit ad Eccleſiam ſpectare hujuſmodi impedimenta conſtituere, ſimiliter & de his diſpenſare. Sic loquitur in argumento *Sed contra*: " Sicut olim matrimonia Gentilium ,, diſpenſabantur per Leges civiles, ita ,, nunc per ſtatuta Eccleſiæ: Sed olim ,, Lex civilis determinabat gradus con- ,, ſanguinitatis, qui Matrimonium impe- ,, diunt, & qui non: Ergo & modo po- ,, teſt hoc fieri per Eccleſiæ ſtatutum. ,,

Quæres I. Utrum vir poſſit conjungi matrimonio abſque diſpenſatione cum puella cui in quarto gradu conſanguineus eſt, puella vero ipſi viciſſim in quinto gradu.

Reſpondeo affirmative, quia gradus ſunt inæquales; hanc ſtatuit regulam Greg. P. in cap. *Vir qui* fin. de conſanguin. & affin. Lib. 4. tit. 14. his verbis: " Vir ,, qui a ſtipite quarto gradu, & mulier ,, quæ ex alio latere diſtat quinto, per ,, regulam approbatam, qua dicitur quo- ,, to gradu remotior differt a ſtipite, & ,, a quolibet per aliam lineam deſcenden- ,, tium ex eodem, licite poſſunt matri- ,, monialiter copulari. ,, Subſcribit S. Thom. in 4. diſtinc. 40. art. 4. unica art. 2. in corp.

Quæres II. Num filius illegitimus poſſit nubere cum filia Patri ſuo conſanguinea in tertio, vel quarto gradu lineæ collateralis?

Reſpondeo negative. Sic declarat Innocentius III. in cap. *Non debet* 8. de conſanguin. & affi. " Prohibitio quoque co- ,, pulæ conjugalis quartum conſanguini- ,, tatis & affinitatis gradum de cetero non ,, excedat: quoniam in ulterioribus gradi- ,, bus jam non poteſt abſque gravi diſpen- ,, dio hujuſmodi prohibitio generaliter ,, obſervari. ,, Sic propugnat S. Thom. in 4. diſtinc. 4. q. unica art. 1. in corp.

Quæres III. An peccent mortaliter contrahentes Matrimonium, exiſtimantes ſe habere impedimenta, quæ tamen de facto non ſunt?

Reſpondeo affirmative: immo ſi crediderint non poſſe valide, Matrimonium nullum eſt. Primum patet propter malam fidem in re gravi: Secundum utique defectu intentionis ſufficientis: cum haberent intentionem Matrimonium invalidum celebrare: ſic docet Sylvius in Sup. plem. 3. p. Sum. D. Th. qu. 55. ar. 9. " Si, *inquit*, hujuſmodi impedimento non ,, obſtante, putant ſe poſſe inire vali- ,, dum contractum, valebit; ſi autem ,, credunt non valere, non valebit; quia ,, deeſt conſenſus.

Quæres IV. Utrum vir & mulier ſectæ Calvinianæ in tertio gradu propinqui coram Miniſtro quondam deſponſati & Matrimonio conjuncti, indigeant diſpenſatione, ut Matrimonio utantur, dum ad meliorem frugem redeuntes, ſuam ejurant hæreſim.

Reſpondeo affirmative, quippe qui ratione Baptiſmi ad Eccleſiam pertineant; hinc licet Pagani ad fidem converſi non indigerent, ſecus Hæretici propter rationem allatam, quo circa debent, obtenta diſpenſatione, coram teſtibus & Parocho renovare conſenſum, & Matrimonio ſacramentali conjungi.

Quæres V. An vir, qui e baptiſmate levavit feminam poſſit cum ea nubere?

Reſpondeo ſolum poſſe nubere cum patrina, nuſquam vero cum puella quam e fonte levavit, propter impedimentum quod intercedit inter patrinum & baptizatam: ſic definit Concil. Trident. Seſſ. 24. de reformat. Matrim. cap. 2. his verbis: " Sancta Synodus ... ſtatuit ut ,, ad ſummum unus & una baptizatum ,, de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac ,, & baptizatum ipſum, & illius patrem ,, & matrem, nec non inter baptizan- ,, tem ac baptizatum baptizatique patrem ,, ac matrem tantum, ſpiritualis cognatio ,, contrahatur... omnibus inter alias per- ,, ſonas hujus ſpiritualis cognationis impe- ,, dimentis omnino ſublatis. ,,

Quæ-

Digitized by Google

Quæres 6. Utrum vir qui neceſſitate compulſus baptizat filiam, quam ex fornicatione ſuſcepit, cum ipſa matre deflorata nubere queat?

Reſpondeo non poſſe nubere cum deflorata, eo quod contraxerit cum ea affinitatem, ejus baptizando filiam; ſic docet Sylvius in Supplem. 3. p. Sum. D. Thom. q. 56. art. 1. his verbis: " Si quis in neceſſitate baptizaret filium ex fornica-„ tione ſuſceptum ... Talis ... incurreret „ impedimentum dirimens, ideoque non „ poſſet inire validum Matrimonium „ cum ſua concubina. „ Sic cenſet utique Navarrus, & alii. Excipe caſum: Si vir paganus foret, quum baptizavit puerum: Ratio ea eſt, quod paganus non ſit Eccleſiæ legibus ſubditus: ſic docet S. Th. in 4. diſtinc. 42. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3.

Quid dicendum foret, ſi Chriſtianus baptizaret filiam pagani?

Reſpondeo in hac hypotheſi Chriſtianum non poſſe nubere cum baptizata, propter impedimentum quod contraxit, ſecus vero cum matre ſi vidua evaderet; nulla quippe cognatio ſpiritualis ſecundum jura contrahitur inter Chriſtianum & mulierem infidelem, adeoque nullum foret impedimentum. Reſponſio ſeu reſolutio eſt Dominici Soto in 4. diſtinc. 42. q. 1. art. 3. concluſ. 1. §. poſtrem. ubi ad quæſitum ſic reſpondet: " Neque in du-„ bium revocari debet, quoniam fun-„ damentum ſpiritualis cognationis eſt, „ eſſe ſpirituale, quod per regeneratio-„ nem Baptiſmi ſuſcipimus: & ideo, ſic-„ ut non baptizatus baptizans, nullam „ trahit cognationem cum baptizato, ita „ ex adverſo, neque baptizatus ullam „ contrahit cum non baptizato. „

Quæres VII. An qui ſuſcipiunt e fonte infantem qui jam in domo, compellente neceſſitate, ab obſtetrice tinctus fuerat, contrahant cognationem ſpiritualem?

Reſpondeo I. Negative, non enim baptiſmo, ſed ſolum cæremoniis interſunt. Hinc nullam contrahunt obligationem baptizatum in fide inſtituere. Concilium quippe Tridentinum Seſſ. 24. de reform. cap. 2. de iis ſolum loquitur qui puerum in Baptiſmo ſuſcipiunt. Hanc tenet ſententiam Sylvius in 3. p. Suppl. Sum. D. Th. q. 56. art. 3. " Si quis poſt Bapti-„ ſmum, domi propter neceſſitatem col-„ litum, adhibeatur ut patrinus, tum quan-„ do ſolemnes cæremoniæ ſupplentur, nul-„ lam etiam contrahit propinquitatem. „

Reſpondeo II. Idem eſſe dicendum de eo qui nomine alterius, & ut internuncius ſuſcepit puerum in Baptiſmate, ſecus de illo cujus eſt procurator. Primum patet ex declaratione ſacræ Congregationis ſub Pio IV. in Bulla *Alias* 81. " Procura-„ tor autem eſt ultra deſignatos: Deſi-„ gnantur enim principales „ non autem „ eorum procuratores. „ Quod quidem fundatur in iſtis Concilii Trident. verbis, loco mox citato: " Si alii ultra deſignatos „ baptizatum tetigerint, ſpiritualem co-„ gnationem nullo pacto contrahunt. „ Secundum ſequitur ex iis declarationibus; quandoquidem qui infantem per procuratorem e ſacro fonte ſuſcipit, eſt ad hoc deſignatus, & ei incumbit curam ſalutis baptizati agere. Concinit Reg. 72. de regulis juris in 6. ſic propugnat Sylvius in Supp. Sum. divi Th. q. 58. " Qui vero ut „ procurator aſſiſtit, is officium ſuſcepto-„ ris non acceptat ſibi, ſed principali: „ cognationem autem contrahit is qui fit „ ſuſceptor, ſeu qui officium ſuſceptoris „ ſibi acceptat. „

Quæres VIII. Num ſi admittantur plures patrini & patrinæ, contrahant omnes cognationem ſpiritualem?

Reſpondeo affirmative: Tametſi enim Concilium Trident. voluerit non niſi unum admitti patrinum, & ſtatuerit Parochum, qui plures ignorantia vel complacentiæ motivo admiſit, ad arbitrium Epiſcopi loci corrigendum, non tamen declaravit plures admiſſos ſpiritualem non contrahere cognationem, quocirca cenſetur velle jus antiquum in hoc ſervari: Ita Sylvius ibidem q. 67. art. 7. in fine: " Verum cum Concilium nihil dicat de „ ſimili caſu, ſed loquatur ſolum de il-„ lo, ubi ex pluribus duo tantum, ut „ fieri vult, deſignantur, Navarrus cen-„ ſet omnes contrahere, idemque aſſerit „ de alio caſu, ubi nulli eſſent a Parocho „ deſignati, & plures ſuſciperent: & „ favet Concilium dicens: *Si Parochi culpa &c.* cum alioqui dicendum fuiſſet, „ *nulli contrahant.* „

Jam vero ſi quæras, an neceſſe ſit tangere puerum dum e fonte levatur, ad contrahendam cognationem ſpiritualem?

Reſpondeo ſufficere quod patrinus ſit deſigna-

gnatus, & præſens, tunc enim adeſt contactus moralis, & de facto parentibus defunctis, contrahit obligationem inſtituendi in fide baptizatum, cum pervenerit ad rationis auroram. Licet enim Concilium voce *tetigerint* utatur, cum ait: " Si alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahunt. ,, quæ verba recte explicantur de contactu morali. Ita Sylvius ibidem q. 67. art. 7.

Quæres 9. An plures perſonæ ultro oblatæ ad levandum puerum, ſed nullæ ex his ex inadvertentia Parochi, ab ipſo deſignatæ ſunt, contrahant omnes cognationem ſpiritualem?

Reſpondeo affirmative: & ſequitur ex dictis, eo enim ipſo quo adſunt, & ſe ultro offerunt, & nulla ex his excipiatur, omnes cenſentur ſuſcipere e ſacro fonte puerum; ſic colligitur ex Bonifacio VIII. in cap. *Quamvis* fin. de cognat. ſpir. in 6. " Quamvis non plures quam unus vir vel una mulier accedere debeant de Baptiſmo infantem juxta ſacrorum Canonum inſtituta, ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, Matrimonia contrahenda impediens, & etiam poſt contracta diſſolvens. ,, Ita Gloſ. in cit. cap. his verbis: " Scilicet cum omnibus & ſic multa fieri prohibentur quæ facta tenent. ,,

Quæres 10. Num qui ſuſcepit in Confirmatione Petrum, poſſit ejus matrem vel ſororem deſponſare?

Reſpondeo abſque diſpenſatione poſſe ducere ſororem, non tamen matrem: ratio ea eſt, quod eodem modo contrahitur propinquitas in Confirmatione ſicut & in Baptiſmo: Sed ex Summiſtis in Baptiſmo contrahitur propinquitas inter patrinum & baptizatum, & inter patrinum ac patrem & matrem baptizati: Ergo &c. Sic declarat Bonif. VIII. in cap. *Nedum* 1. §. 1. de cognat. ſpirit. in 6. Idem habetur ex Trident. Seſſ. 24. de reformat. Matrimonii cap. 2.

Quæres 11. Quomodo inducatur impedimentum per cognationem legalem?

Præſuppomendum eſt adoptionem eſſe duplicem, alteram perfectam, incompletam alteram; prior vocatur adrogatio, qua aliquis ſui juris tranſit in poteſtatem alterius qui illum adoptat, ita ut habeatur ut ejus filius, tum ut & ipſius hæres, ad quod requiritur auctoritas Principis permittentis; ſic habetur leg. *Generalis*. 2. ff. de adopt. lib. 1. tit. 7. cui legis jus novum ſubſcribit. Ita D. Tho. in 4. diſt. 42. q. 2. art. 1. ad 7. altera ſimplex dicitur, & contrahitur mera Magiſtratus auctoritate, abſque eo quod opus ſit perſonam adoptatam tranſire in dominium adoptantis: neque etiam requiritur ut perſona adoptata ſit adoptantis hæres, vel etiam ſui juris; his præſuppoſitis.

Reſpondeo 1. Priorem ſolum adoptionem inducere impedimentum dirimens; ſic docet Sylvius ibid. q. 57. art. 2.

Reſpondeo 2. Certam requiri ætatem pro adoptione, certaſque conditiones. Primo neceſſe eſt ut adoptans ſit Matrimonio conjunctus, vel jam fuerit, vel hic & nunc poſſit nubere. Secundo ut ſit ſui juris, & vigeſimum quintum attigerit annum, ut propugnat S. Thomas in 4. diſtinc. 42. q. 2. art. 1. ad 3. Tertio ut ſuperet ætate adoptatum decem & octo annis. Obſerves mulierem non poſſe adoptare in nova lege, tametſi poſſet in lege Moſaica. Ita D. Thomas loco citato ad 3. Jam vero ſi quæratur num adoptatus poſſit nubere cum filia legitima adoptantis? Reſpondet negative Panormitanus, Sylveſter & alii: Non idem dicendum foret ſi filia eſſet ſpuria: Ratio ea eſt, quod adoptio in jure civili fundetur. Certum eſt autem jus civile non habere liberos ſpurios ut filios; idcirco nulla intercedit propinquitas inter adoptatum & filiam ſpuriam adoptantis, adeoque poteſt adoptatus cum iſta nubere.

§. V.

De Impedimento affinitatis.

AFFINITAS eſt conjunctio ſeu propinquitas ex copula carnali prodiens, cum parentibus illius quam vir deſponſavit. Manet enim affinis cum parentibus ſuæ uxoris, & viciſſim uxor cum parentibus ſponſi, puta cum ejus patre & matre, & ſic uſque ad gradus aſcendentes & deſcendentes: Aſcendentes quidem puta cum avo, & proavo ſui viri, deſcendentes vero, ut cum fratribus & germanis. Dicitur quidem conjunctio ſeu propinquitas, eo quod perſonæ quæ ſunt ſanguine remotæ per affinitatem ſibi invicem conjunguntur

& ap-

& approximantur. Nam ut ait lex *Non facile* ff. de gradibus affinitatis, per nuptias duæ diverſæ cognationes inter ſe copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. 2. *Orta ex copula carnali*. Hinc ſi Matrimonium ſit ſolum ratum, non inducit affinitatem ſaltem perſectam, ex qua oritur impedimentum dirimens.

Ex fornicario quidem concubitu contrahitur utique affinitas, ſed non ex jure naturali, at tantum poſitivo & Eccleſiaſtico: adeſt etiam & ulterius diſcrimen ab affinitate naturali, quod non cauſet impedimentum dirimens niſi uſque ad ſecundum gradum incluſive, ut ſtatuit Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 4. de reformat. Matrim. quæ vero oritur ex copula licita ad quartum uſque ſe ſe extendit, & olim ad ſeptimum uſque permeabat, ut habetur cap. 7. cauſa 35. q. 3. ubi Julius Papa ait: " Nullum in utroque ſexu permittimus „ ex propinquitate ſui ſanguinis vel uxo„ ris, uſque ad ſeptimum generis gradum „ uxorem ducere, vel inceſti macula co„ pulari. „ Tum Innoc. III. cap. *Non debet*, de conſanguin. & affin. reſtrinxit ad quartum gradum incluſive.

Non abſimili modo numerantur gradus affinitatis ac conſanguinitatis. Quocirca in eodem gradu eſt aliquis affinis, in quo eſt conſanguineus, hoc eſt, inquit Gonetus hic diſput. 9. art. 9. pag. 6c9. " In „ quo gradu, *inquit*, quis eſt conſangui„ neus mariti, in eodem gradu ſit affinis „ uxori, & e converſo. Inter ipſos autem „ conſanguineos mariti, & conſanguineos „ uxoris, nulla mutuo oritur affinitas, ut „ conſtat ex cap. *Quod ſuper his*, de con„ ſanguinit. Ubi Innoc. III. ſic ait *Licet* „ *omnes conſanguinei viri, ſint affines uxo*„ *ris, & omnes conſanguinei uxoris viri affi*„ *nes; inter conſanguineos tamen uxoris &* „ *viri ex eorumdem ſcilicet viri & uxoris* „ *conjugio, nulla prorſus affinitas eſt contra*„ *cta, propter quam inter eos debeat matrimo*„ *nium impediri*. Unde frater, nepos, pro„ nepos uxoris, poſſunt matrimonium con„ trahere cum ſorore neptæ & proneptæ „ viri, & e contra frater, nepos, prone„ pos viri cum ſorore, neptæ, & pro„ neptæ uxoris. Idem eſt de conſangui„ neis viri & uxoris ſub recta linea poſitis. „

Quæres 1. Quid ex S. Thoma obſervandum ſit in affinitate?

Reſpondeo ſanctum Doctorem hic q. 55. multa docere, quæ affinitatis naturam & gradus, immo & impedimenta exponunt.

Articulo 1. Dicit affinitatem contrahi ex matrimonio inter viri & uxoris conſanguineos; ſicut enim ex copula carnali ſequitur communicatio ejuſdem ſtipitis inter conſanguineos, ſic eadem fit approximatio parentum viri & uxoris ad eos relative ſpectatos: " Dicendum quod amicitia „ quædam naturalis in communicatione na„ turali fundatur. Naturalis autem com„ municatio eſt duobus modis ſecundum „ Philoſoph. 8. Etic. uno modo per carnalis „ propagatiouem, alio modo per conjun„ ctionem ad carnis propagationem ordina„ tam... Sed in hoc differt quod perſona „ conjuncta alicui per carnis propagatio„ nem, ſicut filius Patri fit particeps ejuſ„ dem radicis communis & ſauguinis. Un„ de eodem genere vinculi colligatur filius „ conſanguineis Patris, quo pater con un„ gebatur... Sed perſona conjuncta per car„ nalem copulam non fit particeps ejuſdem „ radicis, ſed quaſi extrinſecus adjuncta; „ & ideo ex hoc efficitur aliud genus vin„ culi, quod affinitas dicitur. „

Articulo 2. Affirmat affinitatem perſeverare, mortuo viro vel uxore, quia inquit in concluſione affinitas cum oriatur non ex eo quod aliqui conjungantur, ſed ex eo quod conjuncti ſint: ex morte viri vel uxoris non tollitur affinitas.

Articulo 3. Probat affinitatem utique contrahi ex illicita copula: " Affinitas, *ait*, eſt „ propinquitas perſonarum ex carnali copu„ la proveniens omni carens parentela: Sed „ carnalis copula eſt etiam in illicito con„ cubitu: Ego illicitus concubitus affinita„ tem cauſat. „

Articulo 4. Propugnat non contrahi affinitatem per ſponſalia, cum non ſint Matrimonium, ſed ſolum Matrimonii promiſſio, ſi tamen deſponſatus defloraret ſororem illius quæ illi promiſſa eſt, exurgeret impedimentum publicæ honeſtatis, quo prohiberetur nubere cum deflorata relicta priori.

Articulo 5. Docet affinitatem non parere affinitatem. Articulo 6. Aſſerit affinitatem inducere impedimentum dirimens his verbis: " Affinitas præcedens Matri„ monium impedit contrahendum, & di„ rimit contractum eadem ratione qua & „ conſanguinitas: „ Art. 7. & 8. agit de gradibus affinitatis.

Quæres II. Utrum vir qui non conſummavit Matrimonium cum uxore defuncta, poſſit ejus ſurori nubere?

Reſpondeo juxta principia ſtatuta id poſſe etiam abſque diſpenſatione, qnia ex D. Thoma in 4. diſtinct. 41. q. unica art. 1. quæſtiunc. 4. ad 2. numquam oritur affinitas, niſi ex permixto ſexu, & colligitur ex declaratione Innoc. III. in cap. *Non debet* 8. de conſanguin. & affin.

Quæres III. Utrum Julius, mortua propria uxore, poſſit ducere filiam quam uxor ſuſceperat ex prioribus nuptiis?

Reſpondeo negative, quandoquidem affinis eſt in primo gradu lineæ rectæ cum filia propriæ uxoris; tametſi enim prior vir ſuæ uxoris non ſit, & ipſa ultimum clauſerit diem, puella non deſinit eſſe uxoris Julii filia; ſicut enim filia nuſquam patri poteſt nubere, ſic nec ſocero ſuo.

Quæres IV. Num quæcumque copula affinitatem cauſet?

Reſpondet S. Thomas in 4. diſt. 41. q. unic. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 2. " Quantumcumque aliquis clauſtra pudoris invadat, vel frangat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas. " Rurſus 3. p. Suppl. q. 55. art. 3. in corp. & art. 4. in corp. Item & S. Antoninus 3. p. Sum. Theol. tit. 1. cap. 11.

Quæres V. Num puella poſſit nubere Ludovico, qui ut fert viciniæ acclamatio, ſuam cognovit matrem?

Reſpondeo poſſe, cum non teneatur fidem adhibere murmurationibus, quæ ut quotidiana probat experientia, ſæpius falſæ ſunt.

§. VI.

De Impedimento publicæ boneſtatis.

ISTUD Impedimentum oritur ex ſponſalibus non dubiis, ex alicujus juris ſolemnitatibus defectu, ſed rite celebratis, ut liquet ex Concilio Trident. Seſſ. 24. Decreto 1. de reform. Matrim. cap. 3. Cum enim ſponſalia ſint aliqua Matrimonii incohatio, æquum & conveniens eſt ut vir non poſſit nubere deſponſatæ, ſi habitis ſponſalibus, ſororem ſuæ deſponſatæ defloret; tunc enim exurgit duplex impedimentum, alterum ex parte defloratæ cui nequit nubere, eo quod ſponſalia habita ſint cum ejus uxore, & hoc vocatur impedimentum publicæ honeſtatis; ſed neque etiam poteſt amplius nubere cum deſponſata, quippe qui cum ea ex copula carnali cum ipſius ſorore contraxerit affinitatem: & iſtud impedimentum dicitur ex crimine ortum habere. Ita communiter Theologi, & Canoniſtæ.

Quæres I. In quibus caſibus adſit illud impedimentum?

Reſpondeo I. Virum propter honeſtatem publicam non poſſe ducere filiam viduæ mortuæ cum qua ſpouſalia inierat. Sic declarat Alexand. III. in cap. *Ad audientiam*. 4. de Sponſal. & Matrim. ſic docet S. Thomas in 4. diſtinc. 41. q. unica art. 1. quæſtiunc. 4. in corp. ſic declarat Concilium Tridentinum de reformat. Matrim. cap. 3. his verbis: " Juſtitiæ publicę honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia, quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari. " Ab iſto igitur decreto emanato nullus poteſt valide contrahere Matrimonium cum patre, matre, filiis, & filiabus, cum fratribus, & ſororibus eorum, vel earum cum quibus iniit ſponſalia, hoc eſt, cum perſonis in primo gradu lineæ rectæ vel collateralis poſitis. ut explicat Boniſacius VIII. in cap. *Ex ſponſalibus* unic. de ſponſalibus & Matrim. in 6.

Reſpondeo II. Sponſalia bona fide inita inter perſonas in quarto conſanguinitatia gradu propinquas, nullo modo publicæ honeſtatis impedimentum producere, quippe quæ propter conſanguinitatis impedimentum nulla fuerint.

Reſpondeo III. E contra ſponſalia illud cauſare ſi debite habita ſint, poſtea ex mutuo viri & feminæ conſenſu ſoluta fuerint. Poſita enim debite cauſa, producitur effectus: Sed ſponſalia debite celebrata ſtatim producunt publicæ honeſtatis impedimentum: Igitur & perſeverat, tametſi ex mutua deſponſatorum voluntate poſtea reſoluta ſint. Sic colligitur ex S. Chryſoſtomo in cap. *Omnis* 8. de regulis juris in antiquis, Lib. 5. decret. tit 41. ſic propugnat Proſper Fagnaus in cap. *Ad*

audien-

audientiam 4. de ſponſal. & Matrim. num. 29. his verbis: “ Sacra Congregatio cenſuit ſponſalia hæc cum a principio valida fuerint, induxiſſe impedimentum publicæ honeſtatis, licet mutuo conſenſu diſſoluta; & quia Concilium hoc ſolum conſiderat, quod a principio valida ſint, & quia a principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita & diſſoluta conſenſu. ” Eo loci agitur de caſu propoſito ſub Alexandro VII. occaſione ſponſalium inter Alphonſum de Ruiza & Iſabellam Rodriquez, qua defuncta, Alphonſus ſororem defunctæ ducere volebat: Sed propter laudatam rationem non potuit.

Quares II. Utrum Julius qui deſponſavit Claudiam, ipſa mortua, poſſit nubere cum Barbara filia ſpuria, quam pater Claudiæ habuit ante legitimum Matrimonium, ex quo ſuſceperat iſtam Claudiam.

Reſpondeo negative, cum impedimentum honeſtatis publicæ adſit inter parentes illius qui ſpuriam & illicitam habuit copulam, ex qua procreata eſt Barbara.

Quares II. Utrum Paganus qui deſponſavit virginem Chriſtianam, tum poſt ſponſalia converſus ad fidem, mutata voluntate, jam Matrimonium, non cum puella deſponſata, ſed cum ejus matre celebrare ſatagit, habeat impedimentum publicæ honeſtatis propter ſponſalia inita cum filia?

Reſpondeo negative, ea innixus ratione quod ſponſalia celebraverit adhuc infidelis, quo tempore non erat legibus Eccleſiaſticis ſubditus, adeoque nec impedimentis irretitus, cum certum ſit ſponſalia non niſi ex jure Eccleſiaſtico inducere impedimentum dirimens Matrimonium, ut colligitur ex Innoc. III. in cap. *Gaudemus* 8. de divortiis, ubi de paganis loquens, ait, “ Conſtitutionibus canonicis non arctantur. ” Quod utique colligitur ex 1. Cor. 5. *Quid enim*, ait Apoſtolus, *mihi de iis quis foris ſunt judicare*. Hoc ipſum docet S. Thom. in 4. diſtinc. 45. q. unica art, 1. quæſt. 4. in corp.

§. VII.

De Impedimento Ordinis.

Ex *Concilio Tridentino* ſacrorum Ordinum ſuſceptio irritat Matrimonium, nam Seſſ. 24. can. 9. ſic loquitur: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto; Anathema ſit.* Sic propugnat S. Thomas hic quæſt. 53. nam art. 1. docet votum ſimplex caſtitatis dirimere Matrimonium contrahendum, non tamen contractum: Sed uxoratus debet abſtinere a muliere donec obtinuerit diſpenſationem, ut communiter propugnant Theologi. Articulo vero 2. dicit votum ſolemne ſolvere Matrimonium, ut jam dictum eſt. Art. 3. ex profeſſo docet Ordines ſacros dirimere Matrimonium, quod quidem iſto probat argumento. “ Decretum dicit quod qui in Subdiaconatu & aliis ſuperioribus Ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur, eos uxores dimittere compellatis, quod non eſſet, ſi eſſet verum Matrimonium. ” Rurſus ait: “ Nullus vovens continentiam poteſt Matrimonium contrahere: Sed quidam Ordines ſunt qui habent votum continentiæ annexum, ut ex littera patet: Ergo talis Ordo Matrimonium impedit. ” Eo tamen loci hanc ponit inter Græcos & Latinos diſcrepantiam, quod Ordo in illis dirimat quidem Matrimonium contrahendum, ſed non ante Ordines contractum.

Quares I. Utrum Sacerdos, qui ante ordinationem Matrimonio junctus eſt, quod & conſummavit, tum ipſa uxore renitente, eos ſuſcipit, teneatur manere cum uxore, & abſtinere ab executione ordinum?

Reſpondeo affirmative, ut declaravit Joannes XXII. in extravaganti *Antiqua* unic. de voto & voti redemp. extravag. tit. 6. Præſenti declaramus edicto, quod “ licet votum ſolemnizatum per ſacri ſuſceptionem Ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium contrahendum & dirimendum, ſi poſt contractum fuerit, ſecundum ſtatuta canonum, ſit efficax reputandum. Ad diſſolvendum tamen prius contractum, etiam ſi per carnis copulam non fuerit conſummatum . . . invalidum eſt cenſendum. Quod ſi ſecus a quoquam forſitan attentatum fuerit, ipſum, ſi ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam com-

„ pellendum decernimus, contractum Matrimonium conſummare. „

Obſervet in iſto caſu Ordinatum poſſe reddere debitum, ait S. Thom. in 4. diſt. 37. q. 1. art. 2. ad 1. Si tamen uxor dederit legitimam divortii cauſam ad nihil tenetur pro debito Matrimonii Sacerdos: " Qui ordinem ſuſcepit ... non poteſt perere debitum, nec uxor tenetur ei reddere ... Sed ... ipſe uxori tenetur debitum reddere, ſi non poſſit eam ad continentiam inducere. „

Quid dicendum foret, ſi quis credens uxorem mortuam, & poſt longum tempus habeat argumenta moralia de ejus morte, ipſa vero e periculis erepta veniat, & a marito expoſtulet, ut ipſi conſocietur?

Reſpondeo juxta principia jam ſtabilita, teneri virum redire ad uxorem, cum vinculum non niſi morte phyſica ſolvatur, nec deſunt qui autument non ideo obligari ab executione Ordinum ceſſare, cum ſit & fuerit in bona fide: & privilegium Sacerdotum Græcorum qui utuntur uxoribus ante ordinationem acceptis, ei concedi; debet tamen ut ſuæ conſcientiæ faciat ſatis, ſuadere uxori, ut ab eo ſeparetur quantum ad thorum.

Quæres 2. Num Acolythi, qui in ſecreto propoſuit nubere, & poſtea de facto nupſit, validum ſit matrimonium?

Reſpondeo affirmative, quandoquidem quatuor Minores non impediunt Matrimonium; ſic declarat Leo X. in cap. *Seriatim* 24. diſtinct. 32. Sic Alexand. III. in cap. *Si qui* 1. de Clericis conjugatis Lib. 3. tit. 3.

Quæres 3. Utrum teneatur ad caſtitatem ſervandam Clericus, qui ad Subdiaconatum promotus fuit cum intentione votum illud contrahendi, cujus tamen ordinatio vacua fuit?

Reſpondeo affirmative: Hoc colligitur ex ſancto Gregorio in can. *Nu lum* diſtinct. 28. ita Alexand. III. in cap. *Sane* 2. de Clericis conjugatis. Quia habuit intentionem votum caſtitatis ſimplex emittendi: quod quidem poteſt illuſtrari exemplo illius, qui omiſſo uxoris conſenſu profeſſionem religioſam emiſiſſet; licet enim uxor poſſit illum compellere ut ad eam redeat, ipſa tamen defuncta non poſſet aliam ducere. Sic declaravit Clemens III. in cap. *Conſu uit* 10. de converſ. conjugat.

Quæres 4. An validum ſit matrimonium Subdiaconi, qui dum ordinatus eſt non habuit intentionem ad caſtitatis votum ſe adſtringendi, ut poſſet ad nutum poſtea nubere, & de facto nupſit?

Reſpondeo Matrimonium irritum eſſe: non enim Ordo præciſe ratione voti caſtitatis emiſſi ſolvit matrimonium, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Sic declarat Bonifacius VIII. in cap. *Quod votum* unic. de voto & voti redemp. in 6.

Gravior eſt difficultas de eo qui metu perterritus ſacrum illum ſuſcipit Ordinem, conteſtando coram teſtibus ſe ad caſtitatem aſtringi nolle, e contra vero velle nubere. Quidam autumant cum Sanchez iſtum Subdiaconum ſic promotum ad Ordines non teneri ad cœlibatum, ſed multo plures ut Paludanus, Hoſtienſis, Sotus, Sylveſter & alii contendunt, teneri. Sic ſtatuit Concilium Toletanum 8. can. 7. ann. 653. celebratum: Etſi ait, *Aut eventu neceſſitatum, aut metu periculorum*, ſit ordinatus, tenetur a matrimonio temperare, non quidem ratione voti, cum nullum emiſerit, ſed dubio-procul ratione ordinationis ſacræ, quæ ex ſtatutis ſanctæ matris Eccleſiæ ob reverentiam & Sacerdotii & myſteriorum exigit ut miniſtri ab uxoribus abſtineant. Hinc graviſſimis pœnis vult ſacra Synodus promotum ad ſacros Ordines puniri, ſi nubat: " Mox omni Eccleſiaſtici Ordinis „ dignitate privatus, vere ut Apoſtata a „ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ liminibus & „ ſocietate Fidelium habeatur prorſus „ excluſus, Monaſterii clauſtris, donec „ advixerit, ſub pœnitentia retrudendus. „

§. VIII.

De Impedimento diſparitatis cultus.

DISPARITAS cultus eadem eſt ac Religionis diſcrepantia: quando ſcilicet ex deſponſandis unus eſt vel Infidelis, vel Hæreticus; & quæritur, num Chriſtianus poſſit matrimonio conjungi cum muliere, quæ eſt vel infidelis, vel ſaltem Hæretica?

Citra dubium eſt hujuſmodi matrimonia nuſquam fuiſſe licita, cum cedant in Creatoris dedecus, & in prolis perniciem: quocirca non deſunt Auctores qui contendant matrimonium Fidelis cum Infideli eatenus eſſe contra jus naturæ, quatenus debitum Creatori cultum impedit.

Ne-

Digitized by Google

Neque vero negari poteſt matrimonium Chriſtiani cum Hæretico propter eas rationes illicitum eſſe; nam, ut ait Tertullianus L. 2. ad uxorem cap. 3. " Quis „ enim dubitet, obliterari quotidie fidem „ commercio infideli? Bonos corrumpunt „ mores confabulationes pravæ: quanto „ magis & convictus, & individuus uſus? „ Sic docet utique Ambroſius, L. 1. de Abraham cap. 9. Sic utique Auguſtinus Lib. de fide & operibus, cap. 19. num. 35. Hoc ipſum non in uno loco prohibet Deus io utroque Teſtamento; in veteri quidem Exod. 34. habetur: *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, nec uxorem de filiabus eorum accipiès filiis tuis*. Hinc ſi quando Patriarchæ nupſerint alienigenis, ut Jacob qui duxit filias Laban Gentilis, Geneſ. 29. & Joſeph Aſcenech filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos, Geneſ. 41. Moyſes Sephoram filiam Jetro Sacerdotis Madian, Exod. 2. Eſther Aſſuerum Regem Perſarum, Eſther 2. hoc non ſine Dei diſpenſatione factum eſt. In novo quoque idem prohibitum legitur, nam 2. Cor. 6. ait Apoſtolus: *Nolite jugum ducere cum Infidelibus; quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ conventio luci ad tenebras?* Ex quibus liquet Chriſtianum non ſine peccato mortali poſſe nubere mulieri Hæreticæ. Sed controverſia impræſentiarum movetur de impedimento dirimente. Sanctus Thomas hic q. 59. fuſo calamo de hoc tractat impedimento, cujus placita ad multorum caſuum reſolutionem hic texere & exponere juvat.

Quæres 1. Num fidelis poſſit valide contrahere matrimonium cum muliere infideli, hoc eſt non baptizata, ſive ſit Judæa, ſive Mahumetana?

Reſpondet ſanctus Doctor art. 1. negative, quod probat auctoritate & ratione in argumento *Sed contra*, ubi ſic loquitur: " 2. Cor. 6. Quæ conventio lucis ad te- „ nebras? Sed maxima conventio eſt inter „ virum & uxorem. Ergo ille qui eſt in „ luce fidei, non poteſt contrahere matri- „ monium cum illa quæ eſt in tenebris „ infidelitatis. Præterea Malachiæ 2. di- „ citur: Contaminavit Judas ſanctificatio- „ nem Domini, quoniam dilexit & habuit „ filiam dei alieni: Sed hoc non eſſet, ſi „ inter eos poſſet verum matrimonium „ cootrahi. Ergo diſparitas cultus matri- „ monium impedit. „ Hanc io corpore articuli affert rationem, quia, id quod eſt in matrimonio principale, eſt prolem ad cultum Dei perducere, quod fieri difficile poteſt, ſi conjux ſit iofidelis.

Idem docet Innocentius III. in cap. *Veniens* 3. de Presbytero non Bapt. Lib. 3. tit. 42. Rurſus in cap. *Gaudemus* 8. de diverſis. Subſcribit Ambroſius Epiſt. 19. num. 77. immo & Concilium Nicænum 1. can. 67. ex Arabicis, ubi hæc habentur: " Quæcumque mulier fidelis „ viro infideli oupſerit, ipſa quoque ab „ Eccleſia ejiciatur: quæ ſi pœniten- „ tiam egerit maleficii, & eum virum „ quem habese non poterat, id eſt, iofi- „ delem, dimiſerit, noo eſt recipienda, „ niſi eo modo, quo recipitur qui poſt- „ quam fidem negavit, ad fidem revertitur; „ debetque ipſa infidelem relinquere. „

Dices: Mulier infidelis poteſt valide ducere virum hæreticum, igitur & a ſimili Paganum, cum par ſit utrobique ratio; nam ideo ex ſuperioribus non poteſt ducere Paganum, ne fides prolis veniat in ſalutis periculum: Sed utique veniet, ſi nubat Hæretico. Ergo &c.

Reſpondeo negando paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod Hæreticus habeat Baptiſmum; hinc ratione characteris poteſt contrahere Matrimonium ut ſacramentum, & ſi mulier velit habitare cum eo, poteſt, immo Matrimooium hoc haberet indiſſolubilitatem, nec eo vivente poſſet alium ducere, bene tamen dimittere, ſi nollet abſque religionis contemptu & blaſphemia cum eo remanere. Sic declarat Innocentius III. in cap. *Ex parte* 14. de converſ. conjugat. " Ex quo, *ait*, Ma- „ trimonium inter legitimas perſonas per „ verba de præſenti contrahitur, & illis „ viventibus, in nullo caſu poteſt diſſolvi, „ ut, vivente reliquo, alter ad ſecunda vo- „ ta tranſmigret, etiamſi unus Fidelium, „ inter quos eſt ratum conjugium, fieret „ Hæreticus, & nollet permanere cum al- „ tero ſine contumelia Creatoris. „ Rurſus in cap. *Quanto* 7. de divortiis: " Si „ vero alter Fidelium conjugum, vel la- „ batur in hæreſim, vel tranſeat ad Gen- „ tilitatis errorem, non credimus quod in „ hoc caſu is qui relinquitur, vivente al- „ tero, poſſit ad ſecundas nuptias convo- „ lare. „

Sanctus Tomas in 4. ad Hanibaldum diſt. 39. art. in corp. de hoc momento ſic loquitur : " Si infidelitas in altero conjugum præcedat , dirimitur Matrimonium ſequens , etiam quantum ad vinculum : Si vero Infidelitas conjugis matrimonium ſequatur , non propter hoc vinculum matrimoniale dirimitur , ſed poteſt fieri ſeparatio a thoro & cohabitatione , ſicut & propter fornicationem carnalem . ,,

Unum tamen advertendum eſt , mulierem fidelem citra grave peccatum non poſſe nubere Hæretico qui exigit ut maſculi procreandi ſuæ adhæreant ſectæ ; hæc enim pactio juri nedum poſitivo , ſed & naturali adverſatur ; utrumque enim exigit ut proles in vera religione , ubi adeſt verus Dei cultus , in fide inſtituatur .

Quæres II. Utrum conjux ad fidem converſus poſſit remanere cum alio conjuge , vel in mala fide perſeverare vult ?

Reſpondeo I. poſſe remanere , cum inter utrumque fuerit verum matrimonium , quatenus eſt contractus civilis & naturalis , nec deſinat eſſe matrimonium per converſionem unius ad fidem . Hoc ipſum propugnat S. Thom. hic q. 59. art. 3. ex profeſſo . Sic loquitur in argumento *Sed contra :* " Nullum impedimentum ſuperveniens vero Matrimonio tollit ipſum : Sed Matrimonium erat verum , quando uterque infidelis erat : Ergo quando alter convertitur , non dirimitur per hoc Matrimonium , & ita videtur quod poſſint licite commanere . ,, Quod probat iſta Apoſtoli auctoritate 1. Cor. 7. *Conſulit quod commaneant* .

Reſpondeo II. Virum ad fidem converſum poſſe dimittere uxorem , quæ non vult , niſi improperando veræ religioni , cum ipſo habitare , quæ cauſa eadem eſt ac fornicatio , propter quam homo poteſt dimittere uxorem . Sic docet ibidem ſanctus Doctor art. 4. " Adulterium , *inquit* , ſpirituale , eſt gravius quam carnale : Sed propter carnale adulterium vir poteſt dimittere uxorem , quantum ad cohabitationem : Ergo multo fortius propter infidelitatem , quæ eſt adulterium ſpirituale . ,,

Reſpondeo III. Virum hunc ad fidem converſum poſſe non ſolum dimittere uxorem adverſus religionem obſtrepentem , ſed etiam , ea dimiſſa , alteram ducere, ita ex profeſſo divus Thomas ibidem art. 5. iſta innixus ratione , quod Matrimonium in infidelitate contractum non ſit ratum & indiſſolubile , cum hanc dotem non niſi per characterem Baptiſmi indelebilem induat , adeoque juſta de cauſa poteſt ſolvi : " Matrimonium , *inquit in argum. Sed contra* , non eſt ratum ſine Sacramento Baptiſmi ; ſed quod non eſt ratum , poteſt diſſolvi : ergo Matrimonium in infidelitate contractum , poteſt diſſolvi ; & ita , ſoluto matrimoniali vinculo , licet viro aliam ducere in uxorem . ,, Addo vel intrare in religionem , aut ſacros ſuſcipere Ordines . Rurſus idem docet ſanctus Doctor in 4. diſtinct. 39. art. 5. ad 4.

Sanctus Bonaventura in 4. diſtinct. 39. art. 2. q. 2. ejuſdem eſt ſententiæ his verbis : " Si autem non ſit ſpes de converſione *uxoris* , poteſt ad ſacros Ordines , vel ad religionem accedere , prius requiſita uxore , quod convertatur , & tunc , ſi poſtquam vir ſacros Ordines ſuſcepit , uxor convertatur , non eſt ſibi vir reddendus ; ſed debet ſibi imputare in pœnam tardæ converſionis , quod viro ſuo privatur . ,,

Reſpondeo IV. juxta eadem principia validam eſſe profeſſionem , quam vir præfatus emitteret in religione , tametſi conſummaſſet Matrimonium ante converſionem , nec opus eſſe , ut ad hanc profeſſionem petierit ab uxore licentiam emittendi vota , cum dictum ſit Matrimonium in infidelitate contractum indiſſolubilitate non donari . Sylvius in Supplem. 3. p. Summ. D. Thom. q. 59. art. 5. quæſito 2. de hoc momento hæc habet : " Notandum etiam probabile eſſe , quod etiam per profeſſionem religionis diſſolvatur Matrimonium in infidelitate contractum , quamvis conſummatum ; hoc enim licet non inveniatur definitum , ex communi tamen ſententia Bonaventuræ , Richardi , Dominici , & aliorum in 4. diſt. 39. habetur . ,,

Quæres III. an Mahumetanus tres habens uxores , quarum primam repudiavit , altera eſt ſibi in ſecundo gradu propinqua , tertia ſimul cum ipſo ad fidem convertitur , poſſit unam aut alteram indiſcriminatim retinere , quippe quæ omnes conſentiant habitare cum ipſo pacifice , abſque ullo veræ religionis diſpendio .

Reſpon-

Reſpondeo teneri primam retinere; ſic colligitur ex Innocent. III. in cap. *Gaudemus* 8. de divor. leg. 4. tit. 19. ubi ſic ait: " Qui autem ſecundum ritum ſuum „ legitimam repudiaverit uxorem, cum „ tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, numquam, ea vivente poterit, aliam etiam ad Chriſti fidem „ converſus habere; ſi poſt converſionem „ ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo, „ aut etiamſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, velut eum „ pertrahat ad peccatum mortale. „

Quæres tandem, num infideles qui ad fidem convertuntur, poſſint cohabitare ſimul, tametſi Matrimonium contraxerint in gradu prohibito?

Reſpondeo poſſe, modo gradus prohibitus non ſit contra jus naturale; neuter enim ligatur Eccleſiaſticis legibus, cum in infidelitate nupſerint. Ita Innocentius III. idem tum & S. Thom. in 4. diſt. 39. q. unica art. 3. ad 3. his verbis: " Infideles non baptizati non ſunt adſtricti ſtatutis Eccleſiæ, ſed ſunt aſtricti ſtatutis juris divini, & ideo ſi contraxerint aliqui Infideles in gradibus ſecundum legem divinam prohibitis Levit. „ 18. ſive uterque, ſive alteruter ad fidem convertatur, non poſſunt in tali „ Matrimonio commanere. Si autem „ contraxerint in gradibus prohibitis per „ ſtatutum Eccleſiæ, poſſunt commanere, ſi uterque convertatur, vel ſi, uno „ converſo, ſpes ſit de converſione alterius. „

§. IX.

De Impedimento ligaminis.

IMPEDIMENTUM ligaminis eſt vinculum ex Matrimonio ortum, quo quis prohibetur nubere quamdiu prima conjux vivit. Suo loco ſuſe probavimus iſtud ligamen dirimere ſecundum Matrimonium. Nonnullæ tamen ſuperſunt difficultates & explicandæ, & ſolvendæ.

Quæres I. Num Lucia exiſtimans maritum in bello mortuum, poſſit alteri nubere?

Reſpondeo affirmative, modo argumenta de morte prioris conjugis ſint certiſſima. Quænam vero ſint argumenta, ſatis difficile eſt enuntiare: Communiter tamen Theologi ea recenſent & aſſignant. 1. Si hoc acceperit per litteras a multis fide dignis, qui illum aut in prælio cadentem, aut in xenodochio mortuum viderunt. II. Si adſit teſtimonium de hoc publicum per Notarium juxta juris ſolemnitatem factum. III. Si Confeſſarius, qui ejus audivit confeſſionem antequam ultimum clauſerit diem, & a Parocho qui eum terræ conſignavit, de morte certior fiat. IV. Si rumor increbuerit omni exceptione major de ejus morte, ut ſi multi vidiſſent eum vel ſenio confectum extrema agentem, vel plaga inſanabili percuſſum, & iſti elapſis aliquibus diebus acceperint ab aliis qui ejus ſepulturæ adſuerunt, vere eſſe mortuum. V. ſi fuerente tempeſtate quidam oculis ſuis viderunt navem, in qua vir ille concluſus erat, naufragium facientem, & a tempore naufragii nihil auditum ſit de omnibus qui erant in navi, quibus diſtantia locorum & temporum addita, augetur de morte certitudo: non enim ſola conjecturalis ſufficit, ſed moralis admodum requiritur: Igitur ſola abſentia longa non ſatis eſt ad fundandum judicium prudentiale de morte ſponſi, ut alterum poſſit aſſumere mulier; ſic definivit Clemens III. cap. *In præſentia*, de ſponſal. ubi dicit non poſſe mulieres: „ Ad „ aliorum conſortium canonice convolare, donec certum nuntium recipiant „ de morte virorum. „ Hac reſolutione jus canonicum correxit civile, permittens ut mulier, elapſo quinquennio integro pro expectatione viri abſentis, cum altero nuberet, L. *Uxores*, de divortiis; vel toto quadriennio, ut permittebat lex *Uxor*, cod. de repudiis; quandoquidem Clemens III. nullum apponit terminum, quin potius declarat nullam abſentiam ſufficere abſque certo nuntio. Sic cenſet Eſtius in 4, diſtinct. 38. §. 8. & in probationem affert decretum Leonis I. Epiſt. 79. ad Nicetam. Ibidem ſubnotat eam poſſe reddere & petere debitum ſi bona fide cum ſecundo viro cohabitet; poſſe vero tantum reddere, ſi contingat aliquis ſcrupulus de morte prioris viri, ac tandem nec ullo modo aut reddere, aut petere ſi contingat ſubſequenti tempore dubium morale conjecturas longe ſuperans.

Reſpondeo II. Mulierem quantumvis credat maritum defunctum non poſſe alium ducere, donec per nuntium vel aliis mediis certiſſimis certior facta ſit de morte ſponſi. Ju-

ſi. Juſtinianus leg. *Uxores* 6. ff. de divortiis & repudiis Lib. 24. tit. 1. jus civile de quo ſupra: jam reſormaverat, prohibuitque ne mulieres nuberent donec nuntium de morte viri accepiſſent, hoc ipſum jus canonicum rigoroſe ſtatuit ut habetur can. *Si quis* 2. 34. q. 1. & 2. qui quidem canon eſt Concilii Compendienſis anno 757. celebrati: " Si quis, ,, *inquit*, neceſſitate inevitabili cogente, ,, in alium Ducatum ſeu Provinciam fugerit, & ejus uxor, cum valet, & ,, poteſt, amore parentum, & rerum ſuarum eum ſequi noluerit; ipſa omni tempore quandiu vir ejus, quem ſecuta non ,, fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. ,,

Siricius Papa can. *De conjugali* L. 50. 27. q. 2. qui canon ex ejus Epiſt. ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem eruitur, hæc habet. " Tale ergo connubium anathematizamus, & modis omnibus ne fiat, prohibemus. ,,

Expreſſius Clemens III. jam citatus, qui ait: " Quantocumque annorum numero, ,, ita remaneant, donec certum nuntium ,, recipiant de morte vivorum. ,,

Non abſimili modo loquitur Lucius III. in cap. *Dominus*, 2. de ſecundis nuptiis: " Sane, *inquit*, ſuper matrimoniis, quæ ,, quidem ex vobis, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt, id vobis reſpondemus, ut nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, ,, quod ab hac vita migraverit conjux ejus. ,,

Quæres 2. An vir qui credens ſuam uxorem vivam, cum tamen revera mortua eſſet, nupſit cum altera, validum contraxerit matrimonium?

Reſpondeo affirmative, modo habuerit intentionem vere nubendi, tametſi peccaverit mortaliter, credens uxorem priorem adhuc in terris ſuperſtitem, quandoquidem primum matrimonium revera ſolutum erat morte prioris uxoris: e contra vero ſi crediderit ſe matrimonium non legitime celebrare: ratio eſt, quod conſenſus maritalis in poſteriori matrimonio defuerit. Sic colligitur ex Innocentio III. in cap. *Ad noſtram* fin. de conjugio ſervorum, & ex Alexand. III. in cap. *Propoſuit*. 2. eodem tit.

Quæres 3. Utrum validum ſit matrimonium quod contrahit Jacob, & conſummat, tametſi antea nupſerit cum Claudia, qua quidem receſſit, non conſummato matrimonio?

Reſpondeo, primum matrimonium dumtaxat valere, ſecundum vero & nullum, & grande ſcelus eſſe, cum primum ut Sacramentum eſt, induxerit indiſſolubilitatem ſaltem inchoative: nec poſſit ſolvi niſi per religionis votum, eo quod religio in perfectione ſuperet matrimonium. Ita definivit Alexan. III. in cap. *Licet* 3. de ſponſa duorum Lib. 4. tit. 4. in ſua ad Archiepiſcopum Salerni decretali epiſtola: " Conſulationi tuæ, *inquit*, taliter ,, reſpondemus, quod ſi inter virum & ,, mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita quidem quod unus ,, alterum in ſuo mutuo conſenſu verbis ,, conſuetis expreſſe recipiat .... non ,, licet mulieri alii nubere, etſi nupſerit, etiamſi carnalis copula ſit ſecuta, ,, ab eo ſeparari debet, & ut ad primum ,, redeat Eccleſiaſtica diſtrictione compelli. ,,

Concilium Lateranenſe anno 1179. celebratum quæſtionem ſic definivit: " Porro ſi ,, qui vir & mulier pari conſenſu contraxerint matrimonium, & vir, ea ,, incognita, aliam duxerit in uxorem, ,, & eam cognoverit, cogendus eſt ſecundam dimittere, & ad primam redire. ,,

Quæres 4. Utrum validum ſit Matrimonium celebratum in Conventu Eccleſiæ cum Francisca, ad quod ſecuta eſt conſummatio, cum tamen vir ante nupſiſſet in ſecreto cum Barbara, & quidem in regione ubi nondum eſt receptum Concilium Tridentinum pro matrimonii clandeſtini abrogatione?

Reſpondeo, validum eſſe primum matrimonium, tametſi ſupponatur nondum conſummatum. Eodem enim prope modo ratiocinandum eſt de matrimonio clandeſtino clanculum celebrato in Provincia, ubi nondum valet Concilii Tridentini ſtatutum, quantum ad validitatem, ac ſi fuiſſet publice contractum: cum vel ipſum Concilium aſſerat matrimonium clandeſtinum ut ratum habendum eſſe ante ejus definitionem, & conſequenter valere in loco ubi nondum habet robur. Quocirca ſi compelleretur a Iudice Eccleſiaſtico habitare cum poſteriori conjuge, eo quod Eccleſia non judicet de internis,

nec

nec reddere nec petere debitum, ſecluſo peccato, poſſet; hinc ut ſoror & frater conjuges poſterioris matrimonii vivere tenerentur, immo cenſuram æquo & humili ferre animo, qua judex eos compelleret inhabitare ſimul in domo ut conjuges, potius quam Deum offendere; ſic reſpondet Innocent. III. in capite *Inquiſitioni* 44. de ſent. excomm. L. 5. tit. 39. his verbis: " Debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale, cum illa contra Deum nun debeat in hoc Judici obedire, ſed potius excommunicationem humiliter ſuſtinere: „ Loquitur de muliere quæ in hoc verſabatur caſu.

§. X.

De Impedimento metus, quod vocatur vis.

Ex Philoſophis metus triplex diſtinguitur, videlicet antecedens, concomitans, & conſequens: Primus omnem deliberationem antecedit, & oritur ex prima mali apprehenſione: Alter comitatur actum, qui, prævio judicio facto, elicitur: Tertius ad eum ſequitur. Metus primi generis tollit voluntarium, non idem ſentiendum de duobus poſterioribus.

Ad majorem principii explicationem obſervandum eſt, metum ſecundum ſe ſpectatum alium eſſe cadentem in virum conſtantem, alterum vero e contra: prior ille cenſetur ubi actum eſt vel de vita, vel de fama, vel etiam de libertate niſi ponatur actus, & dicitur mere extrinſecus, paritque violentum, quod definitur, illud quo, non conſerente paſſo, aliquid fit. Qui quidem metus a divo Thoma in 4. diſt. 29. q. unica, art. 2. ad 2. his verbis exprimitur. *Mors, verbera, dehoneſtatio per ſtuprum, & ſervitus*: Tunc vero metus non cenſetur cadens in virum conſtantem, cum quis, maturo examine prævio, concipit malum quod quis comminatur nuſquam executioni eſſe mandandum. Sic docet S. Bonaventura in 4. diſt. 29. quæſt. 1. Reſp. ad argumentum, his verbis: " Cum quis parvum malum minatur, vel cum talis minatur, de quo præſumitur, quod implere non poſſit, & talis metus non facit conſenſum adeo defectivum, quo impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat jam contractum; ſed conſenſus cum tali metu facit matrimonium. „ His prælibatis.

Quæres 1. Num matrimonium metu gravi contractum, ad quod conſecuta eſt conſummatio, ſit validum?

Reſpondeo negative juxta principia ſtabilita; quandoquidem conſummatio non reddit contractum, cui defuit conſenſus, validum: Sic ſtatuit Alexander III. in cap. *Abbas* 2. de his quæ vi metus-ve cauſa fiunt, L. 1. tit. 40. Sic Honorius III. in cap. *Conſultationi*, 28. de ſponſal. & matrim. ſic Clemens III. in c. *Ad id*, 21. ibidem; S. Antoninus 3. p. Sum. Theolog. tit. 1. cap. 7. ſub finem de hoc caſu ſic loquitur: " Si mulier poſt conſenſum coactum, carnaliter cognoſcitur, ſi habuit opportunitatem reclamandi, præſumitur tacite conſenſiſſe in matrimonio: Si coacta fuit per vim abſolutam, vel metum ſufficientem, non eſt matrimonium. „

Addo idem eſſe dicendum, ſi non puella, ſed ejus pater & mater terrore gravi concuſſi fuiſſent, ut filiam ſuam matrimonio terrenti traderent, quia filia eſt aliquid patris & matris. Sic docet S. Thomas in 4. diſt. 29. q. unica, a. 2. ad 2. his verbis: " Nec differt utrum hæc, *Scilicet mors, verbera, dehoneſtatio per ſtuprum & ſervitus*, pertineant ad primam perſonam, vel uxoris, vel filiorum, aut aliorum hujuſmodi. „

Quæres 2. Num Lucius qui vi domicellam nobilem defloravit, propter quod vinculis conſtrictus ex ſententia judicis, niſi eam deſponſet, morti tradendus eſt, valide cum ea contrahat matrimonium?

Reſpondeo affirmative, propter multa; primo quidem ex eo quod judex habeat poteſtatem reum terrendi, ut in pęnam delicti ducat defloratam, ut ejus conſulatur famæ. Secundo, quia matrimonium præponderat metui mortis: Tertio, naturale eſt velle aliquod bonum ad vitam ſervandam. Sic habet Gregorius IX. in cap. *Pervenit* 2. de adulteriis & ſtupro, ubi ſtatuit ſtrupratorem teneri cum virgine defloratam nubere. Sic utique S. Thomas in 4. diſt. 29. q. unica art. 1. in corpore, ubi docet dari quemdam metum violentum, qui, tamen, attentis omnibus circumſtantiis, non tollit voluntarium: " Quamvis, *inquit*,

„ *quit*, non ſit per ſe voluntarium; tamen „ conſideratis circumſtantiis, hic & nunc „ voluntarium eſt; & quia actus in par- „ ticularibus ſunt, ideo ſimpliciter vo- „ luntarium eſt, ſed ſecundum quid in- „ voluntarium. Unde hæc violentia vel „ coactio poteſt eſſe in conſenſu, qui eſt „ actus voluntatis: „ Ut in caſu propoſito contingit.

Reſpondeo II. Metum inducere impedimentum dirimens, ſi eſſet injuſte incuſſus, ut ſi quis ſub pęna mortis teneretur matrimonio conjungi cum puella, quæ ſupponitur ab eo deflorata, cum tamen, quidquid falſi teſtes in contrarium dicant, ab eo non fuerit ſtuprata. Hoc ipſum propugnat Gonetus tom. 4. Mor. p. 2. tract. 9. cap. 5. hoc auctor collationum Lucioni tom. 9. collat. 4. q. 2.

Quæres III. Quid reſpondendum ſit ad caſum ſubſequentem. Pater in fragranti delicto comperit Joannem qui ſuam deflorabat filiam; tunc ei mortem comminatus eſt, niſi deſponſaret ſtupratam, & abſque mora conſenſit Matrimonio; validumne Matrimonium, tametſi metu gravi contractum?

Reſpondeo validum eſſe ea ratione, qua ſtuprator tenetur conſulere famæ virginis, quam defloravit. Ita Ulpianus in leg. *continent* 3. §. *ſed vim* ff. quod metus cauſa geſtum erit Lib. 4. tit. 2. Succinit Greg. IX. in cap. *Pervenit* c. de adulteriis & ſtupro Lib. 5. tit. 16. his verbis: “ Pervenit ad nos quod Felix quamdam „ virginem ſtupro decepit, quod ſi verum „ eſt, quamvis eſſet de lege pęna plec„ tendus, nos aliquatenus legis duritiam „ mollientes, hoc modo diſponimus, ut „ aut quam ſtupravit uxorem habeat, aut „ ſi renuendum putaverit, corporaliter „ caſtigatus, excommunicatuſque in Mo„ naſterio, in quo agat pœnitentiam, re„ trudatur, de quo nulla ſit egrediendi „ ſine præceptione licentia: „ Obſerves Matrimonium eatenus validum dici, quatenus judex paratus erat ſententiam mortis pronunciare, vel de facto pronunciaverit: e contra vero ſi ſolum adfuerint minæ a patre intentatæ; tunc enim validum non foret matrimonium, cujus reſolutionis argumentum eſt, quod ſolus judex poteſt compellere reum ad Matrimonium celebrandum: Niſi terror hujus eſſet naturæ, ut vix affulgeret ſpes vitæ conſervandæ ſtupratori. Sic colligitur ex S. Antonino 3. p. Theolog. tit. 1. cap. 7.

Quæres IV. An validum ſit Matrimonium quod quidem gravi metu concuſſa celebravit Rachel cum Ludovico, maxime cum promiſſioni & conſenſui dato juramentum adhibuerit?

Reſpondeo negative; licet enim contractus civilis juramento partium munitus ſolvi non valeat, non ita tamen contractus Matrimonii: ratio diſcriminis eſt, quod non deſinant media, quibus judices poſſint evacuare contractus civiles, tametſi juramento partium munitos; e contra vero contractum matrimonialem, quippe qui annexam habeat indiſſolubilitatem, eo ipſo quo eſt contractus ratus. Sic habet Gloſſ. in cap. *Notificaſti* 2. 33. q. 5. v. *Licentia*: „ Coacta voluntas eſt.... Secus „ in matrimoniis ubi exigitur voluntas „ directa, vel ſpontanea. „ Sic etiam colligitur ex Innocentio III. in cā. *Quemadmodum* 25. de jurejurando leg. 2. tit. 24. in qua quidem decretali ait hominem non teneri deſponſare puellam, tameſi juramento hoc promiſerit, ſi ante Matrimonii celebrationem evadat maxime difformis: “ Si, *inquit*, poſt hujuſmodi juramentum „ mulier fieret non ſolum leproſa, ſed et„ iam paralytica, vel oculos, vel naſum „ amitteret, vel quicquam ei turpius eve„ niret... numquid non ductam admitte„ re teneretur. „ A fortiori mulier poteſt dimittere virum, quem non niſi metu gravi concuſſa duxit in Matrimonium, tametſi, durante metu, juramentum de Matrimonio contrahendo præſtiterit.

Reſpondeo II. Aliter eſſe ſentiendum de filio qui metu a patre & matre concuſſo, conſentit nubere cum Joanna, quia iſte timor magis reverentialis, quam ſervilis & violentus dicendus eſt. Sic habetur leg. *Si patre* 22. ff. de ritu nuptiarum L. 23. tit. 2. his verbis: “ Si, patre cogente, ducat „ uxorem quam non duceret ſi ſui arbitrii „ eſſet, contraxit tamen Matrimonium; „ quod inter invitos non contrahitur: Ma„ luiſſe enim hoc videtur. „ Non idem dicendum de filia, quæ vi compelleretur ad nubendum; & colligitur ex Urbano III. in cap. *Ex litteris* 11. de deſponſ. impub. ubi ait de puella quam parentes non ſine gravioribus minis ad nubendum inducunt: “ Dolens & invita, minis parentum „ impulſa. „ Tunc enim non foret Matrimo-

trimonium, cum violentia tolleretur voluntarium.

§. XI.

De Impedimento criminis.

DUPLEX aſſignatur crimen, quo Matrimonium vel contrahendum impedit, vel contractum dirimit. Primum eſt uxoricidium, ſi quis v. g. ut alteram ſumeret, uxorem propriam necaret, modo tamen ea quam vult ducere, ſit ejuſdem criminis conſcia: Alterum, eſt adulterium, puta ſi mulier faciat ſui copiam viro uxorato, ea conditione & lege, ut defuncta ejus uxore, illam accipiat in ſuam; quæ quidem impedimenta non ſine magna ſapientia induxit Eccleſia, ut homines & a peccatis nefandis deterreret, & eorum compeſceret incontinentiam.

Quæres I. Num vir, qui, relicta propria uxore, cum concubina ſua in terram alienigenam abiit; ſed certior factus de morte propriæ uxoris, poſſit cum illa nubere?

Reſpondeo I. affirmative; tametſi enim ſæpius concubuerit cum aliena, nulla tamen, ut ſupponitur, fuit promiſſio de Matrimonio contrahendo; hinc, iſta ſecluſa fide, adulterium non cenſetur cauſa mortis propriæ uxoris. Sic habetur can. *Nullus* 1. & can. *Illud* 3. 31. q. 1. Suffragatur S. Auguſt. Lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 10. n. 11. " Mortuo viro, *inquit*, ,, cum quo verum connubium fuit, fieri ,, verum connubium poteſt cum quo prius ,, adulterium fuit. ,, In cap. *Laudabilem* 1. *de converſ. infidelium*, *L.* 3. *tit.* 33. concinit Concilium Triburienſe can. 40. & 51.

Reſpondeo II. Non idem eſſe ſentiendum, ſi, vivente propria uxore, nupſiſſet cum concubina, ſub conditione Matrimonium illicitum in Conventu Eccleſiæ ratificandi: ibi enim duplex impedimentum dirimens affulget, videlicet & ratione Matrimonii initi, vivente propria uxore, & ratione adulterii criminis, quod habuit annexam conditionem de Matrimonio celebrando. Requiritur igitur ut mulier ſit criminis conſcia: ita declaravit Cœleſtinus III. in cap. *Laudabilem* 1. de converſ. infidelium L. 3. tit. 33. concinit Concilium Triburienſe can. 40. & 51.

Reſpondeo III. Matrimonium validum e contra exiſtere, ſi aliquis defloraret virginem ſub promiſſione & fide Matrimonii, ipſa ignorante, quod ſtuprator jam eſſet Matrimonio conjunctus: Tametſi enim peccaverit, bona tamen fide, intuitu Matrimonii futuri cum altero fornicata eſt. Sic declaravit Alexand. III. in cap. *Propoſitum*, de eo qui duxit in Matrimonium: " Propoſitum eſt nobis, *ait*, ,, quod vir quidam uxorem habens, ſibi ,, aliam hujuſmodi rei inſciam copulavit; ,, ſed prima mortua nititur diſcedere a ſecunda, licet autem in canonibus habeatur ut nullus copulet Matrimonio, ,, quam prius polluerat adulterio, & illam ,, maxime, cui fidem dederat, uxore ſua ,, vivente.... quia tamen præfata mulier ,, erat inſcia quod ille haberet uxorem ,, viventem, nec dignum eſt ut prædictus ,, vir qui ſcienter contra Canones venerat, ,, lucrum de ſuo dolo reportet; conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod niſi ,, mulier divortium petat, ad petitionem ,, viri non ſunt aliquatenus ſeparandi. ,,

Quæres II. An Lucius teneatur nubere cum puella cui, vivente propria uxore, Matrimonii fidem promiſit, & hoc poſt mortem propriæ ſponſæ?

Reſpondeo non teneri ſtare promiſſis; quæ citra dubium fuerunt illicita. Cum enim vir alicujus filiæ amore captus de futuro Matrimonio cum ea contrahendo dat fidem, hoc ſæpius parat libidinis & adulterii incendium: Si tamen decurſu temporum Lucius, mortua prima uxore, cum enuntiata nuberet, validum foret Matrimonium juxta declarationem Gregorii IX. In cap. *Si quis* fin. de eo qui duxit in matr. quam polluit per adulterium: " Si quis, uxore vivente, fide ,, data promiſit aliam ſe ducturum, vel ,, cum ipſa de facto contraxit, ſi nec ,, ante, nec poſt, legitima ejus ſuperſtite, cognovit eamdem; quamvis utrique ,, ipſorum pro eo, quod in hoc graviter ,, deliquerint, ſit pœnitentia injungenda, non eſt tamen Matrimonium quod ,, cum ea contraxit, poſt uxoris obitum ,, dirimendum. ,,

Quæres III. Num validum ſit Matrimonium Joannis, qui vivente propria uxore, ſæpius concubuit cum Eliſabeth, iſta vero inſcia, veneno mortem propriæ uxoris acceleravit, tum cum concubina nupſit.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo, non unam eſſe de hoc caſu ſententiam; affirmativam propugnat auctor collationum Lucioni, ea potiſſimum ductus ratione, quia una ſolum pars eſt uxoricidii rea: Cui rationi alteram hanc ſubjicit, conſuetudinem ab antiquo jure in hoc diſcedere, & iſtud Matrimonium ut ratum nunc ex uſu haberi. Alii e contra contendunt non valere, eo quod adulterium non nihil viam ad hoc Matrimonium ſtraverit. Una aut altera epiſtola decretali fulcitur hæc ſecunda opinio. Prior eſt Alexandri III. in cap. *Super* 3. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.
" Reſpondemus, *ait*, quod ſi adultera
„ eſt in mortem uxoris aliquid machina-
„ ta, ſive fidem dedit, ſive non, quod
„ ea defuncta, hanc eſſet ducturus, ſecun-
„ dum Canones ab ejus conſortio prohibe-
„ tur; & hæc prohibitio perpetuo eſt
„ obſervanda. „

Innocentius III. in cap. *Significaſti* 6. eod. tit. non abſimilia profert: " Inquiſi-
„ tioni tuæ taliter reſpondemus, quod, ni-
„ ſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ
„ fuerit machinatus, vel, ea vivente, ſibi
„ fidem dederit de Matrimonio contrahen-
„ do, legitimum judices Matrimonium ſu-
„ pradictum. „ In primo Canone videtur quod ſi mulier nihil molita ſit pro morte uxoris viri in adulterio ſibi conſocii, valeat Matrimonium; ex ſecundo, quod modo unus aut alter eam attulerit, vacuum ſit Matrimonium. Hinc merito obſervat auctor collationum non ſatis de hoc conſtare ex Canonibus.

Lubenti tamet animo, poſteriori ſubſciberem opinioni, propter adulterium uxoricidium concomitans, tum propter auctoritatem D. Thomæ in hanc propendentis ſententiam hic q. 60. art. 2. his verbis
" Dicendum, quod uxoricidium, ex ſta-
„ tuto Eccleſiæ Matrimonium impedit:
„ Sed quandoque impedit contrahendum,
„ & non dirimit contractum: quando ſci-
„ licet propter adulterium vir occidit uxo-
„ rem, aut etiam propter odium: tamen
„ ſi timetur de incontinentia ejus, poteſt
„ cum eo diſpenſari per Eccleſiam, ut li-
„ cite Matrimonium contrahat: quando-
„ que etiam dirimit contractum, ut quan-
„ do aliquis interficit uxorem ſuam, ut
„ ducat eam cum qua mœchatur: tunc
„ enim efficitur illegitima perſona ſim-
„ pliciter ad contrahendum cum illa, ita
„ quod ſi de facto cum ea contraxerit
„ Matrimonium, dirimitur. Sed per hoc
„ non efficitur ſimpliciter perſona illegi-
„ tima reſpectu aliarum mulierum. Unde
„ ſi cum alia contraxerit, quamvis pec-
„ cet, contra ſtatutum Eccleſiæ faciens:
„ tamen Matrimonium contractum non
„ dirimitur propter hoc. „

§. XII.

De Impotentia.

CUM Matrimonium ſit a Deo per ſe inſtitutum ad ſpeciei humanæ per multiplicationem & ſucceſſionem individuorum conſervationem, requiritur ut ad hunc finem juxta debitas & honeſtas Creatoris leges poſſit generationi vacare; hinc procreandi filios impotentia inter impedimenta Matrimonii non ſine fundamento appoſita eſt. Tametſi enim non neceſſe ſit ſingulos nubere, opus tamen eſt ut aliqui de facto nubant. Hoc ſuppoſito, cum multiplicatio individuorum ſpectet nuptum in individuo, operæ pretium eſt ſcire, num ad tale officium alligatum valeat illud ſuſtinere?

Non eſt animus hic cuncta circa iſtam materiam rimari; ſufficit enim quædam infinitarum prope difficultatum in hoc puncto occurrentium ſtabilire principia.

Primo: Ante omnia duplex diſtinguenda eſt impotentia. Una ſcilicet phyſica, altera vero ſolum moralis. Prior eſt privatio organi ſeu potentiæ generativæ: Poſterior in quodam ſita eſt impedimento, quod decurſu temporum ſuperari poteſt, v. g. Cum in vaſe muliebri propter nimiam coarctationem non patet aditus &c. Quo pacto contingit nihil virtutis emiſſæ ad procreationem prolis poſſe recipi. Si vero hujuſmodi impotentia perſeveret, poſt trium circiter annorum probationem, dirimit Matrimonium, & cenſetur impotentia phyſica ſeu abſoluta. Maxime cum mulier præ pudore, & vitæ imminenti periculo, non teneatur ſuſtinere chirurgi operationem vulvam adaperientem. Sic propugnat Baſilius Pontius L. 7. de Matrim. cap. 62.

Secundo: Impotentia, alia eſt abſoluta, alia vero tantum relativa. Prima contingit, cum nulli poſſit patere ad coeundum aditus

cus: Secunda alicui patet, alicui etiam minime. Si tamen iſta mulier impotens reſpectu unius, ſi potens reſpectu alterius robuſtioris, & cum eo nubat, validum eſt Matrimonium, nec ad priorem virum a quo ex Sententia Eccleſiæ divulſa eſt, tenetur redire: Idem viciſſim dicendum de viro qui impotens reſpectu unius, & potens exiſteret reſpectu alterius. Sic docet S. Antoninus 3. p. Sum. Theol. tit. 1. cap. 12. §. 1. " Si vero, *ait de muliere arctiori*, nec ,, per inciſionem, nec per uſum ejus fieri ,, poteſt cognoſcibilis ab iſto; quamvis po- ,, teſt fieri cognoſcibilis per uſum alterius, ,, non eſt ſeparanda ab illo ſecundo, ſi ,, cum eo contraxerit. ,,

Tertio: Ut primum impotentia relativa non poteſt citra miraculum vinci, vir poteſt alteram ducere, ſed prævio Eccleſiæ judicio. Sic propugnat S. Antoninus 3. p. Sum. Theolog. tit. 1. cap. 12. ſſ. 1. his verbis: " Si vero nec per inciſionem, ,, nec per uſum ejus fieri poteſt cognoſci- ,, bilis ab iſto, quamvis poteſt fieri cogno- ,, ſcibilis per uſum alterius, non eſt ſepa- ,, randa ab illo ſecundo, ſi cum eo contra- ,, xerit, nec reddenda primo, etiamſi per ,, alium fuit aptata: quia quamdiu eſt jun- ,, cta, non poteſt alter ea uti: & ſic illud ,, remedium eſt impoſſibile de jure divino ,, & poſitivo, quia eſſet adulterium vel ,, fornicatio. ,, Hoc ipſum colligitur ex Innocentio III. in 6. cap. *Fraternitatis*. Nec licitum eſt, hac prætermiſſa licentia, id facere, ut ſtatuit Concilium Agathenſe, can. 25.

Quarto: Vir generationis potens qui nubit cum muliere quam ſcit prorſus impotentem eſſe, peccat graviter, & ab ea diſcedere debet, niſi uterque conſentiant, ut tamquam frater & ſoror ſub eodem tecto maneant. Sic colligitur ex Lucio III. in cap. *Conſultationi* 4. de frigidis & maleficiatis.

Quinto: Si Juniores annorum duodecim pro femina, quatuordecim vero pro maſculo, nubant, ſed nondum propter temperamenti debilitatem valent Matrimonium conſummare, non ideo ſeparandi velut impotentes. Sic declarat Alexander III. in cap. *De illis* 9. de deſponſatione impuberum, L. 4. tit. 2. " De illis, ,, *inquit*, qui in minori ætate deſponſan- ,, tur, reſpondemus; quod ſi ita fuerint ,, ætati proximi, quod potuerint carnali ,, copula conjungi, minoris ætatis intuitu ,, ſeparari non debent, ſi unus in alium ,, viſus fuerit conſenſiſſe, cum in eis æta- ,, tem ſuppleviſſe malitia videatur. ,, Ejuſdem eſt ſententiæ Cœleſtinus III. in cap. *Laudabilem* 5. de frigidis & maleficiatis L. 4. tit. 15.

Sexto: Non levior eſt difficultas de iis qui in annis proceſſerunt: Si quæras igitur, Num octogenarius poſſit cum octogenaria nubere, tametſi utrique ad generationem prolis ſint impotentes? Reſpondeo 1. poſſe, ſed eo ſcopo ut ab actu conjugali abſtineant; non enim ad Matrimonii rationem abſolute requiritur filiorum procreatio; ut docet S. Auguſtinus L. 23. contra Fauſtum, cap. 8. quod præcellenti conjugii Beatiſſimæ Mariæ cum ſancto Joſeph, exemplo probat. 2. Licentiam facit Eccleſia, ut mutuo ſe cognoſcant, maxime, cum ſufficiat virum poſſe ſeminare, nec ſemel experientia probaverit ſenio confectos habuiſſe prolem: De hoc momento S. Thomas in 4. diſt. 34. q. unica art. 2. in corpore ſic loquitur: " Modo ,, vir poſſit perfectam cum illa copulam ,, habere; fiat mutua traditio corporum ad ,, copulam &c. ,, Rurſus ibidem ad. 3. Hoc totum aliquibus illuſtratur exemplis, a diariis nuntiorum excerptis. Anno 1708. Timotheus Blanche mercator civitatis Monheurtii Diœceſis Vaſatum annos 117. natus nupſit cum puella 18. ann. nomine Vigniau de Proina. Rurſus. Quidam armorum Faber civis Montis Foconii Velauniorum ann. 86. natus uxorem duxit ann. 1709. & plures ſuſcepit liberos. Sed quod ſtupendum magis eſt vir Caſtrobriandi in Britannia incola arte & officio Apothecarius, annos 50. habens nupſit, & 16. Liberos ab uxore ſuſcepit, iſta vero defuncta, cum jam octogeſimum attigiſſet annum alteram duxit, ex qua & totidem procreavit liberos, tum anno ſuæ ætatis centeſſimo tertio currente obiit. Nec omittenda eſt fecunditas Joannis Manſard Parœciæ Chalivoi-Milonis in Diœceſis Bituricenſi, qui novem jamjam habitis uxoribus, annos 99. natus decimam accepit, & ab ea duobus elapſis a Matrimonio inito annis, filium ſuſcepit.

Quæres 1. Num validum ſit Matrimonium viri qui propter morbum venereum a judice impotens declaratus, ſed re-

Digitized by Google

remediis ſanatus, alteram duxit a qua ſuſcipit liberos?

Reſpondeo negative, ad primam enim uxorem redire tenetur, non obſtante ſententia judicis, qui cauſa non ſatis diſcuſſa, pronuntiavit. Sic propugnat S. Thomas 3. p. Supp. q. 58. art. 1. in corp. „ Eccleſia, *inquit*, ſi ſe deceptam inveniat per hoc, „ quod ille, in quo erat impedimentum, „ invenitur carnalem copulam cum alia, „ vel cum eadem perfeciſſe, reintegrat „ Matrimonium præcedens, & dirimit „ ſecundum, quamvis de ejus licentia ſit „ factum. „

Quæres 2. Num Matthæus, qui ab uxore, adhibitis juris ſolemnitatibus propter impotentiam ex parte ſui uti perpetuam reputatam, emittit in religione vota, tum clare agnoſcit ſuam impotentiam non fuiſſe perpetuam, poſſit ad uxorem redire?

Reſpondeo negative, quandoquidem Matrimonium non conſummavit, libere vero & marte ſuo profeſſus eſt. Igitur nihil deeſt ut ſtet promiſſis Deo in religione factis. Si tamen annum dumtaxat probationis ageret, abſolute loquendo, poſſet, ſed non teneretur. Sic declaravit Innocentius III. in cap. Fraternitatis 6. de frigid.

Quæres 3. Utrum validum ſit Matrimonium Guillelmi, qui maleficio factus impotens reſpectu deſponſatæ, qua de cauſa elapſis tribus annis a jure præſcriptis ab ea ſeparatus, alteram duxit, ſed iterum relative ad iſtam adhuc impotens, tædio & mœrore confectus, maleficio ulteriori primum propulit, quo adimpleto, factus eſt reſpectu utriuſque potens.

Reſpondeo, Primum Matrimonium non eſſe validum, cum defectu potentiæ non fuerit conſummatum, nam quum maleficium non niſi ulteriori maleficio expelli poteſt, impotentia cenſetur perpetua, & eſt impedimentum dirimens, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 39. art. 3. ſed valet ſecundum Matrimonium, cum in eo factus ſit potens, quocirca poſteriori debet adhærere uxori.

Sanctus Thomas hic q. 58. tractat. de impedimentis frigiditatis, maleficii, furiæ ſeu amentiæ, quæ ad impotentiam reducuntur.

Circa primum docet frigiditatem dirimere Matrimonium. Sic enim loquitur in argumento *Sed contra*: " Dicitur extra de „ frigidis & maleficiatis; ſicut puer qui „ non poteſt reddere debitum, non eſt „ aptus conjugio: Sic qui impotentes ſunt „ minime apti ad contrahenda Matrimonia reputantur: Tales autem ſunt frigidi: „ Ergo &c. „ Rurſus ibidem: Nullus poteſt ſe obligare ad impoſſibile: Sed „ in Matrimonio homo ſe obligat ad „ carnalem copulam, quia ad hoc dat alteri ſui corporis poteſtatem: Ergo frigidus qui non poteſt carnaliter copulari, non poteſt Matrimonium contrahere. „

Circa ſecundum art. 2. propugnat impotentes ex maleficio perpetuo non poſſe nubere; ibi enim, ait: " Dicitur in decretali 33. q. 1. Si per ſortiarias atque maleficas & infra. Si ſanare non potuerint, „ ſeparari valebunt: „ Jura concedunt tres annos ad maleficium expellendum. Tum in corpore: " Diſtinguendum eſt, quia „ impotentia coeundi ex maleficio, aut „ eſt perpetua, & tunc Matrimonium dirimit; aut non eſt perpetua, & tunc „ non dirimit: & ad hoc experiendum, „ eodem modo Eccleſia tempus triennii „ præfixit. „

Circa tertium art. 3. propugnat furiam impedire Matrimonium. Sic enim ratiocinatur: " Plus tollit rationis uſum furia, „ quam error: Sed error impedit Matrimonium: Ergo & furia. „ Rurſus ibid. " Furioſi non ſunt idonei ad aliquem contractum faciendum, ſed matrimonium eſt contractus quidam. „ Ergo &c.

§. XIII.

De Matrimonio clandeſtino.

De iſto impedimento jam diximus ſupra, ubi probatum eſt Matrimonium clandeſtinum poſt Concilii Tridentini definitionem irritum eſſe, non tamen deſunt difficultates circa iſtud caput ſolvendæ. Unde

Quæres 1. Num validum ſit matrimonium in ſecreto quidem celebratum, ſed prævia de matrimonio celebrando promiſſione juridice facta.

Reſpondeo negative; exigit enim Concilium Tridentinum, ut Matrimonium per verba de præſenti coram Parocho cele-

bre-

bretur: ſic definitur in 5. Concilio Mediolanenſi anno 1579. 3. p. tit. 17. his verbis: " Si qui ætate etiam legitima, " & Parocho præſente, teſtibus duobus " adhibitis & Notario, item jurati ſpoponderunt ſe matrimonium inituros, ac " deinde non contracto legitime per verba " de præſenti matrimonio, copulationem " inter ſe inierunt, eorum Matrimonium " nullum ab Epiſcopo declaretur ac decernatur. "

Quæres 2. An matrimonium celebratum coram Sacerdote altero a Parocho, & ſine ejus licentia validum ſit?

Reſpondeo 1. Non valere. Ratio eſt, quod Synodus Tridentina exigat, ut matrimonium fiat coram proprio Parocho, ut legitur Seſſ. 24. de reformat. cap. 1. porro verba legis in tantum valent, in quantum ſonant; hinc ibidem graves pœnas injungit Sacerdoti, qui hæc attentaverit: " Ipſo jure tandiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, " qui Matrimonio intereſſe debeat, ſeu a " quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. " Immo Clemens 5. in cap. *Religioſi* 1. de Privilegiis & exceſſ. privilegiatorum lib. 5. Clement. tit. 7. dum erat in Concilio Viennenſi generali anno 1311. adunato, excommunicatione ipſo facto incurrenda animadvertit in hujuſmodi delinquentem: " Religioſi qui, *ait*, ... Matrimonia ... ſolemnizare, non habita " .... Parœcialis Presbyteri licentia ſpeciali, præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, " per ſedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi. "

Reſpondeo 2. Idem eſſe dicendum de Sacerdote qui fraudulentur & ſubrepticie obtineret a Parocho licentiam aliquos matrimonio conjungendi, niſi Parochus foret paratus deſponſatos benedicere; tunc enim fraus foret potius invitatio ad id faciendum, quam coactio. Ratio eſt, quod Parochus non cenſetur nec per ſe, nec per alium adeſſe matrimonio, niſi aliquem alium Sacerdotem qui vices ejus in hoc ſubiret, nominaverit.

Quæres 3. Num validum ſit Matrimonium Domini villæ, qui Parochum & duos teſtes compulſit ſuo adeſſe Matrimonio, cum virgine pauperrima, tametſi abſolute renueret Parœciæ Rector, cum Matrimonio juxta Eccleſiæ ritus conjungere.

Reſpondeo 1. Affirmative, cum nihil aliud exigat Synodus Tridentina, quam præſentia Parochi & teſtium, quibus conditionibus ſit ei ſatis in hypotheſi; & aliunde Dominus prædictus ſit ſui juris, maxime cum defectus, aut nobilitatis, aut divitiarum non impediat, nec ſolvat matrimonium. Proſper Fagnanus in cap. *Quod nobis* & in cap. *Litteræ* 1. de Matrim. contra interd. Eccleſiæ contracto. num. 14. de hoc momento hæc habet: " Non eſt cur matrimonium, ob diſſenſum Parochi ſit dicendum irritum, cum verbis, & menti " Concilii ſit ſatisfactum. " Ejuſdem eſt ſententiæ Sylvius Supplem. 3. p. q. 45. art. 5. quæſito 6. Quid vero dicendum, ſi Parochus contra juſſionem Epiſcopi adeſſet matrimonio? Reſpondeo valere, eo quod contrahentes ſatisfecerint præcepto Concilii Tridentini. Sic propugnat S. Thomas Quodlib. 5. art. 15. ad 1. " Eccleſia " in his quæ ad matrimonium pertinent, " tripliciter ſe habet: uno quidem modo " per modum judicantis .... Alio modo " ſe habet per modum prohibentis, vel " punientis, & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum. "

Reſpondeo 2. Ex eodem ſequi principio, validum eſſe matrimonium celebratum coram Parocho cenſuris etiam excommunicationis irretito, cum Synodus Tridentina nihil ultra requirat, niſi ut Sacramentum celebretur coram Parocho. Nec mirum, Parochi ea ſolum ratione exigit præſentiam, ut matrimonium clandeſtinum reſcindat; nihil autem ad rem ſpectat, quod Parochus ſit vel cenſuris ligatus, vel ab eis immunis, cum ejus præſentia, quicumque ſit ipſe, impediat ne matrimonium fiat occulte. Sic docet Proſper Fagnanus in Sup. cit. cap. literæ. 1. num. 16. " Suſpenſio ab omnibus Sacramentis, *ait*, non debet operari nullitatem ſacramenti Matrimonii, in quo Parochus nullam exercet juriſdictionem, " ſed exhibet nudam præſentiam & Miniſterium facti .... Et propterea valet " Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, ſi ſit toleratus, ſecundum Navarrum: quin immo, & coram Parocho denunciato excommunicato, ut reſpondit Congregatio Concilii, " tempore Cardinalis Matthæi, re diligenter examinata. "

Quæres 4. Utrum validum ſit Matrimonium inter eos qui nullum certum habentes domicilium, ſed hinc inde tranſmeantes ſive mendicando panem, ſive etiam aliquibus vacando operibus, ut habeant quo vitam ſuſtentent; nubunt?

Reſpondeo 1. Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 7. pro hoc momento ſtatuere, ut parœciarum Rectores nihil in hac re agant ſine licentia expreſſa Ordinarii, ut detegatur utrumne adſit quoddam impedimentum dirimens eorum matrimonium; ita Concilium his verbis: " Multi ſunt qui vagantur...
„ Parochis autem præcipit ne illorum
„ Matrimoniis interſint, niſi prius dili-
„ gentem inquiſitionem fecerint, & re ad
„ Ordinarium delata, ab eo licentiam id
„ faciendi obtinuerint. „ Succinit S. Carolus in Synodo Mediolanenſi p. 4. de Sacram. Matrimonii, *Quæ Parochus doceat* tom. 1. pag. 457. " Vagantium hominum,
„ & peregrinorum matrimonia non faci-
„ le celebrabit, *inquit*, ſed diligenti pri-
„ mum, ex Concilii Tridentini præ-
„ ſcripto, inquiſitione facta, & teſti-
„ moniorum a quibus de illis teſtatum fuit
„ cautione ſtudioſe adhibita, reque omni
„ ad Archiepiſcopum delata, ac faculta-
„ te celebrandi Matrimonii ab eodem
„ impetrata. „

Reſpondeo 2. Vel iſtis præcautionibus omiſſis valere matrimonium hujus furfuris perſonarum, ut leg. *Municeps* 23. ſ. 1. ff. ad Municipalem, & de incolis l. 5. tit. 1. *Miles ibi domicilium habere videtur ubi inhæret, ſi nihil in patria poſſideat:* Sic docet Sylvius in Supplem. S. Thomæ q. 45. art. 5. quæſito 5. his verbis: " Vagi
„ autem & qui certas ſedes non habent,
„ contrahere debent coram illo Parocho,
„ ubi ſe reperiunt, & ubi confeſſionis &
„ Euchariſtiæ ſacramenta poſſunt recipe-
„ re, quia nullus eſt alius proprius eorum
„ Parochus „

Reſpondeo 3. Tale Matrimonium etiam valere tametſi celebratum foret coram Parocho mariti non permanente, cum tamen uxor haberet certum, propter eamdem rationem, videlicet quod cenſetur Parochus ubi occurrit vagus qui nullum habet domicilium.

Quæres 5. Utrum validum ſit matrimonium, quod ita fit: Matthæus & Lucina curant ut tres fiant ſtatutis diebus Matrimonii celebrandi proclamationes; quibus abſolutis, abeunt pium votum adimplendi cauſa ad perigrinationem Dominæ Bolonienſis, alterius a ſua propri a Diœceſis, & ibi coram Parocho contrahunt matrimonium.

Reſpondeo validum eſſe, cum omnes a Synodo Tridentina conditiones requiritas adimpleantur, nec alia occurrat difficultas, niſi pro juriſdictione inter Parochos in foro contentioſo, quod adſummum redderet matrimonium illicitum, ſed non invalidum. Sic propugnat Auctor collation. Lucioni tom. 9. cont. q. 2. p. 307.

Quæres 6. Quid dicendum ſit de iis qui ſunt duplicis Parœciæ, unius ſcilicet ruris, alterius vero urbis.

Reſpondet Sylvius in Suppl. D. Thomæ q. 45. art. 5. quæſito 5. " Qui vero du-
„ plicem habent Parochiam, regulariter
„ videntur debere contrahere coram illo
„ *Parocho*, in cujus Parochia manent tem-
„ pore Matrimonii contrahendi, quamvis
„ ſi coram altero contraherent, videatur
„ fore validum, quia etiam ille cenſetur
„ proprius eorum Parochus. „

Quæres 7. Utrum Vicarius amovibilis poſſit alterum delegare Sacerdotem, ut adſit matrimonio, & in hac hypotheſi, validum ſit connubium?

Reſpondeo validum eſſe Matrimonium; tametſi enim vera ſit illa juris lex, *delegatus, delegare non poteſt;* hoc tamen ſolum intelligendum eſt de eo qui a Principe, vel Superiore ad unum tantummodo negotium delegatur; ſecus vero ſi univerſim pro omnibus cauſis delegationem ſubeat. Ita Greg. IX. in cap. *Quoniam* fin. ſ. etiam fin. de officio & poteſtate Judicis delegati, quod explicat Honorius III. in cit. caput *Cum cauſam*: " Cum non, *inquit*, niſi de-
„ legatus a Principe, cauſam alii valeat de-
„ legare ..... Si ei eſſet delegata uni-
„ verſitas cauſarum. „

Innocentius III. in cap. *Super* 27. de officio & poteſt. judicis deleg. L. 1. tit. 29. Hunc legis prodit ſenſum Fagnanus in cap. *Quod nobis* 1. de clandeſt. ſponſat. num. 31. caſum ſic ſolvit: " In caſu præ-
„ ſenti *Congregatio* ſacra ſenſit *Vicarios*
„ *temporales*, poſſe & Matrimonio inter-
„ eſſe, & aliis dare licentiam, ut in-
„ terſint, hujuſmodique matrimonia eſſe
„ valida. „

Quæ-

Quæres 7. Utrum Matrimonium contractum coram Archiepiſcopo validum ſit, tametſi contrahentes ſint alterius a ſua Diœceſeos Epiſcopi, tamen ſibi ſuffraganei?

Reſpondeo non eſſe validum; ratio ea eſt, quod Metropolitanus, non niſi via appellationis habet juriſdictionem in ſubditos Epiſcoporum ſibi Suffraganeorum, ut colligitur ex Inocentio III. in cap. *Duo ſimul* 9. de officio judicis ordinarii lib. 1. tit 31. ubi ait: " Si ſua unicuique juriſdictio non ſervetur, Eccleſiaſticus „ ordo confunditur. „ Concinit Gloſſa in cap. *Paſtoralis* II. v. *Invitum*. Eodem tit.

Quæres 8. Utrum bene contrahant commorantes in partibus hæretic. ubi non eſt copia Parochi, alteriuſve Sacerdotis; vel ſi adſint, apparere propter ſævientem perſecutionem non audent, vel dato quod adeſſent, prohibetur a Principe hæretico ſub pœnis gravioribus non aliter celebrari Matrimonium quam coram Miniſtro, & ita compellente neceſſitate fecerunt?

Reſpondeo 1. Validum eſſe matrimonium, nam ſacra Congregatio de hoc conſulta per Octavium ſummi Pontificis in Germania Oratorem, rata habuit hujuſmodi matrimonia die 19. Januarii, anno 1603. de hoc enim momento jam ſcripſerat ad eumdem Nuntium Bellarminus, cujus Epiſtolæ hic eſt titulus. *Bellarminus Octavio Epiſcopo Tricaricenſi Nuncio Apoſtolico per Germaniam & Belgium.* " Non video ergo, „ *inquit Bellarm.* cur ea matrimonia non „ debeant tolerari, cum ſatis conſtet Con„ cilii decretum, quod jubet matrimonium „ fieri coram Parocho, non ſe extendere „ ad ea loca ubi nulli ſunt Parochi. „ Subſcribit Sylvius in Supplem. 3. p. Sum. D. Thom. q. 45. art. 5. quæſito 4. ſecus tamen ſi adeſſet Epiſcopus, aut Sacerdos qui ad benedicendum matrimonium ſe ſe ultro offerret: " Invalide, *inquit*, contra„ hunt, quia licet Sacerdos non ſine ſuo „ periculo præſtet operam, cum tamen „ eam offerat, contrahentes poſſunt ſer„ vare decretum Concilii, adeoque ad il„ lud tenentur. „

Reſpondeo 2. Ex eodem principio validum eſſe matrimonium Petri & Barbaræ Chriſtianorum, qui in Bataviam accurrentes, ut hæreditatem datam accipiant, reliquo vitæ ſpatio, neceſſitate compulſi ibi commorantur, & juxta regionis leges præſente Miniſtro nubunt, deficiente Parocho, maxime cum ibi non vigeat Concilii decretum adverſus Matrimonium clandeſtinum. Sic propugnat Sylvius ibid. quæſito 4. & habetur leg. *Cives* 7. cod. de incolis, his verbis: " In eo loco ſingulos ha„ bere domicilium non ambigitur, ubi „ quis larem rerumque ac fortunarum „ ſuarum ſummam conſtituit; unde rur„ ſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet. „ Hinc dato quod ibi poſſint habere Sacerdotem, & non advocarent, validum foret matrimonium, non tamen licitum. „

Reſpondeo 3. Non idem eſſe ſentiendum, ſi contrahentes forent Lugduni cives, & eo ſolum fine tranſirent in Bataviam, ut ad nutum Matrimonio conjungerentur, eo quod eorum Parochus nuptiis adeſſe renuerit; ibi enim adeſſet fraus, maxime ſi Bataviam peterent animo non ibi commorandi, ſed ſolum nubendi, quia ibi dumtaxat valet matrimonium ubi fixum eſt domicilium, ita Gloſſa in cap. *Quanto* 26. de privilegiis & exceſſibus privilegiat. v. *In fraudem* lib. 5. tit. 33. ubi ſic explicat iſta Papæ Honorii III. decretalis verba: *Qui facit in fraudem legis, contra ipſam legem videtur facere.*

Quæres 9. Utrum Suecius & Suecia ſponſi, qui ejuratis erroribus, poſtea Galliam incolunt, ubi ſuſceptum eſt decretum Concilii Tridentini, ſint valide matrimonio conjuncti?

Reſpondeo affirmative, cum matrimonium celebraverint ubi non receptum eſt decretum: quia tamen hæretici non habent matrimonium ut Sacramentum, æquum eſt ut renovent conſenſum, & quidem coram Parocho ad melius.

§. XIV.

De Impedimento raptus.

TOT & tanta mala ad raptum mulieris conſecuta ſunt, ut Eccleſia in Concilio Tridentino adunata æquum duxerit ad deterrendos homines ab iſto ſcelere, raptum inter impedimenta Matrimonii dirimentia conſtituere, Seſſ. 24. decreto de Reform. cap. 6. ubi ſic loquitur: " Decer„ nit ſancta Synodus, inter raptorem &

„ raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium: quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor, mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. „

Quæres I. Utrum validum ſit Matrimonium Andreæ, qui Titiam, ipſa conſentiente, ſed invitis parentibus, & tutore ſub cujus dominio adhuc eſt, rapuit, & ambo in aliam a Patria abeunt civitatem, ubi tabernaculum & domicilium conſtituentes, poſtea nubunt?

Reſpondeo negative. Sic definivit Concilium Aurelianenſe anno 511. & refertur Canone *De raptoribus* 3. 36. q. 2. Si „ vero, *ait*, quæ rapitur Patrem habere conſtiterit, & puella raptori conſenſerit, poteſtati Patris excuſata reddatur, & raptor Patri ſuperioris conditionis ſatisfactione teneatur obnoxius. „

Concinit S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 7. in corpore, his verbis: Violentia quandoque infertur tam ipſi Virgini, quam Patri; quandoque autem infertur Patri, ſed non Virgini, puta cum ipſa conſentit, ut per violentiam de domo Patris abſtrahatur .... Qualitercumque enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptus. „

Quæres II. An valeat connubium Jacobi, qui virginem nubilem, ipſa quidem renitente, ſed conſentiente ejus Patre, rapit, tum eamdem in ſua habens poteſtate, cum illa contrahit Matrimonium?

Quæres negative. Puella enim non obſtante dominio Patris in eam, eſt tamen pro contrahendo Matrimonio ſui juris; hinc cum nolit, nullum eſt Matrimonium; ſic docet S. Thomas in 4. diſt. 28. q. unic. art. 3. ad 1. & colligitur ex Lib. 7. Capitulariorum Caroli Magni, capitular. 395. ubi hæc habentur: " Placuit, „ ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut ſeducunt eas, nullatenus habeant uxores, quamvis eis poſtmodum conveniat, ut eas dotaverint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint. „

Quæres III. An validum ſit Matrimonium inter juvenem & puellam, qui celebratis ſponſalibus, ſed Patre poſtea renitente, ut celebretur Matrimonium, rapit filiam, & in loco tuto poſita, tunc cum ea nubit?

Reſpondeo valere; rationem hanc affert divus Thomas 2. 2. quæſt. 15. art. 7. ad 4. " Sponſus ex ipſa deſponſatione habet aliquod jus in ſua ſponſa, & ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excuſatur tamen a crimine raptus. „ *Quod quidem probat iſta Gelaſii auctoritate*, unde Gelaſius Papa dicit: Lex illa præteritorum Principum ibi raptum dixit eſſe commiſſum, ubi puella, de cujus nuptiis nihil actum fuerat videbatur abducta. „

Lucius III. in cap. *Cum cauſam* 6. de Raptoribus Lib. 5. tit. 17. eodem modo ſolvit dubium & ſic loquitur: " Reſpondemus, quod cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur, iſte raptor dici non debet, cum habuerit mulieris aſſenſum, & prius eam deſponſaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarint, a quibus dicitur eam rapuiſſe. „

Quæres IV. Utrum valeat Matrimonium Judæ, qui puellam majoritatis prærogativa donatam, ipſa conſentiente, rapuit, & poſtea renitentibus ipſis parentibus cum ea nupſit?

Reſpondeo affirmative. Quandoquidem adoleſcentula cenſetur eſſe ſui juris; Porro Regula 27. iuris in 6. hæc habet, *Scienti & conſentienti non fit injuria*, *neque dolus*.

Quæres V. Demum, Num valeat Matrimonium junioris feminæ nobilis viduæ, quæ rapit juvenem octodecim annorum, ſed raptui conſentientem. Poſtea cum eo, tametſi obnitentibus ejus parentibus, contrahit Matrimonium?

Reſpondeo probabiliorem opinionem eſſe Matrimonium valere, cum lex prohibens raptum, nonniſi de viris mulieres rapientibus loquatur; hinc juxta illud juris axioma, favores ſunt ampliandi, odia vero

reſtrin-

reſtrigenda, a pœnis contra raptores eximuntur feminæ. Sed excipe Galliam, ubi lex pœnalis ſicut viros ſic & mulieres raptus criminis reas afficit.

§. XV.

De peccatis in Matrimonio celebrando vel eo utendo occurrentibus.

PRIMO: Qui habentes impedimenta impedientia, nihilominus nubunt, peccant mortaliter, quia in re gravi præceptum Eccleſiæ tranſgrediuntur.

Secundo: Conjux qui debitum Matrimoniale juſte & rationabiliter petenti abnegat, peccat mortaliter, quia impedit prolis generationem, & contra juſtitiam facit: ſic colligitur ex Apoſtolo 1. Cor. 7. dicente, *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro*. Subſcribit S. Antoninus 3. p. Sum. tit. 1. 3. cap. 21. §. 7. ubi ait: " Eſſe mortale in denegante ,, debitum petenti omnino, ſi non habeat ,, cauſam rationabilem excuſantem. ,,

Tertio: Uſus Matrimonii illicitus evadit, I. Ratione finis, quando ſcilicet conjuges non debiti ex juſtitia reddendi, aut liberos procreandi motivo ſimul conveniunt, ut colligitur ex D. Thoma in 4. diſt. 31. q. 2. art. in corp. II. Ratione temporis ſacri. Sic docet S. Ambroſius can. *Si cauſa* 33. q. 4. his verbis: " Si ,, cauſa procreandorum filiorum ducitur ,, uxor, non multum tempus conceſſum ,, videtur ad ipſum uſum, quia & dies ,, feſti, & dies proceſſionis, & ipſa ratio ,, conceptus, & partus, juxta legem ceſſare temporibus his debere demonſtrant. Concinit S. Auguſtinus can. *Quotieſcumque* 53. q. 4: Tum S. Thomas Suppl. q. 64. art. 5. in corp. III. Ratione fluxus menſtrui, ut habetur Lev. cap. 20. ſic propugnat S. Auguſtinus L. 3. de pecc. merit. cap. 12. ſic Scotus in 4. diſt. 32. ſic Hieronymus in cap. 18. Ezech. " Per ſingulos menſes, *ait*, gravia atque torpen- ,, tia mulierum corpora, immundi ſangui- ,, nis effuſione relevantur, quo tempore ſi ,, vir coierit cum muliere, dicuntur concepti ,, fœtus vitium ſeminis trahere, ita ut le- ,, proſi, & elephantiaci ex hac conce- ,, ptione naſcantur..... Caveat ergo & ,, uxor, ne forte victa deſiderio coeun- ,, di, illiciet virum, & maritus, ne vim ,, faciat uxori, putans omni tempore ,, ſubjectam ſibi eſſe debere conjugii vo- ,, luntatem. ,, Tum S. Thomas in 4. diſt. 32. art. 2. q. 2. in corp. " Prohibi- ,, tum eſt *viro* ad talem accedere, & ſimi- ,, liter prohibitum eſt mulieri in tali fluxu ,, debitum petere. ,, IV. Ratione loci; neque enim uſus Matrimonii in loco publico, aut ſacro, aſtante aliquo propter ſcandalum permittitur *tit*. 4. S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 2. " Secundus caſus ,, eſt quantum ad locum in quo talis actus ,, exercetur, videlicet in loco ſacro: ſi- ,, ve ergo habeatur alius locus, ſive non ,, poſſit haberi alius locus ad hoc, cer- ,, tum eſt quod non licet petere, ſed ,, nec reddere tenetur alter illud quod ,, reddi non poteſt ſine irreverentia loci ,, ſacri; nam propter hoc indiget recon- ,, ciliatione ſecundum Joannem Andream, ,, quantum eſt ex natura facti, licet per ,, accidens, ſi eſt occultum, non indigeat ,, reconciliatione, quod etiam ponit Ho- ,, ſtienſis. ,,

Uſus Matrimonii in aliis etiam caſibus, eſt illicitus. Puta ſi vergat in periculum, tum matris gravidæ, tum etiam fœtus; tunc enim malus eſt, cum noceat proximo. Hoc ipſum colligitur ex S. Thoma in 4. diſt. 31. art. 1. in corp. & ad 2. q. 1. " Vir renetur, *inquit*, uxori reddere ,, debitum in his quæ ad generationem ,, prolis ſpectant, ſalva tamen prius in- ,, columitate perſonæ. ,, Ex quo principio ſequitur unum ex conjugibus non teneri reddere debitum ſi vel gravi detineatur infirmitate, vel ſine imminenti contagionis periculo id fieri non poſſit.

Sed inter omnia ſubnotandum eſt actum Matrimonii eſſe peccatum mortale, & quidem graviſſimum, quoties, prætermiſſo modo naturali, ita ut inde non poſſit fieri liberi procreatio, adimpletur. Quod grandem ducit abominationem Apoſtolus Rom. 1. & arguit in Gentilibus his verbis: *Tradidit illos Deus in paſſionibus ignominiæ. Nam fœmina eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam ... Qui talia agunt digni ſunt morte.*

Si quæras, num tactus, aſpectus, & delectationes moroſæ, ſint licita inter conjuges?

Reſpondet auctor Theologiæ Gratianopolitanæ

litanæ trac. 9. de Matr. cap. 10. pag. 439. his verbis. " Tactus, oſcula, amplexus, & ſimilia inter conjuges, ſi ſine ordine ad copulam, ſed ad ſolam voluptatem cum periculo pollutionis, vel etiam ſine illo periculo habeantur, ſunt illicita, ut colligitur ex S. Antonino; ſed ſi talia ordinentur ad copulam, licita fiunt, & induunt rationem copulæ, ad quam naturaliter ordinantur. " Quod quidem probat auctoritate S. Antonini, qui 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 6. ait: " Sextus caſus in quo conjuges peccant mortaliter, eſt quando conjux voluptatem prævenit, & provocat diverſis modis &c.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTIS PARS QUARTA, SEU PRAXIS SACRAMENTORUM.

DUO Chriſtus injunxit Apoſtolis Matth. 28. videlicet, ut docerent, tum & baptizarent: *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Hinc Doctori Apoſtolico, & Eccleſiæ fideli Miniſtro duo potiſſimum ex officio incumbunt facienda, nimirum myſteria tractare; deinde vero ad ea, ſicut oportet, frequentanda inſtruere. De priori momento egimus in Tractatu Sacramentorum tum in genere, tum in particulari; quocirca ordo rerum poſtulat ut de eorum praxi agamus, ut ſciat, & Miniſter quid pro aliis; & ſuſcipientes, quid pro ſemetipſis ad Sacramenta digne & fructuoſe ſuſcipienda obſervare debeant. Ad hanc Provinciam adimplendam eo lætiori, & promptiori animo gradum facimus, quod ad Fidelium utilitatem ſimul, & jucunditatem ſicut accuratius, ſic & fructuoſius laborare fategimus.

Ultro fatemur hanc materiam diverſe a diverſis Theologis in variis, ſeparatiſque voluminibus elaboratam: Sed quoniam diviſæ hinc inde materiæ laboris pondere ſæpius ita deprimunt animum, ut vix ac ne vix quidem Lectores præ arduo labore deterriti, quæ reſpiciunt Sacramentorum tum paſſivam, tum activam praxim legant; æquum duximus in uno eodemque Sacramentorum tractatu, cuncta quæ reſpiciunt nedum theoriam, ſed & praxim omnium oculis digeſto ordine, brevi & clara methodo ſubjicere.

Tria ad eam praxim exigit Eccleſia: videlicet pias diſpoſitiones ad Sacramenta cum fructu ſuſcipienda: ritus ad illa digne tum conficienda, tum adminiſtranda; deinde vero explanationes difficultatum, quæ ut plurimum ex parte adminiſtrantium; quandoque etiam ex parte ſuſcipientium occurrunt, & hoc, *caſuum reſolutiones*, vulgo nuncupatur. Hæc tria de quolibet Sacramento ſuo reſpective ordine tractanda ſunt.

Heterodoxi, in primis Calviniſtæ cæremonias ſacras ut quid aut prophanum aut inutile de medio abſtulerunt; hinc prius agendum eſt de eis in genere, antequam deſcendamus ad eaſdem in particulari. Unde ſit.

DISSERTATIO PRIMA.

De ſacris Cæremoniis ſecundum ſe ſpectatis.

NON defuerunt his temporibus qui cæremonias Eccleſiaſticas temerare auſi ſint. Dominus de Vert ex Ordine Cluniacenſi Monachus, paucis abhinc annis vulgavit in quodam libello cæremonias ſacras non niſi ad metam rationis juxta vel compellentem neceſſitatem, vel etiam utilitatem explicandas eſſe: Novatores autumant priſtinam & veterem diſciplinam in Ritibus Miſſæ & officii, ſpretis ſacræ Congregationis declarationibus, reſtaurandam eſſe. Demum etſi inter Heterodoxos multi cæremonias Eccleſiæ peſſundent, nonnulli tamen, maxime in Anglia, Epiſcopatum multi facientes, in eis ad hæc uſque tempora illum perſeverare effutiunt; eo innixi principio, quod Ritus Ordinationum ſufficienter ſervaverint: quibus arridere non dubitat P. Courayet Canonicus Regularis ſanctæ Genovefæ. Priorem confutavit illuſtriſſimus Dominus D. Joſephus Languet Epiſc. Sueſſionum, de Eccleſia non ſemel

Digitized by Google

bene meritus : Secundum ſyſtema funditus ſubverſum apparet in libello , cujus titulus eſt *Spiritus Eccleſiæ in ſacrorum Myſteriorum celebratione* , ann. 1624. juris publici facto , quem multi D. Robinet Doctoris Sorbonici , & iterum atque iterum Diœceſis Rothomagenſis inſignia propter merita Vicarii Generalis uti ſplendidum fœtum habent . Demum ſiniſtram P. Courayer profligavit ſententiam R. P. Harduinus, doctiſſimus Societatis Jeſu Theologus in diſſertatione Prælo mandata Pariſiis , anno 1724. de quolibet capite quid ſentiendum ſit , nunc aperiendum eſt . Unde ſit

---

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Cæremoniæ Eccleſiaſticæ in prima ſui inſtitutione ſint ſymbolicæ?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo ex figuris quæ illas præluſerunt .

1. GENESEOS cap. 4. hæc leguntur : *Abel obtulit de primogenitis gregis ſui , & de adipibus eorum* . Ibi videmus aras erectas , victimas mactatas , & pinguedinem oblatam ; ſacrificium autem illud cordis oblationem denotabat ; de iſtis ſacrificiis ſic loquitur Auguſt. Epiſt. 102. ad Deogratias in reſponſ. ad 3. quæſt. " Cum ergo inſpirat *ſcilicet Deus* , & ,, docet quomodo colendus ſit , non ſo- ,, lum ſua nulla indigentia facit , ſed no- ,, ſtra maxima utilitate . Significativa ſunt ,, autem omnia talia ſacrificia , & qua- ,, rumdam rerum ſimilitudines . ,, Igitur aliquid ſpirituale denotabant ; nam ut idem ait Auguſt. Lib. 6. contra Fauſtum cap. 5. ,, Qui utique non fruſtra ea , ,, quibus non indiget , ſibi juberet offer- ,, ri , niſi aliquid in eis oſtenderet , quod ,, nobis & noſſe prodeſſet , & talibus ſi- ,, gnis præfigurari oporteret . ,,

2. *Idem* comprobatur ex illo celebri ſacrificio indicto ab ipſomet Deo Patriarchæ Abrahamo Geneſ. cap. 15. his verbis : *Sume mihi vaccam triennem , & capram trimam , & arietem annorum trium , turturem quoque & columbam : qui tollens univerſa hæc , diviſit ea per medium , & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit : aves autem non diviſit .... cum ergo occubuiſſet ſol , facta eſt caligo tenebroſa , & apparuit clibanus fumans & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas* .

Quis tutem negabit hæc omnia myſteriis fuiſſe plena ; ait S. Chryſoſtomus Hom. 27. in Gen. Quænam autem ſint ? De hac re conſulantur interpretes . Similia exempla nobis ſuppeditat Jacob , qui ſacrificium Deo volens offerre , fudit oleum ſuper petram ad eam conſecrandam : Tum ad benedicendos filios Joſeph accinctus , junxit manus per modum crucis , deinde vero dexteram ſuper caput natu minoris , alteram ſuper caput natu majoris impoſuit : Demum animam agens , extenſus in lectulo fudit orationem ; ſed ad hoc caput vertit ad ſummitatem cubilis , qui motus homini morienti erat valde incommodus ; hæc autem omnia myſteriis referta fuiſſe , docet Traditio , ut inter ſolvendas difficultates patebit .

3. *Hanc* ipſam veritatem prodit lex Moſaica ; in qua infinitas prope cernimus cæremonias myſteria indagantes . E multis quaſdam juvat ſeligere . Quot primo obſervari debebant in eſu Agni Paſchalis, in celebratione Sabbati , Neomeniarum , & Feſti Tabernaculorum ; de quibus ſic loquitur Apoſtolus 1. Cor. 10. *Hæc autem in figura contingebant illis* . Indigitabant enim vel ea omnia quæ pro eorum ſalute peregerat Deus , vel ſpem Meſſiæ venturi , vel etiam obſervationem virtutum moralium per quas ſanctificatio cordium perfici debebat . Et vero ad quid niſi fuiſſet myſterium , tot obſervationes incommodæ? Tot præparationes ad aquam expiationis conficiendam ſolitæ ? Cur debebat eſſe commixta cum cineribus vaccæ rufæ ſine macula , quæque fœtum non tuliſſet , fuiſſetque certæ ætatis ? Cur in conſpectu populi immolanda ? Cur Sacerdos in ſanguine ejus intingere digitum , ſepties aſpergere portam tabernaculi tenebatur? Quare in rogo , in quo cremanda erat , hyſopum , & cedrum , nec non lanam tinctam immiſcere debebant ? Cur cineres aſſervandæ extra campum , cur in eis aqua pura immiſcenda ad aſperſionem efficiendam , ut habetur Num. cap. 19. Hæc & ſimi-

& ſimilia dubio-procul ſine myſterii explicari non valent.

Ecce verba legis Num. 19. *Iſta eſt religio victimæ quam conſtituit Dominus. Præcipe filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum: tradetiſque eam Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra caſtrum, immolabit in conſpectu omnium: Et tingens digitum in ſanguine ejus, aſpergat contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus, quam ſanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum & hyſopum, coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat... Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, ut ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis: quia propeccato vacca combuſta eſt.*

4. *Quid* memorem de igne ſacro in thuribulis apponendo, quem ex altare holocauſtorum aſſumere præceptum erat? quia vero aliunde filii Aaron quæſierant, iratus eſt Dominus, & ignis in ſacrilegii vindictam eos conſumpſit. Jam dicat adverſarius, hoc propter commoditatem fuiſſe injunctum.

5. Non omittenda eſt figura lignorum, quæ Deus injunxerat, ut in altari holocauſtorum bis ſingulis diebus, ſtatutis horis ſub gravi pœna apponerentur. An? ut non extinguerecur ignis, vel ne in illo excitando laborarent Sacerdotes? Minime. Sed illud ex Patribus denotabat, ignem charitatis numquam extinguendum. Levit. 6.

Secundo, ex quibuſdam & Chriſti, & Apoſtolorum actionibus.

OMISSA Lazari reſurrectione, ad quam operandam Chriſtus non ſine myſterio infremuit, & lacrymatus eſt, venio ad ſanctam ultimam cęnam, & Euchariſtiæ inſtitutionem, in quibus ubique ſymboli & figuræ ſpiritum reperies. Et vero, potum & cibos uſuales manducat Dominus, deinde vero Agnum Paſchalem qui præfigurabat Sacramentum ab illo poſtea inſtituendum. Tum ſurgit a cœna, linteo præcingit ſe, lavat Diſcipulorum pedes, rurſus adſtat menſæ, & accepto pane ſine fermento, benedicit, levat oculos ad cœlum, gratias agit Patri: Hæc autem omnia myſteriis abundant, & per hujuſmodi ritus nos erudire intendebat Salvator. Panis azymi myſterium exponit nobis D. Paulus 1. Cor. 5. his verbis: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio* &c. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

Quorſum autem elegit pro hujus Sacramenti materia panem & vinum? Exponit D. Paulus 1. Cor. c. 10. *Unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*; explicat & Eccleſia, dum in Miſſæ Secreta ait: "Unitatis & „ pacis dona concede, quæ ſub oblatis mu„ neribus myſtice deſignantur."

Qua de cauſa lavit pedes Diſcipulorum poſt Agni eſum, & non ante cœnam, explicat ipſe Chriſtus Joan. cap. 13. *Qui lotus eſt*, inquit, *non indiget niſi ut pedes lavet*: Quod autem non de puritate pedum loquatur, hæc verba quæ ſubjungit manifeſtant: *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Per hanc igitur cæremoniam indigitabat animæ puritatem eſſe neceſſariam, ad digne percipiendam Euchariſtiam; ita D. Ambroſius L. de myſt. c. 6. "Non ad„ vertit, *inquit*, myſterium, & ideo re„ cuſavit miniſterium... ſed ideo planta „ ejus abluitur, ut hæreditaria peccata „ tollantur."

Idem ſpiritus ſeſe prodit in actionibus Apoſtolorum, & quidem primo, Apoc. c. 8. v. 3. hæc leguntur: *Angelus venit & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei*; Quis autem finis cæremoniæ peractæ ab Angelo in cęlo, refert D. Joannes eſſe orationes Sanctorum, quæ ante thronum Dei aſcendunt. Idem loquens de Eccleſia c. 19. v. 8. hæc habet: *Datum eſt illi ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido, byſſinum enim ſunt juſtificationes Sanctorum*, Myſtica aud dubie iſtius veſtimenti eſt explicatio. 1. Cor. c. 11. dicitur: *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum: omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum.* Sic erant Corinthii; quid præcipit Apoſtolus, adeſt: *Nam ſi non velatur mulier; tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari*,

ri,

ri, velet caput ſuum. Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt .... ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos .... nec ipſa natura docet vos .... Mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.

Non levius pro eodem momento comprobando argumentum deſumitur ex myſticis ſenſibus cæremoniarum. Baptiſmi, quæ ſunt figuræ mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti Domini; unde ſic de baptizato loquitur D. Baſilius juxta mentem D. Baſilii. L. de Spir. S. c. 15. “Aqua in ,, Baptiſmo mortis exhibet ſimilitudinem, ,, corpus velut in ſepulcro recipiens, ſpi- ,, ritus vero vim vivificam immittit, a ,, morte peccati renovans animas noſtras, ,, & novam vitam. ,,

Igitur quidquid fit in Baptiſmo, illud myſterium redolet; omnis quippe illa cæremonia denotat baptizatum mori veteribus affectionibus, & renaſci ad novam vitam; novus certe homo factus eſt; in eo enim vivit Chriſtus, ea vita qua ipſe vixit poſt reſurrectionem, ut loquitur Apoſtolus Rom. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Tertio, ex ſpiritu Eccleſiæ qui totus eſt ſymbolicus.

QUIDQUID peragit Eccleſia, eo fine perficit, vel ut languidam fidem excitet, aut ut vivam foveat: Sed omnes ejus cæremoniæ, ad hunc duplicem tendunt ſcopum; jam vero ab Eccleſia inſtitutas eſſe cæremonias ad fidem excitandam teſtis eſt Auguſtinus epiſtola ad Januarium, olim 119. nunc c. 7. o. 13. his verbis “Si quæ figuræ ſimilitudinem...... ,, ducuntur ad diſpenſationem Sacramento- ,, rum, eloquentia quædam eſt doctrina ,, ſalutaris movendo affectus dicentium ,, accommodata. ,, Ea de cauſa Concilium Tridentinum Seſſ. 22. c. 5. de hac veritate ſic loquitur: “Cumque natura ,, hominum ea ſit, ut non facile queat ,, ſine adminiculis exterioribus ad rerum ,, divinarum meditationem ſuſtolli, pro- ,, pterea pia Mater Eccleſia ritus quoſ- ,, dam.... inſtituit, cæremonias item ad- ,, hibuit, ut myſticas benedictiones, lu- ,, mina... quo & majeſtas tanti ſacrificii ,, commendaretur, & mentes Fidelium ,, per hæc viſibilia religionis & pietatis ,, ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in ,, hoc ſacrificio latent, contemplationem ,, excitarentur. ,, Cenſet igitur Eccleſia languorem fidei cæremoniis excitari, immo vivæ in ſymbolis augmentum parit; hæc etenim movent, ut proni corpore Deum adoremus; per humilem porro inflexionem corporis, cordis humiliationem Deo oſtendimus; extollendo manus ad cœlum, & orando vim deſideriorum oſtendimus Deo; nam, inquit Auguſtinus, L. de cura pro mortuis c. 5. “Omnes ge- ,, nua figunt, extendunt manus, vel ,, proſternuntur ſolo, & per hoc magis ,, ſeipſum excitat homo ad orandum, ge- ,, mendumque humilius atque ferven- ,, tius. ,,

Verum ut in particulari ſpiritum Eccleſiæ totum eſſe ſymbolicum magis demonſtremus, quid de eo doceat Traditio juvat exponere. Hujus eximiæ doctrinæ primus aſſertor eſt S. Juſtinus Martyr in ſua apologia 2. ibi autem uſum ſeſe mutuo deoſculandi tempore celebrationis Myſteriorum, ſpiritum pacis & charitatis, qui debet regnare in cordibus, deſignare ſcribit. Clemens Alexandrinus L. 6. Strom. ait Sacerdotes, & Diaconos opem ferre Epiſcopo celebranti, ut repræſentent Angelos adſtantes ante thronum Dei.

Tertullianus L. de jejunio ſimilia docet: “Nos vero, *inquit*, manus non tantum ,, attollimus, ſed etiam expandimus, di- ,, vina paſſione modulantes. ,, S. Cy- ,, prianus Epiſt. 63. dicit aquam in ſacrificio cum vino miſceri ad deſignandam unionem Chriſti cum populo, & ideo mane in unum populos conveniſſe, ad honorandam Chriſti Domini Reſurrectionem. Tum in Concilio Tyri apud Euſebium L. 10. hiſt. c. 4. dicitur Epiſcopos geſtare tunicas ſacras & coronas ad ipſorum dignitatis gloriam cœleſtem deſignandam. In Laodiceno can. 22. legitur ſtolam fuiſſe reſervatam Superioribus, & prohibitam fuiſſe Lectoribus. Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus catecheſi. 3. Non ideo, *ait*, Diaconum aquam infundere ſuper manus Pontificis celebrantis ad eas emundandas, mundat enim ante ſacrificium;

Digitized by Google

clum; ſed ad exprimendam cordis puritatem qua donari debet ut rite celebret. Divus Hieronymus in libro contra Vigilantium cereos dicit in Oriente per Evangelium accendi ad denotandam venerationem, & gaudium indicandum; Divus Auguſtinus in Pſal. 106. ait propter rationes myſticas in quibuſdam ſolemnitatibus, *Alleluja* decantari, & in aliis temporibus reticeri. In Concilio Epheſino Liber Evangeliorum in medio cœtus Patrum ſuper thronum fuit repoſitus; ſic refert ſanctus Cyrillus Apol. ad Theodor. tom. 5. Concil. p. 1044. ut oſtenderent Patres Chriſtum eſſe caput Concilii: Hinc Concilium Cloveshovice habitum, hæc Sacerdotibus injungit: “ Nec non & ipſa Sacramenta quæ in ,, Miſſa ac Baptiſmate, vel in aliis Ec- ,, cleſiaſticis officiis viſibiliter conficiun- ,, tur, quid ſpiritualiter ſignificent dicere ,, ſtudeant. ,,

Et ut multa paucis concludam, certum eſt Deum omnium ſacrarum cæremoniarum eſſe auctorem, tum ex invidia dæmonem æmulaſſe eas in ſacrificiis quæ obcæcati Pagani & Idololatræ illi obtulerunt. Hoc argumento Tertullianus perſtringit Hæreticos Eccleſiæ cæremonias ſubſannantes. ſic loquitur L. de præſc. c. 40. “ Diabolus cujus ſunt partes intervertendi ,, veritatem, ipſas quoque res Sacramen- ,, torum divinorum idolorum myſteriis ,, æmulatur. ,,

Quarto, ex variis Cæremoniis in particulari conſideratis.

QUAS in medium proferimus 1. ſunt cæremoniæ Baptiſmi, in quo quod peragitur myſteriis plenum eſt. Et vero quare Neophyti alba veſte induuntur? In Rituali rationem legimus, ſtatim ut eam Miniſter induit, ſic habet: “ Ac- ,, cipe veſtem candidam quam immacu- ,, latam perferas ante tribunal &c. ,, Id autem accepit Eccleſia a SS. Patribus, præcipueque a SS. Ambroſio & Auguſtino; de ea prior ſic habet L. de Myſteriis c. 7. “ Accepiſti poſt hæc veſtimenta ,, candida, ut eſſent indicium quod exue- ,, ris involucrum peccatorum, indueris ,, innocentiæ caſta volumina. ,, Tum poſterior Serm. 223. ſic loquitur: “ Infantes ,, iſti quos cernimus exterius dealbatos, ,, interiuſque mundatos, qui candore ve- ,, ſtium ſplendorem mentium præfigu- ,, rant. ,,

Secundo: Idem denotant unctiones quæ fiunt in Baptiſmo; quare autem fiant? hanc rationem reddunt Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, ut ſcilicet dignoſcant renati, ſe per illud Sacramentum fieri ſpiritualiter Athletas, Reges, & Sacerdotes; hæc autem non in toto corpore, ſed in capite fiunt, quod ſane non perficitur ſine myſterio: “ Signat, *inquit Tertullianus*: ,, *L. de præſcriptione*, illic in frontibus mi- ,, lites ſuos. ,,

Eadem prorſus intentione in manu Neophytorum cereus ardens traditur, cujus hanc originem deducit S. Gregorius Naz. homilia de Baptiſmo ex his verbis Chriſti Domini: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Eodem fine D. Cyprianus Epiſt. 2. hæc recens baptizatis dicebat verba: “ Vos qui accen- ,, diſtis cereos veſtros qui ſunt fidei ſym- ,, bola, conſervate diligenter illud lu- ,, men. ,, Ita ſimiliter Ambroſius ad virginem lapſam c. 5. ſic & Auguſtinus in Pſ. 65.

Tertio: Uſus Eccleſiæ obtinuit cereos accendere ſuper altaria; ad ornamentum quippe, & propter ſenſus myſticos ſic adhibuit. Scribit Euſebius Conſtantinum Magnum voluiſſe Paſcha Dominicum celebrari cum pompa, maxime cum multis luminaribus. Idem Imperator, referente Anaſtaſio Bibliothecario, dedit coronam auream ſancto Sylveſtro ad ſuſpendendas lampades ante corpora Apoſtolorum: “ Poſuit, *inquit*, candelabrum ,, ante lignum ſanctum, lucentia argentea ,, quatuor, ſecundum numerum quatuor ,, Evangeliſtarum. ,, Cereos fuiſſe repoſitos in manu Acolythorum propter finem myſticum habetur in Concilio 4. Carthaginenſi an. 398. his verbis: “ Ab ,, Archidiacono accipiat ceroferarium cum ,, cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ ,, luminaria mancipari. ,, Controverſiæ præſenti metam figit diſputatio D. Hieronymi habita cum Vigilantio; iſte condemnabat omnes, qui cereos die accendebant ante Martyrum corpora, quid vero reſpondeat D. Hieronymus videre eſt in libro contra hunc Hæreſiarcham, in quo ſic loquitur: “ Illud fiebat idolis, & idcir- ,, co deteſtandum eſt; hoc fit Martyribus, ,, & id-

Digitized by Google

„ & idcirco recipiendum eſt : nam & „ abſque Martyrum reliquiis per totas „ Orientis Eccleſias , quando legendum „ eſt Evangelium accenduntur luminaria „ jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum ... „

His accedit auctoritas Concilii Tridentini de inſtitutione & fine cereorum ſic pronunciantis Seſſ. 22. cap. 5. " Pia Mater Eccleſia ...... cæremonias item „ adhibuit ut myſticas benedictiones, lumina , thymiamata , veſtes , aliaque „ id genus multa ex apoſtolica diſciplina „ & traditione , quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur , & mentes Fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum quæ in „ hoc ſacrificio latent contemplationem , „ excitarentur. „ Tum can. 7. *Si quis dixerit cæremonias , veſtes , & externa ſigna , quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur irritabula impietatis eſſe, magis quam officia pietatis ; anathema ſit .*

Quinto , tametſi , neceſſitate compellente , quædam cæremoniæ inſtituta ſint , non tamen carent myſterio .

PROBATUR breviter . Quidquid Eccleſia in cæremoniis obſervat , eſt morale & ſymbolicum : Ergo &c. Probatur anteced. ab exemplis . In ordin. Lect. ſumit manu librum Epiſcopus qui continet ea quæ ex officio Lector debet legere, offertque ei dicendo verba præſcripta in pontificali, naturale eſt librum manu ſumere , in quo autem conſiſtit myſterium ? In eo ſcilicet quod debeat Epiſcopus hanc exercere functionem ; quod quibuſdam anni diebus , idque certo tempore ei addat cæremonias ſymbolis plenas, quid autem in ea inſpicimus ? Niſi gratias , quas a Deo Eccleſia depoſcit pro novo Lectore , onera quæ ei imponit, gradum ad quem eum evehit , & poteſtatem quam ei tribuit . Idem comprobatur ex veſtibus Miniſtrorum Eccleſiæ ; licet enim veſtes neceſſariæ ſint ad exercendas functiones honorabiles, non tamen ſine myſterio quaſdam peculiares ſuis Miniſtris tribuit Eccleſia ; quare vero certas tradit ſub tali figura , cur eas cum precibus benedicit , niſi propter myſterium ? non ut effutivit Dominus de Vert, contra pluviam caſula fuit parata ; cum in altari non ſit pluviam timendi locus ; quorſum igitur ea indutus procedit Sacerdos ? rationem reddit Epiſcopus dum Presbyterum ordinat : *Accipe* , inquit , *veſtem ſacerdotalem , per quam charitas intelligitur* . Ceteræ ſignificationes denotantur , dum ſacras veſtes induit Sacerdos ; ſic etenim ait in ſumptione manipuli : *Merear , Domine , portare manipulum fletus & doloris , ut cum exultatione recipiam mercedem laboris* , &c.

Confirmatur : Rebus propter neceſſitatem vel conſuetudinem ab Eccleſia uſurpatis , annexum eſſe etiam myſterium conſtat : Ergo &c. Probatur antecedens : S. Hieronymus ait vinum pro materia calicis in ſacrificio adhiberi , ut ſanguis Chriſti denotetur . S. Leo Ser. 3. de Quadrageſima altarium ornamenta ſcribit demonſtrare ornatum cordium ; oſculum pacis quod fit in Miſſa , tradit Innocentius I. indicare conſenſum Fidelium pro omnibus ſacrificii altaris precibus : Altarium linteamina , ut figuras eorum quibus involutus eſt Chriſtus , ſpectat Iſidorus . Facundus Herminianenſis de expoliatione Catechumenorum in Baptiſmo ſic habet L. 1. ſuper tria capitula : " Lavacro „ regenerationis abluendi .... Nihil ibi „ obtectum , nihil ibi abſconditum fuit ... „ expoliato denique corpore , magnum illud fidei percipimus , & ſervare ſpopondimus ſacramentum , & non ſola voce , „ verum etiam habitu corporis profitemur „ exuiſſe nos hominem veterem cum actibus . „

Solvuntur Objectiones D. de Vert.

OBJICIT : Unctio lapidis in titulum per Patriarcham Jacob facta nihil myſterii ſpirabat . Igitur idem dicendum eſt de ceteris cæremoniis . Probatur antecedens : Solum pro viſionis monumento erexit lapidem , ut reverſus in domum patris ſui dignoſceret locum in quo apparuerat illi Dominus : Sed hoc videtur quid naturale & peregrinatoribus obvium ſubnotantibus mira quæ inter incedendum vident . Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens ; illa quippe explicatio contraria eſt expoſitioni Patrum . Et vero de ea ſic habet 1. D. Auguſt. L. 16. de civ. Dei c. 38. " Hoc quod ſa-

„ Jacob facit ad prophetiam pertinet. „ Auctor libri de unctione chriſmatis inter opera S. Cypriani ſic loquitur de unctionibus: " Oleo antiquitus Sacerdotes ſacra- „ bantur, & Reges, & ipſi altarium la- „ pides delibuti ſpiritualem intelligi vo- „ lebant ſacris myſteriis ineſſe pinguedi- „ nem. „ His adde quod ad dignoſcendum lapidem iſtum, modus ille non erat certus; impreſſio quippe olei decurſu temporis deleri poterat.

Inſtas: Nulla in incenſo Myſteria reperiuntur; eo enim fine illud adhibuerunt antiqui, ut exaſperatum odorem ex victimis concrematis exhalantem reprimerent. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Ille quippe explicandi modus aperte Scripturæ ſacræ adverſatur; hoc etenim de incenſo legitur poſt compoſitionem ab ipſo Deo deſcriptam Exod. 30. *Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino: homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Ceterum, incenſatio fiebat in illo ſolum loco, ubi erat magnus Sacerdos, ſcilicet in Sancto Sanctorum, qui quidem viginti quinque cubitis diſtabat ab altari in quo erant victimæ, & quinquaginta a porta templi; ita ut fumus ille ad nares populi pertingere non potuiſſet: Igitur, pro Deo fundebant Sacerdotes incenſum.

Confirmatur ex D. Thoma, qui de incenſo 3. p. q. 83. art. 5. ad 2. ſic loquitur: " Dicendum, quod etiam thurificatione „ non utimur, quaſi cæremoniali præ- „ cepto legis, ſed ſicut Eccleſiæ ſtatu- „ to. Pertinet autem ad duo. Primo qui- „ dem ad reverentiam hujus Sacramenti, „ ut ſcilicet per bonum odorem depella- „ tur ſi quid pravi odoris in loco fue- „ rit, quod poſſet provocare horrorem: „ Secundo pertinet ad repræſentandum „ effectum gratiæ, qua ſicut bono odore „ Chriſtus plenus fuit &c. . . . . & ideo „ ubique thurificato altari, per quod Chri- „ ſtus deſignatur, thurificantur omnes per „ ordinem. „

Objectiones ex novo Teſtamento.

OPPONIT: Quando Chriſtus Dominus inſufflavit ſupra Diſcipulos dicendo eis Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. Similiter & cum Sacerdos in benedictione fontium exſufflat ſuper aquas, nullum in utroque myſterium includitur; geſticulatio, inquit D. de Vert, mera illud eſt, id eſt, actio illa ad id unum inſervit, ut ſcilicet concomitetur certa verba, quorum littera eſt iſtius actionis expreſſio.

Reſpondeo negando antecedens; hanc actionem ut ſymbolum ſpectavere Patres: de ea ſic loquitur S. Auguſtinus Tract. 121. in Joan. " Inſufflando ſignificavit Spiri- „ tum ſanctum non Patris ſolius eſſe ſpi- „ ritum, ſed & ſuum. „ Similiter S. Cyrillus Alexandrinus L. 12. c. 56. de eadem ſic habet: " Ut ſicut creati ab initio „ ſumus, ſic etiam renovemur. „

Inſiſtis: Baptiſmus ex ſe non ſignificat mortem, ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti; nam illa ſignificatio ſoli immerſioni annexa eſt: Ergo cum Baptiſmus non miniſtretur nunc per immerſionem, non ſignificat hæc myſteria.

Reſpondeo negando antecedens: Textus beati Pauli illud per ſe indicat; loquitur enim Apoſtolus de Baptiſmo in genere, quatenus a Chriſto fuit inſtitutus, ſic autem inſtituit Dominus, ut valeret quocumque daretur modo. Equidem verum eſt immerſionem magis ſenſibiliter denotare illos effectus, unde Illuſt. Boſſuet in ſua fidei expoſitione ſtatuit pro principio repræſentationem rigoroſam non requiri ad expreſſionem myſterii, ſed ſufficere ut in modo conferendi Baptiſmum effectus gratiæ ſubſtantialiter reperiretur in Sacramento.

Demum quod cæremoniæ Baptiſmi multa denotent myſteria, dicit S. Baſilius L. de Spiritu ſancto cap. 15. his verbis: " Aqua in Baptiſmo exhibet ſimilitudi- „ nem, corpus velut in ſepulcro recipiens, „ ſpiritus vero vim vivificam immittit, „ a morte peccati renovans animas noſtras „ in novam vitam. „

Replicas: Ille modus debet admitti ad explicandas Eccleſiæ cæremonias, qui magis aptus eſt ad confutandum id omne quod obſtrepentes Hæretici contra uſus Eccleſiæ debacchantur: Sed explicare cæremonias per rationes phyſicas, & naturales, modo ad neceſſitatem, modo etiam ad utilitatem confugiendo, eſt modus aptior ad claudenda Hæreticorum ora: Ergo &c.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo negando minorem; ad quid enim tot Patrum, & controverſiſtarum ſcripta, niſi ad explicandos ſenſus miſticos cæremoniarum? hinc Concilium Trident. Seſſ. 22. c. 5. hæc pronuntiavit de inſtitutione cæremoniarum: " Quo & „ majeſtas tanti ſacrificii commendare- „ tur, & mentes Fidelium per hæc vi- „ ſibilia religionis, & pietatis ſigna ad re- „ rum altiſſimarum, quæ in hoc Scramen- „ to latent, contemplationem excitarentur. „ Quid plura adjiciam? Punctum controverſiæ inter Eccleſiam & Hæreticos illud erat, an Eccleſia potuiſſet, aut debuiſſet novas inſtituere cæremonias propter rationes myſticas; id negavit Calvinus, id Lutherus, & Melanċton: " Non li- „ cet, *inquit iſte in apolog. Confeſſ. Au-* „ *guſt. art.* 15. inſtituere novos cultus ſi- „ ne Dei mandato. „ Numquid nos condemnabant, eo quod cereos accenderamus ad videndum, incenſa fundamus ad expellendos tetros odores? ſed potius quod ea obſervemus propter rationes myſticas: videlicet ad honorandum Deum, cultu illo ſenſibili; hinc Calvinus, Paganorum & Judæorum deliria nos exſuſcitaſſe propugnat: hinc Brentius cæremonias ad legem veterem, utpote quæ erat figura, pertinere aſſerit: hinc Lutherus, hinc Flaccus Illiricus, & alii, noſtras cæremonias velut ſuperſtitiones habent: Sed quare? Niſi propter ſenſus myſticos, quos eis annectimus.

Perſiſtit: Illud ſyſtema debet admitti quod eſt magis ſimplex, quod magis arridet doctis, quodque veriſimilitudinibus & conjecturis non contemnendis fundatur: Atqui explicationes naturales cæremoniarum ſunt hujuſmodi: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Debet admitti illud ſyſtema, ſalvis Eccleſiæ ſtatutis & Patrum ſenſibus, concedo: non ſalvis, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Non penes populi & Novatorum judicium de Scripturæ ſacræ ſenſibus & cæremoniis in illa contentis, aliiſque ab Eccleſia inductis, ratiocinandum eſt, ſin minus a veritate diſceditur, ut videre eſt in operibus Domini Simon, Spinoſæ, Tolan, Leclerc, & quorumdam Novatorum, qui ad explicationes naturales confugientes, in multis myſteria & Dei miracula evacuavere, ut quum tranſitum maris rubri admirabilem ſicco veſtigio remiſſioni aquarum tribuere non ſine temeritate quidam auſi ſunt.

Neque vero ſapit ſicut oportet, qui propugnat pſalmodiam alternatim fieri ne Cantores defatigentur, cum hæc fundetur in illo Angelorum Cantico Iſa. 6. *Clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus*. Quis autem cordatus dixerit, Angelos in cęlo indigere requie? Scribit Socrates L. 6. cap. 8. S. Ignatium Epiſcopum Antiochenum in quodam raptu audiviſſe Angelos hanc laudem Deo canentes, & iſta viſione edoctum, pſalmodiam in ſuam invexiſſe Eccleſiam, qui quidem modus laudandi Deum ad totam Eccleſiam Orientalem ſeſe extendit; tum poſtea tempore D. Ambroſii & ad Occidentalem. Ceterum veriſimilitudines illæ quas tanti facit D. de Vert, ſæpe non ſufficiunt ad explanandas cæremonias: v. g. dicit campanas tantum pulſari ad congregandos Fideles. Petitur ab eo cur pulſentur ad *Te Deum*, in quibuſdam Eccleſiis, ad *Magnificat*, in aliis, tum & in Epiſtola Miſſæ, dum cantatur *Gloria in excelſis*, in elevatione corporis Chriſti in pluribus?

His accedit veriſimilitudines a D. de Vert allatas, ut plurimum falſiſſimas eſſe. Quindecim ad probationem propoſitionis aſſert Illuſtriſſimus Sueſſionenſis Epiſcopus, quarum unam aut alteram hic texere non injucundum erit.

1. *D. De Vert* tom. 2. Pref. p. 36. ait non niſi pro eis qui animam agunt, quondam pulſare campanas fuiſſe in more poſitum, qui quidem uſus uſque in mortuorum gratiam decurſu temporum invaluit: Sed in caſſum ad hanc explicationem naturalem recurrit; ſicut enim pulſantur campanæ ad congregandos Fideles qui pro agonizante orent, eadem prorſus ratione pulſandæ ſunt pro mortuis, ut populus Chriſtianus pro eorum refrigerio Deum deprecetur, quatenus a pęnis eos ſolvere dignetur.

2. *Idem* dicit, eſum carnium ideo licitum eſſe in feſto Chriſti Nativitatis, quacumque die occurrerit, eo quod tali die Verbum caro factum ſit: Honorius vero III. Papa ſuper hoc ab Epiſcopo Pragæ conſultus, reſpondit hanc fieri licentiam propter diei & dignitatem & majeſtatem.

3. *Dum* ad feſtum Purificationis ſuam auctor convertit orationem, contendit candelas accenſas ab omni populo fideli in proceſſione deferri, eo quod beatus Simeon Spiritu ſancto plenus, exclamando, hunc pronuntiaverit Canticum Luc. 2. *Nunc dimittis . . . Lumen ad revelationem gentium*; ſed hæc feſtivitas quinto ſæculo iiſdem cum cæremoniis Jeroſolymæ jam celebrabatur. S. Eligius Noviodunenſis Epiſcopus Hom. 2. in feſt. Purificationis, quique ſeptimo florebat ſæculo, ſcribit candelarum accenſarum pro tali feſto uſum ab Eccleſia fuiſſe inſtitutum, ut reſcinderet ſuperſtitionem Paganorum, qui cereis accenſis, quos in honorem Deæ Februæ portabant, ab omni contaminatione ſe purgari autumabant.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Cæremoniæ Eccleſiaſticæ ſunt ſymbolicæ.

PRIMO: Hoc ipſum annuntiant figuræ veteris Teſtamenti: in primis unctio lapidis quem Jacob erexit in honorem Dei, eſus Agni Paſchalis cum lactucis agreſtibus, cinis vaccæ rufæ, & ſimiles quæ innuebant redemptionem per Chriſtum faciendam.

Secundo: Id docent veteres Eccleſiæ Doctores, ut Tertullianus L. de Jejunio; Hieronymus L. contra Vigilantium.

Tertio: Sic definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 5. cujus ratio palmaris hæc eſt, quod inviſibilia Dei myſteria per ſigna ſenſibilia intellecta cognoſcantur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Fruſtra remittuntur cæremoniæ ad legem veterem, cum ſecundum ſe ſpectatæ non abſimilibus rationibus ad novam ſpectent, videlicet ad ciendos pietatis effectus, ad fidem excitandam in Myſteria, quorum majeſtas affulget in Ritibus quibus conficiuntur; demum ad reverentiam debitam erga Deum promovendam, quem vel ipſi Angeli trementes adorant.

Secundo: Gratis dicitur lapidem erectum a Patriarcha Jacob prius oleo delibutum, caruiſſe myſterio, nam altarium conſecrationem, ut aiunt SS. Patres, præludebat; immo & ipſum Chriſtum unctum oleo lætitiæ præ participibus ſuis Heb. 1. lapidem angularem factum in caput anguli Pſal. 117. ſubindigitabat. Nec, prætermiſſa pietate, dicitur ab Auctore incenſum nihil niſi commune ſapere, quandoquidem ipſe Deus Exod. 30. illud ſanctum appellat, & ſub gravioribus pœnis prohibet, ne illo quis utatur ad uſus mere humanos.

Tertio: Neque vero citra temeritatem exſufflationem Chriſti in Diſcipulos, & Sacerdotis in fontem auctor quid commune dicit, quandoquidem ex S. Auguſtino Tract. 121. in Joan. prior deſignat Spiritum ſanctum nedum a Patre, ſed & a Filio procedere; poſterior vero, eumdem Spiritum ſanctificare aquas, ut ipſæ valeant regenerationem in Baptiſmate operari. Sic vel ipſa explicat Eccleſia; Sacerdos enim benedicens fontem ita loquitur: *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus ſancti*. Tum, facta trina ſuper aquas exſufflatione, ſic proſequitur: *Totamque hujus aquæ ſubſtantiam, regenerandi fœcundet effectu*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qua lingua, & qua voce debeat Miſſæ Sacrificium celebrari?

OCCASIONE verborum iſtorum Apoſtoli, 1. Cor. 14. *Si benedixeris ſpiritu: quis ſupplet locum Idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, neſcit*. Lutherani & Calviniſtæ aſſeruerunt preces publicas Eccleſiæ non niſi lingua vulgari peragi debere, numquam vero demiſſa voce orandum; hinc Lutherus de Captiv. Babyl. tom. 2. pag. 28. ridiculum eſſe ajebat populum, & mulierculas latine orare, lingua vulgari Miſſam eſſe recitandam, canonem alto tono pronunciandum, ea innixus ratione, quod omnes Baptizatos eſſe Sacerdotes aſſerere non dubitaret; Sacerdotes non eſſe Miniſtros, ſed ſolum nomine totius Eccleſiæ deputatos, qui nullam ex ſe habebant auctoritatem, ſed eam a populo recipiebant. Hanc falſam doctrinam ſuo calculo munivit Queſnellus, qui comment. in

Digitized by Google

in verba Apoſtoli laudata ait: *Eripere ſimplici populo ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei*.

Jam vero ſi id unum pronunciaſſet, ſcilicet docendos eſſe ſimplices fideles, ut uniant ſe diſpoſitione cordis, & applicatione mentis laudibus, orationibus, & Sacrificiis Eccleſiæ, nihil niſi quod approbationem mereretur, vulgaſſet: verum cum addat juſtum eſſe, ut filii intelligant id quod eornm mater perficit &, poſtulat pro ipſis, quid ipſi agunt, & deprecantur pro ea, claret eum ibi approbare Calviniſtas obſtrepentes contra Eccleſiam, eo quod partem Liturgiæ ſubmiſſa voce, & non niſi latino idiomate divinum perſolvat officium: hoc motivo ducti ejus aſſeclæ introduxerunt in Eccleſiis Parochialibus conſuetudinem in unum congregandi mulierculas alte decantantes dum Clerus in choro divinum peragit officium; multi vero Sacerdotes his adhærentes erroribus alta voce canonem Miſſæ recitant; hinc Epiſcopi Gallicani Pariſiis congregatii an 1714. in ſua inſtructione Paſtorali dixerunt, Queſnellium illis favere, qui tenent officia divina lingua vernacula, & alta celebranda eſſe.

Neque vero apud Novatores illud inſolitum eſt; legitur enim in libro, qui inſcribitur, *cauſa Queſnelliana*, Dominum Wanhenſen Vicarium quondam in Batavia Apoſtolicum, ſed propter errores Janſenianos a ſancta Sede e dignitatis gradu dejectum, officia ſepulturæ, Baptiſmi, Extremæ Unctionis & Matrimonii Lugduni Batavorum, lingua vulgari peregiſſe.

CONCLUSIO PRIMA.

Juſtis de cauſis Eccleſia Occidentalis divina officia Latino idiomate perſolvit.

Probatur variis argumentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

IDEO volunt adverſarii lingua vulgari perſolvenda eſſe divina officia, ut fideles una cum Clero ea decantare queant: Atqui munus illud omnibus non competit: Et probatur. In antiqua lege ſoli Levitæ erant præpoſiti, ut miniſtrarent ante Arcam Domini, tum ad laudandum, & glorificandum Deum; igitur a fortiori in nova.

Confirmatur: Apud Judæos a captivitate Babylonica ad Chriſtum uſque lingua hebræa eaque avita vix amplius fuit in uſu, cujus rei tot habemus argumenta, quot ſunt diverſæ Scripturæ ſacræ verſiones, & paraphraſes: Legebatur tamen in conventu Eccleſiæ hebraice, ut habetur Lib. 2. Eſdræ cap. 8. ſed cito aderat tunc Levita, qui illam interpretaretur; hinc dicitur ibidem quod populus auditor Scripturam intelligeret. Ipſe Chriſtus & Apoſtoli non ſemel illam audiebant, nec interpretationem arguerunt. Igitur poteſt officium divinum idiomate a vulgari diſtincto perfici. Concinit praxis Eccleſiæ. Apoſtoli ubique Gentium poſt deſcenſum Spiritus ſancti fundarunt Eccleſias, eiſque conſtituerunt Miniſtros, nec tamen dederunt eis Scripturas in linguis vulgaribus: Igitur lingua ignota divina perſolvebantur officia, & Scripturæ legebantur; nec enim Perſæ, Arabes, Indi, Scytæ & alii qui fidem tunc ſuſceperunt, intelligebant vel linguam hebraicam, aut græcam, vel latinam.

Secundo, ex praxi Eccleſiæ Orientalis.

SEQUENTIBUS Sæculis in Provinciis in quibus florebat Religio Chriſtiana, vel Græce, vel Latine divinum perſolvebatur officium; neque tamen omnes illi populi intelligebant id quod Eccleſia pro eis poſtulabat: Enim vero ex ſancto Hieronymo Præf. in libros Paralipomenon, Patriarcha Conſtantinopolitanus, tum Jeroſolymitanus, Antiochenus, & Alexandrinus, verſione LXX. Interpretum utebantur, immo etiam ab urbe Conſtantinopolitana uſque ad Antiochiam S. Lucionii Martyris exemplaria Eccleſiæ legebant, Provinciæ Medorum inter recenſitas Palæſtinis codicibus utebantur, quos ab Origene elaboratos Euſebius, & Pamphilius vulgarunt: ſimiliter Liturgiæ SS. Chryſoſtomi, & Baſilii fuerunt exaratæ lingua græca; has autem, ait Petrus Diaconus, pene univerſus frequentat Oriens: tres aut quatuor, ut claret tunc frequentabantur in Eccleſiis verſiones Scripturæ ſacræ: Atqui tamen in Oriente erant multæ linguæ diverſæ a Græca, maxime ex ſancto Baſilio Lib. de Spiritu ſancto cap.

Digitized by Google

29. in Cappadocia, & Meſopotamia, ab illa etiam diſcrepabat lingua Lycaoniorum juxta illud Act. cap. 14. *Turbæ cum vidiſſent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem ſuam, lycaonice dicentes: Dii ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos*. Et tamen poſtea apud eos Myſteria celebrata ſunt. Igitur non intelligebant linguam qua perficiebantur: pariter Galatæ diverſo loquebantur idiomate; nam teſte Hieronymo Præf. in Lib. 2. Epiſt. ad Gal. linguam, qua Treviri utebantur, illi uſurpabant: in Ægypto etiam erat lingua peculiaris, ut conſtat ex operibus S. Antonii Magni, qui miſit ſeptem epiſtolas ægyptiaco idiomate ſcriptas ad diverſa Monaſteria, in quibus interpretatur epiſtolas Pauli: Demum io Syria era lingua particularis, & diverſa a Græca, ut patet ex operibus ſancti Ephrem in Oriente: Igitur in Eccleſia Orientali erant diverſę linguæ: & tamen ſolum græce ſacra peragebantur Myſteria.

Tertio, ex praxi Eccleſiæ Occidentalis.

In Eccleſia Occidentali officia divina Latine perſoluta ſunt; ita Cyprianus ſermone de Oratione Domini, Auguſtinus Lib. de bono perſeverantiæ cap. 13. *Sacerdos*, inquiunt, *dicit ſurſum corda*; *reſpondet populus*, *Habemus ad Dominum*: Idem de Eccleſia Hiſpanica affirmat S. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 1. officiorum Eccleſiaſticorum cap. 12. 13. 14. 15. Alcuinus, & Amalarius idem aſſerunt de Gallia, Rabanus Maurus de Germania, Venerabilis Beda de Anglia: attamen lingua latina non erat vulgaris in illis omnibus regionibus, quippe quæ haberent illæ omnes linguam particularem: Sanctus Hieronymus Præfatione in caput 2. epiſtolæ ad Galatas docet linguam Punicam ſimilem eſſe linguæ Phæniciorum: eam differre a Latina teſtatur Auguſtinus in Epiſt. ad Romanos expoſitione inchoata num. 13. hanc linguam conformem eſſe Hebraicæ tradit idem Doctor; idcirco in multis ejus operibus plurima verba hebraica leguntur: unde Epiſt. 66. alias 173. ad Criſpum Donatiſtam adhortatur eum, ut Punice interpretetur ea omnia de quibus ambo diſceptabant: Jam vero ſi populi linguam latinam tenuiſſent, interpretatio non fuiſſet neceſſaria: & tamen conſtat in Africa officia divina fuiſſe latine perſoluta.

His accedit quod nunc etiam Æthiopes, Syri, & Armeni lingua vulgari ſancta non celebrent officia: Igitur ſi excipiamus Lutheranos, familiare eſt ceteris nationibus, vulgari lingua divina non decantare officia: porro inquit Auguſtinus Epiſt. 118. contra id quod univerſa Eccleſia facit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Quarto, ex Conciliis.

Postulationes Lutheranorum de celebrandis divinis officiis lingua vulgari, abjectæ ſunt ut novitates periculoſæ, & habitæ ſunt veluti errores jam ab Eccleſia prædamnati: ita Concilium Provinciæ Senonenſis Pariſiis celebratum anno 1527. Similiter Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 8. " Etſi, *inquiunt* „ *Patres*, Miſſa magnam continent po- „ puli inſtructionem; non tamen expe- „ dire viſum eſt Patribus, ut vulgari „ paſſim lingua celebraretur.„ Attamen ne oves Chriſti dicant ſe panem petere, & nullum eſſe qui eis frangat, jubet Concilium Paſtoribus, ut explicent per ſe, vel per alios Myſteria Sacrificii diebus Dominicis, & feſtivis, quod & fit in Miſſa Parochiali. Hinc idem Concilium anathemate ferit eos omnes qui auſi fuerint dicere, condemnandum eſſe uſum Eccleſiæ Romanæ, quæ partem Canonis ſubmiſſe recitat, & lingua vulgari Miſſam non eſſe dicendam ſtatuit.

Quinto, rationibus Theologicis.

Prima: Verba oblationis non tendunt ad populi inſtructionem, ſed diriguntur ad Deum colendum, & ad impetranda populo beneficia: Igitur non eſt neceſſe, ut lingua vulgari recitentur.

Secunda: Si unuſquiſque lingua Patriæ Myſteria perageret, tolleretur communicatio quæ debet florere inter omnia Eccleſiæ membra; quomodo enim Germanus in Gallia, Gallus in Germania, in Polonia, Hungaria, & alibi, poſſent celebrare? Ergo &c.

Tertia: Traditio, uſus, & poſſeſſio Eccleſiæ habent vim regulæ, quam infringere nefas eſt: Sed uſus obtinuit in Ec-

cleſia Occidentali latino idiomate divina celebrare officia. Igitur citra errorem & temeritatem aliter non poteſt fieri.

Quarta: Uniformitas & conſenſio fidem fovet & nutrit; unde enim ſchiſmata, ait Cyprianus, niſi quia non obeditur uni; ut primum enim unuſquiſque abundat in ſuo ſenſu, jam quot capita, tot religiones, ut ultro vel ipſi Calviniſtæ in Synodo Charentonica an. circiter 1636. confeſſi ſunt. Ex quo liquet non ſibi conſtare, dum obſtrepentes adverſus Eccleſiam, Romanum modum cantandi latine laudes Dei ſubverterunt. Atqui ſancta Sedes ſtatuit officium divinum latine ubique eſſe in Occidente abſolvendum. Ergo &c.

Quinta: Ut primum aliqui iſtum divina officia perſolvendi modum immutavere, eos ut rebelles & abhorruit, & damnavit Eccleſia; ut liquet de Proteſtantibus, qui nedum propter ceteros errores, verum etiam & propter in divinis officiis perſolvendis nævos anathemate animadverſi ſunt in Conc. Trid. Hinc ſummi Pontifices Congregationem ſacrorum Rituum, quæ nullam in hoc ſubſtantialem immutationem admitteret, perpetuam eſſe ſataguut. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Eccleſia Sancto Spiritu gubernata, ſapienter ſtatuit Canonem Miſſæ, demiſſa voce eſſe recitandum.

Probatur ex multis capitibus.

Primo, ex Scriptura Sacra.

LEVITICI cap. 16. legitur: *Nullus hominum ſit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro ſe, & pro domo ſua, & pro univerſo cœtu Iſrael, donec egrediatur*: Illæ autem orationes ſubmiſſa fiebant voce: ſic in nova lege, Eccleſia vult ut pars Canonis ita ſubmiſſe recitetur, ut non audiatur a populo: Ergo &c. Luc. 1. narratur quod cum Zacharias ingreſſus eſſet in templum Domini, & omnis multitudo populi foris eſſet orans hora incenſi, *Et erat*, inquit Scriptura, *plebs expectans Zachariam: & mirabantur, quod tardaret ipſe in templo*. Quidni in nova lege licitum erit Myſteria populo occultare?

Secundo, ex praxi Eccleſiæ.

EADEM veritas probatur ex praxi Eccleſiæ; licet enim primis temporibus a participatione Myſteriorum indigni propellerentur, & in gratiam fidelium qui remanebant in templo, quædam canonis Miſſæ orationes tunc alta pronunciarentur voce: multa tamen ſubmiſſe, dicebat Sacerdos, quæ populus audire non valebat. Et probatur: In Liturgia S. Baſilii omnes fere preces tenetur recitare Sacerdos ſubmiſſa voce, ut patet ex titulis quæ ſic inſcribuntur, *Sacerdos orat ſecrete*. In Liturgia ſancti Chryſoſtomi 29. orationes reperiuntur quas tenetur Sacerdos ſecrete recitare, ut patet etiam ex titulis.

Tale ſilentium ſervatum fuiſſe circa Myſteria teſtatur Auguſtinus Lib. de Catechizandis rudibus cap. 9. " Ipſa, *inquit*, „ utilitate ſecreti, unde Myſteria vocan„ tur. „ Rurſus in Pſal. 138. loquens de Gentilibus ait: " Opera noſtra bona „ vident, Sacramenta vero occultantur „ illis. „

Ritus præſcribitur in Miſſa Mozarabica: *Deinde in ſilentio junctis manibus, inclinando ſe ante altare dicit*. Hæc Miſſa tribuitur S. Iſidoro Hiſpalenſi qui florebat ſexto ſæculo. Similiter auctores qui de divinis officiis ſcripſerunt notant rubricam longo uſu conſecratam.

Rupertus Lib. de div. offic. cap. 5. ait: " Secreta memoria dominicæ paſſioni eſt „ .... Horum omnium forma, faciesque „ vera, ita ſecreto repræſentatur in ca„ none. „ S. Thomas ejuſdem eſt ſententiæ 3. p. q. 83. art. 4. ad 6. " Quædam „ *inquit*, Sacerdos ſolus proſequitur, quę „ ſcilicet ad proprium officium Sacerdo„ tis pertinent, ut ſcilicet dona & pre„ ces offerat pro populo ..... Quædam „ vero pertinent ad ſolum Sacerdotem ſic„ ut oblatio & conſecratio, & ideo „ quæ circa id ſunt dicenda, occulte a „ Sacerdote dicuntur. „

Durandus Lib. 4. Rationalis divinorum officiorum cap. 35. ſic habet: " Poſt ac„ clamatum præconium ſecretum ſilen„ tium in quo & Miſſæ canon devote „ dicitur .... Dicitur etiam ſecre„ ta, quia ſecrete, ſub ſilentio dicitur. „

Honorius Auguſtodunenſis in Libro inſcripto *Gemma animæ* de canone Miſſæ

cap.

Digitized by Google

cap. 103. ſic loquitur : " Hic ob tres cau-
„ ſas ſub ſilentio dicitur : una eſt quia cum
„ Deo loquimur, cui non ore, ſed corde
„ clamare præcipimur . . . . . Secunda
„ eſt ne populus tam prolixa declamatio-
„ ne attediatus recedat. Tertia eſt, ne
„ tam ſancta verba tanti Myſterii vile-
„ ſcant &c.

Aſtipulatur Alcuinus Lib. de divinis officiis de celebratione Miſſæ, ubi ſic ait : " Te igitur Clementiſſime Pater &c. „ Reliqua idcirco, ut ferunt, conſuetudo „ venit in Eccleſia, ut tacite iſta obſe- „ cratio, atque conſecratio a Sacerdote „ cantetur, ne verba tam ſacra . . . vi- „ leſcerent. „

Tertio, ex Miſſis MSS. antiquiſſimis.

R. Pater Martene De Antiquis Eccleſiæ ritibus Lib. 1. art. 8. num. 4. Nobis Miſſam dedit a pluſquam 700. annis ſcriptam, cujus manuſcriptum adinvenit in Bibliotheca Abbatiæ S. Albini in urbe Andegavenſi; in ea autem hæc leguntur : " Conſe- „ crationem corporis, & ſanguinis Domi- „ nici ideo ſemper, & ſilentio arbitror „ celebrari, quia S. in eis manens Spiritus „ eumdem Sacramentorum latenter ope- „ ratur effectum. „

Tomo 6. Bibliothecæ Patrum edit. Pariſ. pag. 235. & 240. habemus expoſitionem Miſſæ ignoti quidem auctoris, ſed juxta peritos, antiquiſſimi, ubi hæc habentur : " Prima autem oratio ſuper corpus Chri- „ ſti futurum ſecreta dicitur, & ſecre- „ te cantatur, quia de Gentilibus qui „ erant venturi in corpus Chriſti, ante- „ quam idem conſecraretur in cruce ſe- „ creto, & myſtice prophetabatur : ſi er- „ go Chriſtus ſolitudinem quæſivit in ora- „ tione, quanto magis nos oportet quære- „ re, & tacite orare . . . . Utile eſt enim „ omnem orationem ſpecialem Sacerdotum „ ſecretam eſſe, ut non cogitent quomodo „ placeat compoſitio oris populo, ſed „ quomodo penſent qualiter mens poſſit „ placere ſoli Deo quem orant . . . Cur, „ *te igitur*, ſecreto canitur, ut Chriſto „ obediatur dicenti, Tu autem cum ora- „ veris intra in cubiculum tuum, & clauſo „ oſtio, ora Patrem tuum; moris namque „ fuit SS. Patrum, & cum vellent ſpeciali- „ ter orare, primum Deo laudem agerent, „ & poſtmodum orationem ſecretam perfi- „ cerent. „ Inde concludit P. Martene uſum recitandi ſecrete canonem eſſe antiquiſſimum in Eccleſia, cum profiteatur ille auctor id ſe ab auctoribus ſe antiquioribus accepiſſe.

Eamdem doctrinam tradit Amalarius Lib. 3. de Eccleſiaſticis officiis cap. 20. " Se- „ quitur, *inquit*, ſecreta : ſecreta ideo „ nominatur quia ſecreto dicitur . . . Sa- „ cerdotis ſolius eſt ſoli Deo offerre ſacrifi- „ cium, ac ideo quia Deo cogitationibus „ loquimur, non eſt neceſſaria vox ro- „ boans, ſed verba ad hoc tantum, ut ei- „ dem admoneatur Sacerdos quod cogitare „ debeat. „ Et cap. 23. *De Te igitur*, ſic, ait, " Quia Deus non vocis, ſed cordis „ auditor eſt . . . Quod Anna in 1. Re- „ gnum libro, Eccleſiæ typum portans „ cuſtodit & ſervat, quæ Deum . . . pre- „ cabatur . . . . loquebatur non voce, ſed „ corde. „

Pro octavo Sæculo ſe prodit expoſitio Miſſæ Romanæ auctoris incogniti; quique videtur ſcripſiſſe a plúſquam nongentis annis apud Martene Tom. 1. pag. 447. in ea ſic legitur : " Peractis omnibus „ quæ ſupra memoravimus; facto magno „ circumquaque ſilentio, incipit jam Sa- „ cerdos fixa in Deum mente, ſalutarem „ . . . . Hoſtiam conſecrare. „

Mathias Illyricus, Dux Centuriatorum Magdeburgeſium an. 1557. typis mandari curavit Miſſam latinam, quam in antiquo adinvenit manuſcripto, & cui hunc præfixit titulum, *Miſſa latina quæ olim fuit in uſu ante Romanam* ann. a Chriſto nato 700. Hanc autem Cardinalis Bona in ſua appendice liturgiarum inſeruit, pag. 5500. In ea hæc leguntur : " Deinde cum ſumma reverentia incipiat, „ *Te igitur*, & Miniſtri ſtantes in gradi- „ bus ſuis cantent iſtos Pſalmos uſque dum „ *Te igitur*, finiatur. *Exaudiat te Domi- „ nus, &c. Ad te Domine levavi, &c.* pag. „ 5503. expleta ſecreta & Oratione Do- „ minica. „ Ibi claret eo tempore quo Sacerdos ſecrete orabat, clerum alta voce Pſalmos decantaſſe.

In 1. Ordine Romano relato a Mabillonio quique eſt ſexti ſaltem ſæculi pag. 48. hæc habentur. " Subdiaconi, „ finito offertorio, vadunt retro altare „ . . . uſque dum, dicta oratione ſuper ob- „ lationes ſecreta, & Epiſcopo alta voce „ incipiente, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, fini-

„ finita Præfatione, incipiunt dicere Hy-
„ mnum, quæ dum expleverint, ſurgit
„ SS. Pontifex, & tacite intrat in Cano-
„ nem... Et cum dixerit, aperta cla-
„ mans voce, *Nobis quoque peccatoribus*. „

Jam: Quod ſpectat ad Eccleſiam Græcam, præter Liturgias SS. Baſilii, & Chryſoſtomi jam citatas, Græcos ſecrete Liturgiam recitaſſe colligimus ex modo quo eorum erant Baſilicæ ædificatæ; erant quippe ad inſtar templi Jeroſolymitani: In illis Laici cancelis a Clero ſeparati erant, vel ipſimet Clero occultum erat Sanctum Sanctorum in quo erat altare, cujus quidem conſpectus eis abripiebatur per ingens velum expanſum inter chorum & altare: D. Chryſoſtomus Homil. 61. ad populum Antiochenum, ad portas ſanctas quæ Sanctuarium occultabant, vela fuiſſe affirmat; quare in Liturgia S. Baſilii, legitur oratio veli, & oratio velaminis: Dominus de Laubepine Epiſcopus Aurelianenſis in tractatu de Euchariſtia Lib. 1. cap. 10. annotat, apud Græcos celebrantem ſolitum fuiſſe ſacrum incipere in navi, deinde in choro, cui liturgiæ partim aderant Catechumeni, cum autem iſti poſtea e templo fuerant egreſſi, celebrans intrabat tunc in Sanctum Sanctorum ad inchoandum ſacrificium; cum autem pervenerat ad velum quo occultabatur, antequam ulterius progrederetur, orationem depromebat. Ipſe Cabaſilas rituum Græcorum non ignarus in expoſitione Liturgiæ cap. 53. ſic habet: “ Ad altare &
„ apud ſe, & nullo audiente, & ad Deum
„ intentus orat. „

Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem.

OBJICIT Auctor Exemplarium Queſnellii ejuſque Apologiſta, iſta 1. Cor. cap. 14. verba: *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam ſi orem lingua, Spiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Ceterum ſi benedixeris ſpiritu: Quis ſupplet locum Idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicat, neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis: Sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquar. Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam: quam decem millia verborum in lingua.* Sed ex his conſtat utendum eſſe lingua vulgari ad Sacra celebranda. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Illud teſtimonium objectum fuiſſe Eccleſiæ Romanæ ab omnibus hæreticis qui lingua vulgari celebranda eſſe volebant divina officia, unde pudere debet illum auctorem pro defendendo Queſnellio arma Calviniſtarum ſumere.

Reſpondeo 2. negando minorem; nam eo loci D. Paulus loquitur de dono linguarum, quod multi ex Corinthiis receperant, quo tamen non ſatis ordinate in Congregationibus Eccleſiaſticis utebantur.

Ibi etiam agitur de collationibus, quæ inter fideles habebantur, ut ſe ſe ad virtutem alacri animo proſequendam adhortarentur. Tum & fundebant ſimul preces ad auxilium Dei ſuper ſe adducendum. Et ut multa paucis complectar, Apoſtolus diverſitatem linguarum non prohibet, immo licentiam facit unicuique ſuo uti idiomate, modo ſit aliquis interpres, qui adſtantibus preces, vel colloquia exponat: his adde quod auctor citatus infideliter traduxerit teſtimonium D. Pauli: quippe qui ibi Apoſt. non loquitur de populo, ſed de Diacono, qui ut poſſit Sacerdoti reſpondere tenetur callere linguam: ſic autem vertit ille auctor gallice: *Comment celui qui n' eſt que du ſimple peuple repondrat-il* Amen, *a celui qui eſt a la place du peuple?*

Inſtat: Si Queſnellius intendiſſet ſtabilire lingua vulgari celebrandam eſſe Miſſam, in verſu præcedenti non dixiſſet quod ex officiis Paſtoris, unum illud ſit, ſcilicet in oratione publica ſequi uſum Eccleſiæ: Atqui hæc verba leguntur in ejus commentariis: Ergo &c.

Reſpondeo 1. Novatoris illud eſſe inventum, ut ſi quis eum urgeat, ſe ſe ab errore valeat expedire, dicendo ſe alibi catholice loquutum: ſic Pelagius accuſatus, quod divinam negaret gratiam, dixit ſe ſcripſiſſe gratiam eſſe neceſſariam ad bene agendum: Verum ſciſcitans Auguſtinus de qua gratia loqueretur, hæreſim manifeſtavit omnibus notam: ſic & nos ſi a Queſnellio depoſcamus ut dicat, de qua Eccleſia loquitur, & de quo uſu, ſtatim diſtinguet duplicem Eccleſiam, unam præſentis temporis, alteram antiquam, cujus intendit

uſus

Digitized by Google

uſus eſſe ſequendos: ſic & pariter Calviniani loquuntur. Verum quod intenderit Queſnellius lingua vulgari celebranda eſſe divina officia, interpres ipſius erit ille idem Apologiſta; ſic enim habet Exemplarium pag. 261. " Intentio Eccleſiæ eſt „ præ manibus fidelium, libros in lingua „ vulgari reponi, ut filii uniant vocem „ ſuam voci matris. „

Objicit Chancerius Calviniſta tom. 1. l. 11. cap. 9. num. 26. Paſtores inquit, olim verbum Dei annuntiabant populis græce: Igitur illam linguam intelligebant: Etenim præterquam quod Apoſtoli ſuas græce enarrarunt epiſtolas, quas ad diverſas Eccleſias direxere, D. Chryſoſtomus Antiochiæ prædicabat græce, Baſilius Cæſareæ, alter Baſilius Seleuciæ, Athanaſius, & Cyrillus Alexandriæ: Igitur cum in Aſia Minori lingua græca foret in uſu, manifeſtum eſt divina officia a SS. Patribus lingua vulgari fuiſſe celebrata.

Reſpondeo ad primum, inde non ſequi omnes particulares intellexiſſe linguam græcam; ſufficiebat enim ut Rectores Eccleſiarum illam collerent, qui & poſtea lingua vulgari ſcripta populis interpretabantur. Ad Romanos ſcripſit græce D. Paulus, & tamen hæc lingua non erat magis in uſum apud eos, quam latina apud Gallos, & Germanos.

Ad ſecundum dico: Etiamſi ſermones Patrum extent græce, non inde ſequitur eos græce diſſeminaſſe verbum Dei: Sermones ſanctorum Bernardi, Thomæ, Laurentii Juſtiniani &c. Latine extant: illi tamen Doctores non latine populis loquuti ſunt: Demum eſto ſanctos Patres prædicaſſe græce; id unum eruitur, ſcilicet in illis urbibus linguam græcam fuiſſe familiarem, ſed inde concludendum non eſt populos Ægypti, & Syriæ græcam linguam tenuiſſe.

Inſtat: D. Hieronymus in præfatione epiſtolæ ad Gal. hæc habet: " Excepto „ ſermone Græco quo omnes Orientales „ utuntur. „ Igitur in omni Oriente lingua græca erat familiaris.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: Et loquitur de Orientalibus eruditis, & nobilibus, concedo: de omnibus populis, nego. Iſta loquutio ſimilis eſt illi, qua quis diceret, lingua latina eſt in uſu in omni Europa: Quod intelligendum venit dumtaxat de omnibus eruditis, non enim commune eſt populis, ut duplici loquantur idiomate.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

Contra ſecundam Concluſionem.

OBJICIUNT Novatores: S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis ſic habet: " Ubi qui Congregationi præeſt ſinem impoſuit precibus, & gratiarum „ actioni, omnis populus qui adeſt re„ ſpondendo *Amen*, teſtatur ſe approbare „ quod dicit Sacerdos . . . „ Tum ſanctus Baſilius Epiſt. 63. ait " Populus nocte ſur„ gens diluculo petit Eccleſiam, poſt quam „ ſe humiliavit ante Dominum, ſe „ ad pſalmodiam diſponit, & alterna„ tim cantat. „

Sanctus Chryſoſtomus Homil. 18. in 2. ad Cor. hæc ſcribit: " Populus, & Sa„ cerdos eaſdem fundunt preces . . . . In „ tremendo Myſterio ſalutat Sacerdos po„ pulum, & viciſſim, nec enim ſolus „ Sacerdos agit, ſed omnis cum eo po„ pulus, nec mirum quod populus junga„ tur Sacerdoti, cum Cherubim, & Sera„ phim laudes divinas ſimul decantent. „

S. Auguſtinus Lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani cap. 7. num 14. ſic loquitur: " Cum Epiſcopus intravit in Eccleſiam, „ orat cum eo populus, & conſenſum „ dat omnibus precibus dicendo, *A„ men*. „

Reſpondeo, hæc omnia teſtimonia eodem modo ſolvi, cum iis etiam temporibus populus reſpondet, *Amen*, in precibus Eccleſiæ, nec cantus ei interdicitur, niſi cum eſt periculum ne turbet officia divina; eaſdem fundit preces cum Sacerdote in tremendo Myſterio, tenetur adorare, & gratias agere Deo: dum hæc munia peragit Sacerdos orat etiam cum illud ei præcipiat celebrans dicendo, *Orate fratres*. Sed non dicunt laudati Patres quod intendit Queſnellius, ſcilicet populum debere omnia audire, & intelligere.

Inſtant: Cum præcipit Concilium Tridentinum canonem ſubmiſſa voce pronunciari, id unum iatendit, nimirum non eſſe decantandas orationes ex quibus componitur. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens; ibi enim agit Concilium contra Proteſtantes, qui

qui conſuetudinem Eccleſiæ ſubmiſſa recitandi voce canonem condemnabant. 2. Hanc eſſe mentem iſtius Concilii patet ex Rubricis Romæ impreſſis cum Miſſali juſſu Pii V. *Celebrans*, inquint, *profunde inclinatus incipit canonem, ſecrete dicens*. Idem tradit S. Carolus in ſuis inſtructionibus pro celebratione Miſſæ p. 4. pag. 626. Idem ſancitum eſt in Concilio Burdigalenſi habito anno 1585. ubi præcipitur, ut Rubricæ Miſſalis Romani obſervarentur. Idem in Concilio Biturricenſi anno ſequenti habito titulo de Miſſa can. 13. Idem in Concilio Narbonenſi ann. 1619.

Concinit vel ipſe Arnaldus, qui in Lib. de frequenti communione p. 2. c. 43. hæc ait: " Si quis in dubium vellet re-„ vocare ſenſum qui affigitur his verbis „ *ſubmiſſa voce* Concilii Tridentini, con-„ ſulat inſtructiones D. Caroli, in quibus „ hæc verba ſumuntur pro *ſecrete*: ſimili-„ ter in novo Miſſali Pariſienſi hæc verba, „ *ſubmiſſa voce*, & *ſecreto* indiſcriminatim „ uſurpantur. „

Reponunt: Concilium Rhemenſe habitum anno 1583. ſic habet: Sacerdos cele-„ brans Miſſam curet pronunciare verba „ ſacrificii modo claro, & diſtincto, & qui „ poſſit intelligi ab omni populo. „ Ergo &c.

Reſpondeo Apologiſtam, textum defloraſſe: Adſunt verba: *Sacrum autem faciens clara, diſtinctaque voce ita pronunciet ut ſub aſſiſtentibus ſaltemque Miniſtris altaris poſſit intelligi, Miniſtrorum vero nomine cenſemus etiam eos hoc loco qui ſacrificanti respondent, & inſerviunt*. Obſerves velim ibi non de populo, ſed de Miniſtris Concilium loqui.

Urget: Germanus Aurelianenſis qui florebat anno 1585. in ſtatutis Diœceſanis approbat, ut Sacerdos pronuntiet alta voce, & diſtincta verba ſacra, quæ canonem Miſſæ componunt, & illa præſertim quæ ſunt magis eſſentialia ſacrificio. Ergo &c.

Reſpondeo, ne leve veſtigium eſſe horum ſtatutorum, vel ſi quæ ſint, fuerunt aliena manu deflorata. Ut ut ſit, auctoritas unius Epiſcopi non prævalet conſuetudini univerſæ Eccleſiæ, quæ modo in Synodis Provincialibus, modo etiam in Tridentina Oecumenica canonem Miſſæ ſecrete pronuntiari voluit.

Replicant: Patres Benedictini in ſua S. Ambroſii editione: maxime vero in ſuis ad caput 9. libri Myſteriorum notis, ſcribunt alta voce canonem tunc recitari. Ergo &c. Probant illud ex illis verbis iſtius Doctoris ex cap. 5. L. 4. de Sacramentis depromptis: " Ergo non otioſe dicis tu, „ *Amen*, jam in ſpiritu confiteris quod ac-„ cipias corpus Chriſti: Dicit ibi Sacer-„ dos, corpus Chriſti; & tu dicis, *Amen*; „ hoc eſt verum, quod confitetur lingua, „ teneat affectus. „

Reſpondeo 1. Dato & non conceſſo hunc in Eccleſia Mediolanenſi viguiſſe morem, non inde ſequeretur totius fuiſſe Occidentis: Ceterum non valet conſequentia a ſenſu diſtributivo ad collectivum.

Reſpondeo 2. Negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Et ibi S. Ambroſius loquitur de Communione, concedo: de Conſecratione. nego. Solutio per ſe patet.

Inſtans: Idem ſanctus Doctor L. de Myſteriis cap. 9. hæc habet: " Vera utique ca-„ ro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta „ eſt; vere ergo, carnis illius Sacramen-„ tum eſt, ipſe clamat Dominus Jeſus, „ Hoc eſt corpus meum. Ante benedi-„ ctionem verborum cœleſtium, alia ſpe-„ cies nominatur, poſt conſecrationem cor-„ pus ſignificatur: & tu dicis, *Amen*, „ hoc eſt, illud verum eſt quod os loquitur „ mens interna fateatur, quod ſermo ſo-„ nat, affectus ſentiat: his igitur Sacra-„ mentis paſcit Eccleſiam Chriſtus. „ Ergo in ea mente fuit Ambroſius, quod canon alta voce dicendus eſſet: Sin minus populus non ſciret quo tempore reſpondendum foret, *Amen*.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi conſiderat Euchariſtiam Ambroſius in ratione Sacramenti, & quatenus eſt alimentum ſpirituale animarum concedo: in ratione Sacrificii, nego. Affirmat ſanctus Doctor Euchariſtiam, eſſe veram Chriſti carnem, & Dominum clamare eam eſſe corpus ſuum: ſpectat igitur illam ibi, ante conſecrationem, & poſt, ante verba cœleſtia quod apparet vocatur panis, poſt conſecrationem, corpus ſignificatur: quando igitur ſubjungit, & tu dicit, *Amen*, non in ea eſt mente ſolitum fuiſſe populum immediate poſt conſecrationem, illud *Amen*, reſpondere, ſed dumtaxat tempore

com.

Digitized by Google

communionis. Quod autem D. Ambroſius in ea noo fuerit mente, *Amen*, illud fuiſſe pronunciatum in Eccleſia ſua immediate poſt conſecrationem, comprobavit factum iſtius Præſulis erga Theodoſium poſt cædem Theſalonicenſem. Sic refert Theodoretus Lib. 5. cap. 18. " Cum autem ,, tempus adveniſſet quo dona ſacræ menſæ ,, eſſent offerenda, ſurgens Imperator, pro- ,, greſſus eſt ad altare; cumque obtuliſſet ,, intus ad cancellos, ſubſtitit ſicut conſue- ,, verat. Tunc rurſus Magnus Ambroſius ,, ſilentium non tenuit, ſed locorum diſ- ,, crimina quæ eſſent edocuit, ac pri- ,, mum quidem interrogavit eum, num ,, quid vellet: & cum Imperator reſpondiſ- ,, ſet, præſtolari ſe ſacrorum myſteriorum ,, perceptionem, per Archidiaconum hæc ,, ei ſignificavit, interiora loca, Impera- ,, tor, ſolis Sacerdotibus patent, reliquis ,, omnibus inacceſſa ſunt, & intacta. Abſ- ,, cede igitur, & una cum aliis conſiſte, ,, nam purpura Imperatores facit, non ,, Sacerdotes. ,, Ex hoc teſtimonio colligimus locum in quo celebrabat Sacerdos ſeparatum fuiſſe ab eo in quo erant fideles, ſoliſque Sacerdotibus erat licitum in interiori ſtare loco. Conſtantinopoli Imperator permanebat quidem in Sanctuario ab offertorio ad communionem uſque, ſed hoc tolerare non potuit Ambroſius: Solo ergo communionis tempore, *Amen* dicebant fideles, nec tempore conſecrationis voluiſſent dicere; tunc enim longe aberant a Sanctuario. Ritus obſervandos in Sacrificio Miſſæ in Eccleſia Mediolanenſi a Divo Ambroſio fuiſſe præſcriptos teſtatur Valafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. illud Miſſale D. Carolus Borromæus typis rurſum mandari curavit; in rubrica autem præſcribitur modus quo verba conſecrationis debent pronunciari; de illis autem ſic habet: " Secrete, di- ,, ſcrete, integre proferat infra ſcripta ,, verba conſecrationis, *Hoc eſt enim corpus* ,, *meum*. ,, Ibi nullum eſt, *Amen*, reſpectu fidelium. Eadem eſt ſolutio ad auctoritatem Tertulliani Lib. de Spectaculis cap. 5. *Amen*, quippe quod ait a fidelibus pronuntiatum fuiſſe, ſpectabat tempus communionis, nuſquam vero conſecrationis; eo quippe loci perſtringit fideles qui eadem lingua ſanguine Chriſti tincta audebant encomiis crudeles efferre gladiatores. " Eo ore quo *Amen* in ſanctum pro- ,, tulerant; gladiatori teſtimonium reddere ,, re non verebantur. ,,

Inſiſtunt: Florus, qui tempore Caroli Calvi vivebat in expoſitione Miſſæ, & habetur tom. 6. Bibliothecæ Patrum pag. 230. ſic loquitur: " Amen autem quod ,, ab omni Eccleſia reſpondetur, inter- ,, pretatur verum, non ubicumque, & ,, quomodocumque, ſed myſtica religione. ,, Hoc ergo ad tanti myſterii conſecratio- ,, nem, ſicut & in omni legitima ora- ,, tione reſpondent fideles, & reſponden- ,, do ſubſcribunt; adjungit autem adhuc ,, Sacerdos, & dicit, Oremus præceptis ,, ſalutaribus moniti, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et illud Amen, de quo Florus, eſt Amen, quod reſpondent fideles quando Sacerdos alta voce Orationem recitabat Dominicam, concedo: eſt Amen prolatum immediate poſt conſecrationem nego; ad hæc autem verba, illud determinat Florus, ut patet ex ultimis teſtimonii verbis.

Inſtant: Conſtat ex liturgiis Græcorum ſacro adſtantes poſt conſecrationis verba reſpondiſſe, *Amen*; illi audiebant verba canonis. Ergo &c.

Reſpondeo cum Domino de Laubepine tract. de Euchariſtia L. 2. c. 14. diſtinguendo: *Amen* pronunciabant eo quod tunc Diaconus qui prope Sanctuarium adſtabat, aut in loco erat eminenti admonebat eos qui erant in pulpito, ut *Amen* reſponderent, concedo: Quaſi ipſi audirent verba conſecrationis, nego. Solutio non indiget explicatione.

Urget: A tempore dumtaxat Moſchi, VII. ſcilicet ſæculo cœpit Eccleſia canonem ſecreta voce pronunciare: Ergo &c. Probatur antecedens: Ex hiſtoria paſtorum Apameæ in Syria, quam refert idem Moſchus in prato ſpirituali cap. 196. unus autem, ex illis, inquit, ſanctæ oblationis verba depromebat, eaque callebat, quia tunc erat in conſuetudine poſitum, ut in Eccleſia juvenes prope altaris cancellos adſtarent, primique poſt clerum communicarent; quia vero in quibuſdam locis ſolerent Sacerdotes alta voce verba pronunciare ſancti Sacrificii, ea illi memoriæ mandarunt, cum autem peregiſſent omnia quæ facit Eccleſia antequam fregiſſent panem, & communicaſſent, ignis cœleſtis conſumpſit omnia quæ ibi erant; hanc inde conſequentiam trahit

 D. Mar-

D. Martene Tom. 1. pag. 397. "In Orien-
„ tis, *inquit*, tamen ſaltem quibuſdam
„ Eccleſiis alta pronunciabatur voce, cu-
„ jus rei teſtis locuples Moſchus. „

Reſpondeo I. Inde ſequi hanc conſuetudinem quarumdam Orientis Eccleſiarum, & non Occidentis, nec fuiſſe ritum generalem. Eſto id fuerit in uſu in Eccleſia Apamenſi, ſed hoc ceterarum Eccleſiarum conſuetudini adverſabatur; hinc Moſcus non dicit exinde contigiſſe, ut poſtea a recitatione canonis ſecreta abſtinuerit Eccleſia.

Reſpondeo II. Auctoritatem Moſchi eſſe dubiæ fidei: Nullus enim Scriptor a decimo ſæculo ad nos uſque refert Eccleſiam antiquum modum recitandi Canonem immutaſſe, quin potius conſuetudo ſecrete eum dicendi perſeverat.

Reponunt: Morem Chriſti in myſterio conficiendo gerere quiſque tenetur: Sed Salvator alta voce verba conſecrationis ſacram communionem ſuis conferendo Diſcipulis pronuntiavit, ut colligitur ex D. Paulo 1. Cor. 11. ubi dicit: *Accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem*: Igitur ſicut ipſe Dominus Jeſus alta voce verba præcipua canonis pronuntiavit, ſic & debet quilibet Sacerdos enuntiare.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Alta voce pronuntiavit Chriſtus, quia ordinabat Apoſtolos Sacerdotes, eoſque de myſterio conficiendo edocebat, concedo. Sic & Epiſcopus conſecrando Sacerdotes alta voce pronuntiat formam. Ex his concludendum eſt Canonem alta voce pronuntiandum eſſe, nego. Ritum conficiendi ſacrificium reliquit Chriſtus Eccleſiæ determinandum, hinc citra temeritatem non pervertitur ordo ab ea pro canone dicendo præſcriptus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eccleſia juſtis de cauſis ſtatuit I. Officium divinum Latino idiomate perſolvi, Canonem vero Miſſa voce demiſſa pronuntiari.

PRIMUM patet; nam vel ipſi Judæi poſt captivitatem Babylonicam alieno idiomate utebantur; Levitæ vero interpretabantur populo ſacram Scripturam, quæ ſemper hebraice legebatur. II. Prioribus ſæculis Eccleſia ipſam eamdem Scripturam græce legebat, & græco idiomate divinum perſolvebant officium; tametſi Ægyptii & Æthiopes hanc non callerent linguam. III. Sic ſtatuit fieri Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 8.

Secundum utique certum eſt. I. In antiqua lege ſolus magnus Sacerdos ſemel in anno in Sancta Sanctorum Deum & pro ſe & pro populo oraturus intrabat, quod argumentum eſt myſteria in ſecreto eſſe conficienda, juxta illud Angeli Raphaelis ad Tobiam cap. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. II. Hoc ipſum produnt variæ pervetuſtæ Miſſæ, ut Mozarabica, in qua habetur rubrica de canone demiſſa voce pronuntiando. II. Uſus & poſſeſſio Eccleſiæ obtinuit ut ſic diceretur, & ita definivit Concilium Tridentinum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametſi Apoſtolus 1. Cor. 14. velit omnes intelligere quæ de Deo in Scripturis dicuntur, non inde concludendum eo loci ſtatuere, lingua vulgari Scripturam ſemper eſſe proponendam, cum ibi mentionem faciat de interprete; maxime cum ejus temporibus lingua hebræa jamjam non eſſet familiaris.

Secundo: Ex eo quod populus quondam in Eccleſia *Amen*, reſponderet; ſequitur ſolum vel tunc ad ſacram Synaxim acceſſiſſe, vel admonitum fuiſſe a Diacono ut ita reſponderet.

Tertio: Nec quidquam concluſioni ſecundæ contrarii ſequitur ex exemplo Chriſti qui alta voce verba conſecrationis adſtantibus Diſcipulis pronuntiavit; latum eſt enim diſcrimen inter iſtud factum, & Miſſam nunc celebrandam, quandoquidem Chriſtus ſacra myſteria corporis & ſanguinis ſuis dabat Diſcipulis, quos & Sacerdotes ordinabat; in Canone vero perficitur myſterium quod penes eſt Sacerdotem. Ceterum Eccleſia poteſtatem habet inſtituendi ritus pro celebratione Miſſarum; hinc eos tentare ſcelus eſt.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum ſacri Ritus in Anglia ſint practici?

DUPLICIS generis ſunt ſacri Ritus, quidam ad oſtenſionem & majeſtatem myſteriorum conducunt, quidam etiam conficiunt res ſacras, quas vel præcedunt, vel concomitantur.

Prioris generis ſunt incenſationes, ornamenta, cantus modo uno, modo etiam altero & elegantiori modo ſeu tono concinnatus; poſterioris ſunt Sacramentorum & ſacramentalium confectiones v. g. panis benedictus, aqua luſtralis, benedictio Epiſcopi &c. tum ſacrum regenerationis lavacrum, ſed non uno & eodem modo tinguntur infantes, quandoque hoc fit per infuſionem aquæ, ut nunc uſus obtinuit, nonnumquam per aſperſionem, ut tempore Apoſtolorum, ſæpius etiam per immerſionem, ut tertio & quarto ſæculo factum legitur. Si de rebus ſacramentalibus ſermo fit, certum eſt ea fieri precibus Eccleſiæ, v. g. aqui luſtralis, in qua quidem paululum ſalis immiſcetur; hinc ex variis ritibus exurgit benedictio aquæ, & in aqua quædam virtus quæ vim habet ad expellendos dæmones.

Tametſi Proteſtantes omnes ferme exſufflaverint cæremonias, ad honoris tamen gradum multi retinent Epiſcopatum, ut inter eos Lutherani, tum & Angli, qui a Presbyterianis, ſeu Calviniſtis putant hoc gradu diſtingui.

Non eſt animus hic fuſo calamo de Ordinatione Epiſcoporum Anglorum differere propter duo: Primo quidem ex eo quod quæſtio videatur prorſus inutilis: dato enim & non conceſſo quod ordinationum ſucceſſio apud eos perſeveret, ut perperam contendit P. Courayer in diſſertatione de ſucceſſione & validitate Ordin. Epiſc. Angliæ ann. 1723. juris publici facta, manet ſemper illius regionis Præſules ab Eccleſia Romana ſchiſmate & hæreſi divulſos eſſe, adeoque omnium cenſurarum vinculis innodatos, miſſione & jurisdictione expertes, atque ab omni Eccleſiæ gradu dejectos. Secundo Catholici Anglorum Doctores validiſſimis argumentis non ſemel demonſtrarunt in Heterodoxis legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem defeciſſe, vel noſtris etiam temporibus ſuum acuit ſtylum R. P. Hardouin Societatis Jeſu Theologus, adverſus diſſertationem R. P. Courayer; ſed ne aliquid momentoſum noſtræ deſit Theologiæ, hanc eamdem controverſiam breviter eliquare, diſcutere & explicare tribus capitulis proponimus. In primo texitur hiſtoria Schiſmatis Anglicani, ex qua velut ex fonte primigenio deſumuntur probationes concluſionum. In ſecundo capite quæſtio juris, an ſcilicet ordinationes Anglorum vacuæ ſint, reſolvitur. In tertio tandem quæſtio facti, de tempore quo ceſſavit ſucceſſio Ordinationum iſtius regionis.

§. I.

Hiſtoria critica.

Schiſmatis Anglicani.

Ortus.

PRIMO: Henricus VIII. Anglorum Rex primum acerrimus fidei defenſor, ut annuntiat liber quem adverſus Lutherum ejuſque aſſeclas conſcripſit, ex quo fidei Protectoris nomine a ſummis Pontificibus donatus eſt; tum concupiſcentia ſuperatus, dimiſſa propria uxore, ex qua tamen ſuſceperat liberos, multas alias duxit, de quo a ſummo Pontifice Clemente VII. admonitus & paterne reprehenſus, ad meliorem frugem redire noluit, quocirca propter ſuam in crimine contumaciam, excommunicationis cenſura animadverſus, ſed non melior factus, contra Eccleſiam ſuam Matrem ſic excandeſcete cœpit, ut, rupto ſuavi ejus jugo, caput Eccleſiæ Anglicanæ ſe ſe proclamari ſategerit, ita ut Epiſcopi ceterique Eccleſiæ Miniſtri ab ipſo miſſionem accipere, & ad nutum a miniſterio ceſſare, non ſine totius Europæ ſcandalo coacti ſint.

Sic refert Illuſt. D. Boſſuet Meldenſium Epiſcopus ab anno 1529. uſque ad annum 1547. tum & clavum Regni tenente Eduardo VI. ab anno 1547. uſque ad annum 1553. ubi demum Cramnerii Cantuariæ Archiepiſcopo, uſque ad ejus mortem anno 1556. texitur. Quæ quidem omnia etiam colliguntur ex Lib. Sanderi, ex Actibus Cameræ tum Domi-

Digitized by Google

Dominorum, tum etiam Communium 3. Januarii 1681. deinde 23. Decembris 1680. denique 5. Januarii 1681. his enim temporibus Senatus-Conſultus ſuo munivit calculo hiſtoriam Domini Burnet, namque in capite ſecundi tomi ſuæ hiſtoriæ hæc referuntur & habentur.

Secundo: Henricus Miniſtros habuit Thomam Cromwel, quem ſuum Generalem in temporalibus, vel etiam in ſpiritualibus Vicarium anno 1535. inſtituit; eumdem poſtea anno 1536. ſuum in ratione ſupremi Eccleſiæ capitis Vicarium habuit. Burn. Hiſt. t. 1. pag. 244. poſt ipſum Cramnerus ſecundus a Rege fuit, quem Burnetus ut alterum Athanaſium laudat Præf. qui quidem immutationis religionis fuit Architectus. Equidem ſpeciem fidei catholicæ præ ſe ferebat, ita ut quaſdam commiſſiones a ſummo Pontifice exequendas habuerit, officium ſcilicet Pœnitentiarii, ſed revera lupus rapax interius, & Lutheranus, qui tametſi uxoratus, non erubuit Bullas a ſummo Pontifice pro Archiepiſcopatu Cantuariæ ad quem fuerat anno 1533. promotus, ſuſcipere. Burn. Lib. 2. p. 189. ſententia Clementis VII. adverſus Henricum lata eſt anno circiter 1534.

Progreſſus.

1. *Tunc* excandeſcens Rex erga Catholicos ſævijt; Thomam Morum magnum Regni Cancellarium, & Fiſcherium Epiſcopum Roffæ occidi voluit, eo quod ipſum ut Eccleſiæ Anglicanæ Primatem & caput agnoſcere renuerint. Burn. lib. 3. pag. 483. Tunc dilapidata Monaſteriorum bona, tunc Eccleſiæ dignitates ad nutum Regis amovibiles, tunc ipſe Cramnerus & Cromvvelus nomine Regis luſtrabant & Conventus & Eccleſias, ibid. pag. 244. & 247.

2. *Rex* virtute Primatus uſurpati ſex circiter edidit conſtitutiones, in prima quidem ſacramentum Pœnitentiæ admittitur; in ſecunda vero utique & realitas corporis Chriſti in Euchariſtia: In tertia cultus ſanctarum imaginum: In quarta invocatio Sanctorum: In quinta aqua luſtralis, panis benedictus, conſecratio Fontium Baptiſmi, Exorciſmi in Baptiſmo, tum in ſexta Purgatorium & Orationes ac Miſſæ pro refrigerio mortuorum retinentur; ita ut Rex ſuo ſemper nomine loqueretur, & hæc omnia ſua auctoritate publicari vellet, ibid. pag. 292. 296. 298. Quid plura? Epiſcopi de ſeptem Sacramentis confeſſionem emiſſerunt, quam Princeps ſuo munivit calculo, ibid. pag. 391. immo & tranſubſtantiationem admitti voluit pag. 397.

3. *Cramnerus* hanc ſibi ideam novæ religionis efformaverat. 1. Contendebat Regem immediate a Deo tum pro civilibus, tum pro ſpiritualibus conſtitutum eſſe. 2. Ad ipſum ſolum ſpectare in utroque ordine creare Miniſtros, qui ab eo miſſi ſuis vel fungerentur officiis, vel ab eis ceſſarent; hinc ſicut Diaconatus, ſic & Presbyteratus & Epiſcopatus erant abſque charactere & poteſtate, ſed mera miniſteria; hinc ſublata commiſſione principis & Senatus acceptatione, vel etiam Procerum nihil erant Diaconi, nihil Presbyteri, nihil Epiſcopi, ut nunc videre eſt in omnibus Proteſtantium Eccleſiis, ſicque Henricus & ſui, Hierarchiam Eccleſiaſticam, & conſequenter Ordines ſacros funditus everterunt.

4. *Æmuli* ſanctæ Sedis non ſine ſacrilegio per fas & nefas Regi tribuebant vel ipſam poteſtatem fidei dogmata definiendi, Liturgias immutandi, aut approbandi. Burnet l. 3. pag. 558. 571. 2. p. lib. 1. p. 65. Tum Lutheraniſmus, ſicut & Zuinglianiſmus, aliæque novitates Angliam invaſere, maxime mortuo Henrico; tunc enim Eduardus ejus filius annis decem ſolum natus ann. 1547. regnare cœpit. Eduardus vero Seymour junioris Regis avunculus intus Zuinglianus, ſed Regi Adminiſtrator, totam ferme Angliam fecit Zuinglianam.

5. *Forma* reformationis ea tunc fuit. 1. Regem habere auctoritatem Papalem: 2. Epiſcopos non niſi ex commiſſione Regis inſtitui. 3. Omnem poteſtatem Eccleſiaſticam a Rege promanare. Hinc nomine Regis cuncta Eccleſiæ miniſteria executioni mandabantur, immo vel ipſe & ſolus Rex cenſura in rebelles animadvertebat, & eoſdem ad nutum abſolvebat. Burnet 1. p. l. 2. pag. 229. 230. ibid. 2. p. l. 1. pag. 8. 332. Rec. inſtr. 2. p. l. 1. p. 90. Tandem Senatus veluti fidei articulum babebat, omnem juriſdictionem Eccleſiaſticam ad poteſtatem Regis referendam eſſe. His ſtatutis Rex veluti caput Eccleſiæ to-

to-

totum luſtravit regnum, quo tempore nulli licebat Epiſcopo aliquam ſive viſitando Diœceſim, ſive aliquid ſtatuendo exercere juriſdictionem.

VI. *Quia* vero aby ſſus abyſſum invocat, ſex articuli Henrici VIII. pro aliquibus veræ religionis capitibus ſervandis reſciſci ſunt factione Ducis Sommerſet, & Cramneri, tum & prævaluit in Anglia Zuinglianiſmus. Ibidem 2. p. l. 1. pag. 58. Demum, tranſubſtantiatione longe facta Miſſæ ſacrificium abrogatum eſt. Ne quidem preces fundi pro mortuis voluerunt.

VII. *Eliſabetha* timens ne a Sede Regia ut illegitima deturbaretur, adhæſit omnibus erroribus, qui, regnante Eduardo, graſſabantur, optimam partem ſe habere rata, ſi, omni vera religione abjecta, vanorum hominum faveret cupiditatibus; hinc ſi quamdam catholicæ fidei ſpeciem præ ſe ferre videretur, id erat ut illuderet ſimplicioribus, intus tamen erat prorſus ſchiſmatica & hæretica, ut ex omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis colligi poteſt.

Extinctio ſeu Proſcriptio.

VARII Auctores ſuum acuerunt ſtylum cenſorium adverſus ſchiſma Anglicanum; in primis Sanderus, Boſſuetius de variationibus L. 7. & 10. Egregie ſcripſit Renaudotius tomo 4. & 5. continuationis, perp. fid. ubi omnium Proteſtantium in primis vero Miniſtri Smith Angli ſubvertit ſyſtemata. Rurſus in diſſ. prælo mandata. ann. 1720. debellat ordinationes Angliæ, & probat nullas eſſe. Manent errores Anglorum ex definitionibus adverſus Calviniſtas & Lutheranos confutati.

§. II.

Num Ordinationes Præſulum Angliæ ſint validæ?

FAMA volat quoſdam Doctores Pariſienſes Eccleſiam Gallicanam cum Anglicana conſociare tentaſſe, quaſi vero aliqua poſſit eſſe inter lucem & tenebras conventio. Neque tamen feſellit opinio cum iſtud monſtruoſæ religionis bicapitis ſyſtema jamjam a multis annis præoccupatum fuerat, ut claret ex tomo in 4. ampliſſimo, cui circiter eſt titulus, *Media quibus utraque Eccleſia adunari poteſt*. Hunc oculis noſtris vidimus in Bibliotheca Canonicorum Regularium in ſuburbano Ambiani conſiſtentium. R. P. Bibliothecarius hunc humanitatis ſimul & charitatis motivo inter omnes libros mihi obtulit legendum & examinandum, ſubjungendo, erroribus Calvinianis eſſe refertum, hinc & ita rarum, ut vix quinque adeſſent in toto regno exemplaria. Ne miremini igitur, Lectores doctiſſimi, ſi quidam Novatores hanc Catholicorum Galliæ unionem cum Heterodoxis ad ultimam metam perducere voluerint: Quo motivo, eſto, ſi vis, bono, reconciliationem Angliæ cum Eccleſia ſancta Dei hujuſmodi mediis mox futuram autumantes, ſed dubio-procul incaſſum; ſcriptum eſt enim Pſal. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Numquid concederent veri Catholici gratiam neceſſitantem eſſe, ſummum Pontificem non eſſe totius Eccleſiæ caput & Primatem, præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia poſſe in utramque partem defendi, hoc eſt in ſenſu myſtico & phyſico, confeſſionem auricularem non eſſe ad ſalutem abſolute neceſſariam? Hæc & ſimilia rimantes, volebant Novatores, ut viri timorati dixere, utriuſque Eccleſiæ conſociationem. Igitur ſimilia ſcrutantes, longe faciendi ſunt: Sed ne ſpes vana in fucato reconciliationis medio affulgeat, ſit

CONCLUSIO.

Ordinationes Præſulum Angliæ a Proteſtantibus factæ non ſunt validæ.

Probatur argumentis Theologicis.

PRIMUM: Ad Eccleſiam, quæ eſt veritatis columna, cui Chriſtus infallibilitatem dedit, ſpectat definire quid in rebus religionis credendum, quid-ve abjiciendum: Sed Eccleſia nuſquam probavit ordinationes Sacerdotum & Præſulum Angliæ a Schiſmaticis & Hæreticis factæ. Et probatur: Quotieſcumque Presbyteri aut Prælati ad meliorem frugem redeuntes, Eccleſiæ reconciliari petierunt, ea potiſſimum ratione ſunt recepti, ut reordina-

dinarentur: Sic actum eſt Romæ, ſic Duaci, aliiſque locis ubi ſuos ejuravere errores. Hoc ipſum ab ipſis Anglis omni exceptione majoribus factum accepimus. Ergo &c.

Secundum: Nulla eſt ordinatio ſine miſſione, cum ipſa miſſio ſit poteſtatis argumentum, ut legitur Jeremiæ 1. ubi Propheta ſuam ad prædicandum a Deo accipit miſſionem; e contra vero Prophetæ Baal omni auctoritate ſpoliati iſtius miſſionis defectu dicuntur. De priori habetur, *Ad omnia quæ mittam te, ibis*. De poſterioribus vero Ezech. 13. *Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miſerit eos*. Rurſus in novo Teſtamento Chriſtus Matth. 28. dat Apoſtolis miſſionem: Et hoc ex poteſtate plenaria quam acceperat a Patre, ut ſuperefflueret; ſic enim loquitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: Sed Præſules Angli nullam habent miſſionem, nec eorum habuere prædeceſſores a tempore Schiſmatis. Ergo &c. Probatur minor: A ſolo ſummo Pontifice ut Chriſti in terris Vicario habetur miſſio. Soli enim Petro dictum eſt Joan. 21. *Paſce agnos meos .... Paſce oves meas*. Ipſi Soli Matt. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Sed a ſummo Pontifice non receperunt; cum palmaris Schiſmatis articulus ſit, ſanctam Sedem prorſus abnegare; & conſenſerint Prælati hæretici non alium præter Regem habere Eccleſiæ caput, cujus conſenſionis poſt Principem Cramnerus Cantuariæ Præſul fuit Architectus, & cum ipſo Eduardus Seimour, ut in hiſtoria refertur. Ergo &c.

Tertium: Vera ordinatio ab auctoritate dumtaxat & poteſtate Eccleſiaſtica promanat: Sed a ſchiſmate nulla fuit auctoritas talis. Et probatur. Henricus VIII. applaudente Senatu, conſentientibus Regni Proceribus, obedientibus verbo & facto Epiſcopis, loco Papæ Primas & caput Eccleſiæ Anglicanæ haberi voluit: Solus circa fidei dogmata pronuntiare ſategit, ut conſtat ex ſex ejus articulis laudatis. Ipſe Epiſcopos nominare, & conſtituere poſſe ratus, ſoli habebantur Præſules qui ejus commiſſione muniti Sedes Epiſcopales occupabant, qua deficiente, omni honoris gradu privabantur. Ergo &c.

Quartum: Tunc deſinit ordinatio, cum inutilis reputatur: Atqui Henricus, & poſt ipſum Eduardus VI. eam ut inutilem habebant: Et probatur, 1. In ſolo nomine Regis omnis actus tum juriſdictionis, tum ſacramentalis conficiebatur. 2. Ipſi Epiſcopi nihil niſi Regis Commiſſarii erant, ita ut ablata commiſſione, abſque honoris gradu & poteſtate ab omnibus haberentur. 3. Neque vero ullam cenſuræ ſententiam, niſi ut a Rege deputati, ferre poterant. 4. Tametſi Præſules non fuiſſent ordinati, eo ipſo quo erant calculo & commiſſione Regis muniti, ipſo facto ſua Epiſcopi munia ſubibant; ſin minus e contra tametſi ordinati. Et probatur: Eadem eſt lex contrariorum, ſi verum foret apud Anglos dicere, Præſul, ceſſante Regis commiſſione, non eſt amplius Paſtor; a contrario ipſa accedente Regia commiſſione jam accedebat Epiſcopatus: Igitur & concludendum eſt Reges Angliæ ab Eccleſia ſchiſmate & hæreſi divulſos, & Eccleſiæ ad ſuam phantaſiam Primates, nullam credere ad Epiſcopatum ordinationem neceſſariam.

Quintum: Ordinatio imprimit characterem indelebilem, ſimiliter & poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum & myſticum: Sed hæc omnia deficiunt in ordinationibus Angliæ: Et probatur 1. Ordinatio non eſt indelebilis, cum variata & ſublata Regis commiſſione, nullum prorſus Epiſcopatus actum exercere queat Epiſcopus, ut habetur in ſyſtemate reformationis, quod ſub Regibus Henrico, & Eduardo executioni demandatum eſt. 2. Nulla eſt ſuper corpus Chriſti verum poteſtas, nam Eduardo clavum Regni tenente, corpus Chriſti juxta Anglos non niſi ſpiritualiter ſub ſpeciebus aderat; ſub Eliſabetha vero dogma præſentiæ erat ad libitum, 3. Sed nec remanebat poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum, cum, ſublata Regis deputatione, qui ante erat Epiſcopus, tunc quidquam auctoritatis ſe habere non audebat dicere. Ceterum poteſtas ordinis ſuper corpus Chriſti myſticum in eo potiſſimum ſita eſt, ut ſolvantur a peccatis in ſacramento Pœnitentiæ rei: Sed iſtud ſacramentum regnante Eduardo VI. ablatum eſt.

Igi-

Igitur & exſufflata poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum.

Sextum: Ad legitimam ordinationem requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia: Sed ordinatores, ſchiſmate cœpto, non habebant intentionem facien di quod facit Eccleſia: Et probatur. Eccleſia conſecrando Epiſcopum intentionem habet inſtituendi Miniſtrum, qui poteſtatem & juriſdictionem indelebilem prædicandi verbum Dei, Presbyteros, Diaconos &c. ordinandi habeat: Sed hoc non contingit in Ordinationibus Angliæ, Ordinator quippe non aliud intendit facere quam merum Miniſtrum amovibilem, ſicut amovibilis eſt Miniſter apud omnes Proteſtantes, immo amovibilis ſicut in civilibus: ſyſtema enim reformationis ex hiſtoria nihil ultra facere exigit; vult omnes Regis Miniſtros ſicut pro civilibus, ſic & pro rebus Eccleſiaſticis ejuſdem eſſe conditionis: hoc eſt quantum ad omnia eſſentialia a Regis voluntate pendere; Primo quidem ab illo ſolo promanare: Secundo, auctoritatem miniſterii in Principis commiſſione ſitam eſſe. Tertio, illa ſublata ſicut in civilibus evaneſcere dignitatem Eccleſiaſticam, cujus rei argumentum eſt, quod in Anglia non plus juris Epiſcopo tradatur, quam Miniſtro apud Zuinglianos, & alios Proteſtantes. Si negent, revera tamen ſic eſt, nec niſi in nominibus ſuperant alios Proteſtantes.

Septimum: Qui non habent Euchariſtiam, & ſacrificium, nullam habent ordinationem, cum ordinatio ab Euchariſtia ut Sacramento & ſacrificio indivulſa ſit; nullus enim præter Sacerdotem ſacram poteſt conficere Euchariſtiam, a fortiori & ſacrificium: Sed Angli graſſante hæreſis lue, dum Eduardus VI. & poſt ipſum Eliſabetha regnabant, nullam habebant Euchariſtiam, nullumve ſacrificium, nec habent eorum in ſchiſmate & hæreſi ſucceſſores. Ergo &c.

Octavum: Ordinatio pertinet ad Hierarchiam Eccleſiaſticam, quæque juxta Dionyſ. tres ſolum concludit Ordines, ſcilicet Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum: Sed prætenſa Angliæ reformatio nullam agnoſcit Hierarchiam: Igitur nec ordinationem; ſublata enim cauſa tollitur effectus: Si ergo deficit Hierarchia utique & conſequenter deficiunt Hierarchiæ effectus, & Miniſtri, videlicet Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, quos Hierarcha facit & inſtituit, & conſequenter nec ſacramentum Ordinis.

Nonum: Ordinatio eſt a Deo: Sed Ordinatio Anglorum non eſt a Deo: Et probatur. Si eſt a Deo, vel immediate, vel mediate ab eo profluit: Atqui neutro modo: Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem non eſt immediate, ſi ſacris credamus Scripturis; ibi enim fit ſolum mentio de Moyſe qui a Deo conſtitutus immediate Sacerdos fuit, Pſ. 98. De Jer. qui habuit miſſionem immediatam prædicandi verbum Dei: De Apoſtolis, qui a Chriſto ipſo Sacerdotes creati ſunt, maxime Petrus, qui & Princeps Sacerdotum, immo & Apoſtolorum inauguratus eſt; ſed nec mediate, cum Henricus a quo cuncta procedere agnoſcunt, non ſit homo miſſus a Deo, nec ejus miraculis aut portentis ſuam probaverit miſſionem: Quod argumentum tanti ponderis apud Lutherum fuit, ut Ducem Anabaptiſtarum hoc ſolo ratiocinio propellere voluerit. Ergo &c.

Decimum: Proteſtantes non habent Ordinationem ut ſacramentum: Igitur nec Angli veram Ordinationem, cum ſicut Zuingliani tempore Eduardi VI. & Eliſabethę de Ordinatione Miniſtrorum ſentirent.

Fit ſatis objectionibus Anglorum Epiſcoporum Proteſtantium.

OBJICIUNT: Eodem modo ratiocinandum eſt de Ordinationibus Angliæ Schiſmaticæ, ac de Ordinationibus eorum qui quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo ſæculo ab Eccleſia Romana divulſi fuere: Atqui non obſtante ſeparatione ſucceſſio Epiſcopatus apud eos remanſit, quod quidem ipſa Synodus Nicæna agnovit, quippe quæ can. 8. jubeat Novatianos redeuntes cum ſola manuum impoſitione abſque nova ordinatione recipi: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Idem dicendum eſt quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego: & conceſſa minore, diſtinguendum eſt ſimiliter conſequens. Paritas in eo eſt, quod ſicut Novatiani aliique Epiſcopi in Eccleſia vera ordinati, Hæretici facti, manſerunt ſemper Epiſcopi propter characterem indele-

delebilem, ita & Epiſcopi Angli qui tempore Schiſmatis e fide deſecerunt: Sed de ſucceſſione non idem dicendum propter rationes allatas, & iterum de novo aſſerendas: Antiqui enim & veterni Hæretici Præſules non ſicut Anglicani ab Epiſcopatu defecerunt, quippe qui Laicum nuſquam habuerint ut ſuæ Eccleſiæ caput.

Inſtabis: Atqui par eſt omnibus ratio: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ideo Novatiani, Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Iconomachi, & ſimiles non obſtantibus ſchiſmate & hæreſi, valide ſibi ſucceſſores conſecraverunt, quia character ſemel acceptus in eis ad ordinandum remanebat: Sed non abſimili modo remanſit character in Epiſcopis Catholicis, qui vi & minis perterriti, vel etiam bonorum & honorum ſpe adducti ad partes Henrici Schiſmatici deflexerunt: Igitur ſicut priores, ſic & iſti potuerunt ſucceſſores ſibi dare, & alternata vice hoc ipſum ſemper ad hæc uſque tempora faciunt.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego paritatem: Ratio diſcriminis non una eſt. Prima, Novatiani, Neſtoriani, Donatiſtæ, & ſimiles circa ſubſtantiam Ordinationis nuſquam erravere, ſed eam ſemper ut ſacramentalem habuerunt, & habent a Chriſto promanatam mediante ſuo Patriarcha, quem uti Eccleſiæ caput habent: & hoc independenter a quocumque Principe; hinc habent ordinando intentionem faciendi quod facit Eccleſia, quæcumque ſit. At vero Angli Ordinationis auctoritatem nedum quoad juriſdictionem, ſed etiam quoad Ordinationem ſecundum ſe ſpectatam, ſic habent a Principe, ut deficiente Regis commiſſione, nullus ordinatur, & qui ea omiſſa ordinaretur, non cenſeretur Epiſcopus; ſicque errant circa ipſam Ordinationis ſubſtantiam, quam ut merum miniſterium habent, & hoc juxta ceterorum Proteſtantium ritum & conſuetudinem: Sicut enim apud iſtos Miniſter ceſſat eſſe Miniſter, quando vult populus, & alter ei ſubſtituitur, ſic & apud illos; qui ſi quid ulterius habeant, penes nomen & appellationem eſt.

Altera diſcrepantia eſt, quod Novatiani, & ceteri hujus ſurſuris homines habeant conſecrando Epiſcopos intentionem faciendi ſacramentum, Angli vero merum Miniſtrum: Igitur ſicut ea ratione nemo dixerit Calviniſtas veros Presbyteros, Lutheranos veros Presbyteros & Epiſcopos conſecrare, ita nec Anglos habere dicendum eſt; deficit enim in eorum Ordinatione intentio ſufficiens, adeoque vacuos Paſtores & Epiſcopos ſicut faciunt, ſic & habent.

Tertium diſcrimen illud eſt, quod inter Angliæ Epiſcopos multi Ordinem ſuſceperunt a Laicis, quod quaſi non diffitetur P. Courayer: Et vero omnes Epiſcopi Catholici, regnante Eduardo VI. & poſt ipſum Eliſabetha, vinculis conſtricti, & in carcerem detruſi, miſeriis & ærumnis confecti obiere: hinc deficiente legitimorum conſecratorum copia a Pſeudo-Epiſcopis decurſu temporum ordinati ſunt. Igitur non niſi imaginarios Epiſcopos nunc habet Anglia, ut infra patebit ex facto ordinationis ementitæ Parkeri.

Inſiſtes: Contra primam & ſecundam diſparitatis rationem. Non eodem modo ratiocinandum eſt de Ordinatione Epiſcoporum Anglorum ac de Lutheranis Præſulibus, ſed potius ſicut de Epiſcopis Novatianis &c. Sed iſti quamvis ſchiſmate & hæreſi ab Eccleſia divulſi, ſervaverunt Epiſcopatus ſucceſſionem: Ergo &c. Probatur major. Conſecratores in Anglia eamdem habuerunt intentionem ordinando Sacerdotes, & conſecrando Epiſcopos, ſicut habebant veteres Hæretici, ſcilicet vere faciendi Presbyteros & Epiſcopos: Ergo &c.

Confirmatur: Tametſi errent circa Ordinationem, eam tamen facere intendunt: Sed hoc ſufficit; quod quidem poteſt illuſtrari exemplo Judæi baptizantis puerum, juxta Eccleſiæ intentionem: Tale enim Bapiſma validum foret, ut declaravit Nicolaus I. in reſp. ad Bulg. tametſi erret & circa effectus Baptiſmi, immo & circa ejus ſubſtantiam, credendo Baptiſma nihil aliud eſſe præter corporis lotionem. Igitur error conſecratoris Angli etiam circa Ordinationis ſubſtantiam non impedit Ordinationem, eo ipſo quo aliquem inaugurare Epiſcopum intendit.

Iterum confirmatur: Malitia aut ignorantia Miniſtri non impedit Sacramenti confectionem, juxta definitionem Stephani I. modo alia a Concilio Florentino requiſita adhibeantur, ſcilicet materia, forma & Miniſter habens intentionem facien-

Digitized by Google

ciendi quod facit Eccleſia: Sed Conſecratores Angli cuncta requiſita adhibent: Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem propter rationes allatas. Ad probationem diſtinguo antecedens: Angli conſecrando Miniſtros eamdem habent cum Novatianis & aliis Hæreticis intentionem, quantum ad aliqnid, concedo: quantum ad omnia, nego. Habent intentionem faciendi Miniſtrum, ſed non Epiſcopum verum, cum Ordinationem non habeant ut Sacramentum ſicut Zuingliani, ſed ut merum miniſterium. Non ſic Donatiſtæ &c. Ceterum, etiamſi haberent, non poſſunt ordinare, quia eorum ordinandi poteſtas a Rege Laico procedit, adeoque non eſt a Chriſto.

Ad primam confirmationem diſtinguo: Habent intentionem invalidam, concedo: validam & ſufficientem, nego. Errant circa ſubſtantiam Ordinationis; hinc non Sacramentum, ſed merum peragunt Miniſterium. Ad exemplum Baptiſmatis, non eſt paritas. I. quia quicumque, etiam Paganus baptizare poteſt, ſed nemo niſi miſſus a Deo & a Chriſto auctoritatem habens ordinare poteſt. Utrumque deficit in Anglis proteſtantibus conſecrantibus. II. Judæus baptizando intendit facere quod facit Eccleſia, ſecus vero Anglus hæreticus ordinando, cum vel ipſam ordinationem non habeat ut Sacramentum, ſed ut ſimplicem commiſſionem, & deputationem pro Miniſterio, quod ſi eam vocet Sacramentum, eſt nomineteaus; eo enim ipſo quo Zuinglii fuligine conſperſi fuere, nullum habuerunt, ſi excipias Baptiſmum, verum Sacramentum; addunt qnidam cœnam, ſed quis ſanæ mentis cœnam vacuam, & meram corporis & ſanguinis Chriſti figuram Sacramentum omnibus numeris abſolutum dicet?

Ad alteram confirmationem ſimiliter diſtinguo: Malitia & defectus Miniſtri circa Sacramenti effectus non impedit Sacramenti confectionem, concedo: circa ipſam Sacramenti ſubſtantiam, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Dictum eſt Anglos errare circa intentionem requiſitam, quæ eſt quid eſſentiale Sacramento: ſic enim loquitur Concilium Florentinum in decr. pro Arm. " Hæc „ omnia Sacramenta tribus perficiuntur, „ videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: „ Quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ordinationes Anglorum vacua & nulla ſunt.

PRIMO: Sic cenſet Eccleſia, quæ eorum Sacerdotes & Epiſcopos roconciliandos reordinat.

Secundo: Nullam habent Euchariſtiam, nullumve Sacrificium: Igitur nec Sacerdotium.

Tertio: Carent ordinandi poteſtate, cum nullam aliam niſi a Rege mutuentur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Novatiani, Donatiſtæ & ſimiles Epiſcoporum ſucceſſionem ſervavere, quippe qui a Patriarchis alternata vice ſibi ſuccedentibus illam habuerint: Angli vero a Rege laico.

Secundo: Tametſi habeant conſecratores Angli intentionem ordinandi, non tamen ſicut citati hæretici ſufficientem habent, cum non Sacramentum, ſed merum Miniſterium intendant conficere; hoc eſt virtute commiſſionis Principis deputare aliquem pro Miniſtro. Sic ordinant Zuingliani ſeniores, quos & Presbyteros vocant: ſic & Angli, cum ſyſtema prætenſæ apud eos reformationis, fuerit, regnante Eduardo VI. juxta Zuinglianiſmum.

Tertio: Malitia quidem & error Miniſtri nihil officit Sacramento, ſi penes effectus ſint, ſecus ſi circa ſubſtantiam; ſic contingit in Anglis proteſtantibus, qui totam ordinationem non circa corpus Chriſti verum, ſed circa commiſſionem ad quædam munia inſtructionis ſubeunda reponunt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Utrum Ordinationes validæ in ParKeri ordinatione defecerint?

QUIDAM opinantur difficile admodum eſſe probare ordinationes Anglicanas, quæcumque fuerint, non fuiſſe validas a ſchiſmate ad hæc noſtra uſque tempora; eas tamen non fuiſſe, diſertiſſimis & clariſſimis argumentis pro reſolutione quæſtionis juris oſtendimus; nunc ad quæſtionem facti properare juvat, ut iſto ulteriori argumento, quod irrefragabile eſt, priorem confirmemus concluſionem. Neque vero arduum eſt probare multis factis ordinationes abſolute defeciſſe in Anglia, cum, ut jam diximus, Epiſcopi per omnia uſque ad internecionem exagitati ſint, ut percuſſis paſtoribus legimis, hinc inde pro ut erat impetus hæreticorum Zuinglianorum in Anglia tempore Eduardi VI. & Eliſabethæ furentium & dominantium diſpergerentur Oves gregis. Ex quo tanta Epiſcoporum facta eſt fames & penuria, ut regnante Eliſabetha, vix unus inventus ſit qui voluerit ordinare unum ſchiſmaticum, quo mediante, Regina ſucceſſionem legitimam ſervare tentabat.

Veteres & recentiores ſcriptores autumant ſucceſſionem abſolute in Ordinatione ParKeri Cantuariæ Archiepiſcopi defeciſſe: adverſatur huic ſententiæ P. Courayer, contra quem ſit.

CONCLUSIO.

Probabiliſſimum eſt ſucceſſionem Epiſcoporum Angliæ Schiſmaticæ defeciſſe in ordinatione ParKeri.

Probatur rationibus & factis.

PRIMA RATIO. Ille non potuit valide ordinari, qui ab hæreticis & ſchiſmaticis omni poteſtate & charactere exutis conſecratus eſt: Atqui talis fuit ordinatio ParKerii: Et probatur. Dato & non conceſſo quod fuerit ab Epiſcopo conſecratus, conſecrator erat hæreticus: Sed oſtenſum eſt Epiſcopos reformationis non habuiſſe characterem, & poteſtatem circa corpus Chriſti verum, & conſequenter nec circa myſticum pro ordinatione, cum ordinatio fundetur ſuper corpus Chriſti verum, ad quod eſſentialem habet relationem propter Sacerdotium, quod in Sacrificio offerendo fundatur: Igitur ubi non eſt ſacrificium, ibi nec Sacerdos: ubi vero non eſt Sacerdos, ibi nec ordinatio requirenda eſt.

Altera ratio, hæc eſt: Si ParKerus fuerit valide ordinatus, debuit conſecrari ab Epiſcopo Catholico propter rationes jam adductas: Atqui hoc non contigit: Et probatur; omnibus Epiſcopis incarceratis, ſolus remanebat Antonius Landaff, quem Reginæ commiſſarii compellebant ordinare ParKerum, ut per eum ſervaret Epiſcopatus ſucceſſionem: Sed Epiſcopus Londinenſis Landaff minis ab hoc crimine patrando ita deterruit, ut Landaff Miniſtros aulæ Regiæ eum excuſatum habere rogaverit, eo quod ſenio confectus nec librum præ manibus ad ordinandum tenere, immo nec propter caligantes oculos poſſet legere. Tum doctor Scory Monachus Apoſtata ſuis juſſit Collegis genua flectere, ſacra vero Biblia ſuper ſingulorum caput poſita dixit, *Accipite poteſtatem verbum Dei ſincere prædicandi*; & ſic ſurrexerunt omnes. Obſerves in hac ordinatione nullam aliam fieri mentionem niſi de poteſtate prædicandi, quod quidem merum ſapit Zuinglianiſmum, & omnem veram evacuat ordinationem. Ergo &c.

Habemus hanc hiſtoriam a Domino Champney Catholico Anglo Doctore Sorbonico in ſuo libro in octavo, cujus titulus *de vocatione Miniſtrorum* ann. 1618. Juris publici facto, ubi egregie confutat D. Maſſon Proteſtantem Norfolciæ Archidiaconum, qui primus ſucceſſionem Epiſcopatus apud Proteſtantes Anglos propugnare, ſed incaſſum ſuſcepit. Sic de hoc momento ſcribit cap. XIV. pag. 497.
„ Initio regni in depoſitis & in cuſto-
„ diam conjectis Catholicis Epiſcopis...
„ alii creandi & illis ſufficiendi erant.
„ Qui fuerunt ad illam dignitatem nomi-
„ nati & electi, ex condicto in quodam
„ hoſpitio, cui inſigne erat caput Marnu-
„ li, in vico dicto Cheapſide, Londini
„ convenerunt. Illuc enim invitatus venit
„ Landavenſis Epiſcopus, multa ſenectute
„ jam decrepitus, vir ſimplex & meti-
„ culoſus. Ab ipſo expectabant ordina-
„ tionem novi candidati. Quod Bonerus

Epiſco-

„ Epiſcopus Londinenſis in carcere Reli-
„ gionis ergo conſtitutus, ſubolfaciens, mi-
„ natus eſt Landavenſi excommunicatio-
„ nem, ſi eos ordinaret. Quo Nuntio ter-
„ ritus, & tactus etiam fortaſſis intrinſecus
„ conſcientiæ ſtimulo, ille pedem retulit,
„ & oculorum infirmitatem cauſatus, ma-
„ nus eis imponere recuſavit. Expectantes
„ ergo iſti ſpe ſua fruſtrati, ſe illuſos in-
„ terpretantes, Senem, quem antea hono-
„ re & reverentia non modice proſeque-
„ bantur, opprobriis laceſcere cœperunt
„ … conſecratore tamen fruſtrati, novum
„ coguntur querere Conſilium; & ad Sco-
„ reum apoſtatam Monachum, qui ſub E-
„ duardo Sexto abſque ulla conſecratione,
„ ut ſtatim videbimus, Epiſcopatum inva-
„ ſerat, ut ab eo ordinarentur, recurrunt.
„ Iſte, cui cum habitu religioſo conſcien-
„ tiam omnem exuerat, rem cito peregit,
„ ac uſus cæremonia illis omnibus ante ip-
„ ſum genua flectentibus, unicuique illo-
„ rum Biblia ſuper caput imponens, dixit,
„ *Accipite poteſtatem verbum Dei ſincere præ-*
„ *dicandi*. Et ſic ſurrexerunt omnes Epi-
„ ſcopi. „

Hoc ipſum confirmat Henricus Fitz-Simon Catholicus, quem citat Maſſon in ſuo pro ſucceſſione Tomo in folio lib. 3. cap. 6. pag. 358. ubi ſubdit, Scoryum, abſoluta ordinatione, recens conſecratos ſic fuiſſe allocutum: " Deinde Parkeri prenſa ma-
„ nu, ait: Eia, Domine Epiſcope Can-
„ tuarienſis, ſurge. Iterum pari modo
„ Grindallo: Eia, Domine Epiſcope
„ Londinenſis, ſurge, &c. „ Hæc conſecratio facta eſt ſecundum aliquos ann. 1603. ſecundum alios & probabilius, ann. 1559. menſe Septembri.

Qui de facto a Laicis ordinatus eſt, aut ad ſummum a ſimplicibus Presbyteris, non fuit valide ordinatus: Atqui talis fuit ordinatio Parkeri & ejus Collegarum, quorum alter Epiſcopus Londinenſis, alter vero Landavenſis erat: Ergo &c. Probatur minor. Parkerus juxta Catholicos ſcriptores a Schorio monacho Apoſtata, juxta Anglos a Barlovv utique Monacho Apoſtata, conſecratus eſt. Sed quidquid ſit, neuter erat Epiſcopus, cum Parkerus ordinatus eſt: Ergo &c. Probatur minor quoad utramque partem.

Scorius non erat Epiſcopus conſecratus quum Parkerus ordinavit.

PRIMO: Qui ſcripſere ante Sanderum, & ante ipſos Bonerus Epiſcopus Londinenſis anno 1564. ſcriptis publicis expoſtulabant, ut eis annuntiaretur quiſnam fuerat Parkeris conſecrator, poſt ſilentium quinquaginta & quatuor annorum, hoc uno contentos eſſe rati, ſi id claret pateret: tum vero anno 1614. duo apparuere ſuppoſitii libri actuum publicorum, qui de hoc aliquam facerent mentionem, ex quo invaleſcebant Catholicorum acclamationes, cum nihil certi de hoc haberetur: ſic luce Meridiana clarius apparet Parkerum Epiſcopatus extinctionis fuiſſe Architectum.

Secundo: Conſecratio Parkeri non niſi in hoſpitio Londini fieri potuit: Igitur laica & invalida fuit. Antecedens abſque negotio probatur: Namque commentitiæ ſunt tabulæ ex ſcriniis Cantabrigiæ excerptæ, quibus inſtrumentis quidam conantur probare Ordinationem Parkeri factam Lambethſæ ante annum 1605. Et vero conſecratores in aliqua Londini Eccleſia abſque licentia Epiſcopi Parkerum ordinare non valebant, quodquidem Epiſcopus, ut pote Catholicus nuſquam conceſſit: neque vero id ipſum, Cantuariæ fieri poſſibile erat, omiſſis quatuor Epiſcopis ad hunc effectum ab Eliſabetha juxta Henrici VIII. ſtatutum nominatis in ſuis litteris 9. Septembris pro iſto momento inſcriptis, ſin minus capitulum Cathedrale ſe ſe, ſervatis ſervandis, oppoſuiſſet: neque etiam in palatio Lambeth conſecratio facta eſt: Tametſi enim Cantuariæ Archiepiſcopus eo loci ſuæ diœceſos poſſit ordinationes facere, ſecus tamen dum nondum eſt Epiſcopus. Nec alter Præſul, ſede vacante id tentare auderet, tunc enim iterata Capituli oppoſitio adeſſet: ſupereſt igitur, ut ordinatio Parkeri in hoſpitio clanculum facta fuerit.

Tertio: Ordinatio, de qua præſens movetur controverſia, juxta Proteſtantium principia, propter loci indecentiam, invalida fuit: ſic colligitur ex Maſſonio L. 3. cap. 8. p. 338. his verbis: " In ſacro
„ ordine Epiſcopali conferendo ſacer lo-
„ cus, præſertim florente Eccleſia, eſt ſi-
„ ne dubio debita circumſtantia. Statutum,

„ *ſenatus ann. 15. ann. Regni Henrici VIII.* „ *cap.* 20. ordinem Epiſcopalem in loco „ ſacro, id eſt, in Eccleſia, vel ſacello, „ celebrandum eſſe decernit. Similiter „ hodiernum ordinale Anglicanum, quod „ ſub Eduardo VI. auctoritate Parlamentaria in publicum emanaſſe antea di- „ ximus, ne Diaconum quidem ordinari „ permittit, niſi in facie Eccleſiæ. „ Nec mirum quod, deficientibus conditionibus a Rege ſtatutis, irrita apud Anglos evadat ordinatio, quippe quæ apud eos nihil aliud fit, quam commiſſio, commiſſioni Magiſtratus civili non abſimilis, nullum imprimens characterem; hinc aliquem, omiſſo Presbyteratu, Epiſcopum inaugurare non dubitant, namque conſecrare, deputare, ſeu aliquem conſtituere ad officium ſacrum idem eſt apud illos; quocirca, modo ſolum precario Miniſtri ſuis funguntur officiis; quod quidem eos nullum habere ſacrum ordinem oſtendit, adeoque nullam veram ordinationem.

Quarto: Ordinationes ceſſaſſe non levius argumentum eſt Jacobi I. factum, qui jam Rex Scotiæ anno 1603. Regni Angliæ ſibi diadema, annuentibus Anglis, impoſuit; hic autem zelo zelatus pro Epiſcopatu ann. 1610. in Scotia ſtabilire cupiens, cum ibi non eſſet Epiſcoporum copia, ad conſecrandum tres inde in Angliam advocavit Miniſtros, qui omiſſo Presbyteratu, ordinati ſunt Epiſcopi: Sed non ſine ſcandalo Catholicorum qui ſtupentes non ludicras ſed falſas hujuſmodi ordinationes irridebant. Harduinus pag. 36.

Quinto: Non deſunt argumenta irrefragabilia quibus probatur Parkerum ordinatum fuiſſe menſe Septembri ann. 1559. a ſimplicibus Presbyteris in hoſpitio Londini in urbis loco nominato *Cheapſide*: quia vero tunc temporis non alia facta eſt ordinatio, manifeſte ſequitur Parkerum fuiſſe, ut jam ſæpius diximus, in iſto irreverenti loco inauguratum, nuſquam vero 17. Decembris ejuſdem anni in palatio Lambeth, ut quidam fabulantur. Cujus rei argumentum eſt commiſſio Reginæ Eliſabethæ, quam dedit 9. Sept. ann. 1559. quæque refertur in collectione Rymeri tom. 15. pag. 541. Tum vero elapſi ad ſummum viginti diebus, juxta regni leges ſub graviſſimis pœnis ordinatio poſt hanc nominationem erat facienda. Igitur de facto Parkerus tali menſe fuit inauguratus Cantuariæ Epiſcopus. Quod mirum in modum arguit altera Reginæ commiſſio apud eumdem Rymerum pag. 546. quo quidem actu nominat commiſſarios qui per omnes regni Provincias juramentum ſupremæ primatiæ ab Eccleſiaſticis pro Regina exigerent. Commiſſio die 20. Octobris ejuſdem anni facta eſt, ubi quinquies uſque Matthæus Parkerus appellatur Reverendiſſimus Cantuariæ Epiſcopus, & quidem in capite, tum ceterorum Epiſcoporum, tum regni procerum. His verbis, REGINA,

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Matthæo Cantuarienſi Archieiſcopo; ac Reverendis in Chriſto Patribus Edmundo, Londonienſi Epiſcopo, ac Ricardo Elienſi Epiſcopo, ac etiam dilectis & fidelibus conſiliariis ſuis &c. Sub finem vero, *teſte Regina apud Weſt-Monaſterium, viceſimo die Octobris.* Igitur jam Parkerus menſe præcedenti fuerat ordinatus, ſin minus & fuerit menſe Decembri ſequenti, bis ſeu iterata vice foret ordinatus, quod abſurdum eſt.

Ulteriores probationes pro iſto momento, affert P. Harduinus in ſua diſſertatione ſed hæc ſufficiant pro capite ordinationis Parkeri Londini facta; nunc alio medio probatur ejus ordinationis vitium.

Doctor Barlovv, quem aliqui Parkeri inſtituunt conſecratorem, nuſquam fuit Epiſcopus.

ISTUD caput variis probat momentis Harduinus a p. 112. uſque ad 214.

Primo: Guillelmus Barlovv Religioſus Anglus Apoſtata, teſte Harmer, uxoratus erat, habuitque ex conjugio quinque filias, quas totidem Epiſcopis proteſtantibus Matrimonio junxit, qui quidem menſe Septembri anni 1559. ſolum erat Epiſcopus deſignatus Ceſtriæ, nec poſtea per legitimum Epiſcopum inauguratus fuit; ſi ergo Epiſcopus ſolum deſignatus menſe Septembri, ſuppoſito quod ordinaverit Parkerum, ex hac illegitimi conſecratoris parte, deficit ipſius Parkeri conſecratio.

Secundo: Doctor Barlovv nondum erat Epiſcopus anno 1536. nec utique 1541. quod facile probatur ex Henrico VIII. cujus adſunt duo actus authentici, quo Parlamentum adunat annis modo laudatis. Poſterior actus legitur in collectione Rymerii tom. 14. pag. 737.

Eo loci nominantur Epiſcopi quos Rex convocabat ea cum obſervatione, quod nomina propria Præſulum non niſi prima littera cujuslibet nomins, ut videre eſt in iſto exarato exemplari, apparebant.

E. Archiepiſcopo Eborum.
E. Epiſcopo London.
J. Epiſcopo Exon.
Et undecim alii.
T. Epiſcopo Meneven.
W. Epiſcopo Norvvic.
R. Epiſcopo Landav.
S. Epiſcopo Herforden.

Actus Regis ſic ſubſignatus apparet, *Teſte rege apud Weſt-Monaſterium, viceſimo tertio die Novembris anno regni ſui triceſimo tertio*, hoc eſt 23. Novembris 1541.

Secundus Actus anno 1541. in eodem reperitur tomo pag. 563. cum hac ſubſignationis formula. *Teſte Rege apud Weſt-Monaſterium viceſimo ſeptimo die Aprilis anno regni ſui viceſimo octavo*. Ceterorum convocatorum nomina, eo modo quo ſupra, leguntur.

E. Archiepiſcopo Eborum.
J. Epiſcopo London.
J. Epiſcopo Exon. &c.
Et undecim alii.
Epiſcopo Bangoren.
T. Epiſcooo Meneven.
Cuſtodi Spiritualitatis Epiſcopatus Winton, ipſo Epiſcopo in remotis agente, &c.

In utroque actu non apparet Doctor Barlovv. hinc obſervandum eſt iſtum doctorem nuſquam fuiſſe Menevenſem Epiſcopum, ut contendit Pater Courayer, cum ibi ſileatur nomen ejus. Nam ipſe Rex Epiſcopo Meneveni non Guillelmi, ſed Thomæ nomen tribuit; neque enim Barlovv Menevenſis Epiſcopus erat anno 1536. & 1541. Sed potius quidam nomine Thomas, ut habetur in duabus tabulis ſeu actibus præmemoratis: qui quidem Thomas adbuc vivebat anno 1560. immo non deſunt qui autument Barlovv nuſquam fuiſſe Epiſcopum. Quidquid ſit, ſaltem non erat tempore quo Parkerus ordinatus eſt.

Demum iſto ratiocinio Parkeri ordinatio exſufflatur. Quod nec Eccleſia, nec inter Catholicos Anglos viri docti & cordati, qui, quæ ſunt de patria, optime norunt, agnovit; illud certe veluti confictum habendum eſt a Proteſtantibus, qui pro more, ut plurimum, facta ſectæ convenientia mendaciis ſeu ſabulis defendunt: Sed res ita ſe habet. Et probatur: Nullibi reperies in ſcriptoribus Eccleſiaſticis Catholicis factum Parkeri ordinationis verum, & atteſtatum, cum alia multa tametſi amica & ſatis laudabilia de ſectis Proteſtantium memorent: ſic Illuſt. Dom. Boſſuetius enarrat Lib. 7. vel ſex articulos Henrici in quibus Religioni Catholicæ favebat: nec eos ſilet Sanderus. Igitur cum nihil de Ordinatione valida Parkeri ſcribant, argumentum eſt eam eſſe confictam; Non enim cordatus Scriptor factum apud proteſtantes tam celebre, omiſiſſet, cum in hoc fidei publicæ fuiſſet derogatum, adeoque & auctoritati ac ponderi Scriptoris. Supereſt igitur factum ordinationis Parkeri eſſe commentum.

Reſpondetur Objectionibus P. Courayer.

Cum ſit inſtituti Theologorum, ſolum facta hiſtorica quæ Religionem ſpectant, tractare, omiſſa critica ſeveriori libri P. Courayer, quæ ad ſupremos juris apices doctiſſime elucubrata eſt a R. P. Harduino, ad unum aut alterum caput objectum reſpondere juvat.

Objicit: Quod auctores Angli aſſerunt, non denegandum eſt: Atqui auctores Angli ſcribunt Parkerum valide ab Epiſcopo ordinatum: Ergo &c. Ad probationem minoris laudat Maſſonium Norfolciæ Archidiaconum in tractatu qui inſcribitur, *Vindiciæ Anglicanæ*, tum Barambhall Armachæ Archiepiſcopum, Burnetum Salesburiæ Præſulem, auctorem Anglum qui confutavit diſſertationem D. Abbatis Renaudotii contra Angliæ ordinationes. Opus Angli anonymi hunc præ ſe fert titulum, *De vera & non interrupta Epiſcoporum ad nos uſque Anglorum ſucceſſione, ad amicum Epiſtola &c.*

Reſpondeo I. Ordinationes Epiſcoporum Eduardo VI. Zuingliano vacuas & nullas eſſe irrefragabilibus argumentis probavimus art. 3. §. 2. ubi quæſtionem juris tractavimus.

Reſpondeo 2. diſtinguendo minorem: Et auctores Proteſtantes in hoc non ſunt fide digni, concedo: & ſunt, nego minorem & conſequentiam. Cum hæreſis ipſa ſit in dogmate mendax, ſimiliter eſt & in factis, quæ relationem ad capita erronea habent. Hinc fuit apud Heterodoxos in more poſitum & deflorare Patres, ut Macharius Monotholita in ſexta Syuodo generali fecit, quem & Patres Synodici habuerunt confitentem reum, & ſacras interpolare Scripturas, ut Critici majores Angliæ, & in primis Matthæus Polus Synopſis auctor fecerunt, & ad adulterinas confugere auctoritates, quas mendacia paſſim & ubique in ſuis controverſiarum libris Bellarminus vocat: facta aut negare, aut confingere ſi opus eſt, ſic Photius Leonis Iſauriæ imperatoris genealogiam inter omnes nobiliſſimam confinxit, ut ad aulam, hoc ementito opere rediri, & Imperatori reconciliari poſſet. Sic & in facto de quo movetur controverſia, Proteſtantes adinvenere falſitates, & actus ingenioſe confictos protulerunt, quibus ordinationem Parkeri, ut legitimam defenderent. Pace dicam, & abſque verbo injuriæ, vel ipſum talis ordinationis defenſorem multa defloraſſe conſtat, ut ad ſcopum conceptum pergeret, immo & perveniret.

Unum aut alterum teſtimonium omni exceptione dignum proferam, ut legenti pateat fidem nec auctoribus Proteſtantibus, nec P. Courayer pro ordinatione Parkeri eſſe adhibendam. Primum eſt ſequens clauſula, quam Eliſabetha in uno e ſuis actibus in gratiam Parkeri ordinati addidit, his verbis: " Supplentes nihilominus „ ſuprema auctoritate noſtra Regia, ex „ mero motu & certa ſcientia noſtris, „ ſi quid aut in his quæ juxta mandatum „ noſtrum prædictum, per vos fient, aut „ in veſtrum aliquo, conditione, ſtatu, „ facultate veſtris, ad præmiſſa perficienda deſit, aut deerit, eorum quæ „ per ſtatuta hujus regni, aut per leges „ Eccleſiaſticas in hac parte requiruntur, „ aut neceſſaria ſunt, temporum ratione „ & rerum neceſſitate id poſtulante. „ Obſerves velim iſtam clauſulam ſive genuinus ſit Reginæ actus, ſive manu aliena & falſificante, ut probabilius eſt confictus, id unum momentoſum oſtendere, videlicet Reginam & ſuos nihil niſi fabuloſi & admodum incerti de ordinatione Parkeri habentes, voluiſſe omnibus difficultatibus occurrere, quocirca Eliſabetha auctoritate ſua cum civili, tum Eccleſiaſtica ordinationis defectibus per omnia ſupplere conatur, quod dubio-procul non feciſſet, ſi compertam habuiſſet ordinationem.

Alterum: eſt: Quod P. Courayer duos Regis actus laudatos defloret. Pagina 80. ſic prodit actum anni 1541. cum hoc titulo: " Convocatio Senatus ann. 1541. in „ quo Barlovv nominatur certe ante multos Epiſcopos conſecratos. „ *Rex, teſte Rege, apud West-Monaſterium, viceſimo tertio die Novembris, ann. Regni ſui triceſimo tertio. Archiepiſcopo Cantuarienſi . . . . . Epiſcopo Menevenſi, Epiſcopo Norvvicenſi, Epiſcopo Landavenſi, Epiſcopo Herefordienſi &c.*

Secundum ab Henrico VIII. Senatus convocationem ann. 1536. cum iſto titulo ſcribit: " Convocatio Parlamenti ann. 1536. *Rex, & teſte Rege, apud West-Monaſterium*, 27. *die Aprilis, anno regni ſui viceſimo octavo . . . . . . Epiſcopo Bangorenſi, Epiſcopo Menevenſi, cuſtodi ſpiritualitatis Epiſcopatus Wentonienſis, ipſo Epiſcopo in remotis agente &c.* Ad marginem ſubiit P. Courayer: " Secundum Angliæ Le„ ges, convocationes non niſi ad Epiſco„ pos conſecratos diriguntur. „ Ut intelligat lector Barlovv ann. 1536. & 1541. Epiſcopum conſecratum Menevenſem, gallice *de ſaint David* extitiſſe. Sed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum, quippe ad hoc ſuadendum in utroque actu de induſtria omittit nomen Thomæ, quod Rex Epiſcopo Menevenſi tribuit, eum uti nomine proprio appellans: ne vero fraus affulgeat, ceterorum Epiſcoporum utique nomina ſilet.

Ad auctoritatem ſcriptorum proteſtantium jam factum eſt ſatis, cum conſtet multos actus proprio marte feciſſe, & velut inſtrumenta veritatis ordinationum Angliæ per fas & nefas dediſſe, ut indoctis & ſimplicioribus illuderent. Inſtar omnium ſit Maſſonius, quem multi facit P. Courayer, quemque ſuper Champney doctorem Catholicum effert in immenſum: Sed incaſſum ſane, legenti quippe patebit ejus hiſtoriam ſicut fabulis, ſic & inſulſis contra Papam, Epiſcopos & Sacerdotes Catholicos dicteriis refertam.

In-

Digitized by Google

Inſtabis: Fabula in odium Hæreticorum conclamata nihil a veritate detrahit: Sed a Catholicis in odium Proteſtantium publicatum eſt ordinationem ParKeri in hoſpitio factam. Et probatur: Sanderus ſcriptor cordatus & Catholicus eam ſilet: ſilent & alii poſt ipſum multi Catholici ſcriptores: Ergo &c.

Reſpondeo I. Bonnerum Londinenſem Epiſcopum, qui ante Sanderum ſcripſit, hanc non ludicram, ſed fabuloſam ordinationem memorare, anno ſcilicet 1564. quum ab Horn Vintoniæ Præſule exagitatus eſt. Quo tempore una cum eo Catholici, quiſnam ParKeri conſecrator fuerat, eis aperire poſtulabant. Tum elapſis 50. annis, nimirum anno 1614. in lucem prodiit confictus liber actuum publicorum, ubi aderat actus conſecrationis ementitæ, ut jam dictum eſt.

Reſpondeo II. Negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et Sanderus omiſit iſtam ordinationem in hoſpitio factam, ut quid ad hiſtoriam levioris momenti, concedo: & validam agnovit, nego. Quod ordinatio fiat in hoſpitio, vel ſacello nihil intereſt ad validitatem, modo omnia requiſita adſint; hinc Sanderus leviorem iſtam hoſpitii circumſtantiam, eſto prætermiſerit, ſed non alii.

Inſiſtes: Vel ipſe Renaudotius fatetur in ſuo contra ordinationes Angliæ ſcripto, omnia non habere inſtrumenta quibus poſſet probare eas a validitate defeciſſe: Ergo &c.

Reſpondeo I. Non ſemel audiviſſe ab illo Abbate, quem iteratis vicibus conſului ſuper fidem & ritus Orientalium de Sacramentis, Anglorum Miniſtros, in primis Smith ſe ita perſtrinxiſſe, ut ipſi contra ſingula dogmata Catholica nihil habuerint replicandum.

Reſpondeo II. diſtinguendo: Non habebat omnia ad omnimodam punctorum elucidationem, tranſeat; ſufficientem pro debellandis eorum ordinationibus, nego. Anonymus enim qui in ſua Epiſtola confutavit Renaudotii ſcriptum, non bene probavit ordinationem ParKeri fuiſſe validam.

Reponet: Ideo abjiciuntur omnes, ne una quidem excepta, ordinationes Anglorum Proteſtantium, quia Zuinglianos eos habemus: Sed hoc falſum eſt: & probatur. Religio præſens Anglicana, nec Lutherana, nec Calviniana, nec Zuingliana eſt: Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem dico, Religionem hanc ex Lutherana & Zuingliana coaleſcere, & eſſe aggregatum per accidens diverſarum ſectarum Proteſtantium, ſeu, ut non ſemel cordati Proceres dixere, Religionem negativam eſſe, hoc eſt omnem veram excludere Religionem; nam Londini tot hæreticorum ſectæ invaleſcunt, ut vix, quæ ſit determinata pro ſingulis, poſſit aut diſtingui, aut dici.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ordinatio ParKeri eſt invalida.

PRIMO: Facta eſt a ſolis Presbyteris in hoſpitio.

Secundo: Si acta Regia adamuſſim ponderentur, nullibi verus apparebit Epiſcopus.

Tertio: Actibus confictis, vel defloratis ejus innititur ordinatio.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM.

PRIMO: Ultro fatemur auctores Proteſtantes habere ordinationem ParKeri, ut validam, ſed abſque fundamento, cum ad hoc propugnandum multos confinxerint actus.

Secundo: Tametſi Sanderus non loquatur de ordinatione facta in hoſpitio, nullibi tamen agnoſcit conſecrationem ParKeri legitimam.

Tertio: Eſto, quod Angli Epiſcopi Zuinglianiſmum abjicere videantur, re tamen, & juxta reformationis fundamenta Zuingliani ſunt, nec niſi nomine & honoris gradu Epiſcopi.

DISSERTATIO SECUNDA

DE

DISPOSITIONIBUS, RITIBUS, ET CASIBUS, BAPTISMUM SPECTANTIBUS.

CUM hæc capita ſuas habeant & notiones, & difficultates, operæ pretium eſt ſingulas in ſingulis articulis exponere.

ARTICULUS PRIMUS.

De diſpoſitionibus prærequiſitis ad Baptiſmum.

DISPOSITIONES ſe tenent tam ex parte Miniſtri, quam ex parte ſuſcipientis; quocirca de eis utrumque ſpectantibus reſpective agendum eſt.

SECTIO PRIMA.

De diſpoſitionibus in genere Miniſtrorum pro conficiendis Sacramentis.

QUÆRES I. Quænam diſpoſitiones prærequirantur ex parte Miniſtri ad conficienda & miniſtranda Sacramenta?

Reſpondeo 1. Fidem, & characterem ordinis in Miniſtro eſſe optanda. Primo quidem fides exigitur, juxta illud 1. Cor. 4: *Quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur*; Tametſi enim abſolute non requiratur ut validum ſit Sacramentum, ſecus ut conferatur licite, juxta illud de Miniſtris: *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum*: Et illud Lucæ 11. *Qui non colligit mecum diſpergit*. Et iterum Heb. 11. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt*. Ratio eſt, quia Miniſter agit, ut inſtrumentum motum a cauſa principali qui eſt Chriſtus, ut habetur Joan. 1. *Hic eſt qui baptizat in ſpiritu Sancto*: Hinc debet illi conjungi, ut ab ipſo moveatur: Sed iſta conjunctio habetur ſpecialiter per fidem. Ex probatur: Dictum eſt ſupra intentionem faciendi quod fecit Chriſtus in Miniſtro requiri: Sed ſecluſa fide, Chriſtum non novit, adeoque intentionem qua illi conjungatur habere non poteſt, ſaltem perfectam, qualis requiritur pro myſteriis digne peragendis: Igitur fides requiritur in Miniſtro, ut licite baptizet. II. Hoc exigit vel ipſa Sacramenti Sanctitas, quod abſque fide indigne tractatur. III. Cauſa in quantum fieri poteſt eas expoſtulat diſpoſitiones, quales effectus producendus exigit: Sed Sacramentum Baptiſmi eo conficitur fine, ut homo Chriſtianus fiat, & evadat, & inter fideles annumeretur: Igitur cum Miniſter ſit cauſa Sacramenti fidei, utique & fides ad conficiendum licite Baptiſmi Sacramentum neceſſaria eſt.

Iiſdem prorſus rationibus gratia, & charitas immo, & virtutum omnium apparatus deſiderantur in Miniſtro. Sic enim habetur de Sacerdotibus Matt. 5. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Quæ verba explanans S. Auguſtinus Lib. 1. Serm. de monte cap. 6. ait: "Id eſt ſi vos, per quos condiendi ſunt quodammodo populi, metu perſecutionum temporalium amiſeritis regna cœlorum, qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum." Quid plura adjiciam? *Væ mundo a ſcandalis*, ait Chriſtus, Matth. 18. porro maximum eſt in Eccleſia ſcandalum, quum Miniſter improbus ſancta conficit Sacramenta. Demum Lev. 19. Deus ſic alloquitur altaris Miniſtros, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*. Ergo &c.

Reſpon-

Reſpondeo, Characterem neceſſarium eſſe in Miniſtro, ſiquidem ex S. Thoma 3. p. 463. art. 4. eſt: "Quoddam ſignaculum, quo anima inſignitur ad ſuſcipiendum, vel alii tradendum ea quæ ſunt divini cultus." Non enim loquimur de quocumque Miniſtro, ſed de eo ſolum qui ex officio aliquod conficit Sacramentum: Atqui ſolus Epiſcopus, & poſt ipſum Parochus ſolemni ritu miniſtrat Baptiſmum, ut probatum eſt tertia parte agendo de Miniſtro ordinario Baptiſmi; Igitur requiritur character. Tum quia iſta inſignitur dote Clericus, ut inter Miniſtros annumeretur; etenim, *Nec*, ait Apoſtolus Hebræorum cap. 5. *quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*; Igitur ſine charactere nullus eſt debitus & ex officio Sacramentorum Miniſter.

His diſpoſitionibus accedunt ulteriores, quarum aliæ ſunt poſitivæ, aliæ vero negativæ: priores ſunt zelus pro animarum ſalute, & vigilantia ne quis in neceſſitate culpa Miniſtri defraudetur Sacramento: hinc Iſaiæ 21. legitur, *Cuſtos quid de nocte?* Hoc eſt, attende Miniſter ad populum tibi commiſſum: & expreſſius, Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Non leviora de eodem momento dicit Apoſtolus in ſua ad Titum Epiſtola cap. 1. ubi ſermonem de Miniſtro Eccleſiæ inſtituens ſic loquitur; *Potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*.

Præter zelum habeat etiam Miniſter ſcientiam, ne aliquis error in confectione Sacramenti obrepat: ſcriptum eſt Malach. 2. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Rurſus Oſee 4. habetur: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*.

Diximus nonnullas etiam eſſe diſpoſitiones negativas ad Sacramentorum licitam confectionem neceſſarias, videlicet, ut Miniſter ſit ab omni cenſura immunis, neque igitur ſit, aut excommunicatus, aut ſuſpenſus, aut interdictus; vel etiam aliqua irregularitate irretitus.

Celeberrimum eſt quod ſacra Synodus Tridentina de diſpoſitionibus requiſitis ex parte Miniſtri dicit Seſſ. 13. capite 7. eo quippe loci exigit, ut Sacerdos miniſtrans, & conficiens Sacramenta ſit in charitate. Hinc explanans illa Apoſtoli verba, *Probet autem ſe ipſum homo*, ait: "Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non ſit illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur."

Has omnes conditiones S. Paulus paucis verbis complectitur 1. ad Tim. 3. & Epiſt. ad Tit. cap. 1. ubi miram omnium virtutum ſupellectilem exigit in Epiſcopo, & conſequenter in ceteris inferioribus Miniſtris, maxime in Presbytero. In priori epiſtola ait: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe ... ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum*. In poſteriori vero: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum ... Sed ... Juſtum, ſanctum, continentem, &c.* Et hæc ſufficiant pro diſpoſitionibus Sacramentorum Miniſtri, cum multi de hac materia ſcripſerint, in primis Molina Carthuſianus Lib. de Sacerdotio. Multo plura tradit S. Auguſtinus Lib. 6. & 7. de Baptiſmo, ubi refert omnia S. Cypriani argumenta ex ſacris Scripturis excerpta, quibus mirum in modum ſanctus Martyr probat ſanctitatem requiri in Miniſtris, ad Sacramentorum confectionem; eſto quod tanta non requiratur perfectio ad validitatem Sacramenti, ut per exceſſum erga Myſteria reverentiæ putabat S. Cyprianus: Sed ſaltem ad melius ita exigitur, ut graviter peccent Sacerdotes, dum Sacramenta cum conſcientia alicujus peccati mortalis faciunt. Ceterum quæſtionem de ſanctitate Miniſtrorum in particulari jam jam explanavimus Tract. de Sacr. in genere, puncto 5.

SYNOPSIS SECTIONIS.

Requiruntur diſpoſitiones in Miniſtris ad conficienda Sacramenta.

PRIMA: fides; cum enim Miniſter debeat conjungi Chriſto cauſæ principali, ad eum per fidem accedere debet, juxta illud Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere.*

Secunda eſt character, quo ſecluſo, nullus Sacramenta ex officio facere valeret; nam ex divo Thoma 3. p. 63. art. 4. eſt ſignaculum Sacerdotii Chriſti, quo quis conſtituitur modo ad recipienda, modo etiam facienda & tradenda ea quæ ſunt cultus divini.

Tertia, ſcientia, immo & virtutum ſupellex; ut potens ſit Miniſter exhortari, & eos qui veritati contradicunt arguere. Plus enim operatur exemplum quam verbum.

SECTIO SECUNDA.

De Diſpoſitionibus ad Baptiſmum ſuſcipiendum.

PRIMA diſpoſitio quæ alias plures continet, eſt Catechumenatus, in quo multæ erant percurrendæ ſtationes, ut adulti prius fide & aliis virtutibus inſtituti ipſo Baptiſmo initiarentur.

Quia vero de iſto momento jamjam egimus ubi de Baptiſmo adultorum, nonnulla ſolum ad majorem elucidationem hic texere non abs re erit.

Subnotandum eſt igitur id muneris incumbere Catechiſtæ, ut pietate, ingenio ſimul, & doctrina præpollens eligatur, ſicque ceteros nedum verbis, ſed & operibus inſtituat in religione: hujuſmodi erant in Alexandrina Eccleſia Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, ut ſcribit Euſebius libro 6. Hiſtoriæ cap. 5. cum enim non ſolum rudes, ſed & Philoſophi aliique ingenio, & ſcientiis prophanis præditi, non ſemel inſtruendi veniant, non leviorem Eccleſia pateretur injuriam, ſi Paganorum argumentis, & ſophiſmatibus Philoſophorum reſpondere non valeret: frequentius quondam iſtud officium Diaconis commiſſum eſt, ut liquet ex ſancto Auguſtino, qui libellum de Catechizandis rudibus ad Deo Gratias Diaconum Carthaginenſem conſcripſit.

Si de loco pro Catecheſibus deſignato loquamur, ex hiſtoricis ſacris habemus viros Apoſtolicos, qui primo apud Gentiles fidem diſſeminaverunt, in plateis publicis ſolitos fuiſſe concionari: creſcente vero fidelium numero, iſtud in ſacris ædibus, oratoriis, ſeu etiam Eccleſiis peractum eſt.

Quid vero primum Catechumenis aperiendum foret, illud potiſſimum erat, ut abjectis idolis ad Deum verum citocius converterentur.

Non deſunt ritus, quibus Eccleſia ad faciendum Chriſtianum utebatur. Sufficiat hic unum aut alterum promere.

ORDO PRIMUS.

Ex antiquo libro Sacramentorum Eccleſiæ Gallicanæ, quem ex veteri codice MS. Bobienſi ante annos mille exarato edidit Mabillonius in Muſæi Italici tomo I.

Ad Chriſtianum Catechumenum.

“ DEUS caritatis confirmator, qui
„ maculas mundi mortem fugandam fe-
„ ciſti, te oramus, & quæſumus, ut
„ cuſtodias animam famuli tui, illi: Ut
„ calcato diabolo, corrobores eum, ut
„ primi parentis deterſis tenebris, Chri-
„ ſtianum nomen fide percipiat, „

Item alia.

“ DEUS qui perdita reparas, & repa-
„ rata conſervas. Deus qui opprobrium
„ gentilitatis ſignare, ſub titulum no-
„ minis tui præcepiſti, ut ad fontem Ba-
„ ptiſmi pervenire mereantur. „

Item alia.

“ DOMINE ſancte Pater omnipotens,
„ æterne Deus, qui feciſti cœlum, &
„ terram, mare, & omnia quæ in eis
„ ſunt; reſpicere digneris ad preces hu-
„ militatis meæ pro famulo tuo ill. per
„ invocationem nominis tui confirmes
„ eum, illumines, vultum claritatis tuæ
„ ſuper eum, benedicere, & ſanctificare
„ digne-

„ digneris, ſicut benedixiſti domum Abra-„ ham, Iſaac, & Jacob. Adſigna ei An-„ gelum pacis, Angelum miſericordiæ, „ qui eum perducat ad vitam æternam, „ adjuvante Spiritu ſancto, & de fauci-„ bus inimici liberes eum, & per ſignum „ Jeſu Chriſti tempus vitæ ſuæ religioſe „ conſiſtat. Per D. „

„ *Deus* qui es, & qui eras, & per-„ manes uſque in finem ſæculi; cujus „ Origo neſcitur, nec finis comprehen-„ dere poteſt; te oramus, & quæſu-„ ut cuſtodias animam famuli tui ill. „ quem liberaſti de ore gentilium, & a „ converſatione peſſima. Dignare eum, „ qui tibi cervices ſuas humiliat, & „ perveniat ad Baptiſmum fontis re-„ generatione ex aqua, & Spiritu ſan-„ cto, qui cum Patre, & Filio vivit, „ & regnat. „

Facis ſignum † *in eum & dicat Symbolum.*

" ACCIPE ſignum crucis tam in fron-„ te quam in corde. Semper eſto fide-„ li. Templum Dei ingredere, idola „ derelinque. Cole Deum Patrem om-„ nipotentem, & Jeſum Chriſtum Fi-„ lium ejus, qui venturus eſt judicare vi-„ vos, & mortuos, & ſæculum per „ ignem, eum Spiritu ſancto. In ſæcu-„ la ſæculorum. „

Poſt hæc inſufflabis in os ejus ter & dices, *Accipe Spiritum ſanctum, & in corde teneas.*

ORDO II.

Ex VIII. MSS. libris Sacramentorum, quorum charaſter annos nongentos, aut circiter repræſentat: ſcilicet Gellonenſi, Remenſi S. Remigii, Anglicano ex Monaſterio Gemmeticenſi, Nevicenſi B. Mariæ, Pictavienſi, Regio, Colbertino, & Moiſacenſi.

Ad Catechumenum ex Pagano faciendum.

Gentilem hominem cum ſuſceperis, in primis catechizas eum divinis ſermonibus, & das ei monita quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Poſt hæc facis eum catechumenum, exſufflas in faciem ejus, & facis ei crucem in frontem, & imponens manum ſuper caput ejus his verbis. Sequitur.

„ ACCIPE ſignum crucis tam in fron-„ te, quam in corde, ſume fidem cæleſtium „ præceptorum, Talis eſto moribus, ut „ templum Dei eſſe jam poſſis, ingreſ-„ ſuſque Eccleſiam Dei, evaſiſſe te la-„ queos mortis lætus agnoſce. Horreſce „ idola, reſpue ſimulacra. Cole Deum „ Patrem omnipotentem, & Jeſum Chri-„ ſtum Filium ejus, qui vivit cum Pa-„ tre, & Spiritu ſancto per omnia ſæ-„ cula ſæculorum. „

Item.

" *Te deprecamur, Domine*, ſancte, Pa-„ ter omnipotens æterne Deus, ut huic fa-„ mulo tuo, qui in ſæculis hujus nocte „ vagatur incertus, & dubius, viam ve-„ ritatis, & agnitionis tuæ jubeas demon-„ ſtrare, quatenus reſeratis oculis cordis „ ſui, te unum Deum Patrem in Filio, „ & Filium in Patre cum ſancto Spiritu „ recognoſcat, atque hujus confeſſionis „ fructum, & hic, & in futuro ſæculo „ percipere mereatur. Per. „

Inde vero poſtquam guſtaverit medicinam ſalis, & ipſe ſignaverit, benedicit eum his verbis.

" *Domine ſancte Pater* omnipotens, „ æterne Deus, qui es, eras, & per-„ manes ſine fine: cujus origo neſcitur, „ nec finis comprehendi poteſt. Te Do-„ mine ſupplices invocamus ſuper famu-„ lum tuum, quem liberaſti de errore „ gentilium, & converſatione turpiſſi-„ ma: dignare exaudire eum, qui tibi „ cervices ſuas humiliat: perveniat ad „ lavacri fontem, ut renatus ex aqua, „ & Spiritu ſancto, expoliatus veterem „ hominem, induatur novum, qui ſecun-„ dum Deum creatus eſt. Accipiat veſtem „ incorruptam, & immaculatam, tibique „ Domino noſtro ſervire mereatur. Per. „

Secunda diſpoſitio eſt exhortatio ſeu invitatio ad fidem amplectendam. Hanc commemorat Catechiſmus Romanus p. 2. de Baptiſmo num. 35. his verbis: " Di-„ verſam vero rationem in iis ſervan-„ dam eſſe, qui adultà ætate ſunt, & „ perfectum rationis uſum habent, qui „ ſcilicet ab infidelibus oriuntur, Antiquę „ Eccleſiæ conſuetudo declarat. Nam „ Chri-

Digitized by Google

,, Christiana quidem fides illis proponenda eſt, atque omni ſtudio ad eam ſuſcipiendam cohortandi, alliciendi, invitandi ſunt. Quod ſi ad Dominum Deum convertantur, tum vero monere oportet, ne ultra tempus ab Eccleſia præſcriptum, Baptiſmi Sacramentum differant: Nam cum ſcriptum ſit: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*: docendi ſunt perfectam converſionem in nova per Baptiſmum generatione poſitam eſſe. ,, Quæ quidem diſpoſitio, ut mihi videtur, cæteras præire debet.

Tertia eſt, ut baptizandi fidem habere incipiant, juxta illud Apoſtoli Hebræorum II. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt* &c. Iſtam diſpoſitionem non levius ſubindigitat S. Auguſtinus L. de utilitate credendi cap. 9. num. 21. ubi ſuæ ad Deum converſionis hiſtoriam ſcribens, ait, quod primum varias Philoſophorum ſectas, ac diverſa Religionum ſyſtemata luſtraverit, jejunus tamen, & iterum atque iterum deſiccatus, inanis ſemper ægro ferens deſideria: hinc nihil pro veritate in qua eſt vera felicitas, reperiens, ad Deum ſe ſe convertiſſe aſſerit. Tum Manichæos potius ad rationem, quam ad fidem pro myſteriis indagandis confugientes, ſic perſtringit: " Profitentur hoc omnes hæretici negare non poſſum; ſed ita ut eis quos illectant, rationem ſe de obſcuriſſimis rebus polliceantur reddituros; eoque Catholicam maxime criminantur, quod illis qui ad eam veniunt præcipitur ut credant... Vera religio, niſi credantur ea quæ quiſque poſtea, ſi ſe bene geſſerit, dignuſque fuerit, aſſequatur atque percipiat, & omnino ſine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto poteſt. ,,

Catechiſmus Romanus iſtam non ſilet præparationem ibidem num. 40. " Verum præter Baptiſmi voluntatem, fides etiam ea ratione, qua de voluntate dictum eſt, ad conſequendam Sacramenti gratiam maxime neceſſaria eſt. Etenim Dominus, & Salvator noſter docuit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. ,,

Quarta, eſt pœnitentia de peccatis: Ratio eſt, quia Baptiſmus inducit vitæ novitatem: Sed hoc fieri nequit ſine pœnitentia, qua homo avertitur a creatura, & convertitur ad Creatorem; ſin minus, inquit D. Thomas hic q. 68. art. 4. eſſent contradictoria, quatenus baptizandus vellet converti, & tamen non converteretur, ſi a peccato non recederet; Tum adeſſet aliquam Sacramento falſitas. Hinc propter tria ait S. Doctor neceſſariam eſſe iſtam pœnitentiam: " Primo quidem, *inquit*, quia per Baptiſmum homines Chriſto incorporantur, ſecundum illud Galat. 3. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non poteſt eſſe Chriſto conjunctus. ,, Pergit: " Secundo, quia in operibus Chriſti, & Eccleſiæ nihil debet fieri fruſtra: fruſtra autem eſt quod non pertingit ad finem ad quem eſt ordinatum: Nullus autem habens voluntatem peccandi, ſimul poteſt a peccato mundari, ad quod ordinatur Baptiſmus: quia hoc eſſet ponere contradictoria eſſe ſimul. ,, Poſtremam hanc dat rationem: " Tertio quia in ſacramentalibus ſignis non debet eſſe aliqua falſitas; eſt autem ſignum falſum, cui res ſignificata non reſpondet. Ex hoc autem quod aliquis lavandum ſe præbet per Baptiſmum, ſignificatur quod ſe diſponat ad interiorem ablutionem: quod non contingit de eo, qui habet propoſitum perſiſtendi in peccato. ,,

Catechiſmus laudatus ibidem num. 40. hæc ſubdit de pœnitentia requiſita: " Deinde, ut quemlibet admiſſorum ſcelerum, & malæ actæ vitæ pœniteat, atque ut idem in poſterum a peccatis omnibus abſtinere ſtatuat, opus eſt. Aliter enim, qui ita Baptiſmum peteret, ut tamen peccandi conſuetudinem nollet emendare, omnino repellendus eſſet. ,,

S. Thomas hic q. 71. agit de præparatoriis, quæ concurrunt ad Baptiſmum, & circa hoc quatuor quærit 1. Utrum Catechiſmus debeat præcedere Baptiſmum? 2. Utrum exorciſmus utique illum debeat antecedere? 3. Utrum ea quæ aguntur in Catechiſmo, & Exorciſmo, aliquid efficiant, vel ſolum ſignificent? 4. Utrum baptizandi debeant catechizari vel exorcizari per Sacerdotes?

Reſpondet hic art. 1. ad primum affirmative, ſuffultus auctoritate Rabani; qui L. 1. de in-

de inſtit. Cleric. c. 25. ait : " Ante Baptiſ. catechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum Catechumenus accipiat rudimentum. " Ratio quam affert ea eſt : " Ad hoc autem, quod aliquis fidem accipiat, requiritur, quod de fide inſtruatur, ſecundum illud Roman. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo autem audient ſine prædicante ? Et ideo ante Baptiſmum convenienter præcedit Catechiſmus. Unde & Dominus præceptum baptizandi diſcipulis tradens, præmittit doctrinam Baptiſmo dicens : Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos &c. "

Reſpondet ad ſecundum art. 2. ibidem affirmative in argumento *Sed contra*, his verbis : " Cœleſtinus Papa dicit, ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exſufflationibus Clericorum ſpiritus immundus ab eis abjiciatur. "

Tum pergit in corpore articuli : " Quicumque ſapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta ſui operis ; unde dicitur Jeremiæ 4. Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Diabolus autem hoſtis eſt humanæ ſalutis, quæ homini per Baptiſmum exhibetur, & habet poteſtatem aliquam in hominem, ex hoc ipſo quod ſubditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante Baptiſmum expelluntur dæmones per exorciſmos ne ſalutem hominis impediant : quam expulſionem ſignificat exſufflatio. Benedictio autem cum manus impoſitione præcludit expulſo viam, ne redire poſſit. Sal autem in os miſſum, & narium & aurium ſputo linitio ſignificat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares, & confeſſionem quantum ad os. Olei vero inunctio ſignificat aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones. "

Reſpondet ad tertium, ea quæ aguntur in Catechiſmo & Exorciſmo, nedum ſignificare, ſed & efficere ut poteſtas dæmonis comprimatur, & gratia ſancti Spiritus ad regenerationem in animam infundatur. Quod quidem probat auctoritate D. Auguſtini ex libro 1. de Symbolo capite 1. excerpta : " Auguſtinus dicit in libro de Symbolo, parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur diaboli poteſtas inimica, quæ decipit hominem. Nihil autem agitur fruſtra per Eccleſiam. Ergo per hujuſmodi exſufflationes hoc agitur ut dæmonum poteſtas expellatur. "

Deinde vero fuſiori ſtylo explicat cauſalitatem tum Catechiſmi, tum exſufflationis, ſeu exorciſmi : " Nam per Baptiſmum, *inquit*, datum homini gratia ad plenam remiſſionem culparum. Per ea vero quæ in exorciſmo aguntur, excluditur duplex impedimentum ſalutaris gratiæ percipiendæ : quorum unum eſt impedimentum extrinſecum, prout dæmones hominis ſalutem impedire conantur, & hoc impedimentum excluditur per exſufflationes quibus poteſtas dæmonis repellitur. Aliud impedimentum eſt intrinſecum, prout ſcilicet homo ex infectione originalis peccati habet ſenſus præcluſos ad percipienda ſalutis myſteria. Unde Rabanus de inſtitutione Clericorum dicit, quod per ſalivam typicam, & Sacerdotis tactum, ſapientia & virtus divina ſalutem Catechumeni operatur, ut aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi ſenſus in intimo corde ad reſpondendum. "

Reſpondet ad quartum ibidem art. 4. affirmative, aitque catechizandi officium ſpectare ſpecialiter Sacerdotes ; quippe qui ſint principales hujus Sacramenti Miniſtri. In argumento *Sed contra* ſic loquitur : " Nicolaus Papa dicit ; Catechiſmi baptizandorum a Sacerdotibus uniuſcujuſque Eccleſiæ fieri poſſunt. Unde Gregorius etiam ſuper Ezechielem dicit ; Sacerdotes cum per exorciſmi gratiam, manum credentibus imponunt, quid aliud faciunt, niſi quod dæmonia ejiciunt ? "

Synopſis eorum quæ complectitur Articulus.

PRIMA diſpoſitio eſt Catechumenatus ; prius enim inſtruendi ſunt adulti Pagani, quam baptizentur, juxta illud Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo autem audient ſine prædicante ?* Et expreſſius Matth. 28:

Eun-

Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.

Altera eſt fides, tum & pœnitentia: Fides quidem, juxta illud Hebræorum 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Pœnitentia vero, cum requiratur cordis ad Deum converſio, ipſo Deo dicente Zachar. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus Exercituum; & convertar ad vos.*

Tertia: Inter omnes diſpoſitiones potiſſimæ ſunt exorciſmus, tum & Sacerdotis exſufflatio, quibus poteſtas dæmonis comprimitur, ut cordis Catechumeni aditus pateat ad Baptiſmi gratiam, quæ poſſet per dæmonis immiſſiones malas præpediri; ita D. Thomas hic q. 71. art. 2. & 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ritibus obſervandis ad conferendum Baptiſmum.

TRIA potiſſimum concurrunt ad ritum Baptiſmi: videlicet tempus, locus, & modus; & de quolibet capite agendum eſt.

§. I.

De Tempore.

PRIMO: Baptiſmus poteſt conferri in neceſſitate, vel extra neceſſitatem: Si neceſſitas urgeat, certum eſt omni tempore illum exhibendum eſſe, ut jam diximus ubi de Catechumenatu: Eccleſia quippe eo innixa fidei dogmate quod Deus velit & omnes & ſingulos ſalvos fieri, & hac de cauſa Chriſtus Dominus pro ſingulis mortuus ſit, ne deficiat in neceſſariis, vel ipſos infantes benigne baptizari voluit, ſicut & ipſos adultos, omiſſis Catechumenatus gradibus, ut primum eorum vita in periculum venit, ea tamen conditione, quod iſti prius ſacrum regenerationis lavacrum deſideraverint.

Secundo: Citra neceſſitatem eadem Eccleſia quondam adultos prius catecheſi inſtitutos, non niſi in vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes ſolemni ritu baptizabat. Ita ſcribit Tertullianus L. de Baptiſmo capite 19. qui hunc morem ineunte ſæculo tertio verbis explanat: "Diem Baptiſmo „ ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & „ Paſſio Domini, in qua tingimur adim- „ pleta eſt ....: Exinde Pentecoſte or- „ dinandis lavacris latiſſimum ſpatium „ eſt. „ Subſcribit Hieronymus Epiſt. ad Pammachium; ſubſcribit & Fortunatus L. 3. carmine 7.

Patrocinantur huic traditioni ſummi Pontifices & Concilia; in primis Syricius Papa, 4. ſæc. Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem cap. 2. tum & Gelaſius, qui Epiſt. 9. ad univerſos Epiſcopos ſic loquitur: "Baptizandi, ſibi quiſquam paſſim „ quocumque tempore nullam credat fidu- „ ciam, præter Paſchale feſtum, & Pen- „ tecoſte venerabile Sacramentum: ex- „ cepto dumtaxat graviſſimi languoris in- „ curſu. „ Leo Magnus ejuſdem eſt ſententiæ Epiſt. ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos: Idem ſentit Gregorius II. Epiſt. ad Clerum, & plebem Turingiæ, quæ refertur in vita S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini, & Martyris, Auctore Othlono.

Simile tempus pro Baptiſmo ſolemniter conferendo plurima Concilia aſſignant, ut Gerundenſe an. 517. can. 4. Antiſiodorenſe anno 578. can. 18. Tribarienſe an. 895. can. 12. Rotomagenſe an. 1072. canone 23. & alia permulta.

Tertio: Hæc diſciplina, quæ a tertio uſque ad ſextum circiter floruit ſæculum non tamen apud omnes fuit, quandoquidem Græci utique in feſto Epiphaniæ in memoriam Baptiſmi a Chriſto hac die in Jordane ſuſcepti baptizare ſolebant, ut videre eſt in eorum Euchologio, quod utique liquet ex S. Gregorio Nyſſeno, qui hac die orationem de Baptiſmate ad baptizandos habuit. Ratherius Veronenſis ſermone 1. de Quadrageſima, hæc de hoc momento ſcribit: "Sciendum ſane „ quod cum ſub una fide ſint conſuetu- „ dines Eccleſiarum diverſæ; Orienta- „ les, & longiorem, & auſteriorem, „ quam nos faciunt Quadrageſimam: & „ idcirco Paſchale gaudium ad horam „ Sabbati ſancti inchoant, ut dicitur, „ quod nobis licet minime, tertiam. Ba- „ ptiſmum enim ut nos non eodem die, „ ſed in Epiphania, & Pentecoſte dicun- „ tur ſolummodo contra inſtituta licet no- „ ſtrorum celebrare. „

Obſerves velim falſum eſſe Orientales Bapti-

Baptiſmum in vigilia Paſchæ non adminiſtraſſe: contrarium enim apparet in Epiſt. S. Joannis Chryſoſtomi ad Innocentium I. & in oratione de Baptiſmo S. Gregorii Nazianzeni.

Sozomenus L. 2. cap. 26. ſcribit Jeroſolymis, facta dedicatione Eccleſiæ a Conſtantino Magno erectæ, ſolemnem quotannis, fuiſſe inſtitutam feſtivitatem: " Adeo ,, ut Baptiſmi quoque ſacramenta eo die ,, tradantur. ,, In more etiam erat poſitum apud Africanos baptizare ſolemniter in Epiphania Domini, ut colligitur ex Victore Uticenſi L. 2. de Perſecutione Wandalica; de quo arguit Africanos S. Leo Magnus Epiſt. 16. edit. novæ, quod in hoc puncto recederent a more Romano.

Quarto: Uſus etiam obtinuit in Galliis quinque dies eligere in quibus Baptiſmus ſolemni ritu conferebatur; videlicet Natalem Domini, Epiphaniam, Paſcha, Pentecoſtem, & feſtum S. Joannis Baptiſtæ. Gregorius Turonenſis L. 5. Hiſt. Francorum cap. 11. commemorat Paſcha & Pentecoſten, Natalem vero Domini S. Avitus Viennenſis Epiſcopus Epiſt. ad Clodovæum Regem. Idem ſcribit Gregorius mox laudatus L. de gloria Confeſſorum cap. 69. tum Epiphaniæ diem ſubſignat pro hac cæremonia antiquus liber Sacramentorum Monaſterii Gellonenſis ante annos nongentos manu exaratus: Ejuſdem diei feſtum annuntiant Annales Francorum Fuldenſes, & Mettenſes ad annum 847. Demum non ſilet Gregorius Turon. S. Joannis Baptiſtæ feſtivum diem L. 8. Hiſt. Francorum cap. 9.

Quinto: In Hiſpania diverſa quoque fuit pro tradendo Baptiſmate diſciplina; quandoquidem iſtius regionis Epiſcopi diebus laudatis addiderunt Apoſtolorum, Martyrumque feſtivitates; quem quidem morem Syricius Papa in ſua ad Hymerium Tarraconenſem epiſtola novitatis inſimulat.

Sexto: Tandem duodecimo ſæculo indiſcriminatim quacumque die Baptiſma collatum eſt apud Occidentales: " Poſtquam, *inquit Rupertus Abbas*, *qui ann.* 213. *obiit l.* 4. *de divinis officiis cap.* 18. Chriſtianitas crevit, quia periculoſum erat ,, tantam multitudinem differre propter ,, occaſiones mortis, viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi ,, conceſſa, immo oblata, cuncta anteve- ,, nire pericula. S. Auguſtinus ſermone 6. in Quadrageſima non abſimilia dicit: " Monere, *inquit*, deberet ſi baptizare, & ,, baptizari, niſi in die Paſchæ ſolemniſſimo non liceret. At cum *per totum annum* ſicut unicuique vel neceſſitas fuit, ,, *vel voluntas*, non prohibetur a Baptiſmate... hoc enim *omni die* licet accipere. ,,

Ceterum, quoties exardeſcebat perſecutio, ſolebant Epiſcopi congregare populum, eum ad fidem fortiter ſuſtinendam adhortari, tum baptizare infantes, & Catechumenos, ut refert Henricus Valeſius in notis ad Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam L. 7. cap. 11. Idem de tempore obſidionis, & in periculo naufragii concedit Leo Magnus epiſtola 16.

Ex his liquet non unam fuiſſe diſciplinam in omnibus Eccleſiis pro tempore Baptiſma conferendi: Certum eſt tamen uſum vulgo, ut jam diximus, obtinuiſſe ſolis Paſchæ & Pentecoſten diebus baptizare, quæ quidem conſuetudo ad finem uſque undecimi ſæculi perſeveravit, quo tempore plurimum imminui cœpit, ut ſcribit Theophilactus Comment. in cap. 10. Luc. & Rupertus jam laudatus.

Obſervare tamen non abs re erit in Eccleſia Orientali, etiam antiquitus morem inoleviſſe Baptiſmum ſolemni ritu, nedum in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ſed & in feſto Epiphaniæ tradere. Hoc ipſum colligitur ex S. Gregorio Nazianzeno Orat. 39. in S. lumina: " Tempus, ,, *ait*, regenerationis eſt, coaſcamur deſuper; tempus reſtaurationis, primum ,, Adam deponamus; Chriſtus illuminatur, ſimul fulgeamus: Chriſtus baptizatur, deſcendamus cum eo, & una cum ,, eo aſcendamus. ,, Alcuinus tractans de officio Sabbati ſancti, teſtatur Baptiſmum hora tertia pomeridiana conferri: " Ho- ,, die autem, *inquit*, hora nona Baptiſmus ,, celebratur ſicut in Pentecoſte. ,,

§. II.

De Loco.

MULTA de loco Baptiſmi adminiſtrandi ſcribunt Hiſtorici.

Primo: Quando imminet vitæ periculum, ſicut quolibet tempore, ſic & in omni

omni loco decenti baptizare licitum eſt: qui quidem uſus obtinuit Apoſtolorum temporibus. Legitur enim Actuum 8. quod Eunuchus Candacis Reginæ tinctus fuerit in via a Philippo Diacono. *Dum irent*, ait Scriptura, *per viam, venerunt ad quamdam aquam ...... & juſſit ſtare currum Eunuchus, & deſcenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum*. Rurſus ibidem cap. 10. Petrus baptizavit Centurionem in domo propria. Eadem floruit conſuetudo tempore perſecutionum, namque in Fidelium ædibus Sacerdotes, ut declinarent Paganorum improperia, Baptiſmum admiſtrabant.

Secundo: Ut plurimum Apoſtolorum Diſcipuli aut in fluminibus, aut in ſtagnis ſolebant tingere Catechumenos. Hoc Tertullianus L. de Baptiſmo cap. 1. non levius indicat his verbis: " Neque quicquam refert, inter eos quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tyberi tinxit. " Sanctus Victor Martyr Maſſilienſis Paganos ad Chriſtum converſos, & ſui carceris milites baptizavit: " Pro tempore diligenter inſtructos propriis manibus de fonte levavit. " Ut legitur in ejus actibus apud Ruinarcium: Sed inter omnia flumina pro Baptiſmate ſuſcipiendo ſelectâ eminebat Jordanis flumen, quippe qui ex contactu mundiſſimæ carnis Chriſti ſanctificandi virtutem accepiſſet. Hoc innuit Hieronymus libro de locis Hebraicis. Hoc Euſebius Libro 4. de vita Conſtantini cap. 62. Hoc Theodoretus L. 1. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 32.

Tertio: Reddita Eccleſiæ pace, quædam extructa ſunt loca ad baptizandum deſtinata, quæ vulgo *Baptiſteria* nuncupata ſunt; a Græcis, *Illuminatoria*; a Sydonio Apollinari L. 2. Epiſt. ad Domit. *Piſcina*; a Fortunato L. 2. carmine 12. *Aula Baptiſmalis*; a Gregorio Turonenſi L. 2. Hiſt. Francorum, *Templum Baptiſterii*; in Capitularibus Pippini Regis Italiæ anni 793. n. 7. & 15. *Baptiſmales Eccleſiæ*; & n. 26. *Oracula*; in Capitularibus Caroli Calvi anni 876. *Plebes*; ac tandem apud Flodoardum L. 2. Hiſt. Remenſis cap. 19. *Baptiſmales tituli*.

Iſta loca ut plurimi ſcribunt ſolum in Eccleſiis Cathedralibus primum ædificata fuere, & hoc ab Eccleſia diſtincta & ſeparata; ſed magnifice ornata. Audiendus eſt de hoc momento S. Paulinus Epiſt. 12. ad Severum, ubi de ejus baptiſterio ita canit.

Dives opum Chriſti, pauper ſibi pulcra Severus
Culmina ſacratis fontibus inſtituit.

Uſus tamen invaluit Baptiſteria intra Eccleſiam verſus januam claudere, ut quotidiana comprobat experientia. Venetiis in Eccleſia S. Marci cernitur, inquit Mabillonius, in itinere Italico: " Baptiſterium ex ære pulche elaboratum, in ſacello ad portam, qua aditus eſt in contiguum Ducis Palatium. " Jamvero ſi de figura & forma agitur, eam eſſe rotundam in modum turris ſubnotat S. Paulinus Epiſt. 12. ad Severum his verſiculis.

Iſte duas inter diverſi culminis aulas,
Turrite fontem, tegmine conſtituit.

Quod & oculis omnium in Eccceſiis Parocbialibus ſubjicitur.

Quarto: Propter multitudinem baptizandorum nonnumquam baptiſteria plures habent fontes. Hujuſmodi cernnntur in Piſano baptiſterio, cujus in medio, teſtante Mabillonio in ſuo Italico itinere: " Extat fons ſacer Rotondo opore cum multis fonticulis in petra exciſis. "

Quinto: Quia vero duo alia Sacramenta eodem tempore conferebantur, ſcilicet Confirmatio, & Euchariſtia, quæ quidem ea de cauſa a veteribus Patribus Baptiſmi appendices vocantur, erant quoque in Baptiſterio quædam altaria erecta, ut recens baptizatus ad ſacram menſam poſſet accedere. Hilarius Papa tria oratoria ſeu altaria in Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ, ut refert Anaſtaſius, erexit. Idem de Symmacho Papa loquens, ait: " Ad fontem, in Baſilica S. Petri Apoſtoli oratorium ſanctæ Crucis ex argento confeſſionem, & crucem ex auro, &c. fecit. " Sed & de Piſano Baptiſterio fonte hæc habet Mabillonius in itinere Italico: " Adhæret altare cum globo ſuper illud concavo, in quo Euchariſtia olim ad uſum, ut veriſimilimum eſt, recens baptizatorum aſſervabatur. "

§. III.

§. III.

De modo baptizandi, ſeu de Ceremoniis.

DE Ritibus Baptiſmi impræſentiarum ſermo inſtituitur: Supra probatum eſt ritus Sacramentorum auctorem habere ipſum Deum, qui Moyſen, & Aaron docuit modos tum offerendi ſacrificia, tum miniſtrandi Sacramenta. Hinc & ipſe Chriſtus non ſine ritu & cæremoniis ſacram inſtituit Euchariſtiam, quippe qui, exhortatione prævia ad Diſcipulos, de charitate & humilitate ante ſacram Communionem exercendis, ſimul & lotione pedum ſub indicta puritate, ſuſpiciens & in cœlum, & gratias agens Patri, accepit panem quem benedicens, dixit: *Hoc eſt corpus meum*. Similiter & calicem benedicens, ait: *Hic eſt ſanguis meus, &c.* Hinc & reliquit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem ritus inſtituendi ad Sacramenta, ea qua par eſt, & majeſtate & reverentia pertractanda, juxta illud Concilii Trident. Seſſ. 7. can. 13. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem, mutari poſſe; anathema ſit.*

Mira profert Catechiſmus Romanus de cæremoniis Baptiſmi hic p. 2. n. 59. & ſequentibus, quæ hic texere ſicut utile, ſic & jucundum erit. Ergo de hoc momento ſic loquitur: " Reſtat nunc, ut, „ quæ de hujus Sacramenti precationibus, „ ritibus & cæremoniis tradenda ſint, „ aperte & breviter explicentur. „ Tum n. 60. ſic proſequitur: " Sed omnes cæ„ remoniæ, & precationes, quibus in Ba„ ptiſmi adminiſtratione Eccleſia utitur, „ ad tria capita redigendæ ſunt, ut in eis „ explicandis certus ordo a Paſtoribus ſer„ vari poſſit, & quæ tradita ab illis fue„ rint, auditorum memoria facilius reti„ neatur. Ac primum quidem illarum ge„ nus eſt, quæ antequam accedatur ad Ba„ ptiſmi fontem, ſervantur: Alterum ea„ rum, quæ cum ad ipſum fontem ventum „ eſt, adhibentur: Tertium earum, quæ „ peracto jam Baptiſmo, addi ſolent. In „ primis igitur aqua paranda eſt, qua ad „ Baptiſmum uti oportet. „

De his quæ præcedunt Baptiſmum.

PRIMO: Cæremoniæ Baptiſmum antecedentes principalem obtinent locum, cum ſint ultimatæ ad iſtud Sacramentum diſpoſitiones. 1. Eſt lotio capitis, quæ Dominica Palmarum quondam fiebat, tum & pedum in cęna Domini. Lotio pedum in antiquo ordine Romano dicitur *Capitilavium*. De iſta cæremonia loquitur Iſidorus L. 6. Ethym. cap. 18. & Lib. 1. de divinis officiis cap. 27. ubi ſic habetur: " Vulgus autem eumdem diem „ ideo Capitilavium vocat, quia tunc mo„ ris eſt lavandi capita infantium qui un„ gendi ſunt, ne forte obſervatione Quadra„ geſimæ ſordidata ad unctionem accede„ rent. „ Non abſimili ratione feria 5. „ in Cœna Domini lavabantur pedes. De hoc momento S. Auguſtinus Epiſt. 54. novæ edit. ad Januarium n. 10. hæc ſcribit: " Si autem quæris, *ait*, cur etiam „ lavandi mos ortus ſit, nihil mihi de „ hac re cogitanti probabilius occurrit, ni„ ſi quia baptizandorum corpora per ob„ ſervationem Quadrageſimæ ſordidata „ cum offenſione ſenſus, ad fontem tracta„ rentur, niſi aliqua die lavarentur. „ Iſtum autem diem ad hoc electum quo „ cęna Dominica anniverſarie celebra„ tur. „

Secundo: Eadem feria 5. in Cęna Domini ſymbolum tradebatur Catechumenis, ut illud ediſcerent: Sic præcipit Conc. Laodicenum cap. 46.

Tertio: His abſolutis, de Eccleſia ejiciebantur Catechumeni, clamante Archidiacono, *Catechumeni recedant, omnes Catechumeni exeant foris*, Et iterum Diacono, *Filii chariſſimi, revertimini in locos veſtros, expectantes horam, qua poſſit circa vos Dei gratia Baptiſmum operari*. Mediante vero diei octava hora ad Eccleſiam revertebantur, ubi benedicto ſolemniter cereo, lectiones ad inſtructionem baptizandorum ex veteri Teſtamento recitabantur, duodecim quidem juxta ordinem Gelaſianum, quatuor vero ſecundum Gregorianum. De his lectionibus, *inquit P. Martenus p. 1. de ritibus L. 1. cap. 1. art. 13.* intelligendus eſt locus ex Palladio in vita S. Joannis Chryſoſtomi; ubi agens de excitato a Theophili ſatellitibus in Eccleſia CP. tumultu hoc ipſo die, hæc habet: " Joan„ nis

„ nis tamen Presbyteri, qui Dei timo-„ rem habebant, in publico lavacro, quod „ Conſtantinianas vocant, convocatis po-„ pulis vigilias agebant: Alii *Scripturas* „ *divinas legentes*, alii Catechumenos ba-„ ptizantes, ut par eſt, propter Paſcha. „

Quarto: Benedicitur aqua. Antiquitus, abſoluta aquæ benedictione, tingebatur infans, vel Catechumenus, nunc vero iſta aquarum benedictio quæ inſervit per totum annum ad baptizandum in vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes peragitur. De iſto capite ſic loquitur Catechiſmus Rom. num. 61. " Conſecratur enim Baptiſmi „ fons addito myſticæ unctionis oleo. „ Neque id omni tempore fieri permiſ-„ ſum eſt: Sed more majorum, feſti qui-„ dam dies, qui omnium celeberrimi, & „ ſanctiſſimi optimo jure habendi ſunt, „ expectantur: in quorum vigiliis ſacræ „ ablutionis aqua conficitur: quibus et-„ iam tantum diebus, niſi neceſſitas ali-„ ter facere coegiſſet, in veteris Eccleſiæ „ more poſitum fuit, ut Baptiſmus admi-„ niſtraretur. Sed quamvis Eccleſia hoc „ tempore, propter communis vitæ pe-„ ricula, eam conſuetudinem retinendam „ non judicarit: tamen ſolemnes illas dies „ Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus Bapti-„ ſmi aqua conſecranda eſt, ſumma cum „ religione adhuc obſervat. „

Quinto: " Poſt aquæ conſecrationem, „ *ait ibidem*, alia deinceps, quæ Baptiſ-„ mum antecedunt, explicare oportet. „ Afferuntur enim, vel etiam adducun-„ tur, qui Baptiſmo initiandi ſunt, ad Ec-„ cleſiæ fores, atque ab ejus introitu omni-„ no prohibentur: quod indigni ſint, „ qui domum Dei ingrediantur, ante-„ quam a ſe turpiſſimæ ſervitutis jugum „ repulerint, & totos ſe Chriſto Domino, „ ejuſque juſtiſſimo imperio addixerint. „ Tum vero Sacerdos ab eis exquirit, „ quidnam ab Eccleſia petant, quo cogni-„ to, primum eos chriſtianæ fidei doctri-„ na, quam in Baptiſmo profiteri debent, „ inſtituit: id autem Catechiſmo effici-„ tur, cujus inſtitutionis morem a Domini „ Salvatoris præcepto manaſſe, nemo du-„ bitare poteſt: cum ipſe Apoſtolis juſſe-„ rit: *Ite in mundum univerſum, & docete* „ *omnes gentes, baptizantes eos in nomine* „ *Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, do-* „ *centes eos ſervare omnia quæcumque man-* „ *davi vobis*. „

Sexto: Juxta eumdem Catechiſmum n. 55. ſequitur exorciſmus ad propellendum dæmonem, ejuſque vires frangendas tum verbis, tum & piis precationibus.

De Cæremoniis Baptiſmum quaſi concomitantibus.

FACTIS & completis prioribus ritibus, Sacerdos introducit baptizandum in Templum Domini, qui quidem ſale & oleo perfunditur, tum confeſſionem fidei, vel per ſe, vel per patrinos emittit, abrenuntiat ſatanæ, & ſignato ſigno crucis ac linito oleo Catechumenorum, baptizatur.

Audiendus eſt de his momentis Catechiſmus Romanus n. 66.

Primo: De ſale ſic loquitur: " Cum ſal „ in illius os, qui ad Baptiſmum addu-„ cendus eſt, inſeritur, hoc ſignificari „ perſpicuum eſt, eum fidei doctrina, & „ gratiæ dono conſecuturum eſſe, ut a pec-„ catorum putredine liberetur, ſaporemque „ bonorum operum percipiat, & divinæ „ ſapientiæ pabulo delectetur. „

Secundo: Explicat ſignum crucis quo diverſæ baptizandi partes inſigniuntur: " Ob-„ ſignantur præterea ſigno crucis frons, „ oculi, pectus, humeri, aures: quæ „ omnia declarant, Baptiſmi myſterio ſen-„ ſus babtizati aperiri, ac roborari, ut „ Deum excipere, præceptaque ejus in-„ telligere, ac ſervare poſſit. „

Tertio: Exigitur a baptizando ut ſatanæ, & ejus pompis abrenuntiet. Antiquiſſima eſt iſta cæremonia, ſiquidem de ea meminit Origenes Comment. in Epiſt. ad Romanos: meminit Cyprianus Epiſt. 7. meminit & Tertullianus Lib. de corona militis cap. 3. Triplex ſic exprimitur: *Abrenuntias ſatanæ?* R. *Abrenuntio*. *Et omnibus operibus ejus?* R. *Abrenuntio*. *Et omnibus pompis ejus?* R. *Abrenuntio*. Sic refert Venerabilis Beda in caput 8. Tobiæ. Ambroſius L. de Myſteriis cap. 2. duplicem tantum renuntiationem deſignare videtur. Item & auctor librorum de Sacramentis L. 1. cap. 2. his verbis: " Quando te interrogavit, *inquit*, „ abrenuntias diabolo, & operibus ejus? „ Quid reſpondiſti? Abrenuntio. Abre-„ nuntias ſæculo, & operibus ejus? „ Quid reſpondiſti? Abrenuntio. Me-„ mor eſto cautionis tuæ. „ Duplicem tantum

tum etiam nunc adhibet Eccleſia Ambroſiana; ſic enim in ejus Rituali legitur. Catechiſmus laudatus ibidem de hac cæremonia ſic loquitur: " His peractis, ad ,, Baptiſmi fontem veniunt, ibique aliæ ,, cæremoniæ, & ritus adhibentur: Ex ,, quibus chriſtianæ religionis ſummam ,, licet cognoſcere. Sacerdos enim ter ,, conceptis verbis, eum, qui baptizandus ,, eſt, interrogat: Abrenuntias ſatanæ, ,, & omnibus operibus ejus? At ille, aut ,, ejus nomine patrinus, ad ſingulas interrogationes reſpondet: Abrenuntio. ,,

Quarto: Ungitur baptizandus in pectore, & inter ſcapulas poſt renuntiationem diabolo, ut ſcribit Leidradus Lugdunenſis Epiſcopus L. de Baptiſmo cap. 2. Uſus etiam talis quondam obtinuit apud Græcos, ut liquet ex illis Theodoreti verbis in Cantica: " Reminiſcere ſacræ ,, myſtagogiæ, in qua qui initiantur poſt ,, Tyranni abnegationem, & Regis confeſſionem; velut ſigillum quoddam Regium ſuſcipiunt ſpiritalis ungoenti chriſma, recipientes gratiam inviſibilem ,, ſanctiſſimi Spiritus unguento tamquam ,, in typo. ,, Deinde vero fit interrogatio de fide: Sed pro more poſitum eſt in Eccleſia Latina primum linire, deinde vero fidei profeſſionem emittere. De tali profeſſione ibid. ſic loquitur Catech: Rom. " Deinde ad ipſum Baptiſmi fontem conſiſtens, interrogatur a Sacerdote, hoc ,, modo: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Cui ille reſpondet, Credo: Atque ita deinceps de reliquis Symboli articulis rogatus, fidem ſuam ſolemni religione profitetur, quibus ſane duabus ſponſionibus omnem chriſtianæ legis vim, & diſciplinam contineri perſpicuum eſt. ,,

Quinto: Quærit Sacerdos ab eo qui baptizandus eſt, num baptizari velit? Reſponſione facta vel per ſe, vel per patrinos, ſtatim abluitur; deinde vero chriſmate perungitur in vertice, ut intelligat ſe ab eo die Chriſto capiti tamquam membrum conjunctum eſſe: " Ut intelligat, *inquit Catechiſmus*, ſe ab eo die ,, Chriſto capiti tamquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus corpori inſitum, & ea re Chriſtianum a Chriſto, Chriſtum vero a chriſmate appellari. ,,

De Ceremoniis Baptiſmum ſubſequentibus.

DE his pauca habemus dicenda. Sufficiat hic texere quæ Catechiſmus Romanus ibidem ſcribit de veſte candida, de cereo, & nomine imponendo.

De primo ſic habetur: " Induit poſtea ,, Sacerdos baptizatum veſte alba, dicens: ,, Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam. Infantibus vero, qui ,, veſtitu non utuntur, iiſdem verbis albun ſudariolum datur. Quo ſymbolo ,, ſignificari ſancti Patres docent tum reſurrectionis gloriam, ad quam per Baptiſmum renaſcimur: tum nitorem, & ,, pulchritudinem, qua dilutis peccatorum ,, maculis, anima in Baptiſmo ornatur: ,, tum innocentiam, atque integritatem, ,, quam in omni vita baptizatus ſervare ,, debet. ,,

De ſecundo ſic refert: " Et deinde ,, cereus ardens in manu traditur, ut ,, oſtendatur, fidem charitate inflammatam, quam in Baptiſmo accepit, bonorum operum ſtudio alendam, atque ,, augendam eſſe. ,,

De tertio tandem: " Ad extremum ,, vero nomen baptizato imponitur, quod ,, quidem ab aliquo ſumendum eſt, qui ,, propter excellentem animi pietatem, ,, & religionem in Sanctorum, numerum ,, relatus eſt. Ita enim facile fiet, ut ,, quivis nominis ſimilitudine, ad virtutis, & ſanctitatis imitationem excitetur. Ac præterea, quem imitari ſtudeat, eum quoque precetur, & ſperet ,, ſibi advocatum tum ad ſalutem animi, ,, tum corporis defendendam venturum ,, eſſe. ,,

Ritus conferendi Baptiſmum.

ORDO I.

Ex antiquo Sacramentario Gallicano quod, ex MS. Bobienſi, annorum mille Mabillionius in Muſæi Italici tom. 1. vulgavit.

Incipit ordo Baptiſmi.

" EXORCIZO te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomi- ,, ne

„ ne Domini noſtri Jeſu Chriſti filii ejus,
„ & Spiritus ſancti, ut omnis virtus ad-
„ verſarii, omnes exercitus diaboli, om-
„ nes incurſus, omne phantaſma eradica-
„ re, & effugare ab hac creatura aquæ,
„ ut ſit omnibus qui in eam deſcenſuri
„ ſunt, fons aquæ ſalutaris iu vitam æter-
„ nam, ut cum baptizatus in ea quiſquis
„ fuerit, fiat Templum Dei vivi in remiſ-
„ ſionem peccatorum in nomine Dei Pa-
„ tris omnipotentis, & Chriſti Jeſu Filii
„ ejus, & Spiritus ſancti, qui judicaturus
„ eſt ſæculum per ignem, per hoc ſigna-
„ culum quod permanet in ſæcula ſæcu-
„ lorum. „

O R A T I O.

“ *Omnipotens* ſempiterne Deus, adeſto
„ magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto
„ Sacramentis, & creandis novis populis,
„ quos tibi fons Baptiſmatis parturit, ſpi-
„ ritum adoptionis emitte: ut quod humi-
„ litatis noſtræ gerendum eſt miniſterio,
„ tuæ virtutis compleatur effectu. „

“ *Deus*, qui inviſibili potentia Sacra-
„ mentorum tuorum mirabiliter operaris
„ effectum, & licet nos tantis myſteriis
„ exſequendis ſimus indigni, tu tamen gra-
„ tiæ tuæ dona non deſerens, etiam ad
„ noſtras preces aures tuæ pietatis incli-
„ na. Deus cujus ſpiritus ſuper aquas inter
„ ipſa primordia ferebatur, ut etiam tunc
„ virtutem ſanctificationis aquarum natu-
„ ra conciperet. „

Collectio ſequitur.

“ *Deus*, qui nocentis mundi crimina per
„ aquam abluens, regenerationis ſpeciem
„ in ipſa diluvii effuſione ſignaſti; libera
„ ab omni impugnatoris incurſu, & to-
„ tius nequitiæ purgatæ diſceſſu. Sit vi-
„ vis aqua regenerans, unda purificans,
„ ut homines hoc lavacro ſalutem in eis
„ Spiritu ſancto purificati, perfectæ purifi-
„ cationis indulgentiam conſequantur. „

Unde benedico te creatura aquæ, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, qui te in principio verbo ſeparavit ab arida, & in quatuor fluminis terra rigare præcepit: qui te in deſerto amaram ſuavitate indita fecit eſſe potabilem, & ſitiente populo de terra produxit. † Benedico te per Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui te in Cana Galilææ ſignum † admirabile ſua potentia convertit in vinum, qui pedibus ſuper te ambulavit, & ab Joanne in Jordane baptizatus eſt: qui te una cum ſanguine de latere ſuo produxit, & Diſcipulis ſuis juſſit, ut credentes . . . baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, qui vivit & regnat.

“ *Surſum corda*. Dignum & juſtum eſt
„ omnipotens Deus: qui aperuiſti nobis
„ fontem vitæ æternæ, & regenerans
„ nos per Spiritum tuum ſanctum, quem
„ ducem eſſe hujus ſancti lavacri in re-
„ miſſione peccatorum, & fieri lavacrum
„ aquæ in Spiritu ſancto, per quem omnem
„ maculam tollens a nobis, exuis nos mor-
„ tem, & induis nos vitam: tibi adſiſten-
„ tis in gloria laudamus Patrem ſemper in
„ cœlis, & recipientis ex initio virtutem
„ per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.
„ Per quem te Deum Patrem omnipo-
„ tentem deprecamur, ut hic Spiritum
„ ſanctum in aquam ſupermittere digneris,
„ ut quoſcumque baptizaverimus in nomi-
„ ne tuo, & Filii tui Dei, ac Domini
„ noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti,
„ purificans ac regenerans accipias eos in
„ numero Sanctorum tuorum, & conſum-
„ mes in Spiritu tuo ſancto in vitam æter-
„ nam in ſæcula ſæculorum.

Deinde in fonte chriſma decurrente, ſignum † facit, & dicit:

“ *Infuſio* chriſmæ ſalutaris Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti, ut fiat fons aquæ vivæ ſa-
„ lientis cunctis venientibus in vitam æ-
„ ternam. „

Poſt hæc dicat:

“ *Admitte*, quæſumus omnipotens Deus,
„ familiam tuam ad fontem ſalutis æ-
„ ternæ, ut quos de tenebris ad lucem
„ redire juſſiſti, nullus decipiatur frau-
„ dibus inimici. „

Incipit exorciſmus hominis, antequam baptizetur.

“ *Exorcizo* te, ſpiritus immunde, per
„ Deum Patrem omnipotentem, qui
„ fecit cœlum, & terram, mare,
„ & omnia quæ in eis ſunt: ut omnis
„ virtus adverſarii, omnes exercitus dia-
„ boli, omnes incurſus, omne phanta-
„ ſma eradicetur ac fugetur ab hoc
„ plaſmate, ut fiat templum Dei ſan-
„ ctum, in nomine Dei Patris omnipo-
„ tentis, & Jeſu Chriſti Filii ejus, qui
„ judicaturus eſt ſæculum per ignem in
„ Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. „

Tangit nares, deinde dicit:

“ *Effe-*

Digitized by Google

" *Effeta*, effetæ eſt hoſtia in odorem ſuavitatis.

Ungis eum de oleo ſanctificato, dicens:

" *Ungo* te de oleo ſanctificato ſicut un-
" xit Samuel David in Regem & Prophetam."

Tangis nares, & aures, & pectus:

" *Operare* creatura olei; operare, ut
" non lateat hic immundus, nec in mem-
" bris, nec in medullis, nec in uno com-
" pagine membrorum: Sed operetur in
" te virtus Chriſti, Filii Dei Altiſſimi,
" & Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæ-
" culorum."

Interrogat nomen ejus, dicens:

" *Quis* dicitur? Ill. Abrenuntias ſa-
" tanæ, pompis ejus, luxuriis ſuis, ſæ-
" culo huic? R. Abrenuntiat." *Hoc ter dicet.*

Interrogas nomen ejus. Quis dicitur? Ill.

" *Credis* in Deum Patrem omnipoten-
" tem, Creatorem cœli & terræ? R.
" Credat."

" *Credis* & in Jeſum Chriſtum Filium
" ejus unicum Dominum noſtrum, conce-
" ptum de Spiritu ſancto, natum ex Ma-
" ria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato,
" crucifixum, & ſepultum: Deſcendit
" ad inferna; tertia die reſurrexit a mor-
" tuis: Aſcendit in cœlos; ſedit ad dex-
" teram Dei Patris omnipotentis, inde
" venturus judicare vivos & mortuos?
" R. Credat."

" *Credis* in Spiritum ſanctum, ſanctam
" Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Com-
" munionem, remiſſionem peccatorum,
" carnis reſurrectionem, vitam habere
" poſt mortem, in gloriam Chriſti reſur-
" gere? R. Credat."

Baptizas eum, & dicis.

Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unam habentem ſubſtantiam, ut habeat vitam æternam, partem cum Sanctis.

Suffundis chriſma in fronte ejus dicens:

" Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chri-
" ſti, qui te regeneravit per aquam, &
" Spiritum ſanctum, quique tibi dedit re-
" miſſionem peccatorum per lavacrum re-
" generationis, & ſanguinem † ipſe te
" liniat chriſmate ſuo ſancto in vitam
" æternam."

Superinduis eum, dicens:

" *Accipe* veſtem candidam, quam im-
" maculatam perferas ante Tribunal Chri-
" ſti."

Collectio ad pedes lavandos.

" *Ego* tibi lavo pedes, ſicut Dominus
" noſter Jeſus Chriſtus fecit Diſcipulis
" ſuis, ita tu facias hoſpitibus, & pe-
" regrinis."

" *Dominus* noſter Jeſus Chriſtus de lin-
" teo quo erat præcinctus terſit pedes
" Diſcipulorum ſuorum; & ego facio
" tibi: tu facies peregrinis, hoſpitibus,
" & pauperibus."

Poſt Baptiſmum.

" *Laudes* & gratias Domino referamus,
" fratres dilectiſſimi, quod augere
" dignatus eſt Eccleſiam ſuæ congregatio-
" nem per caros noſtros, qui modo ba-
" ptizati ſunt: Petamus ergo de Domini
" miſericordia, ut Baptiſmum ſanctum,
" quod acceperunt, inlibatum, inviola-
" tum, & immaculatum perferant ante
" Tribunal Chriſti."

Item alia.

" *Domine*, Deus omnipotens, famulos
" tuos quos juſſiſti renaſci ex aqua & Spi-
" ritu ſancto, conſerva in eis Baptiſmum
" ſanctum quod acceperunt, & in no-
" minis tui ſanctificationem perficere di-
" gnare, ut proficiat in illos gratia tua
" ſemper, & quod te ante donante ſuſ-
" ceperunt, vitæ ſuæ integritate cuſto-
" diant."

ORDO II.

Ex Libro Sacramentorum Gelaſii Papæ a Thomaſio edito ex codice MS. annorum 900.

Sabbatorum die, mane reddunt infantes ſymbolum. Prius catechizat eos, impoſita ſuper capita eorum manu his verbis. Nec te latet ſatanas &c.

Inde tangis ei nares, & aures de ſputo, & dicis ei ad aurem.

" *Effeta*, quod eſt adaperire in odo-
" rem ſuavitatis, tu autem effugare,
" diabole, adpropinquavit judicium
" Dei."

Poſtea vero tangis ei pectus , & inter ſcapulas de oleo exorcizato , & vocato nomine ſingulis dicis :

" *Abrenuntias* ſatanæ ? R. Abrenuntio.
,, Et omnibus operibus ejus? R. Abrenuntio .
,, Et omnibus pompis ejus ? R. Abrenuntio .

Poſtea vero dicitur eis ab Archidiacono :
,, Orate , electi : Flectite genua , com-
,, plete orationem veſtram in unum , &
,, dicite , Amen . ,,

Et reſpondent omnes , Amen .

Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis .

" *Catechumeni* recedant . Omnes Catechumeni exeant foris.

Iterum dicit Diaconus : Filii chariſſimi,
,, revertimini in locos veſtros: & expe-
,, ctantes horam qua poſſit circa vos Dei
,, gratia Baptiſmum operari . ,,

Poſtea agit de cerei benedictione , lectionum , & orationum recitatione , & fontis conſecratione , tum ſubdit , &c.

Inde benedicto fonte , baptizas unumquemque in ordine ſuo ſub his interrogationibus .

" *Credis* in Deum Patrem omnipotentem? R. Credo.
,, Credis in Jeſum Chriſtum , Filium
,, ejus unicum , Dominum noſtrum , natum , & paſſum ? R. Credo .

Deinde per ſingulas vices mergis eum tertio in aqua .

Poſtea cum aſcenderit a fonte infans ſignatur a Presbytero in cerebro de chriſmate , his verbis .

" *Deus* omnipotens , Pater Domini no-
,, ſtri Jeſu Chriſti , qui te regeneravit ex
,, aqua , & Spiritu ſancto , quique dedit
,, tibi remiſſionem omnium peccatorum :
,, Ipſe te linit chriſmate ſalutis in Chri-
,, ſto Jeſu Domino noſtro in vitam æter-
,, nam . R. Amen .

Deinde ab Epiſcopo datur eis Spiritus ſeptiformis .

O R D O III.

Ex Rituali Rotomagenſi excerptus .

Omnibus opportune præparatis , quæ ad Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria , Sacerdos lotis manibus , ſuperpelliceo , & ſtola indutus , adhibito ſecum uno ſaltem Clerico , qui miniſtret , ad limen Eccleſiæ procedat : ubi accenſo uno cereo , aut candela cerea , pluribus-ve , ſtans verſus infantem baptizandum , eum qui defert , vulgari ſermone interrogat his verbis :

I. " Quem infantem ad Eccleſiam adducis ?
" R. Eſt maſculus , vel femina ,
,, Quid petit ?
,, R. Baptiſmum .
,, *Eſtis-ne* in propoſito , (*inquit Sacer-*
,, *dos patrino & matrina præſentibus* ,) vi-
,, vendi & moriendi in fide Catholica ,
,, Apoſtolica , & Romana ?
" Volumus , (*reſpondet uterque*) median-
,, te divina gratia .
" Quod nomen illi imponis ?

Tunc impoſito nomine , Sacerdos ter exſufflet leniter in faciem infantis , & dicat ſemel .

" Recede diabole , ab hac imagine
,, Dei increpatus ab eo ; & da locum Spi-
,, tui ſancto .

Poſtea pollice dextro faciet ſignum crucis in fronte infantis , nominatim eum appellans , & dicens .

" N. Signum ſanctæ crucis † Domi-
,, ni noſtri Jeſu Chriſti in frontem tuam
,, pono .
" Similiter in pectore , dicens .
" N. Signum Salvatoris noſtri Domini
,, noſtri Jeſu Chriſti † in pectus tuum
,, pono . *Deinde dicit* .

V. Dominus vobiſcum . R. Et cum Spiritu tuo .

O R E M U S.

" *Omnipotens* ſempiterne Deus , Pater
,, Domini noſtri Jeſu Chriſti , recipere
,, dignare ſuper hunc famulum tuum vel
,, hanc famulam tuam N. quem , vel quam
,, ad rudimenta fidei vocare dignatus es ,
,, omnem cæcitatem cordis ab eo , vel ea
,, expelle : diſrumpe omnes laqueos ſata-
,, næ quibus fuerat alligatus , vel alliga-
,, ta . Aperi ei Domine januam pietatis
,, tuæ , ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus ,
,, vel imbuta , omni terrena cupiditate
,, careat , & ad ſuavem odorem præce-
,, ptorum tuorum lætus , vel læta tibi
,, in Eccleſia tua deſerviat , & proficiat
,, de die in diem , ut idoneus , vel idonea
,, efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi
,, tui . Per eumdem Chriſtum Dominum
,, noſtrum , R. Amen . ,,

OREMUS.

" *Preces* noſtras quæſumus, Domine,
,, clementer exaudi, & hunc famulum
,, tuum, vel hanc famulam tuam N. cru-
,, cis Dominicæ, *Sacerdos faciat ſignum*
,, *crucis in fronte infantis pollice dextro*, cu-
,, jus impreſſione eum, vel eam ſigna †-
,, mus, virtute cuſtodi: ut magnitudinis
,, gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cu-
,, ſtodiam mandatorum tuorum ad novæ
,, regenerationis gratiam pervenire me-
,, reatur. Per Chriſtum Dominum no-
,, ſtrum. R. Amen. ,,

OREMUS.

" *Deus*, qui humani generis ita es Con-
,, ditor ut ſis etiam reformator, propitia-
,, re populis adoptivis: & novo Teſta-
,, mento ſobolem novæ prolis adſcribe:
,, ut filii promiſſionis quod non potue-
,, runt aſſequi per naturam, gaudeant ſe
,, recepiſſe per gratiam. Per Chriſtum
,, Dominum noſtrum. R. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat ſal, quod in vaſe patrimus tenere ſolet, dicens:

Exorciſmus ſalis.

,, *Exorcizo* te creatura ſalis in nomine
,, Patris † omnipotentis: & in charita-
,, te Domini noſtri † Jeſu Chriſti, & in
,, virtute † Spiritus ſancti. Exorcizo te
,, per Deum † vivum, per Deum † ve-
,, rum, per Deum † ſanctum, per De-
,, um qui te ad tutelam humani generis
,, procreavit, & populo venienti ad cre-
,, dulitatem per ſervos tuos conſecrari
,, præcepit, ut in nomine ſanctæ Trini-
,, tatis efficiaris ſalutare ſacramentum ad
,, effugandum inimicum. Proinde te ro-
,, gamus, Domine, Deus noſter ut hanc
,, creaturam ſalis ſancti † ficando ſancti-
,, fies, benedicendo benedicas, ut fiat
,, omnibus accipientibus perfecta medici-
,, na in nomine ejuſdem Domini noſtri
,, Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare
,, vivos & mortuos, & ſæculum per
,, ignem. R. Amen. ,,

Hic Sacerdos aſpergat ſal aqua benedicta, & interrogato nomine infantis, ponat modicum ſalis benedicti in ore ejus, dicens: N.
,, Accipe ſal ſapientiæ, ut propitius ſit
,, tibi Dominus in vitam æternam. R.
Amen.

Sacerdos: Dominus vobiſcum. R. Et
cum Spiritu tuo.

OREMUS.

,, *Deus* patrum noſtrorum, Deus uni-
,, verſæ conditor naturæ, te ſupplices
,, exoramus, ut hunc famulum tuum,
,, vel hanc famulam tuam N. propitius
,, reſpicere digneris, ut hoc primum pa-
,, bulum ſalis guſtantem, non diutius
,, eſurire permittas, quominus cibo re-
,, pleatur Chriſti: quatenus ſit ſemper,
,, Domine, Spiritu fervens, ſpe gaudens,
,, tuo nomini ſemper ſerviens: & per-
,, duc eum, vel eam, Domine ad novæ
,, regenerationis lavacrum, ut cum Fide-
,, libus tuis promiſſionum tuarum æterna
,, præmia conſequi mereatur. Per Chri-
,, ſtum Dominum noſtrum. R. Amen. ,,

OREMUS.

,, *Deus* Abraham, Deus Iſaac, Deus
,, Jacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in
,, Monte Sinai apparuiſti, & filios Iſrael
,, de Terra Ægypti eduxiſti, deputans
,, eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſto-
,, diret eos die ac nocte: Te quæſumus
,, Domine, ut mittere digneris ſanctum
,, Angelum tuum, qui ſimiliter cuſtodiat,
,, & hunc famulum tuum, vel hanc fa.
,, mulam tuam N. Et perducat eum, vel
,, eam ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chri-
,, ſtum Dominum noſtrum. R. Amen. ,,

Exorciſmus.

,, *Exorcizo* te immunde ſpiritus in no-
,, mine Patris, & Filii, & Spiritus ſan-
,, cti: ut exeas, & recedas ab hoc famu-
,, lo, vel ab hac famula Dei N. Ipſe e-
,, nim tibi imperat, maledicte, damna-
,, te, atque damnande, qui pedibus ſuper
,, mare ambulavit, & Petro mergenti
,, dexteram porrexit. Ergo maledicte
,, diabole, recognoſce ſententiam tuam,
,, & da honorem Deo vivo, & vero:
,, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, &
,, Spiritui ſancto: & recede ab hoc famulo,
,, vel hac famula Dei N. quia iſtum, vel iſtam
,, ſibi Deus, & Dominus noſter Jeſus Chri-
,, ſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & bene-
,, dictio-

„ dictionem, fontemque Baptiſmatis dono gratiæ ſuæ vocare dignatus eſt. *Hic Sacerdos pollice ſignat infantis frontem, dicens*: Et hoc ſignum ſanctæ † crucis, „ quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, numquam audeas violare. „ Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen. „

Mox imponit manum ſuper caput infantis, & dicit.

OREMUS.

“ *Æternam* ac juſtiſſimam pietatem „ tuam deprecor, Domine ſancte, Pater „ omnipotens, æterne Deus, Auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum, vel hanc famulam tuam N. „ ut digneris illum, vel illam illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda „ eum, vel eam & ſancti † fica: da ei „ ſcientiam veram, ut dignus, vel digna „ efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi „ tui: teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ac demum „ vitam conſequatur æternam: Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

“ *Nec* te lateat ſatana, imminere tibi „ pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem ſupplicii „ ſempiterni, diem, qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque „ univerſis Angelis tuis, æternus ſuperveniet interitus. Proinde damnate atque „ damnande, da honorem Deo vivo & vero: da honorem Jeſu Chriſto Filio „ ejus, & Spiritui ſancto, in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es ſpiritus immunde, ut exeas, & „ recedas ab hoc famulo, vel hac famula „ Dei N., quem, vel quam hodie idem „ Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus „ ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptiſmatis dono „ gratiæ ſuæ vocare dignatus eſt: ut fiat „ ejus templum per aquam regenerationis „ in remiſſionem omnium peccatorum, „ in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos „ & mortuos, & ſæculum per ignem. „ R. Amen.

Sacerdos in volam ſiniſtra manus expuit de ſaliva oris ſui, quam extremo pollice vel indice dexteræ accipiens, ea tangit, leviterque linit dexteram aurem infantis, dicens: Epheta, quod eſt adaperire. *Deinde utramque narem, dicens*: In odorem ſuavitatis. *Poſtea ſiniſtram aurem, dicens*: “ Tu autem „ effugare, diabole, appropinquabit enim „ judicium Dei. „

Abſterſo decenter pollice ſeu indice, & vola manus, Sacerdos introducit infantem in Eccleſiam, & præcipit patrino & matrinæ, ut dicant Pater noſter, Ave Maria, & Credo in Deum. Ipſe autem dicit. Ingredere in Templum Domini, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. R. Amen.

Sacerdos accedit ad baptiſterium, &c. *tunc Sacerdos*, (infantem, *) nominatim interrogat, dicens*: Abrenuntias ſatanæ?

Patrinus, & matrina ſimul reſpondent: Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus operibus ejus?

Patrinus & Matrina: Abrenuntio.

Sacerdos. Et omnibus pompis ejus?

Patrinus & matrina. Abrenuntio.

Hic Sacerdos de virgula Ampullæ in oleo Catechumenorum intincta infantem ungit in modum crucis, 1. in pectore, deinde inter ſcapulas dicens: Et ego linio † *in pectore*, te oleo ſalutis in Chriſto Jeſu † *inter ſcapulas*, Domino noſtro in vitam æternam. Amen.

Subinde intincta loca abſtergit, mox que infantem expreſſo nomine interrogat, dicens;

“ N. Credis in Deum Patrem omnipo„ tentem, Creatorem cœli & terræ?

Patrinus & matrina reſpondent: Credo.

Sacerdos. Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum?

Patrinus & matrina: Credo.

Sacerdos: Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam poſt mortem?

P. & M. R. Credo.

Sacerdos: Hæc omnia credis?

P. & M. Credo.

Sacerdos: Quid Petis?

P. & M. R. Baptiſmum.

Sacerd. Vis baptizari?

P. & M. Volo.

Tunc patrino aut matrina (ſi alter tantum adſit qui ſuſcipiat) vel utroque (ſi ambo admittantur) Infantem tenente, Sacerdos urceolo, ſeu alio quopiam vaſculo ad eum uſum parato, accipit aquam de fonte baptiſmali, & ter

ter de ea fundit ſuper caput infantis paulum inclinati ad eam excipiendam: ne diffluat in ſinum, ac veſtes, & ſimul fundendo, verba formæ ſemel pronuntiat diſtincte, & attente expreſſo nomine infantis, dicens:

N. EGO BAPTIZO TE in nomine Patris ✝ & Filii, ✝ & Spiritus ſancti. ✝ *Amen. Ita ut qualibet infuſione faciat ſignum crucis ſuper caput baptizandi.*

Deinde, virgula in ſacro chriſmate intincta, ungit infantem in vertice capitis in modum crucis, dicens:

“ *Deus* omnipotens, Pater Domini no-
,, ſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex
,, aqua & Spiritu ſancto, quique dedit ti-
,, bi remiſſionem omnium peccatorum tuo-
,, rum, *hic inungit*, ipſe te liniat chri✝
,, ſmate ſalutis in eodem Jeſu Chriſto Do-
,, mino noſtro in vitam æternam. R.
,, Amen. ,,

Tum abſtergit locum inunctum, & imponit capiti infantis linteolum candidum, loco veſtis albæ, dicens: “ N. Accipe veſtem
,, candidam, ſanctam, & immaculatam,
,, quam perferas ante Tribunal Domini
,, noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam
,, æternam, & vivas in ſæcula ſæculo-
,, rum. R. Amen. ,,

Poſtea dat ei, vel ejus vice patrino, candelam accenſam in dextera, dicens:

“ N. Accipe lampadem ardentem,
,, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum
,, tuum, ſerva mandata, ut cum vene-
,, rit Dominus ad nuptias, poſſis ei oc-
,, currere, una cum omnibus Sanctis in
,, aula cœleſti: ut habeas vitam æter-
,, nam, & vivas in ſæcula ſæculorum.
,, R. Amen. ,,

Sacerdos deinde ſolus manus abluit ſuper piſcinam Baptiſterii &c.

Baptiſmo relato in Regiſtrum juxta formam ſuperius præſcriptam, infans defertur ad altare majus, vel aliud pro conſuetudine loci, ubi Sacerdos ſtans ante medium altaris verſus eum, ſequens Evangelium legit cum ſubjuncta oratione, dicens:

Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Evangelii &c.

In principio erat verbum &c. Antiphona: Te invocamus &c.

℣. Sit nomen Domini &c. ℟. ex hoc nunc &c.

Deinde ſequitur oratio, qua dicta, Sacerdos ſtolam ori infantis admovebit oſculandam.

ARTICULUS TERTIUS.

Caſus circa Baptiſmum, & ſolutiones.

QUIDAM caſus circa omnium Sacramentorum ſuſceptionem præliminaris. Et quæritur, num Sacramenta concedenda ſint peccatoribus publicis?

Peccator poteſt dici publicus duplici modo, videlicet ex jure, & ex facto. Ille talis eſt ex, jure qui uti talis per ſententiam latam denuntiatur. Ille vero ex facto habetur ut talis, cum ſine tergiverſatione conſtat eſſe v. g. aut uſurarium, aut concubinarium, maxime ſi conſtet de facto priori ex contractu non ſemel celebrato, de poſteriori vero ſi adſint infantes manifeſti ex hujuſmodi deteſtabili commercio.

Reſpondeo 1. citra dubium peccatores per ſententiam latam denunciatos, niſi a peccatis abſtineant, ex jure a Sacramentorum ſuſceptione arcendos eſſe: Sicut S. Paulus a participatione Sacramentorum ſemovit Corinthium notorie inceſtuoſum. Jura hoc ipſum confirmant, cum peccatores notorios & ſcandaloſos denuntiatos excommunicent.

Reſpondeo 2. peccatores notorios & publicos ex facto privandos eſſe Sacramentorum participatione donec reſipiſcant, cum vel ipſe Chriſtus dicat Matth. cap. 10. *Væ mundo a ſcandalis*: Igitur ſcandaloſi a Sacramentorum participatione propellendi ſunt; alias magnum foret in Eccleſia ſcandalum, ſi hujuſmodi indigni ad ſacram menſam adhiberentur.

Hoc ipſum ex multis conſtat. 1. ex cap. 7. & 8. *De cohabit. Cleric.* &c. & cap. 3. *De uſuris*. Duo priora capita concubinarium ſpectant; tertium, uſurarium; quod quidem caput excerptum eſt ex Concilio Lateranenſi an. 1179. ubi habetur:
“ Conſtituimus quod uſurarii manifeſti
,, nec ad Communionem admittantur al-
,, taris. ,, 2. Ex Synodo Nemauſenſi ann.
1284. tit. *de ſacram. Euch.* “ Si peccatum
,, fuerit manifeſtum, & non eſt de ipſo
,, confeſſus: vere ante condignam ſatis-
,, factionem debet ei manifeſte & publice
,, communio denegari. ,, 3. Ex Bulla
Martini V. ad vitanda ſcandala, in qua quidem prohibetur vitare excommunicatos, niſi ſint denuciati, vel niſi conſtet ſi-

ne tergiverſatione eſſe de facto excommunicatos, & peccatores notorios. Succinit Conc. Baſil. ſeſſ. 20. c. 2. explicans diploma Martini V. cum iſta clauſula: „ Nemo, *inquit*, deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione . . . teneatur, „ prætextu cujuſcumque cenſuræ abſtinere „ . . . niſi fuerit publicata, vel denuntiata expreſse, aut ſi aliquem ita notorie „ excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo juris „ ſuffragio excuſari. „ IV. Succinit Pragmatica Sanctio an. 1438. Biturigibus celebrata. Succinit 4. Concil. Later. an. 1515. immo, & Concordatum inter Leonem X. ſummum Pontificem & Franciſcum I. Chriſtianiſſimum Regem: V. Demum ſuffragatur Concil. Trid. Seſſ. 22. his verbis: “ Neminem præterea, *ait*, qui publice, „ & notori criminoſus ſit, aut ſancto „ altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe „ permittant. „

PRIMUS CASUS.

DE BAPTISMO.

Licitum ne eſt infantes baptizare in propriis ædibus, ſecluſo vitæ periculo?

RESPONDEO I. Hoc prohiberi a jure, quo ſtatutum eſt infantes ad Eccleſiam deferendos eſſe ut baptizentur, quod quidem, ut ſupra dictum eſt, in ſola vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, ut plurimum fieri ſolebat: ita Leo Magnus Epiſt. 16. cap. 5. Ita Gelaſius cap. 10. in ſuis decretis, ita Concil. Meldenſe, an. 845. cap. 48. his: “ Ut nemo Presbyterorum baptizare „ præſumat, niſi in vicis, & Eccleſiis „ baptiſmalibus, niſi cauſa ægritudinis, „ vel certæ neceſſitatis. „ Idem ſtatuit Concilium Triburienſe cap. 12. idem Vienenſe an. 1311. idem Colonienſe an. 1536. idem Rotomagenſe ann. 1581. & alia multa Concilia Provincialia.

Reſpondeo II. Baptiſmum juſtis de cauſis, ſecluſo etiam mortis periculo, ex licentia Epiſcopi poſſe in propriis ædibus conferri juxta trigeſimum primum canonem Concilii in Trullo anno 690. “ Clericos qui in oratoriis quæ intra domos ſunt . . . baptizant; hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere debere decernimus. Quare ſi quis Clericus hoc non „ ſic ſervaverit, deponatur. „ Ratio eſt, quia hæc diſpenſatio fieri poteſt ab Epiſcopo.

SECUNDUS CASUS.

Utrum baptizandi ſint infantes expoſiti cum ſcripto atteſtante fuiſſe tinctos, tametſi inſtrumentum non ſit ſubſignatum?

RESPONDEO I. abſolute loquendo hujuſmodi infantem non eſſe baptizandum. Sic colligitur ex Epiſt. ſancti Leonis ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, ubi non levius indigitat puerum non eſſe baptizandum quando Baptiſmi aliquod adeſt indicium; nemo autem non novit ſcriptum prævalere indicio. Rurſus Epiſt. ad Neonas Epiſcopum Ravennatum aſſerit Baptiſmum non eſſe conferendum ſi aliquis optimi nominis fidem de Baptiſmo dato faciat. E contra vero ſi deſit, aut nota ſcripto mandata, aut teſtis. Sic cenſet ibidem S. Leo loquens de iis qui e captivitate redeuntes, ubi ex infantia fuerant detenti, dubitant num abluti fuerint: “ Quoties, *inquit*, perſona talis inciderit, ſolicita primum examinatione diſcutite, & longo tempore, niſi forte „ ſupremus finis immineat, indagate, „ utrum nemo ſit penitus, qui teſtimonio „ ſuo poſſit juvare ignorantiam neſcientis. „ Et cum conſtiterit hunc qui Baptiſmatis indiget Sacramento, ſola inaniter „ ſuſpicione prohiberi; accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cujus in „ ſe nullum ſcit eſſe veſtigium, nec vereamur huic ſalutis januam aperire, quam „ numquam ante docetur ingreſſus. „

Reſpondeo II. infantem, ubi adeſt dubium ſufficiens de Baptiſmo ſuſcepto, ſub conditione eſſe baptizandum, ut habetur in ſtatutis S. Bonifacii Moguntini Epiſcopi anno 745. “ Si de aliquibus dubium eſt, “ *inquit*, utrum ſint baptizati, abſque „ ſcrupulo baptizentur; his tamen verbis præmiſſis: non te rebaptizo, ſed ſi „ nondum baptizatus es, baptizo te, in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ ſancti. „ Idem prorſus dicit Alexander III. cap. 2. *de Baptiſmo*, quod quidem caput invenitur 2. part. antiquarum collectionum, L. 5. tit. 19. c. 2. idem legitur in

in Concilio Londinenſi an. 1200. can. 3. " Baptizentur expoſiti, de quorum Baptiſmo dubitatur, ſive inveniantur cum ſale, ſive ſine ſale. " Synodus Mechliniensis an. 1607. tit. 3. cap. 4. obſervat feminas pro more ſal apponere ſuper puerum, ut intelligant tranſeuntes non eſſe baptizatum. Synodus Mediolanenſis an. 1503. cap. 6. de hoc momento ſic loquitur: " Infans expoſitus, licet appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, ſi tamen, re diligenter perquiſita, quemadmodum in Catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium eſt eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur, *ſi nondum baptizatus es*, *ego te baptizo*. "

Synodus Rotomagenſis an. 1581. tit. de Sacram. n. 2. explanans priſtinos canones, ait dubium ſufficiens imminere, cum Baptiſmus in ſecreto collatus eſt, & unus tantum homo, vel una mulier pro Baptiſmo teſtimonium reddit: " Antea in pleriſque noſtrarum Diœceſum locis, baptizati ab Hæreticis, præſertim a Calviniſtis, redeuntes ad Eccleſiam Catholicam, iterum tingebantur, hac ſub verborum forma, *ſi non es baptizatus*, *ego te baptizo*; quia dubitabant nonnulli de valore Baptiſmi, ab hujuſmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptizandi ſub conditione, fuit introducta, propter baptiſmata occultata, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri, ſeu alteri privatim baptizanti credi debebat. "

Concilium Toloſanum p. 2. c. 2. n. 6. ſtatuit infantes expoſitos etiam ſcripto munitos, ſub conditione tamen eſſe baptizandos, ſi facta ſufficienti inquiſitione non ſatis conſtet de Baptiſmo ſuſcepto: " Cum projectis, expoſitiſque parvulis, licet affixa reperiatur ſchedula, quæ eos baptizatos eſſe teſtetur, in id tamen, an verum, fictumve ſit, Parochi diligenter inquirent: Si certi nihil compererint, inſcripto chartulæ nomine, eos ſub conditione baptizabunt. "

TERTIUS CASUS.

Num baptizandi ſint infantes, ab obſtetricibus in ædibus jam baptizati?

RESPONDEO 1. juxta quorumdam ſententiam non eſſe baptizandum etiam ſub conditione infantem ab obſetrice tinctum, modo conſtet obſtetricem ſufficienter fuiſſe de baptiſmo edoctam, & uti talem juxta leges civiles & Eccleſiaſticas ad hoc munus obeundum receptam; modo etiam interrogata, quomodo ſe inter baptizandum geſſerit, recta reſpondeat: Sic colligitur ex conſtitutionibus Hudis de Sulliacii Con. tom. 10. p. 1802. idem docet quidam Epiſcopus anonymus Conc. tom. 11. pag. 545.

Reſpondeo 2. requiri duos ſaltem teſtes, qui teſtimonium reddant de baptiſmo rite in privatis ædibus collato, cum perſona quæ baptizavit, aliquid eſſentiale potuerit omittere, & hoc propter Sacramenti pondus, & neceſſitatem. Unde Rectores Eccleſiarum ſoleot baptizare ſub conditione infantes ab obſtetricibus in ſecreto lotos.

Non una eſt pro hac diſciplina ratio. 1. Ex jure canonico cap. 23. & 28. de teſtib. & atteſtat. unus teſtis non ſufficit, vel etiam pro levioribus negotiis ad metam perducendis. In priori capite ſic loquitur Alexander III. " Non eſt licitum ulli Chriſtiano... ut ſuæ cauſæ unius tantum quaſi legitimo teſtimonio, finem imponat. " Ibi vox, *legitimo*, pro ſufficienti eo loci apponitur. Innocentius vero III. in altero cap. ſcilicet 28. hæc habet: " Canonica, & civilia jura ſequentes, diſtrictius inhibemus, ne unius Judicis, quantæcumque fuerit auctoritatis, verbo credatur in cauſis, ſive ſuper teſtamentis, ſive quibuslibet aliis contractibus quæſtio agitetur. "

Synodus Ebroicenſis an. 1576. aſſerit ea potiſſimum ratione Baptiſmum ſub conditione dandum inſtitutum fuiſſe, ex eo quod unus ſit ſolum teſtis: " Quoniam iſta clauſula, ſi non es baptizatus, eſſet introducta, quando juſte dubitatur de facto Baptiſmi, quod nec publice fieret, nec ſufficientes teſtes haberet; ut quando obſtetrix, vel alius in neceſſitate clam baptizat, & affirmat ſe bapti-

" zaſſe,

„ zaſſe, cui ſoli in facie Eccleſiæ credi „ non debet. „ Eidem ſententiæ adhærent Concilium Rotomagenſe, an. 1581. Remenſe, an. 1583. in primis vero Aquiſgranenſe his verbis: “ Obſtetrix curet „ quoad fieri poteſt cum baptizarit, ut „ duæ ſaltem, ac mater præſertim ſi poteſt, teſtes adſint, quæ verba ab ea prolata audiant, Parochus, cum perquiret „ an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis „ prolatis &c. „ inquirat.

QUARTUS CASUS.

Utrum qualibet aqua indiſcriminatim, etiam luto commixta, poſſit ad baptizandum aſſumi?

RESPONDEO omnem aquam naturalem eſſe ad baptizandum ſufficientem. Nomine aquæ naturalis ea intelligitur, quæ ex commixtione cum aliquo terreſtri corpore non deperdit naturam, ita ut fluxum, & refluxum habeat, & mixtum ei non prædominetur: ſic reſpondet S. Thomas q. 66. art. 4. ad 4. “ In lixivio, *inquit*, „ & in aquis ſulphureorum balneorum „ poteſt fieri Baptiſmus: quia tales aquæ „ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus miſtis, ſed „ ſolum alterationem quamdam recipiunt. „

Si tamen foret dubium num materia eſſet ſufficiens, miniſter non deberet citra peccatum uti tali materia, ſecus vero ſi immineat vitæ periculum baptizandi, & conſequenter baptizet. Ita propugnat Sylvius in 3. p. Sum. D. Thom. q. 60. art. 8. *quæſito* 3. concl. 4. his verbis: “ Uti „ materia, & forma dubia, cum poſſis „ habere certam, & indubitatam, peccatum eſt mortale. Si autem non poſſit habere aliam, & neceſſitas, aut „ ſalus proximi poſtulet miniſtrari Sacramentum, liceat ea uti. „

QUINTUS CASUS.

Utrum licitum ſit aquam uſualem aſſumere ad baptizandum, quum aqua benedicta ad inſerviendum huic Sacramento deficit, vel etiam corrupta eſt, aut congelata?

RESPONDEO I. Rector Eccleſiæ, purificato ſacro fonte, aquam benedictam accerſeat, vel apud Eccleſiam Metropolitanam, vel ſi ruri commoratur ad viciniorem parochiam. Sic ſtatuit S. Carolus Act. p. de Bap. adminiſt. „ Quod ſi intra annum præ temporis diuturnitate, „ alia-ve cauſa, illam corrumpi contigerit, in ſacrarium prope fontem Parochus projiciet, ſtatimque & fontem „ purgabit. Et vero ſi in urbe eſt, ad „ Metropolitanam; ſi in Diœceſi, ad „ plebanam Eccleſiam veniet, inde proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem „ accipiat, in Parochialemque Eccleſiam „ ſecreto ferat, ubi quamprimum in fontem effundet, Baptiſmaliſque aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ nitidæ, „ & recentis addet, quantum ſatis erit. „ Hoc ipſum quoque præſtabit, ſi etiam „ aqua Baptiſmalis per annum aliquo „ modo defecerit. „

Reſpondeo II. Parochum poſſe partem aquæ calidæ congelatæ apponere, modo ſit in multo minori quantitate, ac deinde baptizare: ita ſanctus Carolus ibidem. “ Et quoniam interdum accidit ut in „ ſumma hieme aqua Baptiſmalis vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat: „ tunc ut aliquo calore liquefacta, aut „ calefacta uſui ad baptizandum infantem „ eſſe poſſit, cum animadverti debeat „ ne illa gelida nimis ei noceat; aliam „ aquam vaſe mundo calefactam immiſceri licet, quæ aqua calefacta longe „ paucior ſit quam illa quæ benedicta eſt. „ Qua in re cavebit etiam Sacerdos, ne „ quid aliud commiſceat quam aquam puram, ac naturalem, quamvis calidam. „

SEXTUS CASUS.

Utrum qui ſemel dumtaxat infundit ſuper puerum aquam, vere baptizet?

RESPONDEO affirmative; ita ſanctus Gregorius canone *de Trina. De conſecratione diſt.* 4. Ratio divi Thomæ ea eſt, quod ad Baptiſmum ſufficiat ablutio aquæ, hinc bis aut ter fiat, & hoc per aſperſionem, aut infuſionem, vel etiam immerſionem nihil refert. Sic loquitur hic qu. 66. art. 8. in corp. “ Ad Baptiſmum, „ per ſe requiritur ablutio aquæ, quæ „ eſt de neceſſitate Sacramenti: modus autem ablutionis per accidens ſe

„ habet

„ habet ad Sacramentum; & ideo ſicut „ ex prædicta auctoritate Gregorii pa„ tet, quantum eſt de ſe utrumque licite „ fieri poteſt; ſcilicet, & ſemel, & „ ter immergere &c.„

SEPTIMUS CASUS.

Num liceat baptizare infantem in utero, vel ex parte dumtaxat ex eo egreſſum?

RESPONDEO I. Baptiſmum collatum puero intra clauſtra matris adhuc vagienti, tametſi obſtetrix illum tactu, vel etiam viſu percipiat, nullum eſſe. Sic habetur canone *qui in maternis diſt. 4. de conſecratione*, his verbis: " Qui in ma„ ternis uteris ſunt, ideo cum matre „ baptizari non poſſunt: quia qui natus „ adhuc ſecundum Adam non eſt, rena„ ſci ſecundum Chriſtum non poteſt: ne„ que enim dici regeneratio in eo pote„ rit, quem generatio non præceſſit.„ „ Concinit Iſidorus L. 1. Sententiarum cap. 24. Item & ſanctus Thomas 3. p. q. 68. art. 11. ad 1. cujus hæc eſt ratio: " Pueri in maternis uteris exiſtentes „ nondum prodierunt in lucem, ut cum „ aliis hominibus vitam ducant. Unde „ non poſſunt ſubjici actioni humanæ, „ ut per eorum miniſterium Sacramenta „ recipiant ad ſalutem.„

Reſpondeo II. Puerum juxta aliquam principaliorem partem extra uterum apparentem, baptizandum eſſe ſuper caput, & Baptiſma non eſſe reiterandum, etiam ſub conditione, quia eſt totius ſenſationis principium, & principalis animæ ſedes; ſecus vero, ſi compellente neceſſitate, non niſi in pede, vel manu baptizari potuit; ratio eſt, quia adeſt dubium legitimum, num iſta membra anima rationali informentur: fieri enim poteſt puerum exhalare animam in utero materno, qua quidem exhalata, in eodem, vel ſubſequenti momento non nihil motus relinquitur, & apparet in membris, ut quotidiana probat experientia in ægrotis tempore immediate ſubſequente animæ exhalationem; qui quidem motus procedit ex ſpiritibus animalibus qui non cito-citius extinguuntur. Iſta reſponſio eſt divi Thomæ 3. p. q. 68. 11. ad 4. " Dicendum, *ait*, quod expe„ ctanda eſt totalis egreſſio pueri ex „ utero ad Baptiſmum, niſi mors immi„ neat. Si tamen primo caput egredia„ tur, in quo fundantur omnes ſenſus, „ debet baptizari, periculo imminente, „ & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum „ perfecte naſci contigerit. Et videtur „ idem faciendum quæcumque alia pars „ egrediatur, periculo imminente; quia „ tamen in nulla exteriorum partium in„ tegritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capi„ te, videtur quibuſdam quod propter „ dubium, quacumque alia parte corpo„ ris abluta, puer poſt perfectam nativi„ tatem ſit baptizandus ſub hac forma: „ *Si non es baptizatus: Ego te baptizo*.„

OCTAVUS CASUS.

Num licitum ſit extrahere ex utero matris infantem ad illum baptizandum, ſi hoc fieri non poſſit abſque vitæ matris diſpendio?

RESPONDEO negative: mater enim eſt ſui juris, nec tenetur cum vitæ propriæ periculo ſinere, ut infans ab ejus utero extrahatur, ac deinde baptizetur: Tum quia puer eſt bonum matris; licitum eſt autem matri de ſuo bono diſponere, maxime cum hoc cedat de propriam vitam ſervandam, quandoquidem conſervatio vitæ eſt de jure naturali. Iſta reſolutio eſt D. Thomæ 3. p. q. 68. art. 11. ad 3. ubi propoſita ſibi difficultate, eam ſic ſolvit: " Dicendum quod non ſunt facienda mala, ut veniant bona, Rom. 3. & ideo „ non debet homo occidere matrem ut „ baptizet puerum, ſi tamen mater mor„ tua fuerit, vivente prole in utero, de„ bet aperiri, ut puer baptizetur.„

Eodem modo reſpondet S. Carolus Act. Eccleſ. Mediol. p. 4. instruct. Confeſſ. tit. de iis quæ Parochus curet, quum timetur de partu. Eo loci monet S. Præſul ut in tali caſu puer baptizetur in aliqua corporis parte, ſi apparet, ex qua reſolutione liquet graviter peccare chirurgum, qui infantem cum periculo vitæ matris operatione cæſariana extraheret, maxime cum adeſſet ſufficiens tempus, ut matre mortua, ſtatim puer ab utero extraheretur ut poſtea baptizaretur; cum teſtibus medicis puer ſic extractus, tribus deinde ulterioribus quadrantibus poſt operationem, poſſit vivere, adeoque tunc temporis baptizari.

NO-

NONUS CASUS.

Quam pœnam incurrat Parochus qui citra dubium legitimum de Baptiſmo collato, aut non collato iterum tingit?

RESPONDEO Parochum in hac hypotheſi incurrere excommunicationem; ita habetur in Concilio Lateranenſi canone *licet* & habetur capite *ex literarum* de Apoſtat. & reit. Bapt. „ Si quis baptizatos re-„ baptizare auſu temerario præſumpſerit, „ excommunicationis mucrone percuſſus, „ ab omni officio, & beneficio Eccleſia-„ ſtico deponatur. „ Eo enim ipſo quo moraliter certior factus eſt de Baptiſmo dato, non ſine magna temeritate iterat Baptiſmum: Non enim datur duplex generatio, quod quidem ſatis indicat Apoſtol. Heb. c.6. *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati . . . . rurſus renovari ad pœnitentiam*. Quæ verba ſanctus Thomas Comment. in illud caput interpretatur de Baptiſmo non reiterando.

Reſpondeo 2. Parochiæ Rectorem peccare etiam graviter, ſi ſecluſo neceſſitatis caſu, baptizet puerum in ædibus, omiſſis Eccleſiæ cæremoniis. Statutum eſt enim in Concilio generali Viennenſi ſub Clemente V. an.1311. adunato,neminem baptizandum eſſe extra Eccleſiam, ut habetur in Clementina unica *de Baptiſmo*, & *ejus effectu*, his verbis: " Præſenti prohibemus „ decreto, ne quis de cetero in aulis, „ vel cameris, aut aliis privatis domi-„ bus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in qui-„ bus ad hoc fontes ſpecialiter deputati, „ aliquod, niſi Regum, vel Principum, „ quibus valeat in hoc caſu deferri, libe-„ ri extiterint; aut talis neceſſitas emer-„ ſerit, propter quam nequeat ad Eccle-„ ſiam, abſque periculo propter hoc acceſ-„ ſus haberi, audeat baptizare. Qui autem „ ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præ-„ ſentiam exhibuerit, taliter per Epiſco-„ pum ſuum caſtigetur, quod alii attenta-„ re ſimilia non præſumant. „

DECIMUS CASUS.

Valet-ne Baptiſmus ſi aliqua verba formæ deſint?

RESPONDEO ut ſupra dictum eſt de Sacramentis in genere, mutationem accidentalem non immutare eſſentialiter formam, adeoque Baptiſmum valere, ut ſi quis peracta forma diceret: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, & Mariæ Virginis, modo non intenderet inducere ritum ſuperſtitioſum; e contra vero ſi adſit mutatio eſſentialis, v. g. ſi quis ex impetu puerum moribundum projiceret in aquas, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; verba enim iſta: *Ego te baptizo*, omiſſa, ſunt eſſentialia, ita S. Thomas in 4. diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſt. in corp. " De ſubtra-„ ctione hoc certum eſt, quod, ſi ſub-„ trahatur aliquod, quod ſit de ſubſtan-„ tia formæ, non eſt Baptiſmus.... Sed „ quidam dicunt quod expreſſio actus, non „ eſt de ſubſtantia formæ. Unde ſi ſub-„ trahatur, facta ſola Trinitatis invo-„ catione, erit Baptiſmus. Sed contra „ hoc eſt decretalis Alexandri Papæ III. „ qui dicit quod, ſi quis puerum in aqua „ ter merſerit, dicendo: in nomine Pa-„ tris, & Filii, & Spiritus ſancti; ſi non „ dicat: Ego te baptizo; talis immer-„ ſio non facit Baptiſma. Oportet enim „ quod per formam virtus Trinitatis in-„ vocatæ ad materiam propoſitam determi-„ netur: quod fit in expreſſione actus. Si-„ militer etiam expreſſio perſonæ bapti-„ zatæ eſt de ſubſtantia formæ: quia per „ eam determinatur actus ad hunc Bapti-„ ſmum: & ideo, ſi ſubtrahatur, non erit „ Baptiſmus. „

Ex iſtis principiis liquet, primo, Baptiſmum invalidum eſſe, quum aliquis hæc ſolum dicit: Ego te baptizo in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis: quia Matth. 28. præcipitur expreſſio explicita trium perſonarum: S. Thomas 3. p. q. 66. art. 6. in corpore de hoc momento ſic loquitur: " Non ſufficit intellectus, vel fides Tri-„ nitatis ad perfectionem Sacramenti, ni-„ ſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprima-„ tur. „ Ratio eſt, quia Baptiſmus eſt „ ſacramentum fidei in Patrem ut Crea-„ torem, in Filium ut Redemptorem, in „ Spiritum ſanctum ut Sanctificatorem. „

Secundo: non valere utique Baptiſmum ſic collatum; *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quia, inquit D. Thomas ibidem q. 66. art. 5. ad 6. " Etſi ſint tria nomina perſo-„ nalia trium perſonarum, eſt tamen unum „ eſſen-

„ eſſentiale. Virtus autem divina, quæ „ operatur in Baptiſmo, ad eſſentiam pertinet: & ideo dicitur in nomine, & „ non in nominibus. „ Sin minus multiplicaretur eſſentia, quod eſt hæreticum.

Tertio: Baptiſmum utique non valere ſub iſta forma, In nomine Matris, & Filii, & Spiritus ſancti: Secus ſi diceretur: *Ego te baptizo in nomine Patria*, *& Filia*, *& Spiritu ſancta*. Ratio prioris illa eſt, quod forma in principio locutionis, adeoque eſſentialiter immutetur, e contra vero in poſteriori, ubi eſt ſolum error materialis defectu latinitatis; intendit enim hujuſmodi miniſter, vel miniſtra baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ſic reſpondet D. Thomas 3. p. q. 60. art. 7. ad 3. ad ſecundum vero ibid. art. 8. in corp.

Quarto: Neque valere Baptiſma a duobus ſimul collatum, quorum unus adhibet materiam, alter vero formam, quia verba ſunt practica, in quantum ſignificant: niſi autem materia determinetur a forma quæ proferatur ab eo qui infundit aquam, nihil ſignificat, tum quia non ſatis in hoc caſu determinatur perſona Miniſtri; ſic propugnat D. Thomas 3. p. q. 66. art. 6. ad. 3. “ Integritas Baptiſmi conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ: & ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat, neque ille qui immergit. Et ideo ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens. „

Non eodem modo ratiocinandum eſt, ſi duo videntes periculum eſſe in mora, uterque ſimul baptizet puerum applicando materiam, & pronunciando formam: Si tamen unus compleret formam ante alterum, debet ceſſare qui reperitur in mora pronunciationis formæ. Ita S. Thomas 3. p. q. 67. art. 6. in corp. “ Si vero uterque „ diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, uterque exprimeret ſuam intentionem, quaſi ipſe ſingulariter Baptiſmum conferret, „ quod poſſet contingere in eo caſu, in „ quo contentioſe uterque aliquem baptizare conaretur; & tunc manifeſtum eſt, „ quod ille, qui prius verba proferret, „ daret Baptiſmi ſacramentum, alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret: Et ſi verba pronunciare præſumeret, eſſet puniendus „ tamquam rebaptizator. Si autem omnino ſimul ambo verba proferrent, & „ hominem immergerent aut aſpergerent, eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione Baptiſmi. „

Quinto: Valet quoque Baptiſmus quando aliquis, primo infundit aquam; deinde vero immediate, & ſine mora pronunciat formam; ſecus vero ſi intercederet inter utrumque mora ſpatii unius, *Pater*. Primum patet; cum enim Sacramentum ſit ens morale, ſufficit conjunctio moralis materiæ cum forma, ſed ſi eſſet longior interpolatio, tunc forma nihil ſignificaret. Quod poteſt illuſtrari exemplo Miniſtri, qui dum pronunciat formam Baptiſmi inter baptizandum, Petrus a dexteris ſuis apoplexia corripitur petens ſigno abſolutionem, quem abſolvit, & iſto abſoluto, continuat formam Baptiſmi, qui certe validus eſt, quia non eſt niſi interpolatio formæ levior, parum autem pro nihilo reputatur. Iſta reſponſio colligitur ex ſancto Thoma 3. p. q. 60. art. 8. ad 3. Ubi propugnat interpolationem leviorem inter materiam, & formam, vel inter verba formæ ſolum, non evacuare Sacramentum. “ Si ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur ſenſus Sacramenti, ac per conſequens veritas „ ejus. Non autem tollitur, quando eſt „ parva interruptio, quæ intentionem pronuntiantis, & intellectum verborum „ non aufert. „

UNDECIMUS CASUS.

Utrum monſtra humana ſint baptizanda?

RESPONDEO 1. negative, ſi careant humano capite, quo ſpecialiter deſignatur ſpecies humana: Ratio eſt, ubi adeſſet caput equinum, vel aliud alicujus beſtiæ, jam non foret monſtrum humanum, ſed belluinum.

Reſpondeo 2. affirmative, ſi ſpecies humana affulgeat, maxime ſi caput, & pectus humanum præ ſe ferat; tunc enim intelligitur anima rationali informari; ceterarum enim partium inæqualitas, non niſi per accidens contingit, ſcilicet defectu, aut virtutis generativæ, aut etiam diſpoſitionum ſufficientium matris, quæ non-

nonnumquam ex animalium intuitu, ſeu conſpectu firmiori, imaginatione cooperante, malas ſuſcipit, impreſſiones. Ita communiter Theologi.

Reſpondeo III. Baptizandum eſſe monſtrum ſub conditione ſi aliquod emergat dubium de ſpecie humana; ſic propugnat Sylvius in 3. p. D. Thomæ q. 68. art. 11. " Si diſcuſſione facta, *inquit*, maneat „ dubium; ſemper oportet baptizare ſub „ hac conditione: *Si tu es Homo, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Ne per „ noſtram dubitationem pereant animæ, „ quæ forte ſunt humanæ. „ Secus vero ſi clare ſpecies humana ſe prodat: ſi tamen duæ perſonæ diſtinguantur, quælibet eſt baptizanda ſeparatim, ſub præſcripta verborum forma: at vero ſi contingat utriuſque pectus, vel etiam capita non eſſe ſufficienter diſtincta; unum ex illis monſtris pure, & ſimpliciter tingendum eſt, alterum vero ſub conditione. Ita ſanctus Carolus Act. p. 5. " Si quando „ præterea monſtrum humanum Baptiſmo „ offertur; videndum eſt antequam baptizetur, an una perſona ſit, an vero „ duæ: tum maſculus ne ſit, an femina, „ ſique, re perſpecta, dubium eſt an ſint „ duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene diſtincta, unus „ intentione certa neque vaga ſimpliciter „ baptizetur: alter vero, ſeu alii ſub „ conditione: *Si non es baptizatus, &c.* „ Si vero quia duo capita, pectora duo, „ aut corpora etiam diſtincta in monſtro „ apparent, homines duos eſſe perſpicuum eſt, ſinguli ſimpliciter baptizentur. „ Quod ſi mortis periculum in mora erit, „ numero plurali baptizentur, *Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.* Sin autem, utpote unum tantum caput habens, tamquam unus homo baptizetur, „ etiam ſi membra plura geminata habeat. At vero monſtrum quod hominis „ ſpeciem non præ ſe fert, non baptizetur, niſi primum Archiepiſcopus conſulatur, de cuius etiam conſilio agetur, quod ſupra de monſtro humano „ dictum eſt, ſi tempus dabitur. „

DUODECIMUS CASUS.

Num miniſter quandoque peccet in Sacramentorum adminiſtratione?

Reſpondeo I. hoc contingere quoties Miniſter non ſequitur Eccleſiæ ritum; tunc enim irreverentia irrogatur Sacramento, hinc peccat graviter Sacerdos, qui, omiſſa ſancti Chriſmatis renovatione ſingulis annis facienda, eodem utitur duobus, „ aut pluribus annis: Sic habetur can. *Litteris* 18. de conſecr. diſt. 3. ubi decretum ſancti Fabiani Papæ refertur his verbis: " Litteris veſtris inter cetera in„ ſertum invenimus, quoſdam Regionis „ veſtræ Epiſcopos a veſtro noſtroque or„ dine diſcrepare, & non per ſingulos „ annos in Cœna Domini Chriſma con„ ficere .... Errant vero qui talia exco„ gitant, & mente veſana potius quam „ recta ſentientes hæc audent.... Sancti „ Chriſmatis confectio per annos ſingu„ los eſt agenda, & de anno in annum „ renovanda &c. „

Reſpondeo II. Miniſtrum in peccato mortali Sacramenta conficientem, peccare mortaliter, ut dictum eſt de Sacramentis in genere, ubi de probitate Miniſtri; unum tamen excipit S. Thomas, videlicet collationem Baptiſmi in caſu neceſſitatis, & conſequenter abſque ſolemnitate dati; tunc enim ait S. Doctor, Sacerdos non agit ex officio, ſed facit quod vel ipſi laico facere licitum eſt: Sic loquitur 3. p. q. 64. art. 6. ad 3. " In articulo „ tamen neceſſitatis non peccaret, bapti„ zando in caſu in quo poſſet etiam lai„ cus baptizare. Sic enim patet, quod „ non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ; „ ſed ſubveniret neceſſitati patientis ... „ Secus eſt autem in aliis Sacramentis, „ quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut „ Baptiſmus. „

Quid vero dicendum de Sacerdote qui inter celebrandum, alicuius gravioris peccati e memoria in confeſſione elapſi recordatur? Reſpondeo actum contritionis tunc temporis eſſe eliciendum cum propoſito peccatum in confeſſione deponendi, ut primum dabitur occaſio, quandoquidem nec ſine injuria facta Sacrificio, nec ſine populi ſcandalo poſſet ab altari diſcedere, ut ſuum Confeſſario deponeret peccatum.

D E-

DECIMUS TERTIUS CASUS

Utrum indiſcriminatim omnes ſint baptizandi?

Reſpondeo caſum manere ſolutum ex his quæ ſupra diximus de ſubjecto Baptiſmi; ad majorem tamen dilucidationem, Dico

Primo: Mente captum nativitate poſſe baptizari, quia eadem eſt ratio de eis ac de parvulis: Idem dicendum eſt de furioſis; ſed ea clauſula & conditione quod ante rabiem, vel etiam in lucidis morbi intervallis Baptiſmum deſideraverint: Sic propugnat S. Thomas 3. p. q. 68. art. 12. his verbis: " Circa amentes, & ,, furioſos diſtinguendum eſt; quidam ,, enim ſunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet: & de ,, talibus, quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem, videtur eſſe idem judicium & de ,, pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ... Alii vero ſunt amentes, qui ex ,, ſana mente, quam habuerunt prius, in ,, amentiam inciderunt: & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent: ,, Et ideo, ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis ,, exhiberi in furia, & amentia conſtitutis; etiamſi tunc actu contradicant. ,,

Secundo: Valet Baptiſmus a quocumque collatus etiam a pagano, modo baptizans verba Evangelica pronuntiaverit, habueritque intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ut liquet, ex reſponſione Nicolai I. data anno 866. ad quæſitum Bulgarorum, qui quærebant, num baptizati in ſua patria a quodam Judæo vere eſſent baptizati, & habetur canone, *A quodam Judæo*, 24. de conſec. diſt. 4.

Tertio: Nullus poteſt ſemetipſum baptizare, tametſi hoc faciat, compellente neceſſitate, quandoquidem debet inter baptizatum, & baptizantem intercedere diſcrimen ſeu diſtinctio, juxta illud Chriſti Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* altera ratio, eaque validiſſima eſt, quod ſicut nemo poteſt ſemetipſum carnaliter generare, ſic nec ſpiritualiter: utraque innixus ratione ſic reſpondet: Alexandre III. de ea difficultate ab Epiſcopo Metenſi conſultus, & habetur can. *Debitum* 4. de baptiſmo, & ejus effectu. lib. 3. tit. 42. " Reſpondemus, quod cum inter Baptizantem, & Baptizatum debeat eſſe diſ,, cretio .... memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizandus .... Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ,, ex viro, & femina naſcitur, alius eſt ,, qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur; ſic in Sacramentali generatione, qua ſoboles ex aqua, & Spiritu ſancto renaſcitur, alius debet eſſe, ,, qui ſpiritualiter generet, & alius qui ſpiritualiter generetur. ,,

Quarto: Baptizatus ab hæretico qui formam non temeravit, non eſt denuo rebaptizandus, ſecus vero ſi baptizatus ſit ab Ariano, V. g. qui circa ſanctiſſimam Trinitatem errat baptizando in nomine Filii minoris: Hæc reſponſio colligitur ex Concilio I. Nicæno, quod can. 8. jubet Novatianos ad Eccleſiam redeuntes recipi cum ſola manuum impoſitione: can. 19. Jubet Cataphrygas Arianos denuo baptizari. Idem expreſſe dicit Gregorius Magnus can. *Ab antiqua* de conſec. diſt. 4. his verbis: " Ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, ,, cum ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut ,, unctione Chriſmatis, aut impoſitione ,, manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum Matris Eccleſiæ revocentur. Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur ... cum ad Eccleſiam ,, ſanctam veniunt, baptizantur: quia Baptiſma non fuit, quod in errore poſiti ,, in ſanctæ Trinitatis nomine minime ,, perceperunt. ,, Hoc etiam habetur L. 9. Epiſt. 61.

Quinto: Neque vero illum neceſſe eſt iterum baptizare, qui de Baptiſmo in hæreſi Calviniana recepto dubitat, num valide fuerit tinctus, eo quod Miniſtri non niſi effuſa aqua pronuntient formam, & Synodus Meclinienſis laudata a Beuvelet, ſicut & ſtatuta Synodalia Eccleſiæ Narbonenſis an. 1667. præcipiant iterum baptizari eos qui a Calviniſtis tincti fuere: Quandoquidem antiqua Concilia ſimul cum Patribus Baptiſmum ab hæreticis verbis Evangelicis collatum, ut ratum habuere: hoc ipſum expreſſe declarat Synodus Rothomagenſis anno 1585. tit. *de Sac-*

Sacramenti §. 1. " Baptizati ab hæreticis, præſertim a Calviniſtis, redeuntes ad Eccleſiam Catholicam iterum tingebantur, hac ſub verborum forma, ſi non es baptizatus &c. " Sed iſtorum opinionem rejicit ſubjungendo: " Vetamus ablutionem repeti cum quibuſcumque verbis a Calviniſmo, aut aliis hæreſibus ſimiliter baptizantibus, ad noſtras Eccleſias tranſeuntibus, ne de Anabaptiſmo redarguamur. " Expreſſius loquitur Turonenſis an. 1585. loquendo de iiſdem baptizatis a Calviniſtis; dicit Synodus: " Sacro-Sanctis Conciliis inhærendo, rebaptizari non debere, ne quidem ſub hujus conditionis, ſeu clauſulæ adjectione. "

Ex his ſequitur canones aut ſtatuta in contrarium allata loqui de Calvinianis Miniſtris Socinianæ hæreſis fuligine reſperſis, qui formam Baptiſmi deflorant, quippe qui nec filium, ut Deum habeant, ſimiliter & Spiritum ſanctum; certum eſt enim Socinianiſmum ab uno, aut altero ſæculo in Batavia, Anglia, & Polonia ſerpere in pejus. Quod autem Eccleſia Narbonenſis Baptiſmum verbis Evangelicis a Calviniſtis adminiſtratum non propellat, liquet ex decreto Ludovici de Vervius Archiepiſcopi Narbonenſis an. 1609. cap. 14. de Bapt. his verbis: " Quos jam baptizarent hæretici, eos rebaptizare prohibemus, ſub pœnis in ſacris Canonibus contentis; niſi forte inſtitutam a Chriſto Baptiſmi formam, materiamque eos minime obſervare conſtaret. "

Sexto: Non eodem modo ratiocinandum eſt de eo, qui adhuc in cunabulis vagiens parentes amiſit, & dubitat num baptizatus ſit, ardentius a Parocho poſtulans iterum baptizari; ſi enim nec a parentibus, nec a vicinis, teſtimonium de Baptiſmo ſuſcepto habeat, poteſt ſub conditione tingi: Sic reſpondet Alexander III. cap. *De quibus* 4. de Bapt. & ejus effectibus L. 3. tit. 42. " De quibus, *inquit*, dubium eſt an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmiſſis: *Si baptizatus es non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es; Ego te baptizo &c.* " concinit S. Leo Epiſt. 37.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Num ſuſcipiens Baptiſmum coacte, vel pecuniæ ſuſcipiendæ motivo, vel etiam abſque fide tum in Myſteria, tum in Eccleſiam, ſit vere baptizatus?

Reſpondeo ad 1. nullum eſſe Baptiſmum, ſi contradicat, ut diximus ſupra de Sacramentis in genere, ubi de intentione; ſic reſpondet Innocentius III. cap. *Majores*, 3. de Baptiſmo, & ejus effectu lib. 3. tit. 42. ſic ſanctus Thomas 3. p. q. 58. art. 7. " Ex parte, *inquit*, baptizati requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi Sacramentum. " Ratio eſt, quia nemo invitus cenſetur alligari graviſſimis alicujus legis oneribus, cum Deus reliquerit hominem in manu conſilii ſui, ut eligat ſive bonum, ſive malum. Eccli. cap. 15.

Reſpondeo ad 2. Baptiſmum valere, tametſi enim alicujus boni temporalis ſpe inductus ſit ad Baptiſmum, vere tamen illum voluit. Iſta reſponſio colligitur ex laudato Innocentio III. cap. *Majores*: Tum ex ſancto Thoma in 4. diſtinct. 6. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. " Si autem, *inquit*, ſit coactio inducens, ſicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati; tunc ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti. " A fortiori ſi ſolum ad hoc inducatur pecuniæ alteriuſve boni ſuſcipiendi motivo.

Reſpondeo ad 3. Baptiſmum valide, ſed non licite conferri: valide quidem, cum in caſu propoſito ſuſcipiens habeat intentionem ſuſcipiendi Sacramentum; ſed non licite defectu diſpoſitionis: recedente tamen per pœnitentiam fictione, reviviſcit quoque Baptiſmus ad effectum: De iſto momento S. Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo cap. 12. dicit: " Tum valere ad ſalutem incipit Baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinebat fieri. "

Succinit S. Thomas 3. p. q. 69. art. 10. his verbis: " Quando aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium affectum, qui eſt gratia, remittens omnia pec-

cata:

,, tata; impeditur autem quandoque per
,, fictionem. Unde oportet, quod remo-
,, ta ea per pœnitentiam, Baptiſmus ſta-
,, tim conſequatur ſuum effectum.,,

CASUS DECIMUS QUINTUS.

Utrum adultus baptizandus ſit, tametſi abnuat ſatisfactiones pœnales pro peccatis graviſſimis patratis?

Reſpondeo batizandum eſſe, modo ha-
beat fidem, & contritionem ſinceram de
peccatis commiſſis: Ratio eſt, quia ille
catechumenus non eſt ſub Juriſdictione
Eccleſiæ, quocirca Confeſſor non debet
illi imponere gravia pœnitentiæ laborioſæ
onera, maxime cum Baptiſmus ſit om-
nium Sacramentorum janua; hinc Pœni-
tentia ſacramentalis per modum judicii
non eſt illi injungenda; ita communiter
Theologi cum ſanctis Doctoribus. Sic
cenſet S. Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. cap.
1. & habetur can. *Eccleſia* 45. de conſec.
dict. 4. ubi docet per Baptiſmum nedum
peccatum originale, ſed & actualia cum
omni pœna, tum æterna, tum tempo-
rali omnino remitti: " Generante car-
,, ne, *inquit*, tantummodo trahitur pec-
,, catum originale: regenerante autem
,, ſpiritu, non ſolum originalium, ſed
,, etiam voluntariorum fit remiſſio pec-
,, catorum.,, *Patrocinatur D. Thomas* 3.
p. q. 68. art. 5. " Manifeſtum eſt autem
,, ... quod mors Chriſti ſatisfactoria fuit
,, ſufficienter pro peccatis, non ſolum
,, noſtris, ſed etiam totius mundi, ut
dicitur 1. Joan. 2.,, Tum concludit:
" Et ideo ei qui baptizatur pro quibuſ-
,, cumque peccatis non eſt aliqua ſatisfa-
,, ctio injungenda: hoc enim eſſet injuriam
,, facere paſſioni, & morti Chriſti, quaſi
,, ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſa-
,, tisfactionem pro peccatis baptizatorum.,,
Expreſſius loquitur Concilium Florenti-
num, & ſic pronunciat in decreto Euge-
nii IV. " Hujus Sacramenti, *Baptiſmi*,
,, effectus eſt remiſſio omnis culpæ origi-
,, nalis, & actualis, omnis quoque pœnę,
,, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea
,, baptizatis nulla pro peccatis præteritis
,, injungenda eſt ſatisfactio: ſed morien-
,, tes, antequam culpam aliquam admit-
,, tant, ſtatim ad regnum cœlorum, &
,, Dei viſionem perveniunt.,,

De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus conſcientiæ circa Confirmationis Sacramentum.

JUXTA præhabitam methodum tria quę-
rimus hic de Confirmationis ſacramento,
videlicet, quænam afferendæ ſint diſpo-
ſitiones ad illud digne ſuſcipiendum? Qui-
bus ritibus conficiatur? Demum, quæ
difficultates reſolvendæ?

ARTICULUS PRIMUS.

Diſpoſitiones tum interiores, tum exte-
riores ad Confirmationem ſuſcipiendam
prærequiſitæ.

Exteriores.

PRIMA eſt Catechiſmus: requiritur e-
nim, ut prius Neophyti Catechiſmo,
ſeu explicatione Sacramenti inſtituantur,
ne ex ignorantia Sacramenti, irreveren-
tia ſequatur; & ex irreverentia obex im-
pediens Confirmationis effectum. Hanc
diſpoſitionem explanat Catechiſmus Rom.
p. 2. num. 16. his verbis: " Sed quo-
,, niam ſæpe evenit, ut fideles in hoc
,, Sacramento ſuſcipiendo, aut præpro-
,, pera feſtinatione, aut diſſoluta quadam
,, negligentia, & cunctatione utantur
,, (nam de iis, qui ad eum impietatis
,, gradum venerunt, ut illud contemne-
,, re, & aſpernari audeant, nihil eſt quod
,, dicamus) aperiendum eſt Paſtoribus,
,, qui, qua ætate, quo pietatis ſtudio
,, prædici eſſe debeant, quibus Confirma-
,, tionem dare oportet.,,
Tum ſubjicit " Atque illud in primis
,, docendum eſt, hoc Sacramentum ejuſ-
,, modi neceſſitatem non habere, ut ſine
,, eo ſalvus quis eſſe non poſſit. Quam-
,, quam vero neceſſarium non eſt, a ne-
,, mine tamen prætermitti debet; ſed po-
,, tius maxime cavendum eſt, ne in re
,, ſanctitatis plena, per quam nobis di-
,, vina munera tam large impertiuntur,
,, aliqua negligentia committatur. Quod
,, enim omnibus communiter ad ſanctifica-
,, tionem Deus propoſuit, ab omnibus etiam
,, ſummo ſtudio expetendum eſt.,, Tum n.
,, 17. " Ac ſanctus quidem Lucas, cum admi-
,, rabilem illam Spiritus ſancti effuſionem de-

„ ſcriberet, ita, inquit: *Et factus eſt repen-* „ *pente de cælo ſonus tamquam advenientis* „ *Spiritus vehementis, & replevit totam do-* „ *mum*. Deinde paucis interiectis: *Et re-* „ *pleti ſunt omnes Spiritu ſancto*. Ex qui- „ bus verbis licet intelligere, quoniam „ domus illa ſanctæ Eccleſiæ figuram, & „ imaginem gerebat, ad omnes fideles „ Confirmationis ſacramentum, cujus ini- „ tium ab eo die ductum eſt, pertinere: „ Atque id etiam ex ipſius Sacramenti ra- „ tione facile colligitur. „

Secunda, corporis munditiès: quæ enim exterius tractantur in Eccleſia, debent ſpirare ſanctitatem: Hinc lotio frontis, & vultus decet iſtius Sacramenti adminiſtrationem.

De munditie non unum eſt Conciliorum decretum. Colonienſe anno 1280. cap. 5. ait: " Moneant Presbyteri parentes baptizatorum nondum confirmato- „ rum, ut eos ad Epiſcopum, qui ſolus „ poteſt confirmare, ducant ſeptennes, „ vel majoris ætatis, & tondeantur capil- „ li, maxime circa frontem dependen- „ tes, & laventur frontes diligenter. „ Similia ſtatuunt Rothomagenſe an. 1581. Aquenſe anno 1585. Quintum Mediolanenſe ſub S. Carolo.

Ad eamdem præparationem exteriorem ſpectant bandelli, quibus fronte Chriſmatorum ex reverentia ſacro Chriſmati debita alligentur, ut patet ex Pontificali Eboracenſis Epiſcopi. Concilium Colonienſe an. 1280. cap. 5. jam laudato iſtud non ſilet: " Bandellos, *inquit*, de panno lineo „ ſpiſſo, ſine fractura, & ſine modo la- „ titudinis trium digitorum, & longitu- „ dinis competentis, albos, & bene mun- „ dos, &c. „

Tertia, jejunium: ſic habetur in Euchologio Græcorum; ſic in Sacramentario S. Gregorii & legitur in Decreto de conſecr. diſt. 5. his verbis: " Ut jejuni ad „ Confirmationem veniant perfectæ æta- „ tis. „ Uſus hic obtinebat adhuc duodecimo ſæculo, ut liquet ex Magiſtro Sententiarum, qui de hoc momento hæc habet: " Hoc Sacramentum tantum a jejunis acci- „ pi, & jejunis tradi debet. „ Subſcribit S. Carolus p. 4. Act. Eccleſ. Mediol. ubi ad exemplum Apoſtolorum qui in oratione & jejunio ſe ſe ad recipiendum Spiritum ſanctum præparabant, eaſdem utique exigit diſpoſitiones: " Illud vero Parochus, „ *ait*, maxime hortabitur, ut huic Sa- „ cramento, cum Spiritus ſancti gra- „ tia uberrime conferatur, ad eam con- „ ſequendam ſe jejuniis, eleemoſyna, qui „ per facultates poſſunt, aliiſque pie- „ tatis officiis, parent; atque in primis „ frequentiori, & ardentiori religioſæ „ orationis ſtudio devote ſe ſe exerceant, „ exemplo ſanctorum Apoſtolorum, qui „ dum expectarent Spiritum ſanctum „ perſeverantes erant in oratione, & „ jejunio. Sed efficiet ſaltem, ut pridie „ dies confirmationis jejunent qui poſ- „ ſunt. „

Ex his ultimis verbis colligitur jejunium non eſſe abſolute neceſſarium, ut patet ex Eccleſiæ praxi a duodecimo ſæculo elapſo. Sic propugnat S. Thomas 3. p. q. 73. art. 12. ad 2. ubi de Confirmatione ſic loquitur. " Propter multitudi- „ nem fidelium, & propter pericula im- „ minentia ſuſtinetur, ut hoc Sacramen- „ tum, quod nonniſi ab Epiſcopis dari pot- „ eſt, etiam a non jejunis detur, vel ac- „ cipiatur. „

Quarta: Ad eamdem præparationis ſpeciem ſpectat Patrinus, qui eo datur ſcopo, ut confirmandus ducem habeat ad prælianda bella Domini adverſus & paganos, & hæreticos obſtrepentes contra Myſteria. De hoc capite hæc habet Catechiſmus Romanus hic num. 12. his verbis: " Additur vero etiam Patrinos, quem- „ admodum in Baptiſmo fieri demonſtra- „ tum eſt. Nam ſi, qui gladiatoriam dimi- „ cationem ſubeunt, alicujus indigent, „ cujus arte, & conſilio doceantur, quibus „ ictibus, ac petitionibus, ſalvis ipſis, „ configere adverſarium poſſint. Quanto „ magis fideles, cum ſacramento Confir- „ mationis quaſi firmiſſimis armis tecti, „ ac muniti in ſpirituale certamen, cui „ æterna ſalus propoſita eſt, deſcendunt, „ ducis ac monitoris indigebunt? Recte „ igitur ad huis quoque Sacramenti admi- „ niſtrationem Patrini advocandi ſunt, „ quibuscum eadem ſpiritualis affinitas „ conjungitur, quæ legitima nuptiarum „ fœdera impedit, ut antea docuimus, „ cum de Patrinis ageretur, qui ad Bapti- „ ſmum adhibendi ſunt. „

Quia vero eodem prope modo ratiocinandum eſt de affinitate quæ contrahitur inter patrinum, & confirmatum, ſicut quæ contrahitur inter baptizatum, & bapti-

zan-

rantem &c. Concilium Trident. ſeſſ. 14. de reformatione cap. 2. prohibet ne duo viri ſimiliter, & duæ mulieres ſimul ſuſcipiant baptizatum, ne multo plures contraherent affinitatem: quæ tamen non contrahitur cum ſolum ſupplentur cæremoniæ Baptiſmi, quia, inquit D. Thomas 3. p. Supplem. q. 56. art. 2. jam generatio ſpiritualis peracta eſt dum infans fuit tinctus. De affinitate ſpirituali habetur can. *Nedum* de cognat. ſpirit. in Sexto. " Nedum inter baptizatum, & illum qui eum ſuſcepit de Baptiſmo, ac inter eumdem baptizatum, & ſuſcipientis filios, & uxorem ante ſuſcipientem carnaliter cognitam ab eodem, immo etiam inter ſuſcipientem patremque baptizati, & matrem, cognationem ſpiritualem in Baptiſmo contrahi jure conſtat. Quæ cognatio, & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit poſt contractum: & eadem quæ de ſuſcipiente dicta ſunt, etiam de baptizante cenſenda. "

Diſpoſitiones interiores.

PRIMA eſt peccatorum confeſſio: cum enim Confirmationis effectus ſit Spiritus ſancti plenitudo ad robur, & idem Spiritus, *In malevolam animam non introibit*, ut legitur Sapientiæ 1. debent removeri omnia impedimenta nedum gravia, ſed & leviora, cum ſcriptum ſit de eo Habac. 1. *Mundi ſunt oculi tui; & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. Hanc diſpoſitionem exigunt Concilia. Burdigalenſe an. 1583. ait: " Moneantur etiam qui adulti ſunt, ut ad tantum Sacramentum non accedant, niſi præmiſſa peccatorum confeſſione. " Concinit Aquenſe ann. 1585. his verbis: " Qui adulta ætate confirmandi ſunt primo de peccatis ſuis confiteantur. " Concinit etiam Remenſe ann. 1583.

Secunda: Debet accedere confeſſioni, virtutum, maxime fidei, ſpei, & charitatis ſupellex, ut Spiritus ſanctus inveniat animam adornatam, & in ea habitare queat. Catechiſmus Romanus hæc & præcedentia explanat ibidem num. 19. " Ex jam dictis illud etiam efficitur, ut qui adulta jam ætate confirmandi ſunt, ſi quidem hujus Sacramenti gratiam, & dona conſequi cupiant, eos non ſolum fidem, & pietatem afferre, ſed graviora etiam peccata, quæ admiſerunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum eſt, ut peccata etiam prius confiteantur, & Paſtorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera ſuſcipienda incitentur, admoneanturque, laudabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem renovandam eſſe, ut non niſi jejuni hoc Sacramentum ſuſciperent. Quod quidem fidelibus facile perſuaderi poſſe exiſtimandum eſt, ſi hujus Sacramenti dona, admirabileſque effectus intellexerint. "

Tertia: Eſt devotio actualis in quantum fieri poteſt. Hoc ipſum exigit majeſtas Spiritus ſancti per confirmationem in animam illabentis: hinc Apoſtoli in unum congregati, in oratione perſeverantes cum beatiſſima Virgine Deipara expectabant Spiritum ſanctum: Sic enim habetur Act. 1. *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus*. S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 3. §. 1. hanc reddit rationem, cur confirmandus, & gratia, & virtutibus ac ſingulari devotione debeat eſſe præditus, quia accedens ad hoc Sacramentum poſtulat in gratia confirmari, qui autem peccat mortaliter, in gratia non confirmabitur, donec vel ipſam gratiam recuperaverit, ut jus ad majorem habeat: " Advertendum, *ait*, quod ſi quis renunciaſſet juri ſuo alicujus dignitatis, confirmatio nihil, vel modicum ſibi valeret, niſi ſibi jus redderetur; ſic in propoſito, qui renuntiat gratiæ baptiſmali, quod fit per peccatum mortale commiſſum, poſtea accedens ad Confirmationem cum eo, non confirmaretur in gratia; nec augeretur ſibi gratia; immo mortaliter peccaret, & magis debilitaretur in anima, quamvis characterem reciperet indelebilem; & hoc niſi reſtitueretur ſibi prius gratia amiſſa, quod non fit niſi per pœnitentiam. "

Ex hac ultima ſententia ſequitur Baptiſmum prærequiri ad confirmationem veluti, & præparationem, & conditionem ſine qua non Sacramentum ad robur non valeret. Ratio D. Thomæ in promptu eſt, quod nullus qui caret gratia, dicendus ſit in gratia roborari. Sic loquitur 3. p. q. 72. art. 6. " Dicendum quod character Confirmationis ex neceſſitate

V 2 præ-

„ præſupponit characterem baptiſmalem; „ ita ſcilicet, quod ſi aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet; „ ſed oporteret iterato ipſum confirmari „ poſt Baptiſmum. Cujus ratio eſt, quia ſic „ ſe habet Confirmatio ab Baptiſmum, „ ſicut augmentum ad generationem. „ Manifeſtum eſt autem quod nullus potéſt promoveri in ætatem perfectam, „ niſi primo fuerit natus, & ſimiliter „ niſi primo aliquis fuerit baptizatus „ non poteſt Sacramentum Confirmationis accipere. „ Hoc aſtruunt paſſim omnes qui vocant Confirmationem, ejuſque ritus, Baptiſmi appendices ſeu complementum, de quibus infra.

Synopſis eorum quæ in hoc Articulo ſcripta ſunt.

Diſpoſitiones ad Confirmationem prærequiruntur.

QUÆDAM ſunt externæ; talis eſt inſtructio, & Sacramenti explicatio; talis munditiès corporis, ut confirmandus ea qua par eſt reverentia ſuſcipiens Sacramentum, ſit ad gratiam ipſam interiorem recipiendam magis accinctus.

Quædam vero ſunt capitales, ſeu palmares, & eſt ſtatus gratiæ, virtutum omnium ſupellex, ne Spiritus ſanctus illabens in animam, aliquid quod ipſi diſpliceat adinveniat; nam ut ſacrum fert adagium *Sancta-ſanctis*. Sic præcipiunt Synodi, ſic exigit Catechiſmus Romanus, ſic hujuſmodi ornatus probat neceſſitatem, & convenientiam S. Thomas: “ Quia, *inquit*, ſic ſe habet Confirmatio ad Baptiſmum ſicut augmentum ad „ generationem. Manifeſtum eſt autem „ quod nullus poteſt promoveri in ætatem perfectam, niſi primo fuerit natus. „ Addit S. Antoninus, eum nec roborari in gratia, niſi prius habeat gratiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ritibus Confirmationis.

EAMDEM methodum in deſcribendis Confirmationis ritibus obſervare juvat, quam in ritibus Baptiſmi jamjam inſtituimus. Tria igitur pro more primum poſito deſcribenda ſunt, videlicet tempus quo Confirmatio accipitur: locus ubi adminiſtranda eſt, tum denique modus quo conferri debeat.

Tempus, ſeu Ætas.

SI Sacramentum iſtud ſecundum ſe ſpectetur, & ut Spiritus ſancti plenitudinem confert, citra dubium eſt omnibus fidelibus, ne quidem infantiæ ætate excepta, conferendum eſt. Sic propugnat S. Thomas hic q. 72. ea ductus ratione quam ſic exponit art. 8. “ Dicitur Actum 2. quod Spiritus ſanctus adveniens re„ plevit totam domum, per quam ſigni„ ficatur Eccleſia, & poſtea ſubditur, „ quod repleti ſunt omnes Spiritu ſan„ cto: Sed ad illam plenitudinem conſe„ quendam hoc Sacramentum datur. Er„ go eſt omnibus, qui ſunt in Eccleſia „ exhibendum. „

Neque vero altera ejuſdem ſancti Doctoris ratio ſilenda eſt, quæ in hac forma „ proponitur: “ Eſt de intentione natu„ ræ, ut omnis qui corporaliter naſci„ tur, ad perfectam ætatem perveniat: „ Sed hoc quandoque impeditur propter „ corruptibilitatem corporis, quod mor„ te prævenitur ...... Anima au„ tem ad quam pertinet & ſpiritualis „ nativitas, & ſpiritualis ætatis perfe„ ctio, immortalis eſt. Et poteſt ſicut „ tempore ſenectutis ſpiritualem nativi„ tatem conſequi, ita tempore juventu„ tis, vel pueritiæ conſequi perfectam „ ætatem: quia hujuſmodi corporales „ ætates, animæ non præjudicant, & „ ideo hoc Sacramentum debet omnibus „ exhiberi. „ Ergo &c.

Iſtis D. Thomæ rationibus hæc ulterior additur. Parvuli baptizantur tametſi per iſtud Sacramentum non leviora in lege Domini obſervanda ſubeant onera, & ſatis habet Eccleſia, ut cum adoleverint, moneantur de contractis obligationibus: Igitur, non abſimili ratione pueri poſſunt confirmari.

Præ-

Digitized by Google

Praxis Eccleſiæ de confirmandis parvulis ab ipſa vagiente Eccleſia.

PRIMO: Uſus obtinuerat primis ſæculis ſimul conferre Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam; Dionyſius L. de cœleſti Hierarchia, ait: " Ipſi „ qui ſacratiſſimo regenerationis Myſte- „ rio conſecratur, adventum Spiritus ſan- „ cti conſummans inunctione largitur un- „ guenti. „

Concinit Tertullianus Lib. de Baptiſmo cap. 7. & 8. his verbis: " Egreſſi, *ait*, de „ lavacro perungimur benedicta unctione „ . . . Dehinc manus imponitur per benedi- „ ctionem invocans Spiritum ſanctum. „

Cyprianus eumdem tenet ſermonem Epiſt. 70. ad Januarium: " Ungi neceſſe eſt „ eum qui baptizatus ſit, ut accepto Chri- „ ſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus „ Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti „ poſſit. „ Ambroſius ſimilia loquitur Lib. de Myſteriis cap. 7. Tum Hieronymus Dial. adverſus Lucif. in primis vero S. Auguſtinus, qui ſermone 324. de infantibus expreſſe loquitur. Nam de quodam puero Catechumeno defuncto meritis, & interceſſione S. Stephani ad vitam evocato, hæc habet. " Continuo tulit illum ad Presby- „ teros *Mater*, baptizatus eſt, ſanctifica- „ tus eſt, unctus eſt, impoſita ei manus „ eſt, completis omnibus Sacramentis aſ- „ ſumptus eſt. „

Concilia ſuffragantur; Laodicenum antiquiſſimum can. 48. ſic ſtatuit: " Opor- „ tet eos qui illuminantur poſt Baptiſmum „ inungi ſupercœlenti Chryſmate. „ Toletanum 4. canon. 57. tractans de Judæis tempore Siſebuti Regis Hiſpaniæ baptizatis; dicit: " Eos eſſe divinis Sacra- „ mentis aſſociatos, & Baptiſmi gratiam „ percepiſſe, & Chriſmate unctos eſſe, „ & corporis Domini, & ſanguinis exti- „ tiſſe participes. „

Wigornienſe an. 1240. expreſſe de pueris confirmandis loquitur cap. 6. " Præ- „ cipimus, *inquit*, quod Sacerdotes Paro- „ chiales ſubditos ſuos ſtudioſe moneant, „ & frequenter, quod parvulos ſuos fa- „ ciant confirmari: ſciantque patres, & „ matres eorum, ſe poſt annum a nativi- „ tate pueri computandum ab ingreſſu „ Eccleſiæ ſuſpendendos, ſi infra an- „ num, dum tamen Epiſcopi copiam ha- „ buerint, vel tranſitus Epiſcopi per loca „ in quibus habitant, fuerit manifeſtus, „ non præſentaverint confirmandos. „ Exonienſe anno 1287. cap. 3. ſtatuit parvulos infra triennium a tempore ortus confirmari: " Alioquin parentes in hoc ne- „ gligentes qualibet ſexta feria in pane, „ & aqua jejunent, donec pueri confir- „ mentur. „ &c.

Non prætermittendum Mediolanenſe V. titulo, Quæ ad Confirmationis ſacramentum pertinent. Eo loci ita loquitur: " Si „ Epiſcopus ob aliquam cauſam juſtam, „ atque adeo neceſſariam parvulo, & „ infanti, qui non modo ætatem ſeptem „ annorum expleat, ſed, ne attingat qui- „ dem, miniſtrandum aliquando cenſue- „ rit, ne ſit vetitum. His vero minori- „ bus natu, atque adeo parvulis ſi quando- „ que miniſtrabitur, eorum parentes, vel „ qui curam gerunt, Parochus moneat, „ ut ætate procedente eos de ea recertio- „ res faciant, ne parentibus, curatoribuſ- „ que poſtea mortuis, ipſi aliquando du- „ bitent, an hoc Sacramentum, quod ite- „ rari nefas eſt, ſuſceperint. „

Iſta diſciplina antiqua ad noſtra uſque tempora in Eccleſia Orientali ita perſeverat, ut quandoque Græci vitio verterint Latinis, eo quod illam immutaverint, ſed abſque fundamento; ea enim ratione decurſu temporum Eccleſia Latina modo ad duodecimum, modo etiam ſaltem ad ſeptennium procraſtinavit Confirmationem, ut pueri rationis uſum attingentes, fortiores evaderent in bello, cum, conſcientia, & oculis teſtantibus, Sacramentum ad hoſtes fidei debellandos, ſuſceperint: Ne mireris igitur ſi Concilium Colonienſe anno 1280. cap. 5. licentiam faciat, ut ad confirmandos pueros ſeptennium ab eorum ortu expectetur; ſic utique ſtatuunt Turonenſe anno 1583. cap. 7. Bituricenſe an. 1584. titulo 20. canone 4. Aquenſe an. 1585. Toloſanum an. 1590. cap. 3. Narbonenſe an. 1609. cap. 15. quod tamen intelligitur modo abſit vitæ periculum; ſin minus in omni ætate confirmandum eſt, ut propugnat S. Thomas hic q. 72. art. 8. ad 4. quia nullus ante mortem plenitudine Spiritus ſancti defraudandus eſt.

Juvat totam hanc materiam verbis Catechiſmi Romani claudere: ibidem num. 15. ait: " In quo illud obſervandum „ eſt,

Digitized by Google

„ eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum „ Confirmationis ſacramentum poſſe administrari: Sed minus tamen expedire „ hoc fieri, antequam pueri rationis uſum „ habuerint. Quare ſi duodecimus annus „ non expectandus videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem instituta „ eſt. Sed ut ejus virtute optime inſtructi, „ & parati inveniremur, cum nobis pro „ Chriſti fide pugnandum eſſet: Ad quod „ ſane pugnæ genus pueros, qui adhuc „ uſu rationis carent, nemo aptos eſſe judicarit. „

H O R A.

USUS Eccleſiæ Mediolanenſis fuit mane poſt Miſſam Confirmationem administrare. Eamdem obſervavit diſciplinam Udalricus Epiſcopus Auguſtanus qui decimo florebat ſæculo, quod in multis etiam Conciliis legitur: tum ſubſequentibus ſæculis hora diei tertia, qua Spiritus ſanctus in Apoſtolos illapſus eſt, ad id muneris aſſignata legitur in Synodo Aquenſi anno 1585. Quæ quidem hora ſi credamus Amalario, in primitiva Eccleſia obſervabatur.

L O C U S.

QUANDOQUE a Baptiſterio ſeparatus erat Confirmationis adminiſtrandæ locus; dicebaturque conſignatorium, quale illud erat, quod in Neapolitana Eccleſia erexit initio ſæculi ſeptimi Joannes ejuſdem civitatis Epiſcopus, ut legere eſt apud Joannem Diaconum Lib. de Geſtis Epiſcoporum Neapolitanorum.

In libro Sacramentorum ſancti Gregorii Papæ habetur Confirmationem in Sacrario ſeu Sacriſtia, abſolutis Baptiſmi ritibus, collatam. Sic enim legitur: " Pontifex vero redit in ſacrarium expectans, „ ut cum veſtiti fuerint infantes, con- „ firmet eos. „ In vulgato ordine Romano, Sacriſtia, vel Eccleſia, ad arbitrium Epiſcopi, ad confirmandum eligitur. Mos etiam antiquitus inoleverat, homines ſeparatim a feminis confirmari. Sic habetur in Concilio Aquenſi anno 1585. & in Mediolanenſi 5. ſub S. Carolo ſtatuitur, ut: " Mares in Eccleſia a parte „ ſua, feminæ ab altera ſint, ſicque „ ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque „ ordine pie, & religioſe orent. In „ primiſque ab omni ſtrepitu, & vociferatione, & inani confabulatione caveant: ſed ſilentio ſancto utantur. Et „ quod veteris ritus eſt, primum mares, „ deinde feminæ confirmentur. „

Modus confirmandi.

SUPPONO S. Chriſma ab Epiſcopo benedictum, eſſe paratum. Quatuor potiſſimum in ritu Chriſmatis conficiendi concurrunt. Primo quidem in Eccleſia Latina preces funduntur, juxta illud 1. ad Timotheum 4. *Omnis creatura Dei . . . ſanctificatur per verbum Dei, & orationem.* 2. Super oleum, & balſamum fit ſignum crucis. Sic ſubindigitat Auguſtinus tractatu 88. in Joannem: " Quod *ſignum* „ *crucis*, *inquit*, niſi adhibeatur, ſive „ frontibus credentium, ſive ipſi aquæ ex „ qua regenerantur, ſive oleo quo Chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil horum rite perficietur. „ 3. Epiſcopus aliquoties exſufflat ſuper ampullam Chriſmatis. Ritus illius meminit S. Gregorius L. Sacrament. & in ordine Romano recenſetur. Amalarius Lib. 1. cap. 12. de hoc momento ſic loquitur: " Habitus ab interioribus, & ſecretis „ procedit in publicum, & vocatur Spiritus, in naribus, Pontifex per ſpiritum ſuum ſubſtantiam Spiritus ſancti „ nuntiat in corpore aſſumpto a divinitate inhabitare, cujus adventu renovata „ ſunt omnia. „

Demum 4. loco, Chriſma jam conſecratum, ab Epiſcopo, & a Presbyteris genuflexis in hunc modum ſalutatur, *Ave ſanctum Chriſma*. Recenſetur illa cæremonia in ordine Romano, & ab Amalario, adhibeturque in ſignum gaudii, ut quum Paula ſalutavit Bethlehem, ut primum eam vidit. Ad Chriſtum ipſum refertur iſta ſalutatio, cujus Chriſma eſt Symbolum: Unde immerito Calvinus Eccleſiam Romanam propter illius ritus uſum, idololatriæ criminis inſimulat.

Juxta priorem rituum diſpoſitionem in Baptiſmo commemoratam, utique triplicis generis ritus Confirmationis diſtingui-

guimus; quaſdam ſcilicet cæremonias antecedentes Confirmationis Sacramentum, quaſdam concomitantes, quaſdam demum ſubſequentes.

De prioribus ex parte diximus, ubi de Patrinis. Nunc de ceteris breviter aliquid dicendum eſt, & primo quidem de nomine, quod quandoque etiam immutatur, maxime ſi ſit vel ridiculum, vel Chriſtiano exoſum. Concilium V. Mediolanenſe de hoc momento ſic loquitur: " Cur
,, & etiam Epiſcopus ac Parochus, ut
,, qui turpe ridiculum-ve nomen habeat,
,, neque plane conveniens homini Chri-
,, ſtiano, illud mutet, ſumatque in Con-
,, firmationis ſacramento nomen alicu-
,, jus, qui vere pietatis ſanctæque religio-
,, nis laude floruit; ut qui hactenus non ad
,, normam Chriſti Domini vitam inſtituit,
,, jam abjecto ejuſdem nomine, depoſito-
,, que veteri homine, & antiqua ſocordia,
,, rurſuſque novo, ac ſancto ſuſcepto no-
,, mine, virilem in ſancte agendo conſtan-
,, tiam perpetuo deinceps præſtet. ,, Quandoque etiam nomen aſſumitur ad confirmandum votum.

Non ſemel olim contigit veſtibus albis confirmandos induere antequam Epiſcopo præſentarentur, ea potiſſimum ratione, quod Confirmatio immediate poſt Baptiſmum adminiſtraretur. Sic enim habetur in Ordine Romano: " Pontifex ergo
,, egreditur a fonte in ſacrarium habens
,, ibi compoſitam ſedem, in Eccleſia ubi
,, voluerint, & ſedeat in ea; & cum
,, veſtiti fuerint infantes, confirmet eos. ,,

Nunc de ritibus concomitantibus audiendus eſt Catechiſmus Romanus, qui utique myſticos cujuslibet cæremoniæ explanat ſenſus: 1. ſic loquitur hic num. 24. " Qui igitur confirmantur ſacro
,, chriſmate, in fronte unguntur: nam
,, hoc ſacramento Spiritus ſanctus in
,, animos Fidelium ſeſe infundit, in eiſ-
,, que robur, & fortitudinem auget, ut
,, in ſpirituali certamine viriliter pugna-
,, re, & nequiſſimis hoſtibus reſiſtere
,, queant. ,,

2. " Quocirca declaratur, eos nullo me-
,, tu, aut verecundia, quarum affectionum
,, ſigna maxime in fronte ſolent appare-
,, re, a libera chriſtiani nominis confeſ-
,, ſione abſterrendos eſſe. ,,

3. Præterea nota illa, qua Chriſtia-
,, nus a ceteris veluti miles inſignibus
,, quibuſdam ab aliis diſtinguitur, in il-
,, luſtriori corporis parte imprimenda
,, erat. ,,

4. " *Deinde* vero qui jam unctus & con-
,, firmatus eſt, ut meminerit ſe tamquam
,, fortem athletam paratum eſſe oportere
,, ad omnia adverſa invicto animo pro Chri-
,, ſti nomine ferenda, manu leviter in
,, maxilla ab Epiſcopo cæditur. ,,

Demum, de ſubſequentibus, pauca hæc dicit idem Catechiſmus: " Poſtremo au-
,, tem pax ei datur, ut intelligat ſe gra-
,, tiæ cœleſtis plenitudinem, & pacem,
,, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecu-
,, tum eſſe. Atque hæc ſumma eorum ſit,
,, quæ de Chriſmatis Sacramento a Paſtori-
,, bus non tam quidem nudis verbis, &
,, oratione, quam inflammato quodam pie-
,, tatis ſtudio explieanda ſunt, ut ea in
,, animis, intimiſque Fidelium cogitatio-
,, nibus inſerere videantur. ,,

Sequuntur ordines quibus confertur Confirmatio.

ORDO I.

Ex antiquo Pontificali MS. Egberti Archiepiſcopi, qui circa medium ſæculum octavum Eboracenſem regebat Eccleſiam.

Confirmatio hominum ab Epiſcopo dicenda. Quomodo confirmare debet.

" OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui
,, regenerare dignatus es hunc famulum
,, tuum ex aqua & Spiritu ſancto, qui-
,, que dediſti ei remiſſionem omnium
,, peccatorum, tu Domine, immitte in
,, eum ſeptiformem Spiritum ſapientiæ
,, & intellectus, Amen. Spiritum conſi-
,, lii, & fortitudinis, Amen. Spiritum
,, ſcientiæ & pietatis, Amen. Imple eum
,, Spiritu timoris Dei, & Domini noſtri
,, Jeſu Chriſti, & conſigna eum ſigno
,, ſanctæ cru✝cis tuæ propitiatus in vitam
,, æternam. ,,

Hic debet mittere chriſma in fronte ipſius; & dicere:

Accipe ſignum ſanctæ cru✝cis chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu in vitam æternam, Amen. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo.

Poſta hanc orationem recitare debet.

" *Confirmet* te Deus Pater, & Filius, & Spi-

„ & Spiritus ſanctus, ut habeas vitam „ æternam, & vivas in ſæcula ſæculo- „ rum. Ecce ſit benedictus omnis homo, „ qui timet Dominum : benedicat tibi „ Dominus ex Sion, & videas quæ bo- „ na ſunt in Jeruſalem omnibus diebus „ vitæ tuæ. Pax tecum in vitam æter- „ nam. Amen.

Modo ligandi ſunt.

" DEUS, qui Apoſtolis ſanctum de- „ diſti Spiritum, & per eos eorumque „ ſucceſſores ceteris Fidelibus traden- „ dum eſſe voluiſti, reſpice propitius ad „ humilitatis noſtræ famulatum, & præ- „ ſta ut eorum, earumque corda, quo- „ rum vel quarum hodie frontem deli- „ nivimus, & ſigno crucis confirmavi- „ mus, Spiritus ſanctus adveniens, tem- „ plum gloriæ ſuæ dignanter inhabitan- „ do perficiat. Per.

Modo communicadi ſunt de ſacrificio. Sequitur Benedictio Epiſcopalis.

" *Benedicat* vos omnipotens Deus, qui „ cuncta ex nihilo creavit, & vobis in „ Baptiſmate, & in Confirmatione re- „ miſſionem omnium peccatorum tribuat, „ Amen.

„ *Quique* ſanctum Spiritum igneis linguis „ ſuis dedit Diſcipulis, corda veſtra i- „ pſius illuſtratione irradiet, atque in „ ſui amorem jugiter accendat. Amen.

„ *Quatenus* ab omnibus vitiis emenda- „ ti, ipſius opitulatione ab omnibus ad- „ verſitatibus defenſi, templum illius ef- „ fici mereamur. Amen.

„ *Ille* qui vos creavit ab omnibus ma- „ lis imminentibus cuſtodiat, & ab omni „ pravitate defendat. Amen. „

Quod ipſe. Amen. Benedictio. Amen.

Alia Benedictio ad Miſſam poſt Confirmationem.

" *Effunde*, quæſumus Domine, ſuper „ hos famulos tuos, & famulas tuas cœ- „ leſtem benedictionem tuam, quibus per „ nos eximium ſeptiformem Spiritum „ ſanctum tuum tradere voluiſti, eiſdem- „ que Spiritus ſancti gratiam, & dona „ largire. Amen.

„ *Ut* quicumque ſunt ex aqua, & Spiri- „ tu ſancto renati, ſemper ſint tua pro- „ tectione muniti. Amen.

„ *Redundet* in eis diffuſa charitas per „ Spiritum ſanctum, quæ operiat, ac „ ſuperet omnem multitudinem peccato- „ rum. Amen.

„ *Protege* eos, & eas protectione divina, „ ut fugiant ab eis univerſa peccata, & tua „ ſemper ſtudeant adimplere præcepta. „ Amen.

„ *Requieſcet* in eis propitius, qui quon- „ dam requievit in Apoſtolis glorioſus. " Quod ipſe. Amen. Benedictio. Amen.

ORDO II.

Ex Sacramentario Gelaſiano, & quatuor MSS. annorum 900. Regio 3866. Colbertino 1348. Gellonenſi, & Noviomenſi.

Dat orationem ſuper eos, cum chriſmate faciens crucem in frontibus eorum cum vocatione ſanctæ Trinitatis, & tradit eis ſeptiformem ſancti Spiritus gratiam.

„ *Deus* omnipotens, Pater Domini no- „ ſtri Jeſu Chriſti, qui regeneraſti famu- „ los tuos ex aqua & Spiritu ſancto; qui- „ que dediſti eis remiſſionem omnium „ peccatorum, tu, Domine, emitte in „ eos Spiritum ſanctum tuum Paracletum: „ & da ei ſpiritum ſcientiæ & pietatis: „ Adimple eos ſpiritu timoris Dei, & „ Domini noſtri Jeſu Chriſti: & jube eos „ conſignari ſigno crucis in vitam æter- „ nam. Per eumdem Dominum.

Poſtea ſignat eos in fronte de chriſmate dicens:

Signum Chriſti in vitam æternam. *Reſpondet*, Amen. Pax tecum. R. Et cum Spiritu tuo.

In codicibus Regio & Noviomenſi ſic legitur hæc rubrica: *Deinde ab Epiſcopo datur eis Spiritus ſeptiformis ad conſignandum: & imponet eis manum in his verbis: Deus omnipotens &c.*

ORDO III.

Ex Pontificali Romano depromptus.

Pontifex infantes pueros, vel alios ſacri Baptiſmatis unda perfuſos, confirmare volens, paratus ſupra rochetum, vel, ſi ſit Regularis, ſupra ſuperpelliceum, amictu, ſtola, pluviali albi coloris, & mitra, accedit ad faldiſtorium ante medium altaris, aut in alio conve-

nitati

Digitized by Google

nienti loco ſibi paratum; & in eo ſedens, renibus altari, & facie populo verſis, baculum paſtoralem in ſiniſtra tenens, populum coram ſe ſtantem admonet, quod nullus alius, niſi ſolus Epiſcopus, Confirmationis ordinarius Miniſter eſt.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

Nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione patrinus, nec pater, aut mater, maritus, aut uxor.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut chriſtianæ fidei rudimentis non edoctus, ingerat ſe ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

Adulti deberent prius peccata confiteri, & poſtea confirmari, vel ſaltem de mortalibus, ſi in ea inciderint, conterantur.

Hoc ſacramento contrahitur ſpiritualis cognatio, impediens Matrimonium contrahendum, & dirimens jam contractum; quæ cognatio confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus præſentet niſi unum, aut duos, non plures, niſi aliter neceſſitas ſuadeat, arbitrio Epiſcopi.

Confirmandi deberent eſſe jejuni.

Confirmato debet ligari frons, & ſic manere quouſque chriſma deſiccetur, vel extergatur.

Proinde unuſquiſque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput.

Nullus confirmatus diſcedat, niſi benedictione accepta, quam Pontifex poſt omnium Confirmationem dabit.

Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem, teneantur in brachiis dextris; adulti vero, ſeu alii majores, ponant pedem ſuum ſuper pedem dextrum patrini ſui. Et ideo, neque maſculi feminis patrini, neque feminæ maſculis matrinæ eſſe deberent.

Quibus per ordinem ante Pontificem diſpoſitis, Pontifex ſedens lavat manus; deinde depoſita mitra ſurgit, & ſtans verſa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, & manus ante pectus junctas tenentibus, dicit:

“ *Spiritus ſanctus* ſuperveniat in vos,
„ & virtus Altiſſimi cuſtodiat vos a peccatis. ℟. Amen.

Deinde ſignans ſe manu dextera a fronte ad pectus ſigno crucis, dicit:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tunc extenſis manibus verſus confirmandos, dicit:

O R E M U S.

“ *Omnipotens* ſempiterne Deus, qui
„ regenerare dignatus es hos famulos
„ tuos ex aqua & Spiritu ſancto; qui-
„ que dediſti eis remiſſionem omnium
„ peccatorum; emitte in eos ſeptiformem
„ Spiritum tuum ſanctum Paraclitum de
„ cœlis.

℟. Amen.

“ *Spiritum* ſapientiæ, & intellectus
℟. Amen.

„ *Spiritum* conſilii, & fortitudinis.
℟. Amen:

„ *Spiritum* ſcientiæ & pietatis. ℟.
Amen.

„ Adimple eos ſpiritu timoris tui, &
„ conſigna eos ſigno cru ✝ cis Chriſti,
„ in vitam propitiatus æternam. Per
„ eumdem Dominum noſtrum Jeſum
„ Chriſtum Filium, tuum qui tecum vivit
&c. ℟. Amen.

Pontifex ſedens ſuper faldiſtorium prædictum, vel etiam, ſi multitudo confirmandorum id exegerit, diſpoſitis illis per ordinem ſuper gradus Presbyterii, vel alibi, Pontifex ſtans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos; & uno ordine confirmato illi ſurgunt, & alii genuflectunt, & confirmantur, & ſic uſque in finem. Et Pontifex inquirit ſigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, ſibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præſentati, & ſummitate pollicis dexteræ manus chriſmate intincta, dicit:

N. Signo te ſigno cru ✝ cis.

Quod dum dicit, producit pollice ſignum crucis in frontem illius; deinde proſequitur.

Et confirmo te chriſmate ſalutis. In nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritus ✝ ſancti. ℟. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla cadit, dicens: Pax tecum.

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum
mitra

Digitized by Google

mica panis, & *lavat pollicem*, & *manus ſuper pelvim. Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piſcinam ſacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur Antiphona*. „ Confirma hoc Deus, quod operatus es „ in nobis a Templo ſancto tuo quod eſt „ in Jeruſalem. ℣. Gloria Patri, &c. „ ℟. Sicut erat &c. *Deinde repetitur Antiphona*. Confirma hoc Deus: *Qua repetita, Pontifex ſurgit*, & *ſtans verſus altare, mitra depoſita, dicit*:

℣. Oſtende nobis Domine &c.
℟. Et ſalutare tuum &c.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde junctis ante pectus manibus, & *omnibus confirmatis genua flectentibus, dicit*:

OREMUS.

“ *Deus*, qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, & per eos, eorumque „ ſucceſſores ceteris Fidelibus tradendum eſſe voluiſti: reſpice propitius ad „ humilitatis noſtræ famulatum; & præſta, ut eorum corda, quorum frontes „ ſacro chriſmate delinivimus, & ſigno „ ſanctæ crucis ſignavimus, idem Spiritus ſanctus in eis ſuperveniens, templum gloriæ ſuæ dignanter inhabitando „ perficiat. Qui cum Patre, & eodem „ Spiritu ſancto, vivis & regnas Deus „ in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit:

“ Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum. *Et vertens ſe ad confirmatos, faciens ſuper eos ſignum crucis, dicit*:

“ *Bene* † *dicat* vos Dominus ex Sion, „ ut videatis bona Jeruſalem omnibus „ diebus vitæ veſtræ & habeatis vitam „ æternam. R. Amen.

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex ſedens, accepta mitra, patrinis & *matrinis annunciat, quod inſtruant filios ſuos bonis moribus, quod fugiant mala*, & *faciant bona*, & *doceant eos* Credo in Deum, & Pater noſter, & Ave Maria; *quoniam ad hæc ſunt obligati*.

ARTICULUS TERTIUS.

Caſus & *difficultates explicandæ circa Confirmationis Sacramentum occurrentes*.

PRIMUS CASUS.

Tenetur ne aliquis in confeſſione deponere peccata mortalia, antequam accedat ad Confirmationem? Peccat-ne mortaliter ſi iſtorum omittat confeſſionem?

R*Eſpondeo* I. Confirmandum teneri prius peccata in confeſſione aperire ſi ſint mortalia. Non unum Concilium hoc ſtatuit. Can. 75. Herardi Turonum Archipræſulis ſic habet: “ Moneantur confeſſiones dare prius, ut mundi donum „ ſancti Spiritus valeant accipere. „ Canon ille refertur a Gratiano diſt. 5. de conſecr. cap. 6. Porro collectio canonum Herardis facta eſt ann. 858. Hudes Sulliaci cap. 4. quod inſcribitur *Capitula de Sacramento Confirmationis* nu. 3. dicit: „ Quod ſi confirmandus adultus fuerit, „ confiteatur prius, & poſtea confirmetur. „ Idem expreſſe ſtatuit quidam anonymus Angliæ Epiſcopus an. 1218. idem Concilium Colonienſe an. 1280. his verbis: “ Confirmandi vero, ſi fuerint „ decem annorum, vel ultra, prius ſuis „ Sacerdotibus confiteantur, quam con„ firmentur. „ Idem Concilium Rotomagenſe ann. 1581. tit. *de Sacramento Confirmationis*. Idem Bituricenſe an. 1585. tit. cap. 8. “ Moneantur, *inquit*, omnes „ confirmandi, ut ante hujus Sacramenti „ ſuſceptionem peccata confiteantur. „ His accedunt Narbonenſe an. 1609. Ratio hujus diſciplinæ non una eſt: Prima Confirmatio eſt Sacramentum plenitudinis Spiritus ſancti ad augmentum gratiæ & robur: Igitur ſuſcipiens debet eſſe in gratia conſtitutus. Altera, non cenſetur dari gratia & augeri ponentibus obicem, nemo autem dixerit peccatum mortale non eſſe gratiæ augendæ obicem.

Reſpondeo II. eum peccare mortaliter, qui ſciens ſuſcipit Confirmationem cum peccato exitiali, quippe qui injuriam faciat Sacramento, ejuſque impediat effectum.

AR-

ALTER CASUS.

Licitum-ne eſt in dubio petere Confirmationem?

Reſpondeo idem eſſe dicendum de confirmando, ſi quis cum fundamento legitimo dubitet num fuerit confirmatus, ac de Baptiſmo dubio, videlicet eſſe mere & ſimpliciter confirmandum, ſi ne unum quidem de Confirmatione ſuſcepta habeat teſtem: Si tamen aliquod ſuboriretur dubium, ſub conditione de præſenti foret confirmandus, cum Synodus Londinenſis an. 1200. eodem modo loquatur de Confirmatione ac de Baptiſmo: " De Baptiſmate, *inquit*, vel Confirmatione ſi dubitetur, ſacrorum canonum ſtatuta ſequentes, ſtatuimus, ut conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non ſcitur eſſe factum.,,

Iſta reſponſio aliis innititur canonibus qui præcipiunt Clericum reordinari, ſi legitime dubitetur fuiſſe ordinatum. Yvo Carnotenſis p. 6. cap. 117. & Gratianus diſt. 68. c. 1. unum inter alios referunt canonem, ubi hoc expreſſe habetur. Gregorius III. a Bonifacio Epiſcopo Moguntino conſultus, quid in caſu quo Presbyteri dubitant, num rite ordinati fuerint, iterum reordinandi ſint? Reſpondit ſummus Pontifex: " Presbyteri, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint illi, qui ordinant, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinaverunt; ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta edocti, ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur.,,

TERTIUS CASUS.

Ad quid teneatur qui aliquem ſuſcipit in Baptiſmate vel Confirmatione?

Reſpondeo teneri docere credenda, maxime ſymbolum infantes quos in Baptiſmate, vel Confirmatione ſuſcepit, & ipſis invigilare ut mandata Dei adamuſſim obſervent; adultos vero confirmatos adhortari, ut fidem coram Tyrannis ſtrenue propugnent, quia ſponſores & fidejuſſores a Patribus appellantur, ut habetur in Concilio Arelatenſi canone 19. an. 813. in Synodo Senonenſi an. 1524. cap. 4. p. 7. In Pariſienſi anno 1557. in Moguntina an. 813. c. 47. ubi ſic legitur: " Præcipimus ut unuſquiſque compater, vel patrini ſpiritales filiolos ſuos catholice inſtruant., L. 6. Capitul. c. 175. habetur: " Adnuntient Presbyteri, ut neque viri, neque feminæ de ſacro fonte filiolos, vel filiolas ſuſcipiant, niſi memoriter Symbolum & Orationem Dominicam tenuerint., Quibus liquet verbis neminem pro ſuſceptore in Baptiſmo, vel Confirmatione admittendum eſſe, niſi credenda perfecte ſciat.

Præclara dicit Concilium Colonienſe de hoc momento adunatum an. 1536. p. 7. c. 4. " Suſceptores infantis, *inquit*, patrini qui dicuntur, merito admonentur, quod ipſi ſint, qui Eccleſiæ nomine, in Eccleſiæ fide, Chriſto parvulos offerant per Baptiſmum, ac ſe propemodum pro parvulis fidejuſſores conſtituant, nomine parvuli reſpondentes: quem etiam poſtquam adoleverit, Symbolum ſimul & Orationem Dominicam edocere, atque vitam Chriſto ac profeſſione in Baptiſmo facta, dignam perpetuo agere, ſaltem ubi id neceſſitas poſcere videbitur, cohortari non omittent: proindeque malumus illos provectæ ætatis, quam impuberis; ne videatur infans infantem offerre, ac ſponſorem ſe Deo pro alio conſtituere, qui quod promittit, non intelligat: ideoque multo minus, quod non intelligit, docere queat.,

QUARTUS CASUS.

Valet-ne Confirmatio data cum ſola impoſitione manuum, adhibita forma huic materiæ reſpondente?

Reſpondeo in caſu quo deficeret chriſma, valere juxta placita Theologorum qui propugnant impoſitionem manuum ſolam eſſe hujus Sacramenti eſſentialem materiam. Nec probabilitate caret iſta opinio, cum Actuum 8. nulla fiat mentio de chriſmatione, quum Petrus & Joannes Samaritanos confirmarunt. Solius manuum impoſitionis meminit Concilium Illiberita-

beritanum canone 38. anno 305. celebratum : Solam etiam hanc impoſitionem commemorant Synodus Arelatenſis 1. can. 8. Moguntina an. 1549. cap. 17. „ Ea „ vero, *inquit*, ut erant a Chriſto pro„ miſſa, ipſis Apoſtolis in die Penteco„ ſtes exibita, & ab iiſdem per manu„ um impoſitionem in alios transfundi „ cœpta, actus iſtorum ſatis teſtantur. „ Unde Eccleſia Catholica Spiritum ſan„ ctum per manus Epiſcoporum Fideli„ bus tradendi normam accepit. „ Similia dicit Remenſis an. 1583. Similia Narbonenſis an. 1609. cap. 15.

Concinunt Patres ; in primis Cyprianus Epiſt. 73. ad Januarium his verbis : “ Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſi„ tis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram „ orationem ac manus impoſitionem Spi„ ritum ſanctum conſequantur, & ſigna„ culo Dominico conſummentur. „ Tum Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap. 26. n. 46. & L. 3. de Baptiſmo cap. 16. nu. 18. “ Orabant quippe, *ait*, *Diſcipuli*, ut „ veniret *Spiritus ſanctus* in eos quibus „ manum imponebant ... quem morem „ in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat „ Eccleſia. „

Quia vero ſuo loco probavimus chriſmationem eſſe illi Sacramento eſſentialem, ut ſubindigitant Tertullianus Lib. de Reſurr. carnis cap. 8. Theodoretus explicans illa 2. Corinth. 1. verba *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto*, & *unxit nos Deus*. Optatus L. 7. contra Donatiſtas n. 4. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. Myſtag. 3. & alii, Confirmatio nuſquam cum ſola manuum impoſitione exhibenda eſt, cum Eccleſia, cui competit determinare materiam Sacramentorum, quæ non fuit a Chriſto in individuo determinata, a multis ſæculis chriſmationem ut neceſſariam adhibuerit ; hinc concludit Pontas Tom. 1. ubi de Confirmatione, confirmatos cum ſola impoſitione manuum ſub conditione, ſi poſſibile eſt, iterum eſſe confirmandos.

QUINTUS CASUS.

Num aliquis ſub conditione poſſit confirmari, ubi legitimum eſt dubium de Confirmationis ſuſceptione?

Reſpondeo affirmative, & hoc ex dictis patet. Non abs re erit hic texere verba diplomatis Clementis VIII. an. 1595. die 31. Auguſti hanc reſolutionem confirmantis : “ Epiſcopi Latini, *inquit*, „ infantes ſeu alios baptizatos a Presby„ teris Græcis de facto chriſmate in „ fronte conſignatos confirment ; & tu„ tius videtur, ut cum cautela, & ſub „ conditione id faciant : videlicet : *N. Si* „ *non es confirmatus, ego conſigno te ſigno* „ *crucis*, & *confirmo te chriſmate ſalutis*, „ *in nomine Patris &c.* Præſertim vero „ cum veriſſimiliter dubitari poteſt, „ quod ab Epiſcopis Græcis fuerint ba„ ptizati. „

SEXTUS CASUS.

Quæritur, utrum qui accedit ad Confirmationis Sacramentum cum peccato mortali, de quo non habet conſcientiam & conſequenter de quo non conteritur, ſuſcipiat Sacramenti effectum?

Reſpondeo affirmative, modo de peccato habeat contritionem ſaltem imperfectam, & ante Sacramenti ſuſceptionem doleat de peccatis tam notis quam ignotis, de illis ſpecialiter, de iſtis vero in genere; ita S. Thomas 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. his verbis : “ Si aliquis adultus in „ peccato exiſtens, cujus conſcientiam „ non habet ; vel ſi etiam non perfecte „ contritus accedat ; dummodo non fictus „ accedat, per gratiam collatam in hoc „ Sacramento, conſequitur remiſſionem „ peccatorum. „

De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus conſcientiæ circa Euchariſtiam, tum ut Sacramentum, tum ut Sacrificium eſt.

EIDEM inſiſtens ordini, ac methodo tria enucleanda de Euchariſtia ſive ut Sacramentum, ſive ut Sacrificium ſpectata explicare nobis incumbit ; unum videlicet de diſpoſitionibus : alterum de ritibus : ter-

tertium demum de difficultatibus quæ ſolvendæ occurrunt de Communione tum laicali, tum Clericali, ac de aliis quæ ad celebrationem ſacrificii pertinent. Unde ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam diſpoſitiones ad Communionem & Miſſam audiendam requirantur?

HANC materiam non levius jam tractavimus ubi de præparationibus ad Communionem vel rarius, vel etiam frequentius ſuſcipiendam. Quocirca quædam de modo quo Miſſa audienda ſit, explanare ſufficiat.

Reverentia ſumma ad audiendam Miſſam exigitur.

ISTA religio exigitur tum ex parte corporis, tum ex parte animæ, cum homo ex illis duabus conſtet partibus, nec adoratio ſeparatim fiat a corpore, & ſeparatim ab anima, quippe quæ ſit totius hominis profunda coram Deo demiſſio.

§. I.

De compoſitione ſeu modeſtia corporis.

MAJESTAS Dei hanc exigit modeſtiam, cum vel in ipſa veteri legi non niſi trementes, & ſuper pavimentum ſæpius proſtrati filii Iſrael Deum adorarent, ſuaſque coram ipſo preces funderent; hinc Bethſamitæ videntes arcam a finibus Philiſthiim ad ſe redeuntem, tametſi præ gaudio, non nihil deficiente modeſtia, conſpexerint, quinquaginta tamen millia in vindictam levitatis mortui ceciderunt.

Concilia iterum, atque iterum adhortantur fideles ut ea qua par eſt reverentia, modeſtia, & corporis compoſitione Sacrum audiant. Inſtar omnium ſit Tridentinum Seſſ. 22. ubi iſtud habetur decretum *de obſervandis*. Locorum ordinarii: " Neve patiantur .... Sanctum hoc ſacrificium a Sæcularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi; ac niſi prius, qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declaraverint ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore, adeſſe &c.

Suffragatur Mediolanenſe IV. tit. 10. de iis quæ pertinent ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium: " Cum Sacerdos ad altare acceſſerit, *inquit S. Carolus*, Miſſæ ſacrificium facturus, Clericus, qui tunc illi miniſtraturus eſt, ubi alius non ſit qui tunc hoc officium præſtare poſſit, circumſpiciat modeſte adſtantes; & ſi quempiam animadvertit marem vel feminam, incompoſito corporis habitu, aut alias contra præſcriptas regulas a provincialibus noſtris Conciliis, cum injuria, vel irreverentia ſanctiſſimi illius ſacrificii intereſſe, moneat graviter ut opus erit; neque Sacerdos ante Miſſæ initium faciat, quam omnes qui adſunt decenter compoſito corporis habitu declaraverint ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore adeſſe. "

Turonenſe anno 1583. multo plura de hoc momento dicit tit. 15. I. Prohibet ne Laici: " In Eccleſia potiſſimum durantibus divinis officiis deambulent, ſub pœna excommunicationis, quam contra eos qui moniti non deſtiterint, per Ordinarios pronunciari volumus, & mandamus. " II. Vetat quoque inanes confabulationes, tumultum, & ſtrepitum: " Illo enim tempore, *inquit*, Divis Chryſoſtomo, & Ambroſio auctoribus, quo Miſſarum ſolemnia celebrantur, non ſolum ab otioſis, & inutilibus verbis, verum etiam perniciosis cogitationibus prorſus eſt abſtinendum. " Pergit ibidem, & inſectatur vanum tum mulieris, tum viri ornatum, qui dubio-procul nec redolet, nec ſpirat animi, & corporis demiſſionem, quæ decet Deum in templo ſancto ſuo; " At, *inquit*, cum mollis corporis cultus, in femina Chriſtiana damnandus ſit, multo certe magis in viro, qui caput mulieris eſt, damnari debet. Ideoque ex Concilii generalis Conſtantinopolitani, in Trullo habiti decreto, excommunicationi ſubjacere eos omnes definimus, qui capillos ad videntium detrimentum ſcite excogitatis nexibus adornant, & componunt, ut infirmis animi eſcam ea ratione objiciant. "

Terribile, & ſtupendum prorſus quod de vindicta erga Templi profanatores, & illu-

Digitized by Google

illuſores habetur Ezechielis 8. nbi fuſo ſermone Propheta irreverentias in templo Dei commiſſas, ut tot abominationes damnandas prædicat, vel potius ipſe Deus ore Ezechielis: *Introduxit me ad oſtium atrii: & vidi, & ecce foramen unum in pariete. Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem, Et cum fodiſſem parietem, apparuit oſtium unum. Et dixit ad me: ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, abominatio, & univerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete.... Adhuc converſus videbis abominationes majores quas iſti faciant.... Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.... Adhuc converſus videbis abominationes majores his.... Et ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum, & altare quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum ſolis: Et dixit ad me: Certe vidiſti fili hominis: Numquid leve eſt hoc domui Juda ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate converſi ſunt ad irritandum me? Et ecce applicant ramum ad nares ſuas. Ergo & ego faciam in furore: Non parcet oculus meus, nec miſerebor: Et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

Concilium Toleſanum an. 1690. cap. 6. præſcribit in particulari quænam debeat eſſe modeſta corporis compoſitio inter audiendum ſacrum: " Qui Miſſæ fideles intererunt, ſi non ſolemnis illa ſit, toto ,, illius tempore, aperto ſemper capite, ,, flexiſque genibus precabuntur. ,, Rhemenſe anno 1583. tit. *de Euchariſtia* n. 20. de adoratione Chriſto exhibenda, ſic habet: " Quoniam autem apud omnes ſe- ,, re Catholicos uſus modo obtinuit, ut ,, procumbentes adorent divinam Eucha- ,, riſtiam, ſancta Synodus hortatur, ut ſi ,, qua Eccleſia altero modo adhuc utatur, ,, & ſtando Chriſti corpus in hoc ſacri- ,, ficio adoret, procumbat deinceps dum ,, ſancta myſteria proponnntur adoran- ,, da. ,, Ceterum vel in ipſis Miſſis ſolemnioribus ſicut devote, ſic & modeſte juxta chori formam, & exemplum Laici debent aſſiſtere.

Ad illam reverentiam exteriorem ſpectat mulierum a viris ſeparatio localis in Eccleſia. Neque vero hæc contemnenda eſt diſciplina, quæ quondam a Patribus noſtris inducta eſt, & in quibuſdam Diœceſibus ad hunc uſque diem perſeverat, ut in Diœceſi Bituricenſi, ubi pro more poſitum eſt in villis, & pagis mulieres verſus inferiorem navis partem ſeparatim a viris audire ſacrum. Hic fuit mos perantiquus, ut unuſquiſque habita ordinis, & conditionis ratione ſacris myſteriis deſignatis locis intereſſet: Alia quippe erat Clericorum, alia Laicorum ſedes; alius feminarum locus, alia fidelium Pœnitentium, alia Catechumenorum ſtatio.

De hoc momento multus eſt ſermo L. 2. conſt. Apoſt. c. 6. ubi & formam Eccleſiæ antiquæ delineatur: " Sit longa ,, domus ad Orientem converſa, ex utra- ,, que parte Paſtophoria habens ad Orien- ,, tem, quæ navis habeat ſimilitudinem. ,, In ejus medio ſit Epiſcopi ſedes, ad cu- ,, jus utrumque latus conſideant Presbyte- ,, ri, & Diaconi aſſiſtant ſuccincti, & ex- ,, pediti. Hic enim ſunt ad nautarum, & ,, muralium præfectorum ſimilitudinem. ,, Horum cura Laici in altera parte ſe- ,, deant, cum omni quiete, & ordine, mu- ,, lieres quoque ſeparatim ſervantes... Ju- ,, niores ſeorſum ſedeant, ſi locus fuerit, ,, alioquin maneant recti: grandiores na- ,, tu otdine ſedeant, pueros ſtantes reci- ,, piant eorum Patres & matres. Adole- ,, ſcentulæ rurſum, ſit locus: ſeorum ma- ,, neant virgines, & viduæ, & anus ,, primæ omnium ſtent, vel ſedeant. ,, Et paucis interjectis, auctor Pœnitentium, & Catechumenorum commemorat ſedem.

Sozomenus L. 7. c. 25. dicit chorum Laicis quondam fuiſſe interdictum; ſi excipias Imperatorem, qui honoris ſpecie, & cauſa ibi admittebatur: " Moris quippe erat, *ait*, ,, ut Imperatores intra conſepta altaris con- ,, ſiſterent, honoris cauſa a populi multi- ,, tudine ſeparati. Quod ex aſſentatione, ,, vel ex diſciplinæ corruptione profectum ,, eſſe animadvertes Ambroſius, locum Im- ,, peratoris in Eccleſia aſſignavit ante can- ,, cellos altaris, ita ut Imperator quidem ,, plebem, ipſum vero Imperatorem Sa- ,, cerdotes in Eccleſia præcederent. ,,

Theodoſii Magni ſucceſſores ejus inſiſtentes veſtigis extra chorum ſederunt, ut liquet, ex Theodoſii junioris, & Valentiniani edicto, in quo quidem legitur: " Ad ,, ſacra quoque altaria munerum tantum

,, offe-

,, offere ndorum cauſa accedimus, & cum ,, circumſeptum ſacrorum aditum, ingreſ- ,, ſi ſumus, ſtatim egredimur. ,, Nunc ,, vero, proh dolor! ſic excrevit licentia, ut plebs promiſcue ita repleat chori locum, ut vix ſufficiens ſuperſit pro Clericis. Religioſiores dubio-procul Æthiopes, qui teſte Joanne Botero in ſua ad Antonium Cara ffam Cardinalem Epiſtola: " Templa ingreſſuri calceos deponunt: ,, Non ingrediuntur, niſi qui ſunt ſa- ,, cris Ordinibus initiati. ,, Nec referre pigebit apud Armenos ſolum celebrantem quondam Eccleſiam intraſſe, ut refert Theorianus a Manuelo Comneno an. 1170. ad eos miſſus, idque ex antiqua Eccleſiæ ſuæ traditione ſe obſervare profitebantur.

Non unus eſt canon prohibens aditum chori Laicis, ſed maxime mulieribus. Synodus Laodicæna can. 44. ait: " Non ,, oportere mulieres ad altare ingredi. ,, Turonenſis 2. can. 4. ſic pro Laicis ſtatuit: " Ut Laici ſecus altare, quo ſan- ,, cta myſteria celebrantur, inter Cleri- ,, cos tam ad vigilias quam ad Miſſas ,, ſtare penitus non præſumant. Sed pars ,, illa quæ a cancellis verſus altare divi- ,, ditur, choris tantum pſallentium pateat ,, Clericorum. ,, Sic pro mulieribus capitulare Ahitonis Epiſcopi Baſileenſis nono ineunte ſæculo, art. 16. " Mulieres ad ,, altare non accedant, nec ipſæ Deo ,, dicatæ in ullo miniſterio altaris inter- ,, miſceantur. Quod ſi pallæ altaris la- ,, vandæ ſunt, a Clericis abſtrahantur, ,, & ad cancellos feminis tradantur, & ,, ibicem repetantur. Similiter & Pre- ,, ſbyteri, cum oblata ab eiſdem mulieri- ,, bus offeruntur, ibidem accipiantur, & ,, ad altare deferantur. ,, Sic demum Nannetenſe can. 3. " Modis omnibus ,, prohibendum, ut nulla femina ad alta ,, re præſumat accedere, aut Presbytero ,, miniſtrare, aut infra cancellos ſtare, ,, aut Sedere. ,,

§. II.

Diſpoſitiones ex parte animæ ad Miſſam fructuoſe audiendam.

ECCLESIA in votis habet ut omnes reverenter ſacris adſtent myſteriis, & frequentius accedant ad Eccleſiam cum omni, in quantum fieri poteſt, juſtitia, & charitate. Quia tamen nonnulli quo zelo, & qua mente, neſcio? poſuerunt fideles aliquibus peccatis gravioribus detentos incaſſum accedere ad Eccleſiam, & graviter, cum vel ipſam audiunt Miſſam, peccare; operæ pretium eſt tam abſurdum refricare errorem.

Hic non ſine fundamento tribuitur Queſnellio, ut colligi poteſt ex 89. propoſitione inter damnatas. *Quartus decimus gradus*, ait, *converſionis peccatoris, eſt, quod cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ*. Eo loci, ut patet, non niſi peccatori juſtificato concedit licentiam audiendi ſacrum, nuſquam vero ei qui adhuc peccatis mortalibus ut totidem vinculis innodatur.... Rurſus ſuam vebis ſequentibus aperte prodit mentem, & ſubdit: *Quintus decimus gradus eſt nutriri carne Chriſti Domini*. Sed ſolus juſtus ſic nutritur: Igitur peccatorem gravioribus culpis laborantem a Miſſa audienda prorſus eliminat.

Status quçſtionis exponi poteſt de duplici genere peccatorum, videlicet de his qui pagano animo veniunt ad Eccleſiam, vel ut homines ſuo luxu, & immodeſtiis quas pudor ſilet, ad peccatum provocent, vel ut elato ſuperbiæ animo videantur ab hominibus, vel etiam corpore ſolum, ſed mente alicui creaturæ abominandæ infixa cum determinata voluntate a peccato non recedendi; ſed ut illudant hominibus, & propriæ conſulant famæ, ne ſcilicet a Miſſa abſtinendo haberentur ut impii. De aliis peccatoribus controverſia inſtitui poteſt, num de facto peccent audiendo ſacrum, tametſi pro tunc non habeant affectum actualem ad peccatum: Priores in nova ruere peccata accedendo ad Eccleſiam perverſo animo, ultro concedunt Theologi, cum nec ſatisfaciant præcepto, ut contendunt Theologorum Academiæ, & peccati quod Chriſtus in profanatoribus templi flagellis inſectatus eſt, rei evadant; de poſterioribus vero non eodem modo ratiocinandum eſt, ſuppoſito quod animo, & fidei, & pietatis, immo, & ad meliorem frugem converſionis accedant ad Eccleſiam. Unde fit

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Fideles etiam graviſſimis peccatis detenti, debent devote audire miſſam, nec novum illam audiendo committunt peccatum.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura Sacra.

1. INJUNGITUR peccatori ut accedat ad templum, & ibi offerat ſacrificium pro peccato. Igitur ab Eccleſia non ſunt propellendi peccatores, ſed potius advocandi. Sic habetur Lev. 6. *Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti juxta æſtimationem, menſuramque delicti: qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis quæ faciendo peccavit.*

2. *Rurſus* nedum a templo ſuo arcet peccatores, ſed potius hortatur miniſter Dei ut huc accedant ad gratias obtinendas. Scriptum eſt enim 3. Reg. 8. *Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & a peccatis ſuis converſi fuerint propter afflictionem ſuam, exaudi eos in cælo.* Si ſic propitius fuit Deus in veteri lege peccatoribus orantibus in templo ſancto ſuo, a fortiori in nova erit, quippe quæ ſit lex gratiæ & miſericordiæ.

3. *Celeberrima* ſunt in novo Teſtamento hujus veritatis argumenta. Quid memorem Magdalenam peccatricem, quam de peccatis dolentem in cœtu apud Simeonem Phariſæum benigne Chriſtus ſuſcepit? Quid de Samaritana, quam melliſluo & ſuo ſermone ad meliorem frugem revocavit? Quid de muliere in adulterio deprehenſa, cui indulſit? Sed inter omnia eminent Publicani in templo orantis exemplum, qui proſtratus magis lacrymis & cordis ſingultibus, quam lingua & ore miſericordiam cernuus depoſcebat. Num e templo ejectus? Num dolens propulſus ut novi gravioris peccati ex oratione in templo fuſa reus? abſit: laudatus ab ipſo Salvatore, recedit juſtificatus, juxta illud Luc. 18. *Duo homines aſcenderunt in Templum ut orarent: Unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum .... Publicanus a longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam &c.*

Secundo, ex Summis Pontificibus & SS. Patribus.

QUI adhortantur peccatores, ut orent & Miſſæ celebrandæ adſint, pro gratia converſionis obtinenda; qui hoc vel ipſis, qui pœnitentiam laborioſam & canonicam agebant, concedunt, non exiſtimant peccatores in nova ruere peccata, quum adſunt ſacrificio: Atqui ſic cenſuere & Summi Pontifices, & SS. Patres; illi enim in ſuis Epiſtolis decretalibus injungunt omnibus fidelibus, ne quidem exceptis peccatoribus, ſacro adeſſe: iſti utique in homiliis, quas inter ſacrificandum pronuntiabant, eas indiſcriminatim ad juſtos & peccatores adſtantes dirigebant, nec uſquam, abſoluta prædicatione, ab eis dictum eſt, ut hi qui peccatis mortalibus detinebantur, ab Eccleſia egrederentur, ut Sacerdos litaret ſacrificium, ne novi peccati gravioris rei evaderent: Ergo &c.

Quod vero & Papæ, & SS. Patres etiam pœnitentibus publicis conceſſerint myſteriis adeſſe, ſic probatur. Pœnitentia canonica quatuor habebat diſcurrendas ſtationes ſeu gradus. Qui erant in primo gradu aſperſi cinere & cilicio induti, ſtabant dolentes ad Eccleſiæ januam efflagitantes fidelium intrantium preces: qui in ſecundo, audiebant Scripturæ ſacræ lectionem, tum & prædicationem; quo facto, cum Catechumenis dimittebantur: qui in tertio, per aliquod tempus adſtabant ſacrificio, Epiſcopus vero ſuper eos preces fundebat: Qui in quarto, aderant Miſſæ, nec aliud inter eos & ceteros fideles erat diſcrimen, niſi quod nec oblationem ipſi offerrent, nec corpus Chriſti ſuſciperent. Gratis igitur Queſnellius quatuordecim enumerat pœnitentiæ laborioſæ gradus percurrendos, antequam peccatores aſtarent Miſſæ, cum hoc vel ante reconciliationem eis concederetur. Ceterum pœnitentia illa canonica reſciſſa eſt; hinc nullus niſi excommunicatus denuntiatus a Miſſa audienda propellendus eſt. Jam au-

Digitized by Google

audiendi ſunt Papæ & Patres loquentes de priſtina diſciplina quæ concedebat pœnitentia publica gravatis poſt aliquos exantlatos labores adſtare ſacro.

Felix III. Epiſt. 7. ait: " Duobus an„ nis oblationes modis omnibus non ſi„ nantur offerre, ſed tantummodo ſæcu„ laribus in oratione ſocientur. „

Concinit Siricius Papa Epiſt. 1. ad Hymerium Tarraconenſem Epiſcopum his „ verbis: " Qui acta Pœnitentia ... ad „ vomitus priſtinos & ad volutabra red„ euntes .... Id duximus decernendum, „ ut ſola intra Eccleſiam fidelibus ora„ tione jungantur, ſacræ myſteriorum ce„ lebritati, quamvis non mereantur, „ interſint; a Dominicæ autem menſæ „ convivio ſegregentur. „ Audis iſtos famoſos peccatores, a communione quidem ſacra excludi, ſed non a ſacrificio, cui eis conceditur aſſiſtere.

Ejuſdem ſententiæ ſunt Patres, in primis S. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium can. 61. ubi ſic loquitur: " Qui ſuratus „ eſt, ſi ſponte pœnitentiæ motivo ſei„ pſum accuſaverit, per annum a ſola Sa„ cramentorum Communione arcebitur: „ Sin autem convictus fuerit, per annos „ duos. Dividetur autem illi hoc tempus in „ ſubtractionem & conſiſtentiam. „

D. Joan. Chryſoſtomus Homilia in ſanctos Petrum Apoſtolum & Eliam Prophetam, quæ eſt LXIX. verſus initium editionis Pariſinæ Typis Regiis apud Claud. Morellum anno 1609. pag. 854. ſic habet: Sed iſtorum excuſatio talis eſt: pec„ cator, *inquit*, ſum, idcirco feſto diei „ occurrere non poſſum. Maxime, in„ quam, ob hanc cauſam, quoniam pec„ cator es, occurrere debes diei feſto, ut „ juſtus efficiaris. Atſi juſtus es, occur„ re, ne à juſtitia excidas. Ecquiſnam ex „ hominibus, quæſo, ſine peccato eſt? „ Propterea ſacrificium & Eccleſia, pro„ pterea preces ac jejunia, & quoniam „ multa ſunt animæ vulnera, propterea „ medicamenta ipſa inventa ſunt, quæ „ ſingulis animæ vulneribus congruentem „ medicinam adferunt. Habes Eccle„ ſiam, ſacrificium quod perficitur, ha„ bes Patrum orationes, habes Spiritus „ ſancti donum, Martyrum memorias, & „ ſanctorum congregationem, multaque „ alia quæ ſunt hujuſmodi, quæque poſ„ ſunt te a peccatis ad juſtitiam revoca„ re. „ Et alii ibidem dicunt: Ergo &c.

Tertio, *rationibus Theologicis*.

PRIMA: Chriſtus venit quærere quem perierat, quinimmo ad omnes indiſcriminatim peccatores ait, Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis*, *& onerati eſtis*, *& ego reficiam vos*: Hinc nec mulierem Samaritanam peccatricem, nec Matthæum in telonio ſedentem, nec Publicanos pœnitentes repulit. Sed peccatores qui eo ad Eccleſiam veniunt animo, ut ſuæ cum Deo reconciliationi invigilent, ſunt de numero hujuſmodi peccatorum, quos Chriſtus non abjecit, quod tamen dubioprocul feciſſet, ſi ad ipſum accedendo, novum commiſiſſent peccatum. Igitur abſurdum eſt dicere fideles gravioribus peccatis detentos, audiendo Miſſam novo peccato reos evadere.

Altera: Peccatum non poteſt contingere niſi ex irreverentia: Sed qui ſacro aſſiſtit animo fidei, & pœnitentiæ ac gratiæ ad converſionem obtinendæ, nullam Deo facit injuriam, juxta illud Pſ. 63. *Accedet homo ad cor altum*: *& exaltabitur Deus*: Ergo &c.

Tertia: Quod conſtanti Eccleſiæ traditione innixi peccatores agunt, certe non arguendum eſt: Atqui uſus perpetuus Eccleſiæ obtinuit, ut nedum juſti, ſed & Peccatores divinis aſſiſterent myſteriis; illi ad majorem juſtitiam: iſti ad reconciliationem habendam: Ergo &c.

Quarta: Non fruſtraneæ debent eſſe & Patrum, & Eccleſiæ ad bonum adhortationes: Sed priorum ſæculorum Patres ad pœnitentiam peccatores vocabant, & ad Eccleſiam, ut divinorum Myſteriorum præſentia commoti tandem aliquando reſipiſcerent; hoc ipſum quotidie prædicant Eccleſiarum Rectores: ad hoc Prædicatores invitant, quæ quidem omnia forent inutilia, ſi peccatores indiſcriminatim arcerentur ab Eccleſia. Ergo &c.

Quinta: Quilibet, leges Eccleſiæ tenetur obſervare: & adimplendo, non ſolum non peccat, ſed laude dignus eſt: Sed præceptum audiendi Miſſam obligat omnes fideles, tam juſtos quam peccatores: Igitur ſtupendum eſt, & horrendum dicere Chriſtianum aliquo gravi peccato detentum peccare de novo audiendo Miſſam: Quod vero aliquis præceptum adimplendo

plendo peccaret, cum potius ſcriptum ſit Proverb. 21. *Vir obediens , loquetur victoriam* . Ergo &c.

Sexta: Quod per ſe & primario inſtitutum eſt pro peccatis & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam abluendis, illud frequentare debet peccator: Sed tale eſt Miſſæ ſacrificium, ſiquidem eſt propitiatorium , & idem quoad victimam oblatam cum ſacrificio cruento; hinc ſicut in iſto , ſic & in illo Chriſtus, ut habetur , 1. Joan 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi* . Ergo &c.

Diluuntur Novatorum objecta .

Opponunt multa Scripturæ loca , quibus Deus a ſe propellit peccatores , ut Pſal. 49. *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras juſtitias meas , & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum* . Igitur peccator donec reconcilietur non debet ſacro aſſiſtere.

Reſpondeo I. Retorquendo argumentum: Peccatores non niſi per Pœnitentiam quæ adminiſtratur in Eccleſia , & per adjutorium gratiæ , quæ precibus in Eccleſia fuſis obtinetur , reconciliationem ſuſcipiunt: Igitur ab Eccleſia non ſunt propellendi , maxime cum ſacrificium Miſſæ ſit propitiatorium , ut dictum eſt, & gratias veniæ obtineat poſtulantibus, juxta illud Tridentini Seſſ. 22. c. 2. ubi Patres de fructu ex Miſſa percipiendo ſic loquuntur: " Hujus quippe oblatione placa„ tus Dominus, gratiam, & donum pœ„ nitentiæ concedens, crimina, & pec„ cata, etiam ingentia dimittit. „

Reſpondeo II. diſtinguendo: Deus propellit peccatores qui nolunt a peccato recedere, & tot habent deos quos habitu, & affectu colunt, quot creaturas amant , concedo: peccatores qui de ante acta vita dolentes accedunt ad Deum , ut miſericordiam conſequantur, nego. De prioribus qui retinent affectum actualem , & habitualem ad peccatum loquitur Propheta , ut ex verbis ſubſequentibus liquet ; pergit enim Deus eo loci, & ſic arguit peccatorem : *Tu vero odiſti diſciplinam : Et projeciſti ſermones meos retrorſum* . Ergo &c.

Inſtant : Peccatores criminum habitu detenti ne minimum qaidem bonum poſſunt facere , juxta illud Matth. 7. *Non poteſt . . . . arbor mala bonos fructus facere* . Rurſus Joan. 9. *Peccatores Deus non audit* . Igitur peccatores tales citra Dei offenſam ſacro adeſſe non poſſunt.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: Criminum habitu detentus ex ſe , & agens reduplicative ut peccator, bonum non facit , concedo : agens ut homo , ſubdiſtinguo: viribus ſuis, ſi agatur de bono ſalutis, concedo : gratia Dei adjutus, nego. Solutio patet ex triplici capite . Primo quidem ex objurgatione peccatoris , quem ideo increpat Deus , quia promiſcuè , & indiſcriminatim in varia ruit peccata in tantum creatoris contemptum , ut ne quidem de ipſo cogitet . II. Ex Concilio Dioſpolitano, & Milevitano , in quibus definitum eſt contra Pelagianam pravitatem lapſum, ſecluſo Dei gratiæ auxilio, nullum bonum ſupernaturale peragere poſſe. Quod quidem confirmat Tridentina Synodus Seſſ. 6. cap. 5. ubi ſic loquitur: " I„ pſius juſtificationis exordium , in adultis „ a Dei per Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe „ III. Ex S. Thoma , qui explicans iſta laudata Evangelii verba : *Non poteſt . . . arbor mala &c.* Dicit hoc eſſe intelligendum de peccatore qui motivo perverſo , & reduplicative , ut peccator operatur.

Ad Confirmationem ſimiliter diſtinguimus : Deus non exaudit peccatores qui actualem habent ad peccatum affectum , concedo : Si pœnitentia ducti orent Deum , ut illis parcat, nego. Solutio eſt D. Auguſtini Tract. 44. in Joannem: " Pec„ catores, *inquit*, exaudit Deus: Si enim „ peccatores Deus non exaudiret , fru„ ſtra ille Publicanus oculos in terram „ demittens , & pectus ſuum percutiens „ diceret: Deus propitius eſto mihi pec„ catori; & iſta confeſſio meruit juſtifi„ cationem . „

Inſiſtit : Prioribus temporibus nedum energumeni , & Catechumeni , ſed & ipſi pœnitentes , tametſi de peccatis dolentes ab Eccleſia ejiciebantur ex Patrum conſtituto: Igitur ex doctrina Patrum fideles gravioribus conſtricti peccatis , non debent audire Miſſam.

Reſpondeo hoc argumentum Novatianiſmum ſpirare ; cum enim a peccatis nullus reſurgere queat ſine auxilio Sacramenti pœnitentiæ , quod in Eccleſia admini-

miniſtratur . ſequitur peccata eſſe irremiſſibilia ; nemo enim ſcit an odio, vel amore dignus ſit , & num perfectam habeat contritionem, quæ delet peccatum, ut illo remiſſo , & ablato, poſtea pœnitens divinis aſſiſtat Myſteriis. Jam vero ſi exigitur peccata per contritionem remitti antequam prævaricator veniat ad Eccleſiam delicta confeſſurus , Sacramentum Pœnitentiæ peccatum non remittet, ſed remiſſum dumtaxat declarabit Sacerdos abſolvendo pœnitentem; ſicque Sacramenta non producent gratiam , quod eſt erroneum , & Concilio Tridentino prorſus adverſum .

Reſpondeo II. diſtinguendo : Vel ipſi pœnitentes ab Eccleſia ejiciebantur , & hoc ſolum ad tempus per modum ſatisfactionis laborioſæ ſolvendæ, concedo: Pœnitentes occulti , nego. Ea quidem erat pœnitentiæ publicæ conditio, ut ad tempus pro majori criminum expiatione, & humiliatione ab Eccleſia velut indigni propellerentur : Sed in ea preces fundere poterant, nec ad illos aut contemnendos aut damnandos ſic agebat , ſed ut ſtimulando eorum pœnitentiam , accelerarct veniam : Hinc ſcriptum eſt Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* .

Reponit : Qui adſtat Miſſæ debet cum Sacerdote ſacrificium offerre , juxta illa canonis verba , *Pro quibus tibi offerimus , vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis* : Sed implicat peccatorem offerre ſacrificium: Ergo &c. Probatur minor: exigit Tridentina Synodus , ut offerens ſacrificium , ſit ab omni labe purum ; & ſi quæ graviora habeat peccata , prius illa in confeſſione aperiat: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Implicat aliquem exitiali peccato detentum offerre ſacrificium realiter & miniſterialiter, concedo : & hoc unum probat auctoritas Tridentini in confirmationem laudati: Myſtice, & animo fidei, pœnitentiæ, & reverentiæ , nego ; poteſt enim peccator per fidem Chriſto oblato conjungi , & tactus dolore intrinſecus , pro modulo ſuo, & quantum in ſe eſt, ſuam intentionem cum Sacerdotis offerentis intentione conjungendo,pro remiſſione peccatorum ſuorum offerre ſacrificium . Et ſic patet ſolutio ad Confirmationem .

Revera quidem, non alias Concilium in peccatoribu pro audienda fructuoſe Miſſa exigit diſpoſitiones: ſic enim loquitur Seſſ. 22. c. 2. " Docet ſancta Synodus ſacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe , per ipſumque fieri , ut ſi cum vero corde, & recta fide , cum metu , & reverentia , contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus , miſericordiam conſequamur , & gratiam inveniamus in auxilio opportuno . " Ceterum abſurdum foret, & Scripturæ adverſum dicere fidelem gravioribus peccatis habitualibus reum non poſſe audire ſacrum, donec ab habitu peccati ſolvatur , cum Publicanus orans in templo, fuſis cum fide , & contritione precibus , a Deo, veniam conſecutus ſit; ſic enim habetur Luc. 18. de Publicano : *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam*.

Ceterum ad multorum ſolutionem obſervare juvat Scripturam propellentes e templo peccatores loqui ſolum de iis qui vel affectu actuali ad peccatum, & quod pejus ad Deum novis peccatis offendendum huc veniunt; ſic Sophoniæ 1. habetur : *Viſitabo ſuper omnem , qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa : qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo* . Sic Joan. 2. Chriſtus inveniens in templo vendentes boves & oves flagellis propulit : cur quæſo Deus in veteri lege flagellat peccatores adſtantes in templo? quia *complent domum Domini Dei ſui iniquitate* : qua ratione Salvator ejecit vendentes ? Audite quid eis dicat : *Nolite facere domum Patris mei , domum negotiationis* .

Non abſimili modo explicandi ſunt Patres , quum dicunt peccatores ab Eccleſia expellendos eſſe ; vel enim loquuntur de peccatoribus publicis & ſcandaloſis , vel de illis qui in Eccleſiam eo veniunt ſcopo , modo ut videantur ab hominibus, ut feminæ, & de viris qui eas ibi ut idola contemplantur , modo etiam de aliis qui ad ſacram ſynaxim , tametſi peccatis gravati accedere non erubeſcunt . De mulieribus ſuperbis & indevotis , & de eorum amatoribus Iſa. 3. ait Dominus . *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion , & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant . . . . . . Et compoſito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion . . . . Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio* . De ultimis

Matth. 7. legitur, *Nolite dare ſanctum canibus, neque mitatis margaritas veſtras ante porcos.*

SYNOPSIS CONTROVERSIÆ.

Fideles graviſſimis peccatis detenti novum peccatum non committunt, ſi Sacrum devote audiant.

PRIMO: Quia ipſe Chriſtus invitat peccatores omnes ut ad ſe accedant, juxta illud Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Secundo: Pro iſto momento eſt Eccleſiæ præceptum, quod nedum ad juſtos, ſed ad peccatores ſe extendit.

Tertio: Sacrificium eſt propitiatorium, & quidem ex opere operato; hinc ipſi cum fide, & devotione peccatores debent ei aſſiſtere, ut gratias converſionis, illo mediante, a Deo miſericordi obtineant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO QUIDEM, non negamus Deum a ſe propellere peccatores qui nedum habitu, ſed & actu in malitia perſeverant, ſecus vero pœnitentes, & ad cor redire ſatagentes.

Secundo: Neque vero etiam diffitemur peccatorem reduplicative ut peccatorem, quidquam boni poſſe facere: ſecus vero ſi agat ut homo: poſſunt enim peccatores viribus innatis bonum aliquod ordinis naturalis facere, ut motu compaſſionis petenti largiri eleemoſynam, bonum vero ſalutis, & ſupernaturale viribus gratiæ prævenientis, & adjuvantis, quæ nulli deeſt, niſi obſiſtenti, & rebelli.

Tertio: Vel ipſos pœnitentes Eccleſia prioribus ſæculis propellebat foras, dum myſteria adimplenda per conſecrationem panis, & vini appropinquabant: Sed eos ſolum intellige, qui pœnitentiam publicam agebant, & hoc ad tempus, pro expiatione peccatorum nuſquam vero ad condemnationem.

§. III.

Præparationes ad Miſſam celebrandam.

PRÆPARATIONES illæ ſunt duplicis generis, quædam ſcilicet remotæ: quædam vero proximæ.

Primo: Priores in cordis & corporis munditie conſiſtunt, quia vero eædem ſunt cum illis quę ad ſacram communionem, de quibus ſupra, neceſſariæ ſunt, ſupervacaneum eſt fuſiorem de illis ſermonem inſtituere: Hinc ſufficiat iſta ſancti Odonis Abbatis Cluniacenſis L. collat. c. 28. proferre verba: " Qui ad altare, ſacrificare Deo volunt, ipſi prius per „ mortificationem, Deo ſacrificium eſſe „ debent: alioqui magis temerarii quam „ cultores myſterii deputantur. „

Secundo: Commendatur ut offerentes, ac ſacrificantes ſint jejuni: Ita Toletanum VII. can. 2. " Statuit ut nullus poſt „ cibi, potus-ve minimum ſumptum Miſ- „ ſas facere præſumat. „ Concinit Antiſiodorenſe can. 19. his verbis: " Non li- „ cet Presbytero, aut Diacono, aut Sub- „ diacono, poſt acceptum cibum, vel po- „ culum Miſſas tractare, aut in Eccleſia „ dum Miſſæ dicuntur, ſtare. „ Quæ quidem conſuetudo pro Diaconis, & Subdiaconis in nonnullis licet paucis Eccleſiis, illibata perſeverat:

Tertio: Horæ Canonicæ ad Euchariſtiam ut ad conſummationem totius cultus divini, veluti præparationes inſtitutę ſunt: Hinc ante Miſſæ celebrationem debet Sacerdos recitare Matutinum: quidam addunt Primam, nonnulli Tertiam, Sextam, & Nonam. Non deſunt tamen qui propugnent Miſſam poſſe celebrari, completis Matutinis, ut in die Nativitatis Domini contingit. Non abs re erit hic quoſdam de hoc momento canones texere.

Synodus Nannetenſis cap. 11. præcipit ut: " Nullus antequam Matutinas cano- „ nicas, & Primam dixerit, Miſſam ce- „ lebrare præſumat. „ Idem ſtatuunt conſtitutiones Odonis Epiſcopi Pariſienſis c. 5. Idem conſtitutiones Synodales Petri de Collemedio Archiepiſcopi Rotomagenſis. Idem & Synodus Exonienſis an. 1287. c. 21.

Similia leguntur in capitularibus Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi an. 852. datis. Eo loci ſic loquitur: " Ma-

„ ne matutinali officio expleto , penſum ſervitutis ſuæ canendo , primam, tertiam , ſextam , nonamque perſolvat . Deinde peractis Miſſarum ſolemniis , & feſſis infirmis viſitatis , ad opus rurale quod ſibi competit exeat jejunus . „

Proxima ad miſſam præparationes multa complectuntur , videlicet orationes , veſtium ſacrarum aſſumptionem , & alia ad ſacrificium operandum prærequiſita , quæ ad tria aut quatuor potiſſimum reducuntur. Primum & ante omnia eſt peccatorum confeſſio, ſi hoc celebrantis exigat conſcientia , tum fidei, ſpei , & amoris actus . III. Recollectio . IV. Pſalmorum recitatio . V. Veſtium ſacerdotalium aſſumptio: demum ſacrorum vaſorum præparatio.

Primo: De confeſſione dictum eſt ſupra, juxta Concilii Tridentini mentem , videlicet ut Sacerdos quantumvis putet ſe eſſe contritum , debet Confeſſario deponere peccata , ſi gravioribus detineatur .

Secundo : De virtutum actibus utique jamjam egimus , quandoquidem præceptum fidei , ſpei , & charitatis urget dum myſterium fidei , pignus futuræ hæreditatis, & ſummi Chriſti amoris erga nos argumentum , celebrare incumbit .

Tertio: Recollectio, & myſterii meditatio utique neceſſaria eſt ; quomodo enim frugem ex ſacrificio ſuſcipiet celebrans, niſi prius quantum myſterium illi commiſſum ſit , rimetur: His addat intentionem offerendi ſacrificium pro perſonis ſibi aut commendatis, aut aſſignatis.

Quarto: Uſus Eccleſiæ obtinuit , ut quidam recitentur Pſalmi v. g. *Quam dilecta tabernacula &c. Benedixiſti &c. Inclina Domine &c.* & ſimilia , ut colligitur ex præparationibus quæ leguntur in Miſſali Hiſpalenſi an. 1534. juris publici facto ; item, & ex Miſſali Romano.

VESTES SACERDOTALES.

Si Sacerdos ſit Pontifex , Pſalmis decantatis lotiſque manibus , adjutus a Miniſtris induitur veſtibus Sacerdotalibus , ſcilicet caligis, amictu , alba , cingulo, præcinctorio , ſtola , balteo , ſubtili tunica, dalmatica , caſula , manipulo , chirothecis, annulo, & rationali . Si vero ſit ſimplex Sacerdos, amictu , alba , cingulo, ſtola , manipulo & caſula , quas omnes veſtes recenſet Raterius Veronenſis Epiſcopus in Epiſtola Synodica ad Presbyteros, Specilegii Tom. 2. „ Nullus, *ait*, „ cantet ſine amictu, alba , ſtola , fanone, & planeta, & hæc veſtimenta nitida, & ad nullos uſus alios ſint . „

Obſervandum eſt , in Eccleſia Mediolanenſi , &. Lugdunenſi amictu ſuper albam, non alba ſuper amictum veſtiri ſolet Pontifex , quod & in Eccleſia Romana in uſu fuiſſe , colligitur ex Ordine Romano 5. ex vulgatis a Mabillonio Muſæi Italici tom. 2. Neque vero prætermittendum eſt ſtolam per modum crucis ante pectus aptari : de hoc ritu loquitur Concilium Braccarenſe 8. can. 4. his verbis: "Cum Sacerdos ad ſolemnia Miſſarum accedit, aut pro ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut Sacramentorum corporis , & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumſeptus , ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter , utrumque humerum premens ſignum in ſuo pectore præferat crucis. „

ORDO I.

Pro ſimplici Sacerdote.

Ex antiquo libro Sacramentorum Eccleſiæ Turonenſis ante an. 800. exarato.

Ad amictum.

" *Jugum* tuum Domine Jeſu Chriſte pone in collum meum , quia ſuave eſt ; & onus tuum , quia leve . „

Ad albam.

„ *Indue* me , Domine , veſtimento juſtitiæ, & ſpiritali intellectu . „

Ad zonam.

„ *Præcinge* , Domine , lumbos mentis meæ, & circumcide vitia cordis , & corporis mei . „

Ad ſtolam.

„ *Stolam* juſtitiæ circumdet Dominus cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purificet mentem meam . „

Ad caſulam.

" *Indue* me, Domine, loricam fidei, „ & galeam ſpem ſalutis. „
Ad manipulum, ut in ſequenti.

ORDO II.

Ex antiquo Miſſali Eccleſiæ Bellovacenſis.

Ad amictum.

" *Conſcinde*, Domine, ſaccum meum, „ & circumda me lætitia. „

Ad albam.

" *Circumda* me, Domine, lætitia, " & fidei armis; ut omnibus iniquitatum ſagittis erutus, valeam æquitatem, & juſtitiam cuſtodire. Per Dominum. „

Ad cingulum.

" *Præcinge* me, Domine, virtute, " & pone immaculatam viam meam. „

Ad ſtolam.

" *Stola* juſtitiæ circumda, Domine, „ cervicem meam, & ab omni corruptione emundes cor meum. „

Ad caſulam.

" *Indue* me, Domine, Sacerdotali juſtitia, ut induci merear in tabernacula ſempiterna. „

Ad manipulum.

" *Sit* ſplendor Domini noſtri ſuper „ nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige. „

ORDO III.

Ex Miſſali Romano.

Cum lavat manus.

" *Da*, Domine, virtutem manibus „ meis ad abſtergendam omnem maculam: ut ſine pollutione mentis, & corporis valeam tibi ſervire. „

Ad amictum.

" *Impone*, Domine, capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus.

Ad albam.

„ *Dealba* me, Domine, & munda cor „ meum; ut in ſanguine agni dealbatus, gaudiis perfruar ſempiternis. „

Ad cingulum.

" *Præcinge* me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiæ, & caſtitatis. „

Ad manipulum.

" *Merear*, Domine, portare manipulum fletus, & doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris. „

Ad ſtolam.

" *Redde* mihi, Domine, ſtolam immortalitatis quam perdidi in prævaricatione primi parentis: & quamvis indignus accedo ad tuum ſacrum myſterium, merear tamen gaudium ſempiternum. „

Ad caſulam.

" *Domine*, qui dixiſti, jugum meum „ ſuave eſt, & onus meum leve: fac, „ ut iſtud portare ſic valeam, quod conſequar tuam gratiam, Amen. „

OR-

ORDO I.

Ex manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Cameracenſis quando Pontifex induitur ad Miſſam.

Dum abluit manus dicit.

" *Largire*, Clementiſſime Pater, ut
" ſicut hic abluunutur inquinamenta manuum, ſic a te mundentur pollutiones
" mentium, & creſcat in nobis augmentum ſanctarum virtutum. Per Chriſtum."

" *Poſtea* cantentur Pſalmi. Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina Domine.
" Credidi. Domine exaudi orationem
" meam auribus. Kyrie eleiſon, Pater
" noſter. *Preces*. Domine non ſecundum
" peccata noſtra facias nobis. Domine
" ne memineris iniquitatum noſtrarum.
" Protector noſter aſpice Deus. Dominus vobiſcum.

Oremus.

" *Aures* tuæ pietatis, mitiſſime Deus,
" inclina precibus meis, & gratia ſancti Spiritus illumina cor meum; ut
" tuis myſteriis digne miniſtrare, teque
" æterna charitate diligere merear. Per
" Chriſtum."

Ad ſandalia.

" *Calcea*, Domine, pedes meos in præparationem Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.
" Per Chriſtum."

Ad amictum.

" *Pone*, Domine, galeam ſalutis in
" capite meo, ad expugnandas, & ſuperandas diabolicas catervas. Per Chriſtum."

Ad albam.

" *Dealba* me, Domine, & a delicto
" meo munda me, ut cum his qui ſtolas
" ſuas dealbaverunt in ſanguine Agni
" gaudiis perfruar cœli. Per Chriſtum."

Ad cingulum.

" *Præcinge*, Domine, cingulo fidei &
" virtute caſtitatis lumbos corporis mei,
" & extingue in eis humorem libidinis,
" ut maneat in eis tenor totius caſtitatis. Per Chriſtum."

Ad Baltheum.

" *Rogo* te Altiſſime Sabaoth, Pater
" ſancte, ut lumbos meos baltheo tui
" amoris digneris ambire, ac renes cordis mei tuæ charitatis igne urere, ut
" pro peccatis meis poſſim intercedere,
" & populi peccatorum veniam promereri, & pacificas hoſtias immolare,
" me quoque, Domine, ad te audacter
" accedentem non ſinas perire, ſed dignare lavare, ornare, & leniter ſuſcipere. Per Chriſtum."

Ad ſtolam.

" *Redde* mihi obſecro, Domine, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in
" prævaricatione primi parentis, & quia
" cum hoc ornamento acceſſi, quamvis
" indignus, ad tuum ſanctum miniſterium; præſta ut cum eo lætari merear
" in perpetuum. Per Chriſtum."

Ad tunicam.

" *Indue* me, Domine, veſtimento
" ſalutis, & tunica juſtitiæ, & indumento lætitiæ circumda me. Per
" Chriſtum."

Ad dalmaticam.

" *Indue* me, Domine, novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt
" in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Per
" Chriſtum."

Ad planetam.

" *Deus*, æternorum bonorum fideliſſime
" promiſſor, & certiſſime perſolutor, qui
" veſtimentum ſalutare, & indumentum
" jucunditatis, fidelibus tuis promiſiſti
" clementiam tuam ſupplex exoro, ut me
" his ſacris veſtibus indutum, digne tibi
" ſervire concedas. Per."

Ad manipulum.

„ *Invectione* hujus manipuli ſubnixus, te Domine, deprecor, ut ſic operer in temporali converſatione, quatenus exemplo Patrum indutus, in futuro merear perenniter gaudere. Per. „

Ad annulum.

“ *Deus*, qui me ſacris altaribus adſtare voluiſti, & annulo fidei ſubarraſti, & populo tuo præfeciſti, munda me, quæſo, interius, & exterius ut cum grege mihi commiſſo in cæleſti merear adſcribi libro. Per Chriſtum. „

Poſt celebrationem Miſſæ cantet Canti. cum Sacerdos: Nunc dimittis. Gloria Patri. Benedicite omnia opera. Laudate Dominum in Sanctis ejus. Gloria Patris. Kyrie eleiſon iij. Pater noſter. Non nobis Domine, non nobis. Sacerdotes tui induantur juſtitia. Non intres in judicium.

Oratio.

“ *Deus*, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, per interceſſionem eorum & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per. „

ORDO II.

Ex Miſſali Romano.

“ *Calcea*, Domine, pedes meos in præparationem Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum. „

Cum exuitur cappa.

“ *Exue* me, Domine, veterem hominem cum moribus & actibus ſuis: & indue me novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis. „

Cum lavat manus.

„ *Da* Domine, virtutem manibus meis ad abſtergendam omnem maculam immundam: ut ſine pollutione mentis, & corporis valeam tibi ſervire. „

Ad amictum.

“ *Pone* Domine galeam ſalutis in capite meo, ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium verſutias ſuperando. „

Ad albam.

“ *Dealba* me, Domine, & a delicto meo munda me, ut cum his qui ſtolas ſuas dealbaverunt in ſanguine Agni, gaudiis perfruar ſempiternis. „

Ad cingulum.

“ *Præcinge* me, Domine, cingulo fidei, & virtute caſtitatis lumbos meos, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in me vigor totius caſtitatis. „

Cum accipit crucem pectoralem.

“ *Munire* digneris me Domine Jeſu Chriſte, ab omnibus inſidiis inimicorum omnium, ſigno ſanctiſſimæ crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno ſervo tuo, ut ſicut hanc crucem Sanctorum tuorum reliquiis refertam ante pectus meum teneo, ſic ſemper mente retineam, & memoriam paſſionis, & ſanctorum victorias Martyrum. „

Ad ſtolam.

“ *Redde* mihi, Domine, obſecro, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: & quamvis indignus accedere præſumo ad tuum ſacrum myſterium cum hoc ornamento, præſta ut in eodem in perpetuum merear lætari. „

Ad

Ad tunicellam.

" *Tunica* jucunditatis, & indumento „ lætitiæ induat me Dominus. „

Ad dalmaticam.

" *Indue* me, Domine, indumento ſa„ lutis, & veſtimento lætitiæ, & dal„ matica juſtitiæ circumda me ſem„ per. „

Ad chirothecas.

" *Circumda* Domine, manus meas „ munditia novi hominis, qui de cœlo „ deſcendit: ut quemadmodum Jacob „ dilectus tuus, pelliculis hædorum oper„ tis manibus paternam benedictionem, „ oblato Patri cibo potuque gratiſſimo, „ impetravit; ſic & oblata per manus „ noſtras ſalutari hoſtia, gratiæ tuæ be„ nedictionem merear. Per Dominum „ noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tu„ um, qui in ſimilitudinem carnis pec„ cati pro nobis obtulit ſemetipſum. „

Ad planetam.

" *Domine*, qui dixiſti, jugum meum „ ſuave eſt, & onus meum leve: Præ„ ſta ut illud portare ſic valeam, quod „ poſſim conſequi tuam gratiam. „

Ad mitram.

" *Mitram*, Domine, & ſalutis galeam „ impone capiti meo: ut contra antiqui „ hoſtis, omniumque inimicorum meo„ rum inſidias inoffenſus evadam. „

Ad annulum cordis.

" *Cordis* & corporis mei, Domine, „ digitos virtute decora, & ſeptiformis „ ſpiritus ſanctificatione circumda. „

Ad manipulum.

" *Merear*, precor, Domine, manipu„ lum portare mente flebili, ut cum exul„ tatione portionem accipiam cum Ju„ ſtis. „

§. IV.

De Mitra uſu & antiquitate.

QUIDAM autumant mitræ uſum in Romana Eccleſia ante ſexcentos annos non contigiſſe; eam enim ſilet Pontificale Cameracenſe laudatum, tametſi antiquum: Silent Amalarius, Rabanus, & alii. Hugo Menardus in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 362. de hoc momento ſic ſcribit: " Exiſtimo vix ante „ annum poſt Chriſtum natum milleſimum, „ mitræ uſum in Eccleſia fuiſſe. „ Sed verior apparet ſententia eorum qui hujuſce ornamenti antiquitatem propugnant.

Primo: Vel in ipſa antiqua lege mitram initium habuiſſe legitur, cum ſummi Sacerdotis caput ea cingeretur. Neque vero illud ornamentum magnificum erat in uſu pro ſolis Sacerdotibus; verum etiam & pro mulieribus; ſic enim habetur de Judith. L. Judith. c. 10. *Unxit ſe myro optimo, & diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum.* Quid plura? Uſus obtinuit, ut in tabellis ſummus antiquæ legis Sacerdos cum mitra depingatur.

Secundo: Multus eſt ſermo apud veteres Scriptores de uſu Mitræ in nova lege. Gregorius Nazianzenus in Oratione ſua Apologetica, de conſecratione ſua agens, ita loquitur: " Idcirco me Pon„ tificem ungis & podere cingis, capiti„ que cidarim imponis. „ Epiphanius hæreſi 29. eam commemorat. Nec deſunt qui affirment uſum mitræ pro Epiſcopis Jeroſolymitanis a D. Jacobo ad ejus ſucceſſores Epiſcopos tranſiiſſe. Sic colligitur ex Epiſtola Theodoſii Patriarchæ Jeroſolymitani ad S. Ignatium CP. Patriarcham, quæ refertur in Concilio octavo generali actione 1. his verbis: " Poderem, *inquit*, & ſuperhumerale „ cum *mitra*, & Pontificalem ornatum „ S. Jacobi fratris Domini, & primi „ Archiepiſcoporum, quo anteceſſores „ mei Patriarchæ circumamicti ſemper „ in Sancta-Sanctorum ingrediebantur, „ Sacerdotio fungentes, videlicet ſan„ ctam memoriam vitæ, & ſanctum cal„ ciare, quo & ipſe indutus ſum, ea„ dem gerens tuo deſiderabili, & hono„ rando capiti ex amore, & dilectionis „ copia tranſmiſi. „

Orien-

Orientales tamen præter Patriarchas mitram non geſtant. Epitome bellorum ſacrorum apud Caniſium tom. 6. antiquarum lectionum: "Omnes, *inquit*, Orientales Prælati annulis & mitris Pontificalibus non utuntur, ſed baculos Paſtorales portant in manibus." Concinunt Jacobus a Vitriaco in Hiſt. Orient. cap. 78. Reverendus Pater Goar in notis ad Euchologium Græcorum p. 431. Verum non ſic de Patriarchis quos mitra uſos fuiſſe conſtat. Id aſſerit de Patriarcha Alexandrino Theodorus Balſamon in Medit. de Patriarch. Privil. L. 6. juris Orientalis: "Cum omnes alii Pontifices, *inquit*, capitibus apertis res ſacras peragant; ſolus Alexandrinus Patriarcha rem divinam facit mitra caput obvolutus." Idem aſſerit de Patriarchis CP. Cantacuzenus L. 3. cap. 36. de Jeroſolymitano ex dictis modo conſtat.

Jam ad Occidentales convertitur oratio, quos vel ab ipſa vagiente Eccleſia pro Epiſcopis mitra donatos fuiſſe non unum probat argumentum. Primo quidem hoc ipſum colligi poteſt ex antiqua effigie lapidea S. Petri ante annos mille erecta, inquit Martenus L. 1. *de antiquis Ritibus cap.* 4. *art.* 1. *pag.* 348: ad portam Baſilicæ Corbeienſis Monaſterii. 2. Ex tabellis & imaginibus ſummorum Pontificum, quas ex antiquis Romanæ urbis monumentis æri inciſas repræſentant Bollandiani in propilæo Maji, quorum poſt S. Sylveſtrum maxima pars cum mitra oblonga, & rotunda, ut in lapidea S. Petri Corbejenſi effigie, cernitur. 3. Ex Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi carmine 3. L. 5. ubi de ornamentis Pontificis ita canit:

Illius ergo caput reſplendens mitra tegebat.

Demum, Auctores non nihil de hoc diſcrepantes abſque negotio conciliari poſſunt: dicendo uſum alicujus mitræ ab Apoſtolis obtinuiſſe in Eccleſia, non tamen ejuſdem per omnia figuræ, qualis eſt quam nunc geſtant Epiſcopi. Sic colligitur ex Cardinali Bona L. 1. de rebus Liturgicis cap. 24. Neque vero prætermittendum eſt Mitrarum uſum in Eccleſia quidem ſemper viguiſſe, ſed omnibus & ſingulis Epiſcopis abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ permiſſu non fuiſſe licitum: Sic ſcribit Mabillonius in Præfatione ad ſæculi quarti Benedictini partem ſecundam.

Verum quod Epiſcopos a ceteris ſcernebat, poſtea vel ipſis Abbatibus conceſſum eſt; namque mitræ uſum Alexander Papa II. Abbati ſancti Auguſtini Cantuarienſis, & Cavenſi mitræ privilegium indulſit: Item & Urbanus II. Abbati Caſſinenſi, & Cluniacenſi; immo & idem privilegium conceſſum eſt ſimplicibus Canonicis. Leo quippe IX. Biſuntinis Canonicis permiſit, ut Diaconus & Subdiaconus ad altare miniſtrantes mitris uterentur. Idem quoque ſummus Pontifex Canonicis Bambergenſibus indulſit: eodem privilegio gaudent nobiles Comites Lugdunenſis Eccleſiæ Galliarum Primatialis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Cæremoniis & Ritibus Miſſæ celebrandæ.

TRIPLICIS generis poſſunt diſtingui hujuſmodi ritus: Quidam antecedentes Miſſam, quidam concomitantes; quidam vero ſubſequentes. Priores myſterii celebrationem præparant; alii in ipſa Miſſa obſervantur: Poſtremi, abſoluta communione fiunt.

SECTIO PRIMA.

Ritus obſervandi ante Miſſæ celebrationem.

NON unus eſt ritus antecedens Sacrum: Quidam enim ex parte perſonæ deſumuntur, ſeu requiruntur, & ſunt veſtes ſacræ: quidam ex parte loci, & inter eos numerantur templa, altaria, vaſa ſacra, corporalia, & luminaria.

§. I.

Veſtes ſacræ.

SUPPONENDUM eſt Chriſtum cum Miſſam primo inſtituit, non alias habuiſſe veſtes præter uſuales: dicitur enim, quod ſurgens a cœna ſua depoſuerit ve-

ſtimenta, puta pallium, ſeu chlamidem, tum laviſſe Diſcipulorum pedes, qua cæremonia completa, iterum ſeſſerit in menſa, & accepto pane deinde & vino utramque ſubſtantiam in ſuum corpus & ſanguinem precioſum tranſubſtantiaſſe, ac denium ſingulis ea diſtribuendo Diſcipulis dixiſſe: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 23. Quibus verbis juxta Patrum & Conciliorum placita Apoſtolos fecit Sacerdotes.

Supponendum eſt 2. Apoſtolos utique vel ipſo tempore Paſſionem Chriſti immediate ſequente, cum veſtibus utique ordinariis, & Laicis ſacrum peregiſſe Miſſæ ſacrificium. De iſto momento ſic ſcribit Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap 24. " Veſtes etiam Sacerdotales per ,, incrementa ad eum qui nunc habetur ,, auctæ ſunt ornatum: nam primis tem- ,, poribus communi indumento veſtiti Miſ- ,, ſas agebant. ,, Attamen Cardinalis Bona L. 1. rerum Liturgicarum contendit Apoſtolos non multo poſt peculiaribus veſtibus uſos fuiſſe: " Huc, *ait*, pertinet ,, penula a Paulo Troade relicta; huc lami- ,, na, ſeu mitra Epiſcopalis quam geſtaſſe ,, Joannem Evangeliſtam Polycrates Ephe- ,, ſi Epiſcopus auctor eſt apud Euſebium ,, Hiſt. L. 3. cap. 31. huc infulæ qua- ,, rum meminit Tertullianus L. de Mo- ,, nogomia c. 12. ,,

Supponendum 3. juxta communem omnium opinionem, hoc eſt, nemine refragante, ubique gentium, peculiares veſtes pro celebrando ſacrificio in Eccleſia fuiſſe in uſu. Sic ſcribit Hieronymus in caput 44. Ezechielis: " Veſtibus li- ,, neis, *inquit*, utuntur Ægyptii Sacerdo- ,, tes, non ſolum intrinſecus, ſed & ex- ,, trinſecus. ,, Ibidem rurſus hæc habet: ,, Religio divina alium habitum habet in ,, miniſterio; alterum in uſu, vitaque ,, communi. ,, Subſcribit S. Chryſoſtomus; nam initio Liturgiæ recenſet Orationes quæ a Græcis Sacerdotibus dum induunt veſtes ſacras, recitandæ ſunt. Concilium Carthaginenſe 4. can. 41. meminit etiam veſtium ſacrarum, quibus Diaconi inter miniſtrandum altari, utebantur, " Dia- ,, conus, *ait*, tempore oblationis tantum ,, vel lectionis alba utatur. ,,

His teſtimoniis pro veſtibus ſacris alia accedunt. S. Sylveſter, ut in ejus vita ſcribit Damaſus, conſtituit, ut Diaconi in Eccleſia dalmaticis uterentur, & palla linoſtina lævam cooperirent.

S. Gregorius Papa miſit in Britanniam, ſi credamus Joanni Diacono L. 2. vitæ illius Pontificis, cap. 37. ad novam illam Eccleſiam nedum ſacra vaſa, & reliquias Sanctorum, ſed & altarium ornamenta, veſtimenta Sacerdotalia, & Clericalia.

Tametſi mentionem aliquam de veſtibus ſacris fecerimus, non injucundum tamen erit dicere quænam ſit eorum uſus chronologia; quinam vero eorum ſenſus myſticus.

Veſtes ſacræ quibus & Epiſcopi, & Presbyteri, in Eccleſia Latina utuntur, ſunt amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola, planeta. Quædam aliæ adjunguntur pro Epiſcopis, ſpecialiſſimæ vero pro ſummo Pontifice, videlicet mitra, ſeu cidaris triplici cincta corona.

Primo: Amictus celebratur apud Amalarium Fortunatum L. 3. de Eccleſiaſticis officiis cap. 17. his verbis: " Eſt pri- ,, mum veſtimentum noſtrum, quo col- ,, lum undique cingimus: in collo namque ,, eſt vox; ideoque per collum loquendi ,, uſus exprimitur, per amictum intelligi- ,, mus cuſtodiam vocis: Amictus vero di- ,, citur, quia circumjicitur. In iſto primo ,, indumento admonetur caſtigatio vocis. ,, Subſcribit Innocentius III. L. 1. Myſteriorum Miſſæ cap. 19. " Amictus autem, ,, *inquit*, quo Sacerdos caput ſuum obnu- ,, bit &c. ,,

Secundo: De alba Rabanus Maurus Lib. 1. de inſtitut. Cleric. c. 16. hæc habet: " Secundum veſtimentum eſt linea tuni- ,, ca, quæ græce *ποδήρης*, latine talaris ,, dicitur, eo quod ad talos uſque deſcen- ,, dat. ,, Gregorius Nazianz. Orat. 3. utique commemorat albam.

Tertio: Cingulum nominat Alcuinus de divinis officiis, cap. *Quid ſignificent veſtimenta*. " Debet igitur alba, *ait* Innocentius ,, III. L. 1. Myſt. Miſſæ cap. 52. circa ,, lumbos zona præcingi; ut caſtitas Sa- ,, cerdotis nullis incentivorum ſtimulis ,, diſſolvatur; in lumbis enim luxuria do- ,, minatur. ,,

Quarto: Manipulus apud veteres Fano, Mappula, Mantile, Sudarium dicitur. Myſticam ejus ſignificationem, & primævum uſum Honorius Auguſtodunenſis Epiſcopus, in Gemma animæ, de antiqua

ritu

ritu Miſſæ L. 1. c. 208. annuntiat his verbis: " Sacerdos Fanonem in ſiniſtrum brachium ponit, qui & Mappula, & Sudarium vocatur, per quod olim ſudor, & narium ſordes extergebantur; per hoc pœnitentia intelligitur qua quotidiani exceſſus labes extergitur: hoc in ſiniſtro brachio geſtatur, quia in præſenti tempore tantum pœnitentia vita noſtra mundatur. "

Quinto: Ordo Romanus de ſtola ſeu orario hunc habet ſermonem: " Hic reflectat orarium ſuper humerarium ejus dextrum, dicens ad eum, Accipe jugum Domini; jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve. " Synodus Braccarenſis c. 3. de iſto ornamento ſic loquitur: " Quoniam antiqua, & Eccleſiaſtica iuſtitutione noverimus præfixum, ut omnis Sacerdos cum ordinatur, orario utroque humero ambiatur, ſcilicet ut qui ſemper imperturbatus præcipitur conſiſtere inter proſpera, & adverſa, virtutum ſemper ornamento utroque circumſeptus appareat humero .... proinde modis omnibus convenit, ut quod quiſque percipit in conſecratione honoris, hoc retineat, & in oblatione, vel perceptione ſ. æ ſalutis. "

Sexto: Caſula poſtremum Sacerdotis indumentum, apud Alcuinum de divinis officiis, cap. *Quid ſignificent veſtimenta*, his verbis celebratur: " Caſula quæ ſuper omnia indumenta ponitur, ſignificat charitatem, quæ alias virtutes excellit. Quandoque planeta nuncupatur, ut in ordine Romano, tit. qualiter celebrandum ſit officium: " Subdiaconus Regionarius referens ad Pontificem qui debeant legere, aut cantare, ponit mappulam in ſiniſtro brachio Pontificis ſuper planetam. "

Obſervare non pigebit caſulam primævis ſæculis ad latus non fuiſſe apertam. Ita Rupertus L. 1. de divinis officiis cap. 22. " Eſt autem integra, *inquit*, & undique clauſa ut unitatem, vel integritatem veræ fidei demonſtret. "

Septimo: Non prætermittendum nemini licere ad ſacrificium enumeratis veſtibus uti, niſi prius ab Epiſcopo, aut a Sacerdote, de Epiſcopi licentia benedictæ fuerint. Antiqua benedictionis forma habetur in ordine Romano ſub his titulis. *Benedictio ad albas, planetas, ſtolas, & cingula*. Benedictio *veſtium Sacerdotalium* habetur utique in Miſſali Romano ad calcem. Obſerves velim benedictionem hanc, ſeu conſecrationem deperdi, cum hujuſmodi veſtes priorem amittunt formam, ac ita deteruntur, ut ad uſum cui deſtinatæ ſunt, aptæ eſſe deſinant: hinc ſi ex alba v. g. convellatur aliqua pars notabilis, iterata vice benedicenda eſt. Fractum quoque cingulum denuo benedicendum, ſi neutra ejus pars ad cingendum adhiberi poſſit, ſecus vero ſi partes quæ frangendæ apparent vel ante ipſam fractionem filo conſuantur. Neque vero etiam amittit benedictionem ea cinguli pars, quæ ad cingendum ſufficit.

Octavo: Graviter peccat qui veſtibus ſacris, quamdiu benedictionem retinent, ad uſus profanos utitur: quocirca de jure antiquo præcipitur ut, amiſſa benedictione, comburantur veſtimenta Sacerdotalia, immo & alia altaris utenſilia, & habetur diſtinct. 1. de conſecratione his verbis: " Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum ſi fuerint vetuſtate conſumpta incendio dentur, cineres quoque eorum in Baptiſterio inferantur, aut in pariete aut in foſſis pavimenti jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. " Graviter utique peccaret Sacerdos qui, prætermiſſis veſtibus ſacris, celebraret, quia, inquiunt Theologi, Eccleſiæ univerſalis uſum in materia gravi perverteret.

Nono: Sacerdos denudato capite celebrare debet. Sic ſtatuit Zacharias Papa, & refertur de conſecratione diſtinct. 1. cap. *Nullus*: " Nullus, *inquit*, Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat, cum baculo introire, velato capite altaris Dei aſſiſtere. " Idem ſtatuit Synodus Bituricenſis tit. 23. de Miſſa: " Sacerdotes, *ait*, non celebrent operto capite, niſi infirmitas urgeat. " Summus Pontifex in hoc diſpenſat juſta de cauſa, ut docet Sylvius in tertiam partem quæſt. 83. Summæ Divi Thomæ, cujus exemplum afferet cujuſdam ſenis ſibi noti, qui ab Urbano VIII. hanc popter infirmitates ſuas obtinuit licentiam.

§. II.

§. II.

De Templis.

TERRA, eſt juxta Prophetam ſcabellum pedum Dei. Hinc in omni loco ſacrificium offerri poteſt, Deo jubente, vel ſaltem permittente. Sic Abel obtulit Deo quidquid erat in pecoribus optimum: Sic Noe, elapſo diluvio, ſimiliter de pecoribus mundis ſacrificium in gratiarum actionem, ſimul & in recognitionem ſupremi dominii creatoris, Deo optimo maximo obtulit; quinam vero fuerit utriuſque ſacrificii locus, Scriptura non dicit. Non ſilet utique ſacrificium arietis quem loco filii, obtulit Abraham in monte *videbit*; Sic Jacob erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, & ſacrificavit Domino in ipſo loco, quo ejus viſione fuerat donatus. Non ſecus in novo teſtamento res pro ſacrificio Miſſæ ita ſe habet, ſed ut ordine procedamus, cuncta diſtinguenda ſunt.

Primo: Apoſtolorum tempore in privatis ædibus ſacra celebrabantur Myſteria, cum non eſſet licitum ſine vitæ diſcrimine publice divinis officiis incumbere. Hoc ipſum colligitur ex Actibus Apoſtolorum c. 20. ubi ſanctus Paulus dicitur in tertio domus cœnaculo fidelibus panem fregiſſe. Hoc ipſum confirmant Acta S. Pontii Papæ, & Martyris cap. 3. apud Baluzium Miſcellaneorum tom. 2. his verbis: " Cumque aſcendiſſent in cœnaculum, ,, & vidiſſent eos, *Chriſtianos*, ſancta celebrare myſteria, declinaverunt in loco cum quoduſque Dominicum conſummaſſent officium. ,, Tum hujuſmodi domos decurſu temporum Eccleſias conſecrabant, ut videre eſt in Actis ſanctæ Cæciliæ virginis, & martyris.

Secundo: Exardeſcentibus perſecutionibus, Miſſam Miniſtri ſacri indiſcriminatim in locis occultis, & ſubterraneis celebrabant. Celeberrimum eſt de hoc teſtimonium quod in actibus S. Stephani Papæ, & Martyris apud Surium die 2. Auguſti legitur: " In Cryptis Martyrum aſſidue Miſſas, & Concilia celebrabat. ,, De eo ,, Martyrologium Romanum 2. Auguſti hæc dicit: " Romæ in cœmeterio Calliſti S. Stephani Papæ, & Martyris, qui ,, in perſecutione Valeriani dum Miſſæ ſacrificium perageret, ſupervenientibus ,, militibus, ante altare intrepidus, & immobilis, cœpta myſteria perficiens, in ,, ſede ſua decollatus eſt. ,,

Similia enarrat Victor Uticenſis L. 1. de perſecutione Wandalica cap. 5. eo loci de Catholicis ita loquitur: " Triſtitia, ,, ac mœrore confecti cœperunt qualiter ,, poterant, & ubi poterant, ablatis Eccleſiis divina celebrare myſteria. ,, Rurſus ante ipſum Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium L. 17. Hiſt. Eccl. c. 22. " Quivis locus, in quo varias ærumnas ,, ſingillatim pertulimus, ager, inquam, ,, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar Templi ad ſacros conventus peragendos fuit. ,, Nec mirum quod ubique tunc divina myſteria conficerentur, cum etiam nunc, annuentibus Epiſcopis, Miſſa celebretur in oratoriis, immo & in caſtris.

Tertio: Sævientibus adverſus Chriſtianos Paganis, ne Confeſſores divina privarentur Euchariſtiæ alimonia, ſæpius vel in ipſius carceribus Sacerdotes Domini offerebant ſacrificium. Hoc legitur de S. Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo apud Surium 19. Octobris; in ejus enim actibus refertur ipſum in carcere incruentum Deo ſacrificium obtuliſſe. S. Cyprianus Epiſt. 5. ad Presbyteros, & Diaconos, adhortatur eos ut: " Caute, & non glomeratim id ,, faciant, quia, *inquit*, mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium ,, minuit invidiam. ,,

Quarto: Reddita Eccleſiæ pace, quovis ſæculo apud Chriſtianos extitere templa, quod quidem tertio ſæculo ortum habuit. Tertullianus quippe L. de pudicitia cap. 4. mentionem facit de criminibus in Eccleſia patratis: " Non modo, *inquit*, limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmotis. ,, Non abſimilia ſcribit Euſeb. L. 8. hiſt. c. 9. referens edictum a Diocletiano an. 302. de evertendis Chriſtianorum templis latum. Atvero Conſtantino Magno, chriſtiano facto, Eccleſiæ, ſeu Baſilicæ ubique gentium extructæ ſunt, ut legere eſt apud eumdem Euſebium L. 2. de vita Conſtantini Magni, ubi varias pii Imperatoris pro hoc momento refert leges. Tum prohibitum eſt ne ſacrum ulterius in privatis ædibus, niſi accedente Epiſcopi licentia, juxta neceſſitatem celebraretur; ſic legitur in Concilio Metenſi an. 888.

111. his verbis: " In locis vero non conſecratis id vetuit ſub pœna excommunicationis. " Guillelmus Major Epiſcopus Andegavenſis in ſtatutis Spicilegii tom. 11. pag. 270. Concilium Bituricenſe ann. 1584. tit. 23. can. 5. prohibet extra templa ſacrificium offerri: " Neque, *inquit*, in profanis locis, neque in privatis domibus celebretur. " Idem ſtatuit Toloſanum an. 1590. cap. 6. maxime vero Tridentinum Seſſ. 22. in decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*; " Neve patiantur, *Epiſcopi*, privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium a ſæcularibus aut regularibus quibuſcumque peragi. "

Ex his ſequitur oratoria fixa, & ſtabilia, ſecluſa Summi Pontificis licentia, non poſſe erigi, niſi quibuſdam conditionibus, ut patet ex diplomate Alexandri VII. his verbis: " Alexander Papa VII. Tibi N. Diœceſis N. qui ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis, ut in privato domus tuæ ſolitæ habitationis oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium loci prius viſitando, & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem ordinario approbatum, ſæcularem, ſeu de ſuorum ſuperiorum licentia regularem, ſine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paſchatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec non aliis ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in tua, & familiæ tuæ, nec non hoſpitum tuorum nobilium præſentia celebrare facere, libere & licite poſſis & valeas indulgemus. Non obſtantibus &c. Volumus autem quod familiares ſervitiis tuis non neceſſarii, ibidem Miſſæ intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto, minime liberi cenſeantur. "

De Templorum forma.

Si de iis ante datam Eccleſiæ pacem loquamur, non certum eſt cujuſnam eſſent figuræ, & formæ, cum incerta quoque forent loca in quibus ad celebrandum aditus pateſceret: verum ſi a Conſtantini temporibus ſermonem habeamus, tria potiſſimum de iiſdem enarrare oportet: Primo quidem cujuſnam eſſent figuræ? 2. Quinam eſſet eorum ſitus ad ſolem comparatus? 3. Quibus ex partibus conſtarent.

De primo momento Baronius ad ann. Chriſti 57. conjicit prioribus ſæculis omnia templa ejuſdem ferme fuiſſe figuræ, quam tempore Conſtantini obtinuerant, ita ut in eis adeſſent cuncta ſpatia, tum pro officiis Eccleſiæ exercendis, tum pro ſacris Myſteriis peragendis.

De altero, ſcilicet de ſitu, citra dubium eſt fuiſſe ad Orientem ſolem, quantum ad partem ubi aderat Sanctuarium, ſic habetur Lib. 2. Conſtitut. cap. 61. his verbis: " Primum ſit longa, & ad Orientem converſa. " Baſilica. Tertullianus Lib. adverſus Valentinianos c. 3. de templis ſic loquitur: " Noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper, & apertis, & ad lucem amat figuram Spiritus ſancti, Orientem Chriſti figuram. "

Demum ſi de partibus agitur, quatuor antiquitus Baſilicas conſtaſſe liquet, videlicet Porticu, Navi, Ambone, Sanctuario, quod utique ad hæc uſque tempora in multis Eccleſiis perſeverat. Porticus tectum erat demiſſioris ſitus ab Eccleſiæ tecto quod ſublimius erat, diſtinctum, non muris quidem, ſed arcubus aut columnis modo lapideis, modo etiam ligneis ſuffultum, ut videre eſt in villis; ſicque radiis ſolaribus, ventis, ceteriſque aeris injuriis patebat. In eo ſtabant quondam Pœnitentes a ſanctis Patribus, flentes nuncupati. Navis, ſeu Nartex pars Eccleſiæ illa eſt quæ a templi foribus ad editiorem uſque locum, quem veteres ambonem nominabant, extenſa erat: in ea Pœnitentes, qui audientes, dicti ſunt locabantur: poſt ipſos occurrebant audientes ſeu proſtrati; illi ſcilicet quibus ad abſolutionem peccatorum in Synaxibus manus imponebantur, quique ante offertorium, con-

Digitized by Google

conclamante Diacono, *Sancta Sanctis*, cum energumenis, & Catechumenis ſimul ejiciebantur, foras. Proſtratos proxime *Conſiſtentes* ſequebantur, hoc eſt, Pœnitentes, qui abſoluti, ad Sacrificium quidem, nondum tamen ad Euchariſtiæ participationem ſuſcipiebantur. Demum immediate poſt conſiſtentes ſanctuarium verſus, fideles, ſeu juxta Baſilium participantes conſpiciebatur.

Ex utraque parre ait Theologus recentior janua occurrebat, cujus præfectura, ex parte feminarum, Oſtiariæ, Diaconiſſæ, incumbebat; ex parte autem virorum januæ cuſtodia penes erat Clericos Oſtiarios. Adeo mirabilis erat ordo ut in hiſce ſexuum ſeparationibus non ſolum Pœnitentes a fidelibus diſtincti eſſent, ſed etiam virgines, & viduæ a nuptis, Monachi a ceteris; virgines ex parte mulierum ſtationem occupabant Sanctuario proximiorem, ſicut ex parte virorum, Monachi; cum nondum ipſis fuiſſet indultum, ut in privatis oratoriis ſoli Synaxes agerent: " Virgines autem, & viduæ, *ait* " *conſtitutionum auctor* Lib. 2. cap. 57. & " anus primæ omnium ſtent ut ſedeant. "

Tertia pars dicitur Ambou, ſeu chorus, locus Navi paululum ſublimior, medius inter navim & ſanctuarium, in quo Clerici laudes Domini decantant, qui quidem locus muris, ut videre eſt in multis cathedralibus circumſeptus erat: Nunc vero craticulis quandoque ligneis, quandoque etiam ferreis adornatur.

Concilium Laodicænum can. 15. præcipit ne quiſquam præter Clericos in chorum intraret: " Quod non oporteat, *inquit*, præter eos qui regulariter cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, " alios in pulpitum conſcendere, & in " Eccleſia pſallere. " Eodem in loco Diaconus inter ſolemnia decantabat Evangelium, ſtatuta Epiſcoporum proclamabantur, denuntiabantur excommunicati, recitabantur ex Diptychis fidelium tam vivorum, quam defunctorum nomina, ſacri libri perlegebantur a lectoribus, Epiſcopus, aut Presbyteri concionem habebant ad populum.

Nonnumquam quatuor erant in ambonibus portæ; duæ ſcilicet, ex quibus ad Navim patebat aditus, quæque ſpecioſæ vocabantur; duæ vero ſanctuarium ſpectantes, & portæ ſanctæ nominabantur, harum cuſtodia erat Subdiaconis concredita, ut habetur in Concilio Laodicæno canone 22. ubi habetur: " Miniſtrum non oportet " orario uti, nec huſtias derelinquere. ".

Quarta templi pars modo *Sanctuarium*, modo *Secretarium*, vel *Tribunal*, modo etiam *Sancta ſanctorum*, vel *Presbyterium* dicta eſt. Diviſum erat cancellis ab alia templi parte Sanctuarium. Euſebius Lib. 10. Hiſt. Eccleſ. c. 4. de Baſilica quam Paulinus Tyri conſecravit, hæc habet: " Locus erat ſanctuarii in ſpeciem quadratam columnis ſublimibus undique circumſeptus, quarum media intervalla interſtitiis ex ligno inſtar retis, aut tranſennæ cancellatis in mediocrem, & æquabilem longitudinem circumcluſa. "

§. III.

De Altaribus.

ALTARIA in ſanctuario reponere mos a primævis temporibus inolevit. De eis mentionem faciunt Concilium Charthaginenſe can. 6. Agathenſe can. 14. Euſebius L. 4. de vita Conſtantini, Athanaſius in Apologia ad Conſtantinum, Baſilius in Pſ. 114. Gelaſius 1. Epiſt. 1. Felix IV. Papa in Epſt. decretali de Eccleſiarum, & altarium conſecratione, qui quidem Pontifex Atavus ſancti Gregorii fuit, & nedum Eccleſias & altaria conſecravit, ſed & eis lucum proprium deſignavit.

In Sanctuarii meditullio altare primarium, ſub apſide ſeu fornice antiquitus eminebat, & nunc etiamnum eminere videmus. Eodem circiter loco altaria præcipua in quinque Baſilicis Patriarchalibus ut Romæ, adſunt. Hæ vero Baſilicæ Patiarchales Romanæ ſunt Lateranenſis, S. Petri in Vaticano, D. Pauli in via Oſtienſi, S. Mariæ-Majoris in Eſquiliis, & B. Laurentii in Agro verano.

Gemina hinc inde a dextra, & læva altaris Majoris menſæ. In ea quæ eſt ad lævam vaſa ſacra cum velis pane, & vino conſecrandis, in altera vero ad dextram ſacra Epiſcopi, aut Sacerdotis ſacrificaturi veſtimenta, ſicut quondam, ſic & nunc reponuntur.

Demum in circuitu Sanctuarii Clericorum, & Presbyterorum ſubſellia pro cujuſque gradu, & dignitate apparebant. Epiſco-

ſcopalis Cathedra in medio ſeu intimo Sanctuarii hemyciclo editior viſebatur; ita ut ſedens Epiſcopus, & altare, & populum proſpiceret. Hæc ſcribit Auguſtinus in Pſ. 126. de hoc capite: " Quomodo vinitori altior locus fit ad cuſtodiendam vineam, ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt. "

Jam vero multa quæruntur tum de materia, & forma, tum etiam de collocatione altaris in diverſis locis.

Primo: Citra dubium eſt ab ipſa vagiente Eccleſia altaria fuiſſe lignea, cum ipſe Chriſtus in menſa primus obtulerit ſacrificium: Hoc ipſum probat altare in æde ſanctæ Praxedis Romæ aſſervatum, in quo S. Petrus Miſſam celebravit, ut refert Aringhus in ſua Roma ſubterranea Tom. 2. lib. 4 cap. 43. his verbis: " Extat in eadem Eccleſia ad dextram intrantibus altare ligneum ad modum arcæ compactum, in quo B. Petrus dum apud Pudentem hoſpitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortali Deo ſacrificium offerebat. Lignea autem altaris tabula præ vetuſtate nimia conſumpta cernitur, & ſub altari lapideo locata eſt, in quo S. Petri ſtatua cernitur: hoc autem titulo notatum eſt. *In hoc altari ſanctus Petrus pro vivis, & defunctis ad augendum fidelium multitudinem corpus, & ſanguinem Domini offerebat*. Altera ratio in promptu eſt: quamdiu extitere perſecutiones, non habebant certum locum Eccleſiæ Miniſtri; ſed hinc inde latebant modo in ſpeluncis, modo in abditis, & ſecretioribus locis, adeoque altaria, neceſſitate compellente, ubique aut deferebant, aut erigebant, quocirca ſtabilia, & lapidea raro erant in uſu.

Secundo: Ceſſante perſecutione uſus obtinuit altaria lapidea erigere. De hujuſmodi altaribus mentionem facit Gregorius Nyſſenus Orat. in Baptiſmum Chriſti. Sed unum non eſt prætermittendum, videlicet Martyrum reliquias aliquas in altari juxta traditionem fuiſſe ſemper concluſas. Sic loquitur de hoc momento Hieronymus ſcribens adverſus Vigilantium, qui cultum SS. Martyrum reliquiis abnegabat: " Male ergo facit Romanus Epiſcopus, *inquit*, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum, te vilem pulviculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria. " Concinit Auguſtinus L. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 21. quo tempore hæc oratio inter ſacrificandum a Sacerdote proferebatur: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic ſunt, ut indulgere digneris omnia peccata mea*. Hujus cæremoniæ Cardinalis Bona de Ritibus Liturgicis deducit originem ex Chriſtianorum more, qui dum ab Ethnicis fidei cauſa vexarentur, in cœmeteriis, in quibus quieſcebant Martyrum corpora, Synaxes peragebant.

Tertio: Altaria nedum lapidea, ſed quandoque etiam argentea, & aurea extitere: id teſtantur vitæ ſummorum Pontificum.

Si de forma loquamur, altaria lignea figuram arcæ præ ſe ferebant, ut videre eſt Romæ in æde ſanctæ Praxedis: talis quoque fuit figura altaris quem ſanctus Sylveſter in Eccleſia Lateranenſi conſecravit. Tabula tamen utebantur Monachi Sandionyſiani in caſtris Caroli Magni: Lapidea vero e contra erant cava, in quibus ſanctorum reliquiæ ſervabantur, vel ex ſimplici lapide uni vel etiam pluribus columnis innixæ conſtabant. In Turonenſi Majori monaſterio, in æde ſanctorum Septem dormientium ſacra cernitur antiquiſſimum altare quatuor circiter pedum in quadrum, ut ferunt a S. Martino conſecratum, ex quatuor lapidibus cæmento ſimul junctis, & in ſubjecta rupe conſiſtentibus: neque vero longioris ſpatii affulget altare Eccleſiæ Cathedralis Rhemenſium; utrumque noſtris vidimus oculis. Paulus Silentiarus in deſcriptione ſanctæ Sophiæ CP. de altari ſcribit: " Columnis porro aureis ſacræ Menſæ ex auro omnino conflatæ terga ſuſtentantur, aureiſque perinde ſundamentis incumbit illa & pretioſorum lapidum fulgore variebatur. "

Quarto: Quandoque etiam uſus obtinuerat altaria ſuper tumulos Martyrum erigere, ut colligere eſt ex S. Auguſtino Serm. V. de S.Stephano nu. 1. & L. 8. de civ. Dei cap. 27. ex canone 83. Codicis Africani; ex Gregorio Turonenſi L. 1. de gloria Martyrum cap. 9. ex S. Paulino Epiſt. 32. novæ editionis ad Severum, ubi de ſancto Claro B. Martini diſcipulo ſic canit:

San-

Sancta ſub aeternis altaribus oſſa quieſcunt.

Quinto: Antiquitus non niſi unicum in Eccleſia erat altare, ut habetur in notis ad S. Paulini Epiſtolam 32. Hoc ipſum de Græcis probat v. c. Iſaacius Habertus in ſuo Pontificali Græcorum pag. 661. Si tamen credamus itinerario Bernardi Monachi num. 16. unicum de facto erat in Eccleſia Bethleemitana, in vetuſtiſſimo tamen S. Sepulcri templo Jeroſolymitano tria; tum in Eccleſia B. Mariæ de valle Joſaphat quatuor viſa ſunt. Sic Adamnanus Abbas Hienſis Lib. 1. de locis ſanctis cap. 1. & 13. refert. In Occidente multiplex fuit ſemper in Eccleſiis altare. Ita ſcribit S. Gregorius Epiſt. 50. L. 5. in qua quidem Palladium Santonenſem Epiſcopum his verbis alloquitur: " Veniens lator præſentium inſinuavit " nobis fraternitatem veſtram Eccleſiam " conſtruxiſſe, atque illic tredecim alta- " ria collocaſſe " Qui quidem uſus ad noſtra uſque tempora perſeverat.

Sexto: Altaria quondam in medio Eccleſiæ collocata ſunt, ut Sacerdos offerens omni ex parte conſpiceretur. Tale eſt altare magnum in Baſilica S. Petri, & ad inſtar multa eriguntur, quocirca altare dicitur Romanum ſeu modo Romano erectum. Euſebius L. 10. Hiſt. c. 4. Templum Tyri a S. Paulino extructum deſcribens, ait: " Sanctum-ſanctorum altare " videlicet in medio conſtituit, utque " hæc ſacraria multitudini inacceſſa eſ- " ſent ea rurſus ligneis cancellis muni- " vit. "

In monte Oliveti in loco ex quo Chriſtus cœlos aſcendit, ait Bernardus Monachus in ſuo itinerario cap. 14. " habetur " Eccleſia rotunda ſine tecto, in cujus " medio, hoc eſt in loco Aſcenſionis Do- " mini, habetur altare ſub dio patens, in " quo celebrantur ſolemnia Miſſarum. " Mos tamen invaluit in multis Eccleſiis altaria contra parietem componere.

Septimo: Chriſtiani prioribus Eccleſiæ ſæculis altaria verſus Orientem conſtruere ſolebant, qui tamen uſus ubique non prævaluit. Quandoquidem Romæ in Eccleſia S. Petri altaria non tantum ad Orientem, verum etiam ad alias mundi partes diſtributa conſpiciuntur, ut ſcribit Walafridus cap. 4. immo Adamnanus L. 1. de locis ſanctis c. 2. de altaribus Eccleſiæ S. Sepulcri loquens, ait: " Unum " ad meridiem reſpiciens, alterum ad " Aquilonem, tertium ad Occidentem " verſus, " erat.

Octavo: Pro more poſitum eſt maxime in Eccleſiis collegiatis Miſſam ſolemnem in altari maximo celebrari; privatas vero in privatis minuſculis altaribus.

Nono: Vaſa ad ſacrificium inſervientia quandoque aurea, & ut plurimum argentea, raro vero ſtagnea ſunt.

§. IV.

De Cerei.

BELLARMINUS L. 2. de Miſſa c. 14. paucis explicat quæ luminaria ſpectant his " verbis: ' De cereis autem quibus in " Miſſa utimur, ac præſertim dum le- " gimus Evangelium, non deſunt antiqua " teſtimonia. Athanaſius in epiſtola ad " omnes Orthodoxos non procul ab ini- " tio, ſcribit inter alia ſacrilegia Aria- " norum, unum fuiſſe, quod cereos Ec- " cleſiæ idolis adolerent. Hieronymus in " Lib. contra Vigilantium ſcribit in Ec- " cleſia Catholica, ſole rutilante, accen- " di cereos, dum legitur Evangelium, ad " ſignum lætitiæ demonſtrandum. Chry- " ſoſtomus in Liturgia ſcribit, Sacerdo- " tem procedere ad altare, Miniſtro præ- " cedente cum lumine. Ordo etiam Ro- " manus meminit cereorum, qui & ad E- " vangelium, & ad oblationem corporis " Domini accenduntur. Concilium IV. " Carthaginenſe can. 6. docet, Acoly- " tho in ſua ordinatione tradi ab Archi- " diacono cereum, ut ſciat ad ſuum Mi- " niſterium pertinere lumina accendere " in Eccleſia. Quo autem tempore lumi- " na ab Acolythis accendenda ſunt, ex- " plicat Iſidorus L. 7. Etymolog. cap. 12. " ubi ſcribit, cum Evangelium legitur, " & cum Chriſti corpus offertur, debere " Acolythos accendere cereum in Eccle- " ſia. Denique Micrologus c. 11. aſſerit " Miſſam numquam ſine lumine celebra- " ri, etiam ſi in meridie celebretur. " Subſcribit Hieronymus L. contra Vigilantium his verbis: " Abſque Martyrum re- " liquiis per totas Orientis Eccleſias, quan- " do legendum eſt Evangelium, accen- " dunt luminari, jam ſole rutilante, non

„ utique ad fugandas tenebras, ſed ad „ ſignum lætitiæ demonſtrandum. „

§. V.

De ſanctitate externa Templorum.

TAMETSI cuncta ſint ad celebrandum ſacrificium parata, prærequiritur tamen dedicatio, qua templum Deo per Epiſcopum conſecratur tum variis precibus, & unctionibus, tum exorciſmis, aliiſque ritibus pro dedicanda Eccleſia in Pontificali Romano deſcriptis, aut ſaltem benedictio quæ etiam ſuos habet ritus, ſuaſque cæremonias, & hoc ut locus Deo vivo, & vero mancipetur: Iſta tamen conſecratio non uno aufertur modo. Primo quidem per violentam, & ſanguineam percutionem, & quod pejus per homicidium, etiam abſque ſanguinis effuſione peractum. Ita habetur capite, *Unico de conſec. Eccleſ. in ſexto*. Excipias tamen homicidium, & ſanguinis effuſionem quæ ex caſu contingunt, immo & injuſti aggreſſoris occiſionem, a fortiori vulnus ipſi illatum cum moderamine inculpatæ tutelæ: hæc enim omnia non ſunt injurioſa in ſenſu Decretalis: Excipias etiam, vel ipſam ſanguinis effuſionem injurioſam, ſi effuſio ſit modica: neque etiam polluitur templum tametſi homo eo loci migret e vita ex inflicto vulnere quod foras accepit.

Locus ſacer ulteriori modo ſuam deperdit benedictionem, & hoc duobus modis. Primo, quidem humani ſeminis effuſione, etiamſi ex copula inter conjuges habita promanet: ſic habetur capite, *Finali de conſec. Eccleſ.* poſteriori vero modo ſi in ea, vel paganus, vel hæreticus, vel excommunicatus notorius, & publice denuntiatus ibi ſepeliantur. Sic definitur cap. *Eccleſiam de conſecr. diſt.* 1. Idem dicendum de cæmeterio. Canoniſtæ contendunt cœmeterium violari ex violatione Eccleſiæ, ſed non e contra. Sed nec Eccleſia, nec cœmeterium niſi cadaver exhumatum fuerit, reconciliari queunt. Sic docent communiter Theologi.

Violatum Templum non uno modo reconciliatur; hoc enim fit & per novam conſecrationem ab ipſo Epiſcopo factam, & per benedictionem a ſimplici Sacerdote, annuente Epiſcopo, celebratam, ut definiunt SS. Canones: ſi tamen violatio ſit occulta, Myſteria omiſſis nova conſecratione, & benedictione, celebrari poſſunt: namque neceſſe eſt, ut violatio non ſolum uni, aut alteri teſti, ſed multo pluribus innoteſcat: Sic docet Abbas in cap. *Significaſti*, num. c. nec deſunt qui contendant vel unius Miſſæ celebratione Eccleſiam reconciliari.

§. VI.

De inſtrumentis ad Sacramentum peragendum.

PRIMO: Crux inter candelabra collocanda eſt, quod quidem colligitur ex Concilio Turonenſi an. 570. can. 3. his verbis: " Ut corpus Domini non in imagi- „ nario ordine, *ſeu inter imagines*, ſed ſub „ crucis titulo componatur. „ Sic habemus ex perpetua traditione, ita tamen ut crux non in cartha, aut tela depicta ſit, ſed arte ſculpturæ in ligno, vel metallo expreſſa.

Secundo: Quædam etiam lintea, mapparum nomine celebrata ſuper altare protendi opus eſt, & hoc triplici vice, ſeu duplicatione, quaſi tres adeſſent mappæ. Hoc ipſum colligitur ex S. Pio Papa I. & habetur de conſec. diſt. 2. cap. *Si ſuper*. Ecce canonis verba, *Si ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat Miniſter ſtillam, & tribus diebus peniteat: Si ſuper linteum altaris & ad aliud ſtilla pervenerit; quatuor diebus peniteat: Si uſque ad quartum; viginti diebus peniteat; & linteamina quæ tetigerit ſtilla tribus vicibus Miniſter abluat*. Uſus obtinuit tres ſolum apponere mappas, eaſque benedictione conſecratas.

Optatus Milevitanus Lib. 6. contra Parmenianum commemorat lintea bis verbis: " Quis fidelium neſcit, in peragen- „ dis Myſteriis ipſa ligna linteamine „ operiri. „

Tertio: De vaſis aliquid jam dictum eſt, Calicem ab inſtitutione Chriſti promanaſſe annuntiant Matthæus, Marcus, & Lucas, ubi ſacræ Euchariſtiæ inſtitutionem commemorant. S. Auguſtinus L. 3. contra Creſconium c. 29. Calices ex pretioſa materia confectos ſufficienter innuit, reprehendens quorumdam Clericorum impium factum, qui pretioſam Eccleſiæ ſupellectilem Magiſtratibus Diocletiani tradiderant: " Duo Calices aurei,

„ rei, & ſex argentei recenſentur . „ Optatus Milevitanus L. 1. contra Parmenianum loquens de Menſurio Epiſcopo Carthaginenſi an. 303. Romam ab Imperatoribus adſcito, ſimile crimen illi improperat ; Rurſus Lib. 6. Donatiſtas ſic alloquitur : " Fregiſtis calices Chriſti ſanguinis portatores . „

Solebant priores Chriſtiani in calicibus Chriſtum ſub figura Paſtoris ovem ſuper humeros deportantem exprimere ; ita Tertullianbs Lib. de Pudicitia cap. 10. " Patrocinabitur Paſtor , *inquit* , quem in calice depingitis.

Quarto : Uſus patenæ quovis ſæculo invaluit . Sic colligitur ex hoc Zephyrini Papæ decreto : " Fecit conſtitutum de Eccleſia, ut patenas vitreas Miniſtri ante Sacerdotes portarent , dum Epiſcopus Miſſam celebraret . „ Succinit Concilium Carthaginenſe IV. canon. 5. " Subdiaconus , *ait* , cum ordinatur quia manus impoſitionem non accipit , patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam , & Calicem vacuum . „ Patenę antiquitatem celebrat auctor Ordinis Romani tit. *Qualiter celebrandum ſit officium Miſſæ* . Eo loci hæc ſcribit : " Curæ erit Acolythorum , ut ſacri Miniſterii vaſa deferantur ... Quæ ſunt aquæ manile , hoc eſt , vas manuale , patenæ , calices &c. „ Uſus etiam a prioribus ſæculis obtinuit apud Orientales uti patenis , quos quidem diſcos appellant ; ita Evagrius L. 6. cap. 20. ceterum patenæ ſi credatur traditioni , & Rubricis , ejuſdem materiæ cum calice eſſe debent .

Quinto : Non prætermittendum eſt corporale , purificatorium , & velum . Primum celebratur a Cardinali Bona dicente in libro de rebus Liturgicis , non eſſe veriſimile , vel ipſos Apoſtolos ſuper altare nudum divina peregiſſe Myſteria . De eodem mentionem facit expreſſam Ordo Romanus tit. de ordine proceſſionis ad Miſſam . Tum Alcuinus , ſeu ut alii dicunt , Albinus Flaccus de divinis officiis cap. *De celebratione Miſſæ* , ubi ſic loquitur : " Corporale cui ſuperponitur corpus Dominicum , non aliud quam lineum eſſe oportet . „

De purificatorio , Joſephus Vicecomes Doctor Collegii Ambroſiani Lib. 7. de Miſſæ apparatu c. 5. ait : " Quid vero ſentire oporteat de linteo quod purificatorium vulgo nuncupatur, plane ignoro , quod apud nullum veterem ſcriptorem ejus mentio reperiatur . „ Pro more tamen poſitum eſt a pluribus ſæculis illo uti in ſacrificio , ad majorem Myſterii reverentiam . Cardinalis Bona ſcribi Linteolum iſtud a Græcis non adhiberi , quippe qui calicem & diſcum ſeu patenam ſpongia detergant .

§. VII.

De veſtibus Sacerdotis celebrantis .

Ex his quæ diximus de orationibus ad quodlibet ornamentum aſſumendum , ſufficienter colligitur quænam ſint iſtæ ſacræ veſtes . Certum eſt Chriſtum & Apoſtolos primum cum veſtibus uſualibus ſacrificium celebraſſe , decurſu vero temporum ad majorem ſolemnitatem quædam ſplendida ornamenta in nova lege adhibita ſunt , & hoc ad inſtar veteris legis , in qua quidem , vel ipſo Deo auctore , magnifica determinata ſunt pro Sacerdote Magno & Levitis . Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 24. ſic loquitur : " Veſtes etiam Sacerdotales per incrementa ad eum qui nunc habetur, auctæ ſunt ornatum . Nam primis temporibus communi indumento veſtiti Miſſas agebant . Concilium Carthaginenſe IV. can. 41. meminit veſtium Sacerdotalium .

§. VIII.

De hora celebrandi Sacrificium .

PRIMO : Duo diſtinguenda ſunt tempora , unum ſcilicet quo exardeſcebat perſecutio : alterum quo tota Eccleſia in pace erat compoſita . Certum eſt primo ſæculo ſacrificium nocte , hoc eſt ad veſperam inſtar Chriſti celebratum fuiſſe , ut habetur in Evangelio : qui quidem mos ita perſeveravit ſævientibus adverſus Chriſtianos Paganis Imperatoribus , ut non niſi denſiſſima nocte ſacra peragerentur Myſteria , ne ab hoſtibus fidei agitarentur Fideles . Sic colligitur ex Allatio L. 3. de conſenſu Eccleſiæ Orientalis , & Occidentalis . Baronius ad annum 34. aſtipulatur , ne igitur a Paganis detegerentur Chriſtiani , eos nocte poſt cœnam , aut ſaltem ſummo mane tenebris adhuc univerſam terræ faciem occupantibus , Miſſam ce-

Digitized by Google

lebrare neceſſe erat. Hoc ipſum colligitur etiam ex D. Paulo, qui cum eſſet Troade, nocte fregiſſe panem refertur: Plinius Lib. 10. Epiſt. 97. ad Trajanum non obſcure hoc ipſum iodicat, dicens. “ Quod ſoliti eſſent fideles ſtatuto die ante lucem convenire. „ Hinc & apud Juſtinum in Dialago cum Triphone accuſant Chriſtianos Pagani, quod: “ *P*oſt epulum, extinctis Lucernis, nefario concubitu promiſcue involvi. „ dicerentur: Neſcientes enim Myſteria nocte celebrari, hujus criminis, ſed maligne inſimulabant Chriſti Domini ſervos. Tertullianus Lib. 2. ad uxorem c. 4. loquens de nocturna Chriſtianorum convocatione, eam vocat cœtum aote Lucannm.

Secundo: Sedatis perſecutionibus, cœpit Eccleſia die aperto ſacra celebrare Myſteria. Walafridus Lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 23. de hoc momento ſic loquitur: “ Tempus autem Miſſæ faciendæ ſecundum rationem ſolemnitatum diverſum eſt. Interdum enim ante meridiem; interdum circa nonam, aliquando ad veſperam, interdum noctu celebratur. „ Sicque omoes complectitur ætates: Non abs re erit hic ſubnotare horam noſtram ſextam matutinam juxta ritum veterem ex Judæis deſumptum, horam primam nuncupari. Noſtra nona, tertia vocatur. Noſtra duodecima, ſexta appellatur: noſtra vero tertia pomeridiana, nona dicta eſt, & ab his denominantur quatuor inferiores horæ canoniales.

Erat pro more poſitum prioribus ſæculis Miſſam celebrare Dominicis, feſtiſque diebus ante meridiem, juxta illud Epiphanii in expoſitione fidei capite 22. “ Dominicas omnes feſtas, hilareſque Catholica eſſe ſanxit Eccleſia: ac ſolemnes conventus matutinis horis indicit. „ Subſcribit Concilium Aurelianenſe 3. can. 14. ubi hæc habet: “ De Miſſarum celebritate in præcipuis dumtaxat ſolemnitatibus id obſervari debet, ut hora tertia Miſſarum celebratio inchoetur. „ Diebus vero jejunii circa nonam, ſed in quadrageſima ad veſperam: tunc temporis enim non niſi ad ſolis occaſum fiebat comeſtio, nonnullis tamen diebus privilegiatis noctu, quæ conſuetudo ad noſtra uſque tempora pro die natalis Domini ſervatur. Audiendum eſt de hoc Concilium Moguntinum in ſuo decreto, quod Yvo p. 4. cap. 35. refert, in quo quidem de jejunio quatuor temporum & Miſſa hæc leguntur: “ Quarta, & ſexta feria, & ſabbato veniant omnes ad Eccleſiam hora nona cum litaniis ad Miſſarum ſolemnia. „ Concilium vero Antiſiodorenſe canone 29. ait: “ Sacrificia vero matutioa Miſſarum ſive veſpertina ne quis cum armis ad bellorum uſum ſpectet. „

Quandoque tamen etiam horis maxime Matutinis celebrabantur: Gregorius Turonenſis in libro de gloria Confeſſorum cap. 65. Miſſam poſt matutinas celebratam commemorat, ſed & Amalarius l. 4. cap. 4. aſſerit ſe vidiſſe: “ Apoſtolicum Leonem, diluculo Miſſam celebrare. „ In antiquo ordine Eccleſiæ Cameracenſis, & Atrebatenſis ſtatuitur: “ Ut mane agatur Miſſa in Dominicis diebus, quia Dominus valde mane ſurrexit; & ita, *inquit*, uſus eſt in ſancta ſede Romana. „ Subdit: “ In titulis vero, qui in civitate, vel extra ſunt, non ante cantetur Miſſa, quam in ipſa publica Eccleſia in civitate: Neque illorum ſigua pulſentur, ut omnis populus ad publicam procedat Eccleſiam, oiſi foret cauſa infirmorum, aut pro iter agentibus. In Monaſteriis vero quæ ſunt juxta civitateni, non antea Miſſarum ſolemnia agantur, quam in publica Eccleſia civitatis incboata fuerint Miſſarum ſolemnia, niſi forte, ut diximus, pro iter agentibus, aut infirmorum cauſa. „

Quæ diximus modo, plurimi de Miſſis ſolemnibus intelligi contendunt: privatas enim omni hora, dummodo populum a publicis Miſſis non revocarent, celebratas fuiſſe conſtat; Humbertus enim Sylvæ Caodidæ Cardinalis, reſpondens ad objectiones Græcorum; qui Latinos, quod horas ad celebrandum ſtatutas haud quaquam obſervarent, criminabantur, ſcribit eos omni hora diei, non autem ſola tertia perfectam Miſſam agere: nuſquam enim, ait, dixit Dominus, hoc facite in meam commemorationem hora tertia, ſed horas omnes, & tempora complectens, Dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Eginardus L. 3. miraculorum ſanctorum Marcellini, & Petri capite 9. mentionem facit de Miſſa, quæ Dominico die poſt Matutinas, & Laudes ex more celebratur.

De variis Miſſis.

Tria ad iſtam materiam eliquandam habemus pertractanda. Alterum de nomine, & diviſione Miſſæ: alterum vero de diebus quibus Miſſa celebranda eſt; tertium in cujus honorem dici poſſit.

§. I.

Nomina.

DE primo momento jam aliquid diximus ubi de ſacrificio, quia tamen eo loci agendum eſt univerſim de notionibus Miſſæ, non injucundum erit ordine quodam, ſed brevi cuncta diſcutere, & referre.

Primo: Sacrificium incruentum primitus liturgiæ nomine donatum eſt, quod quidem nomen Græcum latine dicitur, Ordo Lectionum, precum, ac cæremoniarum, quæ in offerendo ſacrificio adhibentur; hinc tot numerantur Liturgiarum genera, quot extitere hujuſmodi lectionum, orationum, & rituum ordines.

Secundo: Idem ſacrificium nomine Miſſæ in Eccleſia Latina nuncupatum eſt, ea potiſſimum ratione, quod peracto ſacrificio remittantur populi: & ex illa remiſſione tot numerata ſint ſacrificia, quot populi factæ fuerant remiſſiones; quia vero Catechumeni, abſoluto Evangelio, clamante Diacono, *Ite Miſſa eſt*, egrediebantur; iſta ſacrificii pars nomine Miſſæ Catechumenorum inſignita legitur: quando vero tota completa Liturgia Diaconus, aut Sacerdos verſa facie ad populum, dicit, *Ite Miſſa eſt*, Miſſa quoque completa intelligitur, talis eſt illa quæ nunc eſt in uſu.

Tertio: Altera dicitur Præſanctificatorum Miſſa, ea nimirum quæ fit a pane jam ab uno, aut altero die conſecrato, qualis eſt quæ die Paraſceves celebratur, quocirca præſanctificationis nomen habet.

Quarto: Poſtrema vocatur Miſſa ſicca, ſeu etiam nautica, quæ utique ex præſanctificatis fit in gratiam eorum qui peregrinantur in mari, eo quod ſanguis pretioſus propter navis & motum, & vacillationem veniat in effuſionis periculum.

§. II.

Diviſio Miſſa multiplex.

PRIMO: Miſſa alia eſt privata, alia ſolemnis: privata ea cenſetur quæ omiſſo ſolemni cantu, & cæremoniarum ſplendidiori ritu peragitur; ſolemnis vero e contra.

Secundo Quot ſunt ſacrificii nomina, tot ferme ejus diviſiones; quia tamen Liturgia, & Miſſa idem ſonant, juxta Logicæ leges Miſſa dividitur ſolum in Miſſam proprie dictam, & in Miſſam præſanctificatorum: cujus quidem diviſionis hæc ratio affertur iſto ſyllogiſmo concluſa: Illa diviſio eſt optima, cujus membra ſe mutuo excludunt: atqui membra diviſionis allatæ ſe mutuo excludunt; quandoquidem Miſſa ſecundum ſe ſumpta donorum conſecrationem complectitur, hinc proprie & ſimpliciter ſacrificium dicitur; altera vero eam ſupponit, qua de cauſa non niſi improprie ſacrificii nomen obtinet: Ergo &c.

Tertio: Miſſa proprie dicta quaſdam habuit ſubdiviſiones, & hoc juxta diverſos, qui diverſa non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad preces, & ritus addidere, vel detraxere: hinc circumferuntur Liturgiæ B. Petri, Joannis Chryſoſtomi, Ambroſii, Moſarabum S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, Gallicana, illius ſcilicet, cujus uſus obtinuit in Galliis &c.

§. III.

De Miſſis privatis in particulari.

HANC Miſſam impugnavit Lutherus, ſuggerente Diabolo, ut ipſe pudendos aſſerit. Poſt ipſum Brentius in confeſſione Wittembergenſi cap. de Euchariſtia, & Kemnitius in ſecunda parte examinis, p. 858. contra quos ſit

CONCLUSIO.

Miſſa privata rite celebratur.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod aſtruit vetus Teſtamentum, eſt optimum; quippe quod a Deo ſuam ducat originem: Atqui Sacrificium

Digitized by Google

privatum, ſeu omiſſis ſolemnioribus ritibus aſtruitur in veteri Teſtamento. Et probatur: In lege veteri non ſemel ſacrificia pro perſonis privatis, & abſque ritu ſolemniori peracta leguntur: ſic Job. cap. 1. Sacrificium pro filiis ſuis, vel ipſam ante legem Moſaicam offerebat: Tum capite 42. pro ſuis amicis Lib. vero 2. Machabæorum cap. 3. pro Heliodoro oblatum eſt Sacrificium, privatum dictum, vel ratione loci, quale erat quod celebrabant Chriſtiani in Cryptis, quale eſt etiam quod in Sacello paſſim fit, & quotieſcumque celebriores omittuntur cæremoniæ: Ergo &c.

Altera: Quod ſuam habuit ab ipſo Chriſto inſtitutionem, ut quid profanum, vel inutile non abjiciendum eſt: Atqui Chriſtus non niſi Miſſam privatam celebravit; dico privatam ratione loci, & perſonarum paucitatis, cum venerabile Sacramentum ad veſperam in cœnaculo clauſo, & ſolis adſtantibus beatiſſima Virgine, Apoſtolis, & Diſcipulis fecerit; privatam quoque ratione ritus, nihil enim de hoc capite legitur in Evangelio, niſi quod Chriſtus accepto pane, fregerit, & benedixerit, ſimiliter & ſuſcepto calice, tum utrumque adſtantibus diſtribuerit. Ergo &c.

Tertia: Quod traditione firmatur, citra temeritatem, & errorem peſſundare nemo poteſt: Atqui privatæ Miſſæ auctoritas, vel traditione ab ipſa vagiente Eccleſia ad noſtra uſque tempora firmatur, perſeveratque. Et probatur: Primo quidem ab Apoſtolis ad Conſtantinum Magnum uſque propter perſecutiones Miſſæ ſolum privatæ celebrabantur, & hoc in cryptis, & cavernis. Poſtea vero fuit pro more poſitum Miſſas privatas præter ſolemnem celebrare, quod non unum probat argumentum; namque uſus obtinuerat ſacrificium offerre pro defunctis, & hoc juxta eorum ſepulcra: ait enim S. Auguſtinus de obitu Matris ſuæ Lib. 9. confeſſionum cap. 12. " Cum offerretur „ pro ea ſacrificium pretii noſtri jam „ juxta ſepulcrum poſito cadavere &c. „ Idem S. Doctor Lib. 22. de civ. Dei cap. 8. commemorat Miſſam pro liberatione domus a dæmonum vexatione celebratam, quæ & alia non niſi de Miſſis privatis intelligi queunt. Hoc ipſum non obſcure evincit multitudo in eadem Eccleſia altarium, quæ jam tempore Ambroſii erigebantur; ait enim Epiſt. 33. " Irruere in altaria &c. „ Sanctus Gregorius Magnus L. 5. Epiſt. 5. ad Palladium ſcribit in una Eccleſia tredecim altaria fuiſſe.

Quarta: Quod innuunt Patres & Concilia, dubio-procul ea qua par eſt reverentia accipi debet: Atqui & Patres, & Concilia Miſſas privatas plurimum commendant: Ergo &c. Probatur minor: S. Gregorius Nazianzenus extructo oratorio in parvula cellula, ſacra eo loci offerre ſolebat, ut teſtatur Sozomenus Lib. 7. c. 5. Concinit D. Auguſtinus, qui L. 22. de civ. Dei cap. 8. ſcribit quemdam e ſuis Presbyteris in domo ruſtica ſacrificium incruentum obtuliſſe. Suffragatur Theodoretus, aitque in hiſtoria religioſa ſe in cellula Maris Anachoretæ ſacra Myſteria celebraſſe. Gregorius Magnus Homil. 37. in Evangelia dicit Caſſium Narnienſem Epiſcopum, quandoque in Epiſcopi Oratorio Miſſam celebraſſe, eo quod ad Eccleſiam morbo irretitus deſcendere non valeret. Similia S. Joannes Eleemoſynarius fecit ipſo teſte Leontio, qui ejus vitam juris publici fecit. Demum ut alia multa omittam, S. Joannes Damaſcenus in Hiſt. de Barlaam, & Joſaphat, aſſerit Barlaam Presbyterum ſolitum fuiſſe, in ſua cellula ſolo præſente Joſaphat, Miſſæ ſacrificium offerre. Ergo &c.

Quinta: Quod vel ipſum Concilium Oecumenicum, ut gratum, & optimum habuit, uti licitum habendum eſt: Atqui res pro Miſſis privatis ita eſt. Et probatur: Ex Concilio Tridentino Seſſ. 22. c. 6. ubi dicit Miſſam privatam non eſſe abjiciendam, eo quod non dicatur privata ratione ſui, ſed ſolum ratione ritus ſolemnioris omiſſi; quandoquidem hujuſmodi Miſſa utique publica, & univerſalis eſt: Primo quidem ratione valoris ad omnes adſtantes ſeſe extendentis: 2. Ratione populorum cœtus, qui ſicut in ſolemniori, ſic & in iſta abſque numero adſtare poſſunt. 3. Ratione etiam Miniſtri, qui eſt publicus Eccleſiæ Miniſter. Sic loquitur ſacra Synodus: " Optaret quidem Sacro- „ ſancta Synodus, ut in ſingulis Miſ- „ ſis fideles adſtantes, non ſolum ſpiritua- „ li affectu, ſed ſacramentali etiam Eu- „ chariſtiæ perceptione communicarent, „ quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fru- „ ctus uberior proveniret: nec tamen ſi

„ id

Digitized by Google

„ id non ſemper fiat, propterea Miſſas „ illas, in quibus Sacerdos ſacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, ſed probat atque adeo commendat; ſiquidem illæ quoque Miſſæ vere communes cenſeri debent; partim, quod in eis populus ſpiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur. „

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OBJICIUNT: Miſſa privata illa cenſetur, in qua ſolus Sacerdos communicat: Atqui hujuſmodi Miſſa reſcindi neceſſe eſt, quippe quæ & Scripturæ, & traditioni opponatur: Ergo &c. Probatur minor: ea fuit Euchariſtiæ inſtitutio, ut omnes adſtantes ſacram ſumerent Euchariſtiam, quandoquidem Dominus Jeſus quum ſacra corporis, & ſanguinis ſui Myſteria inſtituit, ea Diſcipulis præſentibus ſumenda diſtribuit, præcipiendo ut in poſterum ſacrificium ſic celebrarent, ut habetur Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo &c.

Reſpondeo 1. Argumentum nihil probare, non enim Miſſa dicitur privata, eo quod omnis populus præſens non communicet, ſed ratione ritus ſolemnioris prætermiſſi. Et vero quis cordatus dixerit Miſſas ab ipſa vagiente Eccleſia, & ſæculorum ſubſequentium decurſu, a Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, maxime vero a ſummis Pontificibus in chordis & organo, & in omni muſicorum genere decantatas & celebratas non fuiſſe ſolemnes, & publicas, tametſi omnis populus in eis ad ſacram non accederet Synaxim.

Reſpondeo 2. negando Minorem. Ad probationem diſtinguo: Chriſtus ſacram diſtribuit cœnam omnibus diſcipulis præſentibus, ut perfectis, concedo: ut quid eſſentiale ſacrificio celebrando, nego. Namque etiamſi nemini tunc temporis dediſſet Euchariſtiam, nihilominus verum fuiſſet dicere Chriſtum, peracta conſecratione obtuliſſe ſacrificium: ultro tamen fatemur melius eſſe, ſi fieri poſſet, omnes adſtantes Miſſæ communicare, & hoc ad uberiorem e ſacrificio fructum recipiendum, ut ait Sacra Synodus Tridentina loco mox laudato.

Ad confirmationem diſtinguo: Præcepit Chriſtus ſacrificium fieri in ſui commemorationem, quantum ad communionem Sacerdotis, quæ eſt ſacrificii pars integrans, & complementum, concedo: & hoc ipſum claret ex eo quod iſtis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, omnes Apoſtolos inſtitueret Sacerdotes. Quantum ad communionem populi, ſubdiſtinguo: ſpiritualem, concedo. Adſtantes quippe fide, & charitate debent Miniſtro conſociari, ut fructum uberrimum e ſacrificio percipiant: per communionem ſacramentalem, abſolute, nego. Quaſi vero quiſquam ſenſatus dixerit ſacrificium ita pendere ab adſtantibus, ut illis abſentibus, non fiat; cum in utraque lege, veteri ſcilicet, & nova tota ſacrificii eſſentia ſit penes Sacerdotem offerentem, & mactantem victimam in honorem Dei.

Inſtant: Act. 2. habetur, quod fideles, ne uno quidem excepto, perſeverarent in fractione panis: Igitur Miſſa privata in qua non communicat omnis populus, ſi non invalida, ſaltem ut quid illicitum, & traditioni Eccleſiæ contrarium reſcindi oportet.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum: Lutherani Miſſam quamdam publicam celebrant, & tamen multi præ infirmitate domi in lectulo jacentes, nec aſſiſtunt, nec valent ei adeſſe: nihilominus ſuam Miſſam ut ratam & genuinam habent: Igitur ex eorum principiis Miſſa non dicenda eſt privata, ea potiſſimum ratione, quod non omnes fideles communicent.

Reſpondeo 2. ut ſupra: Omnes quondam perſeverabant in fractione panis, ex ſumma devotione, & exardeſcente in Chriſtum amore, concedo: ita ut hoc foret abſolute neceſſarium, nego: Neque vero etiam probabile eſt omnes, ne uno quidem excepto, adſtantes in qualibet Miſſa communicaſſe, cum ſenes, & infirmi, deficientibus viribus, non poſſent ſemper ſufficienter attendere ad præparationes pro tanto ſacramento ſuſcipiendo requiſitas.

Eadem reſponſione ſolvitur argumentum ex cap. 10. 1. Cor. ubi S. Paulus deſcribendo ritum Cœnæ Domini, commemorat fidelium adſtantium communionem.

Urgent: Atqui eo loci Apoſtolus exigit omnium adſtantium communionem, & Miſſam privatam ut quid illicitum reprobat: Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Ibidem cap. 11. opponit Dominicam Cœnam cœnæ privatæ, iſtamque procul facit. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Apoſtolus opponit Cœnam Dominicam Cęnæ Laicæ, concedo: Cœnæ Euchariſticæ, nego. Pro more tunc erat poſitum divites ad menſam ſuam, vel ipſos pauperes convocare, maxime quia inter cęnandum ſacra diſtribuebatur Euchariſtia: Sed o fragilitas humana! Inter eos quidam ad myſterium non ſatis attendentes, non ſine magna & damnanda irreverentia ebrii erant, quem exceſſum zelo Domioi vere zelatus arguit Gentium Doctor, ſed ne minimum quidem de Cęna Euchariſtica privata per oppoſitionem ſeu exprobrationem loquitur. Hanc ſolutionem ipſe ſuppeditat textus: *Convenientibus ergo vobis in unum*, inquit Apoſtolus, *jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt &c.*

Reponunt: Canon 10. Apoſtolorum jubet excommunicari eos qui non permanent in Eccleſia, uſque dum Miſſa peracta ſit, & ſanctam non accipiunt Communionem: qui quidem canon renovatur in Concilio Antiocheno cap. 2. Suffragatur decretum Anacleti Epiſt. 1. ut legere eſt apud Gratianum canone *Peracta*, de Conſec. diſt. 2. his verbis: " Peracta conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia." Ergo &c.

Reſpondeo, has & ſimiles auctotitates unum aut alterum dumtaxat innuere, videlicet melius eſſe adſtantes Miſſæ communicare, quam a ſacra Euchariſtia temperare; tum eos qui ex ſuppina ſocordia a ſacra abſtinent Euchariſtia, vel etiam ſuperſtitionis motivo peccati reos eſſe.

Inſtat: In Canone Miſſę habetur: *Quotquot ex hac altaris participatione ſumpſerimus*: Et *Sacramenta quæ ſumpſimus &c.* Sed hæc inania ſunt ſi omnes adſtantes ad ſactam non accedant menſam: Ergo &c.

Confirmatur: Humbertus contra Nicetam ſcribit imperfectam eſſe Miſſam, in qua non fit diſtributio Euchariſtiæ adſtantibus: Non abſimilia ſcribit Walafridus L. de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. ubi docet illam eſſe legitimam Miſſam, in qua quidem adſunt Sacerdos, Reſpondens, offerentes, & communicantes: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Miſſa eſt imperfecta ex parte adſtantis, ſi non communicet aut ſpiritualiter, aut ſacramentaliter, concedo: ex parte ipſius ſacrificii, nego. Dubio procul adſtantes ſaltem ſpiritualiter communicare debent: Sin minus leviorem ex ſacrificio frugem percipiunt: quocirca auctoritates habent ſolum pro fine & ſcopo non quidem Miſſam privatam arguere, ſed potius carpere adſtantium indevotionem. Et ſic patet reſponſio ad confirmationem.

Perſiſtunt: S. Baſilius in Pſ. 115. verſus finem ita loquitur: " Non in latebris deliteſcens ſacrificabo, ſed publicum exhibebo tibi ſacrificium." Igitur Miſſa privata propellenda eſt.

Reſpondeo diſtinguendo: Et eo loci S. Baſilius impugnat ſacrificium Schiſmaticorum, qui, relicta vera Eccleſia, in conventiculis ſacrificia offerre non ſine remeritate præſumunt, concedo. Sacrificium privatum in vera Eccleſia celebratum, nego. Baſilius eſt ſui ipſius interpres; hæc enim ibidem ſubjungit: " Audite qui Eccleſiam relinquitis, & in publicis domibus verſati, miſeras facitis corporis pretioſi ſciſſuras..... Tu aram erigis ex adverſo altaris tibi a Patribus conſtituti." Hinc ille Parer, & alii SS. Doctores debellant Schiſmaticorum ſacrificia, dicendo unum eſſe Dei & Eccleſiæ altare, in quo ſacrificium litandum & celebrandum eſt.

Replicat: S. Chryſoſtomus Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſios ait: " Fruſtra habetur oblatio quotidiana, cum nemo ſit, qui ſimul participet." Rurſus ibidem: " Quiſquis Myſteriorum conſors non eſt, impudens, & improbus adſtat." Ergo &c.

Reſpondeo 1. uſum obtinuiſſe apud veteres aliquos adſtantes ſacrificio non ſemper communicare, namque in Concilio Agathenſi ante undecim ſæcula celebrato can. 18. præcipitur Laicis ut ſaltem ter in anno, ſcilicet in Natali Domini, Paſchate

& Pen-

zed by Google

& Pentecoſte ſacram ſumant Euchariſtiam, & tamen canone 47. iiſdem injungitur ſingulis diebus Dominicis ſacro intereſſe Myſterio, idque uſque ad Sacerdotis benedictionem, quæ tamen ſub finem Miſſæ ſolum datur.

Reſpondeo II. ut ſupra diſtinguendo: Et ſic loquitur ſanctus Doctor ad ciendos pietatis affectus pro frequentiori communione, concedo: & improbat Miſſam privatam, nego. Hoc ipſum patet in ſecundo textu, ubi non reprehendit ſacrificium in privato loco oblatum, ſed ſolum indevotionem eorum, qui non ſine impudentiæ & irreverentiæ labe abſque devotione & communione ſaltem ſpirituali ſacræ adſtant Miſſæ.

Dices: Idem ſanctus Doctor Homil. 18. in 2. ad Cor. ea ratione abjicit Miſſam in qua ſolus Sacerdos communicat, quia ſacrificium non fit in novo Teſtamento ſicut in veteri, in quo ſolus Sacerdos participabat de altari: Ergo &c.

Reſpondeo, incaſſum iſtud objici, cum vel in ipſa lege veteri quandoque ſolus Sacerdos, quandoque etiam populus cum Sacerdote de victima oblata comederet: Senſus igitur Chryſoſtomi eſt, diſcrimen eſſe inter vetus & novum Teſtamentum, quod in illo major ſacrificii pars in utilitatem Sacerdotis cederet; minor vero offerenti præberetur; in iſto vero totus Chriſtus ſicut Sacerdoti celebranti, ſic & populo communicanti datur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Miſſa privata non eſt reſcindenda.

PRIMO: In eadem offertur victima a legitimo Miniſtro ſicut in ſolemniori, hinc & ipſa in his Chriſti verbis fundatur Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Secundo: Hoc ipſum docet univerſalis Eccleſiæ praxis, cum ab ipſa vagiente Eccleſia, exardeſcentibus in Chriſtianos perſecutionibus, ſancti Confeſſores in cryptis & cavernis ut plurimum ſacra celebrabant.

Tertio: Idem aſtruunt multa ſanctorum Patrum facta, immo & Concilia, maxime Nannetenſe can. 30. quod quidem ſatis habet, modo Presbyteri non celebrent Miſſam niſi habeant ſaltem unum ſecum qui reſpondeat. Ille canon citatur ab Yvone in decreto p. 3. c. 70.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Incaſſum adverſus Miſſam privatam opponunt exemplum Chriſti, qui omnes adſtantes in Cœna communicavit, cum ibi conſtitueret Apoſtolos Sacerdotes. Porro offerenti incumbere ſemper communicare in ſacrificio ultro fatemur, ſed non idem dicendum de omnibus adſtantibus.

Secundo: Nec feliciores ſunt Proteſtantes, dum pro ſua erronea opinione defendenda opponunt textum B. Pauli cœnam privatam criminantis 1. Cor. c. 11. eo enim loci non cœnam ſacramentalem, ſed ſolum uſualem, eamque intemperatam proſcribit.

Tertio: Non diffitemur SS. Patres quandoque arguere adſtantes Miſſæ, quod ſacram non ſumant Euchariſtiam, ſed ex hoc duo potiſſimum ſequuntur; primum quidem prioribus ſæculis omnes adſtantes ſacrificio non ſemper communicaſſe; alterum vero eſt, quod ex amoris refrigerio & indevotione ab Euchariſtia abſtinerent.

§. IV.

De Miſſa Præſanctificatorum in particulari.

DIXIMUS ſupra quid ſit Miſſa Præſanctificatorum: quia vero in diverſis locis diverſis motivis, vel etiam pro diverſis perſonis celebrari poteſt, dividitur in Miſſam quæ retinet Præſanctificatorum nomen: in Nauticam ſeu Siccam, & in Miſſam pro infirmo morti proximo. Prima celebratur in Eccleſia; altera in navi; tertia in infirmi cubiculo.

Miſſa Præſanctificatorum.

HÆC Miſſa celebratur die Paraſceves in Eccleſia Romana; in Græca vero omnibus jejunii Quadrageſimæ diebus præter Sabbatum, Dominicam, ſanctum Annuntiationis diem. Sic habetur in Conc. Trullano can. 52. his verbis: " In " omni-

Digitized by Google

„ omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii „ diebus, præter Sabbato & Dominica, „ & ſancto Annunciationis die fiat Sa„ crum Præſanctificatorum. „ Idem an„ te Concilium Laodicenum jamjam decreverat. Ritus eam celebrandi in Ecclesia Occidentali in Miſſali Romano ſic deſcribitur.

Primo, fit altaris incenſatio, tum Sacerdos inclinatus, junctis manibus, dicit: *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur a te, Domine, & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus*. Deinde verſus ad populum, dicit: *Orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*: Et omiſſis aliis ſic pergit: *Oremus, Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere. Pater noſter &c.* Reſpondet Chorus: *Sed libera nos a malo*: Sacerdos ſub ſilentio dicit, *Amen*, eadem voce qua dixit *Pater noſter*, abſolute ſine *Oremus*, dicit; *Libera nos quæſumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus & futuris; & intercedente beata & glorioſa Virgine Genitrice Dei Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris: ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eumdem &c.* ℟. *Amen*. Tunc elevata hoſtia ſuper patenam ut videri poſſit a populo, & ſtatim diviſa in tres partes, quarum ultimam mittit in calicem, nihil proferens, omiſſis *Pax Domini*, & *Agnus Dei*, ait: *Perceptio corporis tui, Domine Jeſu Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat in judicium, & condemnationem: Sed pro tua pietate proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis & ad medelam percipiendam. Qui vivis & regnas &c.* Tum genuflectit, & accipit patenam cum corpore Chriſti; & maxima humilitate ac reverentia dicit: *Panem cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo*: Percutit pectus ſuum ter, dicens: *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: Sed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*. Poſtea ſignat ſe Sacramento dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen*. Et ſumit corpus reverenter, deinde dicto: *Quod ore ſumpſimus Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum*; diſcedit cum Miniſtris ab altari.

Eodem ritu celebratur in Eccleſia Græca Miſſa Præſanctificatorum.

DE ritu ac modo hujus Miſſæ celebrandæ in Eccleſia Græca, audiendus eſt Leo Allatius in Epiſt. ad Naudæum: " Do„ minico die, *inquit*, Sacerdos ventu„ ræ hebdomadis dies quibus celebratu„ rus eſt, digitis ipſe ſuis numerat; inde „ tot particulas panis in oblatione abſci„ dit, quot Miſſas dicturus eſt, eas cum „ particula eo die abſumenda conſecrat, „ & conſecratas ſanguine Dominico in„ tinctas, ut moris eſt, conſervat in py„ xide; ex qua poſtmodum celebraturus „ tempore opportuno, cochleari, & aliis „ ibi ad alium uſum relictis, haurit, & „ in diſco reponit, & in altare majus „ advectam conſumit. „

De Miſſa ſicca ſeu Nautica in gratiam peregrinorum, & infirmorum inſtituta.

MISSA ſicca, ait Martenus L. 1. de Ritib. cap. 3. art. 1. quæ & nautica dicta eſt, eo quod in mari propter continuam navium vacillationem, & effuſionis periculum, loco perfectæ & integræ Miſſæ, celebrari ſoleret; in gratiam peregrinorum, infirmorum, eorumque qui domo exire, & Miſſæ publicæ intereſſe nequibant, maxime vero defunctorum, qui poſt prandium ſepeliebantur, inſtituta videtur. Prudentius Trecenſis Epiſcopus, qui ante annos octingentos ſanctitate florebat ejuſdem Miſſæ ordinem deſcribit in ſuo MS. Pontificali poſt Miſſam, *pro infirmo qui proximus eſt morti* inſcriptam: " Si autem infirmus ita lecto detentus eſt, „ ut ad Eccleſiam, vel ad Miſſam ire „ non poſſit, Sacerdos accipiet librum „ ſacramentorum, ſtolam ad collum ha„ bens, ſumma cum devotione veniat „ ad infirmum, ſalutans eum verbis divi„ nis. In primis dicat collectam ad diem „ pertinentem, & epiſtolam. Poſtea legat „ Evangelium: Deinde dicat: *Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Do„ mino*, Sequitur præfatio, uſque *Sanctus*. „ Inde dicat: *Oremus præceptis ſalutaribus*,

„ cum

Digitized by Google

„ cum oratione Dominica, uſque, *Per* „ *omnia ſæcula ſæculorum*. Poſtea commu- „ nicet eum: ſequitur oratio poſt com- „ munionem. „

Similia ſcribit Guillelmus Durandus in Rationali Lib. 4. c. 1. nu. 23. Hanc in Gallicano maxime locum habuiſſe docet Guido de Monte Rocherii in Enchiridio Sacerdotum tract. 4. cap. 7. cujus hæc verba maxime notanda ſunt: " Ap- „ probo iſtam conſuetudinem, quæ ſer- „ vatur in aliquibus Eccleſiis Gallicanis, „ quando ſcilicet dicta Miſſa, veniunt ali- „ qui peregrini ad aliquam Eccleſiam, „ ſi non ſit ibi aliquis Sacerdos paratus „ celebrare, Sacerdos induit ſe ſicut ſi „ deberet dicere Miſſam: & dicit eis „ Miſſam de B. Virgine Maria, vel de „ Spiritu ſancto, vel de Trinitate, vel „ de illo ſancto pro quo ſit peregrinatio: „ non tamen dicit canonem, nec conſe- „ crat: Sed oſtendit eis reliquias aliquas „ loco elevationis corporis Chriſti. Et iſta „ Miſſa vocatur Miſſa ſicca. „

Antiquitas Miſſæ Præſanctificatorum.

QUIDAM Miſſæ Præſanctificatorum antiquitatem plurimum ventilant: Non deſunt qui ejus exordium ab ipſis Apoſtolis ducant, quodquidem conjiciunt ex Concilio Laodicæno ſæc. 4. celebrato can. 49. ubi habetur de hujuſmodi Miſſa: " Non oportet in Quadregeſima panem „ offerri, niſi Sabbato, & Dominica „ tantum. „ Quibus verbis non ritum inſtituere, ſed potius confirmare videntur Patres Synodici. In eam ſententiam abit Allatius diſſ. de Miſſa Præſanctificatorum, num. 15. quibuſdam enim præmiſſis, de communione frequentiori primorum Chriſtianorum, ad quam non opus erat ſemper Liturgiam celebrare, ſic concludit: " Ergo circa Apoſtolorum, vel „ diſcipulorum ſubſequentium tempora, „ cum omnes communicare ſolebant, Li- „ turgia iſta Præſanctificatorum perage- „ batur. „ Uſus talis Miſſæ perſeverabat in Oriente ſæculo 7. ut indicant iſta verba canonis 52. Concilii in Trullo an. 692. celebrati: " In omnibus ſanctæ quadra- „ geſimæ jejunii diebus, præterquam & „ Sabbato, & Dominica, & S. Annun- „ tiationis die fiat ſacrum, Præſanctiſi- „ catorum Miniſterium.

§. V.

De diebus quibus ab omni ævo Eccleſia ſolitita fuit ſacram Miſſam celebrare.

NON una fuit in utraque Eccleſia conſuetudo certis diebus celebrare Miſſam. Citra dubium eſt Græcos jejuniorum diebus Miſſam perfectam non celebrare, eo quod, inquiunt auctores, jejunium quemdam importat luctum, Miſſa vero completa lætitiam. Hanc affert rationem Zonaras in canonem 52. Trullanum, nec ut plurimum niſi ſemel in uno die Liturgiam celebrant. Non ſic in Eccleſia Latina, in qua omnibus anni diebus, ſi diem Paraſceves, & Sabbati ſancti excipias, Miſſa celebratur. Hoc ipſum annuntiat Gregorius Magnus Lib. de Sacramentis, ubi variæ habentur Miſſæ. Nam in editione Pariſ. an. 1675. refertur Miſſa in Vigilia Nativitatis Domini ad nonam: altera in eadem Vigilia in nocte. Item Miſſa prima mane ad S. Anaſtaſiam: Rurſus altera in die natali Domini: Tum Miſſa in natali S. Stephani; deinde in natali S. Joannis, poſtea in natali SS. Innocentium; in Vigilia, & die Epiphaniæ, in feſto S. Agnetis, S. Sebaſtiani, converſionis S. Pauli &c. Quibus omnibus præmittit canonem infra citandum. Sed ut aliquo procedamus ordine.

Dico Primo, prioribus Eccleſiæ temporibus Miſſam fuiſſe ſolum die Dominico celebratam. Sic colligitur ex Apoſtolo 1. Cor. 16. ubi præcipit Apoſtolus ut per unam Sabbati, id eſt, primam Sabbati, ſeu Dominico die Collectæ fiant. Hoc denotat Juſtinus Martyr. Apolog. 2. eo quippe loci tractans de Chriſtianis conventibus ad ſacra Myſteria celebranda, diem Dominicum tantummodo commemorat.

Secundo: Decurſu temporum tribus Hebdomadæ diebus ſacrum confectum eſt: ſic colligitur ex Epiphanio, qui in expoſitione fidei Catholicæ ita loquitur: " Sacri „ porro conventus, & Synaxes ab Apoſto- „ lis inſtituti ſunt his potiſſimum diebus, „ quarta, ſextaque feria, & Domini- „ ca. „ Hoc eſt ſic in poſterum fieri decreverunt. Suffragatur Tertullianus Lib. de Oratione.

Tertio: Tum factum eſt, ut Miſſa celebra-

lebraretur quatuor diebus : Uſum hunc obtinuiſſe in Oriente refert Baſilius Epiſt. 289. ad Cæſaream Patriciam : " Nos, „ *inquit*, quater ſingulis ſeptimanis com„ municamus, Dominico die, feria quar„ ta, in Paraſceve, & Sabbato ; ſed & „ per dies etiam alios, ſi Martyris alicu„ jus memoria celebretur . „

Quarto : In Africa tempore Auguſtini, ut plurimum quotidie ſacrificium offerebatur. Hoc innuit S. Doctor Serm. 58. novæ editionis de oratione Dominica ad Competentes : " Oratio, *inquit*, quoti„ die dicenda eſt vobis cum baptizati „ fueritis. In Eccleſia enim ad altare Dei „ quotidie dicitur iſta Dominica oratio, „ & audiunt illam fideles. „ Expreſſius „ Epiſt. 98. his verbis: " Non ſemel im„ molatus eſt Chriſtus in ſe ipſo, & tamen „ in Sacramento non ſolum per omnes Pa„ ſchæ ſolemnitates, ſed omni die popu„ lis immolatur. „

Eadem tunc florebat conſuetudo in Hiſpania, habetur enim in primo Concilio Toletano an. 400. " Presbyter vel Diaco„ nus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ec„ cleſiæ deputatus Clericus, ſi intra ci„ vitatem, vel in loco in quo Eccleſia eſt, „ aut Caſtello, aut vico, aut villa, ad Ec„ cleſiam, ad ſacrificium quotidianum „ non acceſſerit ; Clericus non habea„ tur . „

Conſtantinopoli vel ipſis quotidianis diebus eodem circiter tempore Miſſa celebrabatur ; ſic enim loquitur Chryſoſtomus Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſios : " Fruſtra habetur quotidiana oblatio, „ fruſtra ſtamus ad altare, nemo eſt qui „ ſimul participet . „ Quibus verbis increpat eos qui Miſſis quotidianis adſtantes, non tamen quotidie de altari participabant.

De Miſſis privatis quotidie celebrandis jam diximus. Teſtis Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 21. ſi vero de ſolemnioribus ſermo ſit, certum eſt & experientia probat quotidiana, quandoque unam, quandoque etiam plures in una & eadem Eccleſia, & celebratas fuiſſe, & celebrari. Teſtis eſt S. Leo Ep. 11. novæ edit. ad Dioſcorum Alexandriæ Epiſcopum : " Ut autem, *inquit*, in „ omnibus obſervantia noſtra concordet, „ illud quoque volumus cuſtodire, at cum „ ſolemnior quæque feſtivitas conventum „ populi numeroſioris indixerit, & ea „ fidelium multitudo convenerit, quam „ recipere Baſilica ſimul una non poſſit, „ ſacrificii oblatio indubitanter iteretur. „ Plures in die natali ex S. Gregorio L. de Sacramentis commemoravimus. Tempore S. Auguſtini bis in cœna Domini corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium offerebatur, ſemel mane a jejunis, & ſemel ſero a refectis, quod quidem nec ipſe improbat, reſpondens ad Januarium Epiſt. 54. novæ editionis, qui eum ea de re interrogaverat. Demum in ordine Gelaſiano quinti circiter ſæculi, tres Miſſæ habentur; una ſcilicet pro reconciliatione Pœnitentium, altera *Chriſmalis* dicta pro confectione ſacri Chriſmatis ; tertia ad veſperam. Quarta legitur in veteri codice Bibliothecæ Regiæ annorum circiter 900.

Neque vero prætermittendum eſt in codice Gellonenſi annorum 900. exarato duas haberi Miſſas in Litania majori, hoc eſt in Rogationibus. Primo die, unica ſecundo, duæ tertio, præter eam quæ eſt de Vigilia Aſcenſionis. Ceterum in optimæ notæ MS. libro ſacramentorum Eccleſiæ Turonenſis annos 800. exarato, in Vigilia Aſcenſionis tres Miſſæ deſcribuntur, præter eam quæ eſt de Litania majore. In ordine Gelaſiano duæ habentur in Aſcenſione Domini.

Ex omnibus dictis liquet Miſſæ ſacrificium eſſe Chriſto coævum : perſeveraſſe, & in primo ſæculo, ut liquet ex Liturgiis Apoſtolorum, & ſecundo ſæculo, cum de eo Juſtinus Apologia 2. mentionem faciat ; tum tertio, & teſtis eſt Tertullianus Lib. de Oratione ; quarto, quod Liturgia tum S. Baſilii, tum D. Chryſoſtomi annuntiant : Quinto vero, ut fert liber ſacramentorum Gelaſii Papæ ; ſexto, & ſeptimo cujus irrefragabile teſtimonium eſt liber Sacramentorum magni Gregorii Papæ.

§. VI.

De aliis Miſſis.

OMNES norunt Miſſas, alias celebrari in Myſteriorum feſtivitate ; alias in honorem Sanctorum, ut colligere eſt ex libro Sacramentorum D. Gregorii laudato ; alias dici votivas, quæ juxta neceſſitatem vel

Digitized by Google

vel etiam temporum, aut perſonarum exigentiam celebrantur, modo de ſacratiſſima Trinitate, modo de beatiſſima Virgine, vel de ſanctis Angelis, & Apoſtolis, aliiſque Sanctis, ut legitur ad calcem Miſſalis Romani.

Neque tamen oblivioni tradendum eſt, ſacrificium ſoli Deo offerri; hinc cum Miſſa dicitur de aliquo Sancto celebrari, intelligendum eſt in honorem hujus Sancti, & ad gratias pro ejus gloria, ac triumpho Deo rependendas. Hoc ipſum innuit S. Auguſtinus L. 20. contra Fauſtum c. 21. his verbis: " Nulli Martyrum, quamvis „ in memorias Martyrum conſtituimus „ altaria. Quis enim Antiſtitum in locis „ ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, „ aut Paule, aut Cypriane: Sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres co„ ronavit apud memorias eorum, quos „ coronavit. „ Ratio eſt, quia ſacrificium offertur in recognitionem ſupremi dominii quod ſoli Deo competit, quippe qui ſolus ſit auctor vitæ, & mortis.

Quod autem citra omnem injuriam ſacrificium offeratur pro Sanctis ſeu in honorem Sanctorum, non una evincit ratio. I. Quia ſacrificium incruentum eſt Euchariſticum, hoc eſt ad gratias Deo pro beneficiis acceptis reddendas: Igitur & recte ad laudandum Deum, qui eſt per omnia in Sanctis ſuis mirabilis. II. Licitum eſt advocare Sanctorum auxilia, quod quidem recte fit ſacrificio Euchariſtico, cum ipſi moveantur ad ſuccurrendum eis qui de eorum gloria non ſine magno animi jubilo lætantur, & complacent. Tertio, hoc aſtruitur in omnibus Liturgiis ſupra citatis, ubi ritus habentur de modo ſacrificium offerendi in laudem Sanctorum. Inſtar omnium ſit Liturgia S. Baſilii, ubi peracta conſecratione fit memoria Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, atque omnium Sanctorum, in primis vero ſanctæ Dei Genitricis: Ut, *inquit Sacerdos*, aſſiduas pre„ ces pro nobis tibi offerant, eoque me„ moriam illorum celebramus, ut quan„ do nobis ipſi parum fidimus, memoria, „ & legatione illorum protecti, per eos „ audeamus ad te accedere, atque tremen„ do hoc, & ſacro munere defungi.

Chryſoſtomus non abſimilia profert in ſua Liturgia his verbis: " Honorabi„ lium, incorporalium ſupercæleſtium, „ S. Joannis Præcurſoris & Baptiſtæ, „ SS. glorioſorum Apoſtolorum, S. Hu„ jus, cujus memoriam agimus, & om„ nium Sanctorum tuorum; quorum ſup„ plicationibus, reſpice nos Deus..... „ Stabili noſtros greſſus precibus, & ſup„ plicationibus S. Deiparæ, & ſemper „ Virginis Mariæ, & omnium Sancto„ rum.

Demum eſt etiam Miſſa pro defunctis in purgatorio degentibus, de qua ſufficienter loquuntur auctores. Eadem eſt, eodemque ritu celebratur ac alia Miſſa tum privata, tum ſolemnis, cum utroque ritu peragatur, ſi excipias introitum, *Gloria in excelſis*, Symbolum, & primam orationem ante offerentis communionem, quæ eſt de pace, quæque cum ceteris prænominatis omittitur. In *Agnus Dei* dicitur, *Dona eis requiem*. Benedictio ſub finem populo non datur.

SECTIO SECUNDA.

De diſpoſitionibus, ſeu Cæremoniis ad Miſſam requiſitis.

JAM non ad diſpoſitiones præciſe, ſed potius ad actiones, & ritus quibus incipit, continuatur, & completur Miſſa gradum facimus.

§. I.

De acceſſu Sacerdotis ad altare, de Pſalmo Judica, *& confeſſione.*

OMNIBUS ad celebrandum ſacrificium paratis, juxta Rubricas, Sacerdos, ſi agatur de Miſſa privata, ea qua par eſt gravitate, & modeſtia pergit ad altare. Si vero ſermo inſtituatur de Miſſa ſolemniori, præcedente cruce, præcedentibus, & Miniſtris cum luminaribus, & thuriferariis, Sacerdos, ſeu etiam Pontifex, cum magno apparatu egreditur e ſacrario, quod olim in inferiori Eccleſiæ parte eſſe ſolebat, per navim, mediumque chorum procedit, quæ quidem conſuetudo ad hæc uſque tempora ſervatur in Eccleſia S. Martini apud Turones. Epiſcopus perveniens ad altare adorat ſancta, tum facta confeſſione, quondam oſculabatur textum S. Evangelii. In Rhemenſi Cathedrali Sub-

Subdiaconus porrigendo Evangelium Sacerdoti oſculandum in ingreſſu altaris, ſolebat dicere: *Hæc lex eſt ſancta, Pater*. Sacerdos vero reſpondebat: *Credo*, & *Confiteor*. Primo quidem, pronuncistur Pſ. 42. *Judica me Deus*, ſi ſit Miſſa ſolemnis, chorus cantat Antiphonam juxta ritum, & qualitatem Miſſæ celebrandæ, ut habetur in Miſſa ſanctiſſimæ Virginis: *Gaudeamus omnes &c.* Interim Sacerdos ſuam emittit confeſſionem, quam quidem dirigit & ad Deum, & ad Sanctos, ut iſtorum advocet auxilium, tum quia omnes offendit juxta illud filii prodigi Luc. 15. *Peccavi in cœlo & coram te*. D. Auguſtinus. L. 22. de civ. Dei cap. 8. multa de hoc momento enarrat.

In privatis Miſſis, facta confeſſione, Sacerdos aſcendit ad altare, illudque prævia oratione deoſculatur. Ex antiquo Miſſali Eccleſiæ Antiſſiodorenſis hanc fundebat orationem. *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum: voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt*. Deinde oſculabatur altare pedeſque crucifixi, ſi eſſet in altari, aut ſaltem imaginem initio Miſſalis olim depingi ſolitam, dicens hanc, & ſimilem orationem: *Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemiſti mundum. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, o beata Trinitas*. Qui ritus, inquit Martenus L. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus pag. 357. in omnibus paſſim vigebat Eccleſiis, ut probant antiqua earum Miſſalia. In Turonenſi vero præſcribitur, ut *oſculando patenam*, dicat Sacerdos: *Adoramus te Chriſte, quæſumus Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum. Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c. Sit nomen Domini benedictum &c. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen*. Deinde legat Antiphonam ad introitum. In MS. autem Miſſali majoris monaſterii, quod olim videtur uſui fuiſſe celebri Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, hæc leguntur. Sacerdos " Aſcendat ad altare, & deoſculetur „ illud, & textum dicendo ſic. „ *Pax Chriſti, quam nobis per Evangelium ſuum tradidit, conſervet, & confirmet corda, & corpora noſtra in vitam æternam. Amen*.

Verſiculus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, qui additur ad introitum a S. Hieronymo ad expoſtulationem Damaſi Papæ fuit compoſitus; ſic ſcribit Alcuinus L. de officiis divinis. Sic Walafridus de obſervationibus Eccleſiaſticis c. 25.

§. II.

De Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, Dominus vobiſcum, & Collecta.

ISTA invocatio, Kyrie eleiſon a Græcis ortum habet, ſeu a verbo Græco quod ſonat ſupplicare. Legitur in Liturgiis S. Jacobi, Baſilii & Chryſoſtomi. Immo vel in ipſa Eccleſia Latina antiquitus obtinuerat uſus illam precem fundere. Sic legitur apud S. Gregorium L. 7. Epiſt. 63. dicentem in more fuiſſe poſitum Eccleſiam Romanam veteres ſervare cæremonias. Eamdem vocem ter uſurpant Ambroſiani, ſcilicet poſt *Gloria in excelſis*, poſt Evangelium, & in fine Miſſæ. Eadem & in Liturgia Gallicana ex decreto Concilii ſecundi Vaſenſis can. 2. decantabatur. Hymnus Angelicus ſtatuto S. Theleſphori Papæ in Miſſa decantandus additus eſt, ut ſcribit Walafridus c. 22. de obſervationibus Eccleſiaſticis, a S. vero Luca c. 2. ortum habet. Legitur etiam in Liturgia S. Jacobi. S. Gregorius Miſſæ ordinem initio libri Sacramentorum deſcribens, ait: " *Item dicitur Gloria in* „ *excelſis Deo*, ſi Epiſcopus fuerit, tan„ tummodo die Dominico, ſive diebus feſ„ ſtis. „ Tum poſtea ſtatutum eſt ut etiam a ſimplici Sacerdote in ſingulis Miſſis, ſi votivas excipias, diceretur.

Tum ſequitur iſta ſalutatio, *Dominus vobiſcum*, qua quidem cæremonia, inquit Bellarminus hic L. 2. de Miſſa c. 16. pag. 1112. utimur quotieſcumque populum excitamus, vel ad orandum, vel ad audiendum. Subjicit idem auctor poſt ſalutationem dici collectam. Collecta quidem dicitur, quia eſt oratio pauciſſimis verbis comprehenſa, qua quidquid pro totius populi utilitate eſt, a Deo poſtulat Sacerdos: Sic docet Strabo cap. 22. & Mycrologus c. 3. obſervat. Eccleſiaſt. Collectæ antiquitas dignoſcitur ex uſu qui fuit

ab-

ab omni ævo in Eccleſia, ita ut numquam Chriſtiani congregarentur, quin finis eſſet oratio; hoc liquet ex Juſtino Apologia 2. tum & Tertulliano in Apologet. cap. 39. Collectæ formulam tradit Concilium 3. Carthaginenſe c. 23. videlicet ut oratio dirigatur ad Patrem, tum & terminetur invocatione & Filii, & Spiritus ſancti: cur autem primum dirigatur ad Patrem, Tertullianus L. de Oratione hanc reddit rationem, propter ſcilicet Eſſentiæ unitatem; hinc in Patre intelliguntur ſemper & Filius, & Spiritus ſanctus. Demum terminatur per iſtud vocabulum *Amen*, a toto populo vel miniſtro conclamatum, quæ vox ſignificat credere, ait Bellarminus ibidem: Subjicit pag. 1114. " Eſſe autem uſum antiquiſſimum reſpondendi *Amen*, patet ex Apoſtolo. 1. Cor. 14. *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo reſpondebit, Amen?* Idem patet ex Juſtino in 2. Apolog. Extrema, Hieronymo in Proleg. L. 2. in Epiſt. ad Gelatas: & Auguſtino in Epiſt. 109. ad Vitalem. " Initium iſtud non ſine fundamento ab ipſa veteri lege deduci poteſt, cum non ſemel in fine quorumdam Pſalmorum reſpondeat populus, *Fiat*: qua quidem reſponſione populus in corde ſuo veluti adunat omnium Sanctorum, & totius Eccleſiæ vota ad laudandum Deum, quem quidem laudare ſufficienter impares ſumus; hinc iſta brevis reſponſio, & oratio ſupra modum præclara, & egregia eſt, ac Deo grata, immo & digniſſima.

§. III.

De Epiſtola, & Graduali.

Absoluta Collecta, ſequitur lectio quædam Scripturæ ſacræ modo ex veteri, modo etiam ex novo Teſtamento excerpta. Uſus iſte, vel ab ipſa Eccleſiæ origine obtinuit, cum Diaconi aliqua pia lectione condirent menſam ſacram tum ad conſolationem, tum etiam ad inſtructionem fidelium. Hujuſmodi lectionis meminit Juſtinus Apolog. v. ubi dicit in Synaxi lectiones ex Prophetis, & Apoſtolis legi conſueviſſe: eam commemorat Dionyſius cap. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia: Eamdem non ſilet Tertullianus Apolog. c. 39. In Ambroſiano, & Mozarabico Miſſalibus duæ quotidie præſcribuntur lectiones dicendæ ante Evangelium, una ex veteri, altera ex novo Teſtamento. Hoc ipſum erat in uſu in Gallicana Liturgia tempore Gregorii Turonenſis, quippe qui Lib. 1. de miraculis S. Martini c. 5. ſic loquatur: " Factum eſt ut illa Dominica prophetica lectione jam lecta, ante altarium ſtarent, qui lectionem B. Pauli proferret. "

Uſus de Graduali cantando poſt lectionem epiſtolæ perantiquus eſt; nam in Eccleſia Græca quid ſimile legitur in Liturgia S. Chryſoſtomi: decurſu temporum mos inolevit in Eccleſia Latina Graduale ſubjicere inter Epiſtolam, & Evangelium, qui quidem mos nono ſæculo vigebat, ut conſtat ſæculo 13. ut colligitur ex Sicardo Cremonenſi Epiſcopo in ſuo Miſſali manuſcripto. Bellarminus ibidem pag. 1114. de hoc momento ita loquitur: " Sunt autem quatuor genera horum verſiculorum: nam alii dicuntur Reſponſorium, ſeu Graduale, alii, *Alleluja*, alii Tractus, alii Sequentia, ſeu Proſa. Reſponſorium dicitur, quia uno incipiente, alii reſpondent, ut ſcribit Rabanus L. 2. de inſtitut. Clericorum, cap. 51...... Porro Alleluja, quod ſignificat, *Laudate Dominum*, canitur poſt Graduale, teſte Walafrido, c. 21. & ejus loco in diebus jejuniorum dici ſolet Tractus, qui ſunt alii verſiculi ex Scripturis deſumpti; dicuntur autem hi verſiculi Tractus, quia graviter, & tractim cani debent in ſignum mæſtitiæ, ut placet Durando. Denique in feſtis ſolemniſſimis, ut in Paſchate, & Pentecoſte, addi ſolet Sequentia, ſeu Proſa, qui ſunt verſus quidam Rythmici.

§. IV.

De Evangelio, Symbolo, Offertorio, Præfatione &c.

Pro more ſemper poſitum eſt Evangelium, aut legere, aut cantare in cœtu fidelium, quippe quod ſit verbum totam vitæ Chriſti rationem, & Myſteria ſive credenda, ſive obſervanda complectens. Primum quidem unus Clericus indiſcriminatim legebat Evangelium, ut colligitur ex Cypriano, Epiſt. 33. & 34. & ex Concilio Toletano I. c. 2. poſtea vero

ad

ad honorem, & majorem ſolemnitatem iſta provincia demandata eſt Diaconis, juxta illud Hieronymi Epiſt. ad Sabinianum: " Evangelium Chriſti quaſi Diaconus le„ ctitabas: „ Concilium Vaſenſe anno 529. can. 2. de eodem capite ſic loquitur: " Si „ enim digni ſunt Diaconi quæ Chriſtus „ in Evangelio locutus eſt legere, qua„ re indigni judicentur ſanctorum Patrum „ expoſitiones publice recitare. „ Locus ad legendum Evangelium deſtinatus quondam erat Ambo, ſeu pulpitum, qui ritus ad hunc uſque diem perſeverat, maxime in Cathedralibus Galliarum, ubi in eminentiſſimo loco, Odeo nuncupato, Diaconus præcedentibus cruce, & Miniſtris a toto populo conſpectus, & auditus, non ſine magna pompa, altiſſima, & ſonora voce decantat Evangelium. Uſus olim obtinuerat Romæ ut Græce, & Latine in præcipuis anni feſtivitatibus pronunciaretur: ſic ſcribit Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus Lib. 3. Dialogorum cap. 16. cujus ritus hanc reddit rationem: " In urbe „ Roma utriuſque linguæ ſermo uſitatus „ vigebat, & viciſſim Latini Græca, & „ Græci Latina lingua utebantur, & „ neutra fuit aliena Romam habitanti„ bus. „ His etiam diebus eodem modo annunciatur Evangelium quot annis in Abbatia S. Dionyſii prope Pariſios die Octava S. Dionyſii, ſimiliter & Epiſt. in ſignum unionis, & concordiæ, ſeu conſenſionis Eccleſiæ Grecæ cum Latina.

Poſt Evangelii lectionem homilia, ſeu ſermo exhortatorius ad populum prioribus ſæculis fiebat, ut legitur Apologia 2. S. Juſtini, tum Lib. 8. conſtitut. Apoſt. c. 4. & apud S. Audoenum, in vita S. Eligii L. 2. c. 22. In manuſcripto Pontificali Guillelmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi, quod olim uſui fuit Eccleſiæ Catalaunenſi, hæc habentur: " Prædicatione fini„ ta, fit confeſſio generalis, vel per Dia„ conum, vel per Sacerdotem miniſtrum „ &c. „ Pontificale Rom. ſub Leone Papa X. editum, præſcribit ut Concionator antequam aſcendat ad pulpitum a Pontifice petat: " Quantum indulgentiarum debeat „ populo annuntiare. „ Tum addit: " Fi„ nita prædicatione, expectat in pulpito „ Prædicator, & Pontifex cum mitra ac „ omnes alii ſurgunt. Diaconus vero ſtans „ inclinato capite, ante Pontificem cum „ mitra ſtantem dicit: Confiteor Deo om„ nipotenti &c... Tum prædicator ſtans „ in pulpito prædicto annuntiat indulgen„ tias populo dicens. „ *Reverendiſſimus in Chriſto P. & D. D. N. dat & concedit omnibus hic præſentibus* XL. *dies de vera indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta. Orate Deum pro felici ſtatu S. Matris Eccleſiæ.*

„ *Symbolum*, inquit, Bellarminus hic „ L. 2. de Miſſa c. 17. p. 1116. recte poſt „ Evangelium pronunciatur, quia fides „ ex auditu verbi Dei ſequitur. Uſus au„ tem Symbolum C. P. in Miſſa canen„ di apud Orientales antiquior eſt, quam „ apud Occidentales: nam in Miſſa Chry„ ſoſtomi expreſſe habetur, & idem ex „ Concilio 3. Toletano colligitur: Scri„ bit etiam Walfridus Strabo, c. 22. apud „ Germanos, & Gallos, uſum Symboli „ ad Miſſas recitandi, tempore Caroli „ Magni potiſſimum invaluiſſe, occaſione „ Felicis Urgelitani Epiſcopi, qui eo „ tempore hæreſeos damnatus fuerat. „ In Liturgia S. Baſilii ita habetur: " Dia„ conus, intendamus, & canamus Sym„ bolum. Et cantant omnes Symbolum, „ incipiente Archidiacono, poſt Symbolum „ tollitur linteum deſuper muneribus. „

Offertorium, ea actio Miſſæ dicitur, qua Sacerdos oblata conſecranda offert Deo: vel etiam qua populus quædam Eccleſiæ munera præbet: Sicque duplex diſtinguitur oblatio, una, quæ a Sacerdote, altera quæ a populo fit. Prior ut enarrat Walafridus, c. 22. & Micrologus cap. 10. his verbis concipitur: *Suſcipe ſancte Pater &c. Offerimus tibi Domine &c. Veni ſanctificator &c. In Spiritu humilitatis &c. Suſcipe ſancta Trinitas &c.* De poſteriori multus eſt ſermo apud ſacros Scriptores can. 3. Apoſtolorum ſic habetur. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, mel, aut lac, pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatila, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Ea nimirum omnia ad victum Clericorum, viduarum, & pauperum a fidelibus eis offerebantur.

Rurſus can. 4. *Offerre non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt incenſum tempore quo ſancta celebratur oblatio.* Ex his liquet quænam eſſent pro muneri-

Digitized by Google

neribus offerenda. Unum tamen obſervandum eſt, non omnibus licitum fuiſſe dona offerre; ab hoc enim honore excommunicati, Catechumeni, Energumeni, & Pœnitentes excipiebantur, ſicut & mulieres menſtruo tempore, ut habetur ex Concilio Moguntino can. 6. apud Burchardum L. 19. cap. 40.

Neque vero prætermittendum eſt Clericos ad altare, laicos vero extra chorum quondam ſua obtuliſſe munera. Principes quidem in Senatorio, qui locus ipſis erat aſſignatus ad auſtralem partem, reliqui vero in locis ſibi in Eccleſia conſtitutis; ad quæ pergebat Pontifex, ſeu etiam Presbyter celebrans; a qua tamen lege immunes erant Imperatores, qui ad altare ſuas deferebant oblationes, ut colligitur ex Theodoreto L. 5. hiſt. Eccleſiaſticæ c. 18. Nunc uſus obtinuit omnes accedere ad altare, ut ſua dona eum mundiſſimis linteaminibus offerant. Anonymus Turonenſis in ſuo MS. ſpeculo, quod ſub finem ſæculi 12. compoſuiſſe videtur de rebus offerendis, ita ſcribit: " Sciendum „ itaque, quia quatuor ſunt quæ ad Miſ„ ſam offerre conſuevimus, panis vinum, „ denarius, & candela.

Jam ad præfationem gradum facere juvat. Inſtituta eſt ut fideles adſtantes ad tremenda myſteria diſponantur: Ejus antiquitatem vix aliquis debellare poſſit: legitur quippe in Liturgiis antiquiſſimis, quas non ſemel commemoravimus, & quarum quædam exemplaria infra adjicientur. S. Cyprianus Lib. de Oratione, de ea ſic loquitur: " Quando ſtamus „ ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigi„ lare, & incumbere ad preces toto cor„ de debemus. Cogitatio omnis carnalis, „ & ſæcularis abſcedat, nec quidquam „ tunc animus quam id ſolum cogitet quod „ precatur. Ideo & Sacerdos ante ora„ tionem præfatione præmiſſa, parat fra„ trum mentes dicendo, Surſum corda, „ ut dum reſpondet plebs, Habemus ad „ Dominum; admoneatur nihil aliud ſe „ quam Dominum cogitare debere. „ Sanctus Auguſtinus Epiſt. 57. quæ eſt ad Dardanium meminit Præfationis.

§. V.

De Hymno Seraphico.

GRÆCI hunc hymnum, Triſagium appellant, quod in Liturgia tam Latina quam Græca, immediate ante canonem recitatur. Uſum ejus eſſe antiquiſſimum annuntiant Liturgiæ. De eodem fit mentio in antiquo Græcorum menologio poſt an. 446. Commemoratur etiam in Epiſtola Felicis Papæ III. ad Gnaphæum Patriarcham Antiochenum. Hymnus iſte deſumptus eſt partim ex cantico Seraphinorum, quos Iſaias c. 6. introducit Deum adorantes, partim ex laude, quam pueri Hebræorum, Chriſto introeunte cum triumpho in civitatem ſanctam Jeruſalem in die palmarum pſallebant. De eo fit peculiaris mentio in Concilio Vaſenſi, canone 4. alias canone 6.

§. VI.

De Canone Miſſæ.

PLURA in canone diſcutere operæ pretium eſt, ut os Proteſtantium iniqua loquentium contundatur, videlicet de nomine, auctore, antiquitate, veritate orationum in ipſo contentarum, ubi & de ſacris Diptychis.

Primo: Vox illa canon, idem ſonat ac regula, quandoquidem eſt Ordo quidam precum quas fundit Sacerdos in parte myſterii principaliori. Vigilius Papa Epiſt. 2. ad Eutherium, & S. Gregorius L. 7. Epiſt. 64. illum appellant *canonicam precem*, nonnulli *ſecretam*, alii *actionem*, quatenus eſt ordo conficiendi corporis, & ſanguinis Domini. Concilium Eboracenſe tempore Cæleſtini Papæ III. de Canone ſic loquitur: " Quia ſecretum Miſſæ „ frequenter invenitur aut ſcriptoris ſil„ ſitate, aut librorum vetuſtate corru„ ptum, ita ut diſtincte legi non poſſit; „ Archidiaconorum ſolicitudo provideat, „ ut in ſingulis Eccleſiis ad verum, & „ probatum exemplar canon Miſſæ cum „ omni diligentia corrigatur. „ Concilium Oxonienſe ſub Honorio III. c. 23. idem decernit, & Canonis nomine celebrat iſtam Miſſæ partem: " Ut Archidiaconi, *inquit*, ... in ſua viſitatione pro-

,, videant, ut Canon Miſſæ emendetur,
,, ſi ſint in eo defectus. ,,

Secundo: Antiquitatem Canonis Apoſtolis
coævam eſſe colligitur ex Vigilio Papa,
qui Epiſt. 2. ad Eutherium c. 5. ex Apo-
ſtolica traditione ſuſceptum commemorat.
Concilium Tridentinum Seſſ. 22. c. 4. aſſe-
rit Canonem conſtare ex ipſis Domini ver-
bis, ex Apoſtolorum traditionibus, ac SS.
Pontificum inſtitutionibus. Quid plura
commemorem? Antiquitatem Canonis om-
nes Liturgiæ indicant. Certum eſt etiam
illum, qualis habetur in Miſſalibus ante
annum Domini 800. extitiſſe, ut conſtat
ex ordine Romano, & L. Sacram. D.
Gregorii in quo totus legitur.

Tertio: Bellarminus hic L. 2. de Miſſa
c. 19. pag. 1121. cap. 19. paucis & an-
nuntiat & probat Canonis auctorem:
" Primus quidem, *ait*, qui formam ali-
,, quam ſacrificii celebrandi, adjunctis ni-
,, mirum ad verba Domini certis precibus,
,, & ritibus, Romanæ Eccleſiæ dedit, S.
,, Petrus fuit, ut Iſidorus teſtatur L. 1. de
,, officiis, c. 15. ſed poſtea tamen diverſi
,, Pontifices preces diverſas addiderunt,
,, uſque ad Gregorium I. qui fuit ulti-
,, mus eorum, qui ad Canonem aliquid
,, adjunxerunt, ut ex Walafrido colligi
,, poteſt, L. de obſervationibus Eccleſia-
,, ſticis c. 22. ,,

Quarto: Idem Vigilius loco mox cita-
to dicit, unicum fuiſſe pro omnibus Miſ-
ſis in Eccleſia Romana Canonem: " Or-
,, dinem quoque purum, *ait*, in celebri-
,, tate Miſſarum nullo nos tempore, nulla
,, feſtivitate ſignificamus habere diverſum,
,, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo
,, munera conſecrare. ,, Unicus quoque
in Miſſali Ambroſiano habetur. Non
ſic in antiquis Eccleſiæ Gallicanæ Litur-
giis, in quibus ad ſingulas Miſſas proprius
ſed breviſſimus aſſignatur. Inſtar omnium
ſit Miſſale Gothicum a Thomaſio Ro-
mæ vulgatum, ubi in Miſſa Vigiliæ Na-
tivitatis Domini ſic habetur poſt, SAN-
CTUS, *vere ſanctus, vere benedictus, Do-
minus noſter Jeſus Chriſtus filius tuus,
manens in cælis, manifeſtatus in terris. Ip-
ſe enim pridie quam pateretur &c.* In feſto
S. Stephani: *Vere ſanctus, vere benedictus
Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & unige-
nitus tuus, qui Martyrem ſuum Stephanum
cæleſtis aulæ collegio muneravit; qui cor-
poris noſtri infirmitatem ſuſcepit: priuſquam
pium ſanguinem pro humana ſalute funde-
ret, myſterium ſacræ ſolemnitatis inſtituit.
Ipſe enim pridie quam pateretur &c.* Poſtea
tamen Galli Canonem Romanum ſuſce-
perunt. Hoc ipſum claret ex Miſſali
Francorum a Thomaſio, & Sacramenta-
rio Gallicano a Mabillonio edito Muſæi
Italici tom. 1.

Quinto: In Canone non unum eſt Me-
mento, neque etiam unus ejuſdem ordo.
Unum dicitur vivorum, quod etiam in
antiquis Liturgiis Orientalibus poſt con-
ſecrationem fit, in quo quidem fit comme-
moratio beatiſſimæ Virginis, & omnium
Sanctorum, ſicut & Papæ, ac Epiſcopo-
rum, & aliorum dignitate, vel in Eccle-
ſia, vel in Imperio præfulgentium, ut
patebit in exemplaribus infra afferendis;
aliud vero mortuorum, quod ibidem juxta
eumdem ritum, & ordinem commemora-
tur.

Eo loci aliquid de ſacris Diptychis dice-
re non abs re erit. Diptychæ, quædam
erant tabellæ quorumdam fidelium tum vi-
vorum, tum mortuorum nomina comple-
ctentes, quæque ex Ambone legebantur.
Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. c. 3. de
eis ſic loquitur: " Cum ſe mutuo omnes
,, ſalutaverint, myſtica ſacrarum tabu-
,, larum recitatio fit. ,, Eaſdem comme-
morat Cyprianus Epiſt. 10. in primis S.
Hieronymus Comm. in c. 18. Ezechielis
his verbis; " Publice Diaconus in Eccleſia
,, offerentium nomina recitat, tantum of-
,, fert ille, tantum ille pollicitus, pla-
,, centque ſibi ad plauſum populi. Inno-
centius I. Papa Epiſt. ad Decentium, &
Concilium Emeritenſe canone 19. eaſdem
laudant, & approbant.

Sexto: Variæ habentur in Canone ora-
tiones. Prima ex his verbis coaleſcit, *Te
igitur clementiſſime Pater* & extenditur uſ-
que ad illud: *Hanc igitur oblationem*: " Il-
,, lud enim, *memento Domine*, ait Bellar-
,, minus hic. L. 2. de Miſſa c. 21. p. 1126.
,, & illud: *communicantes, & memoriam
,, venerantes*, non ſunt diverſæ orationes,
,, ſed partes ſunt primæ orationis, ut col-
,, ligitur, tum ex concluſione, *per eum-
,, dem Dominum noſtrum*, quæ ponitur in
,, fine harum omnium precum; tum et-
,, iam, quia illud, *communicantes*, non
,, haberet ullum ſenſum, niſi continua-
,, retur cum præcedentibus verbis. ,,

Secunda oratio ſic incipit: *Hanc igitur*

obla-

Digitized by Google

oblationem ſervitutis noſtræ &c. in qua quidem quatuor petitiones fiunt. 1. Ut oblationem noſtram Deus placatus accipiat. 2. Ut dies noſtros in ſua pace diſponat. 3. Ut ab æterna damnatione nos eripiat. 4. Ut in electorum grege nos annumeret.

Tertia: Canonis oratio hæc eſt, *Quam oblationem tu Deus in omnibus &c.* Et continuatur uſque ad conſecrationem.

Quarta ſic ſe habet: *Unde & memores Domine &c.* & extenditur uſque ad illud: *Memento etiam Domine*, namque ante, *Memento*, ponitur concluſio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quinta ſic exprimitur: *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei*; ſicque ut ex terminis patet, eſt oratio Deo facta pro refrigerio animarum in purgatorio detentarum.

Sexta hæc verba complectitur: *Nobis quoque peccatoribus &c.* Subſequentia uſque ad iſtas voces, *per omnia ſæcula ſæculorum*, ante Dominicam orationem dicenda ſunt. Incaſſum Lutherus, & alii quidam hujus furfuris homines, hujuſmodi orationes aut reprehendunt, aut flocci faciunt, cum ipſa traditione innixæ ſint, & magna ex parte in veteribus Liturgiis comprehendantur: neque vero ab antiquitate recedunt, ſed a prioribus ſæculis, videlicet a 3. 4. 5. 6. & maxime a 1. ſæc. ut legere eſt in L. Sacramentorum S. Gregorii, ubi de verbo ad verbum leguntur.

§. VII.

De oratione Dominica, & ceteris ſubſequentibus uſque ad dimiſſionem populi.

PRIMO: Oratio Dominica ab omni ævo in celebratione Miſſæ adhibita eſt: quinimmo finem imponebat ceteris precibus & Canoni; hinc ſubſequentia addita ſunt. Audiendus eſt de hoc momento S. Auguſtinus, qui Epiſt. 149. novæ editionis ait: " Totam petitionem, fere omnis Ec-„ cleſia Dominica oratione concludit. „ Tum Gregorius L. 7. Epiſt. 64. indictione 2. " Dominica oratio, *inquit*, apud „ Græcos ab omni populo dicitur, apud „ nos vero a ſolo Sacerdote. „

Secundo: Mos inoleverat prioribus ſæculis poſt orationem Dominicam fieri confeſſionem, quam inſtituit Gregorius III. his verbis expreſſam: *Confitebor tibi Deus meus, quia ego peccator in cælo & in terra, & coram te, & coram Angelis tuis, & coram facie omnium Sanctorum tuorum peccavi per negligentiam mandatorum tuorum, & factorum meorum. Peccavi per ſuperbiam, & invidiam, peccavi per detractionem, & avaritiam, per luxuriam, & libidinem, per adulterium, & fornicationem, per iram, & malitiam, per falſum teſtimonium, & homicidium, per furtum & rapinam, per blaſphemiam, & deſiderium carnis, per gulam, & ebrietatem, per otioſas fabulas, & riſum moventes, per contentiones, & rixas, per juramentum & iracundiam, per lætitiam terrenam, & tranſitoriam, per ſuavitatem mentis meæ, per dolorem, & murmurationem. Peccavi in oculis, & in auribus, nec non & in naribus, in lingua, in gutture, in collo & in pectore, & in corde, & in cogitationibus inanibus, & in pedibus, in oſſibus, & in carne, renibus, & medullis, in animo, & in corpore meo. Si nunc erit vindicta tua ſuper tanta, quanta in me ipſo fuerunt peccata multiplicata, judicium tuum quomodo ſuſtinebo? Sed habeo te ſummum Sacerdotem. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Sancta cum Sanctis, & communicatio Corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit edentibus, & bibentibus in vitam æternam.*

Tum iſta altera oratio ſequebatur: *Placeat tibi ſancte Deus Trinitas ſacrificium quod oculis tuæ majeſtatis obtuli, & præſta ut tibi ſit acceptabile, mihi & omnibus pro quibus obtuli, ſit te miſerante propitiabile, per Chriſtum Dominum*: Hac confeſſione, & hujuſmodi precibus Sacerdos ad communionem ſe ſe diſponebat.

Tertio In vetuſto codice inſignis Eccleſiæ Andegavenſis habentur hæc verba: *Sanctum cum ſanctis: hæc ſacro-Sancta commixtio &c.* In altero vero ejuſdem Eccleſiæ Miſſali: *Sancta cum Sanctis, & commixtio corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit edentibus, & bibentibus in vitam æternam. Amen.* Deinde hæc ſubjungitur rubrica, *hic det pacem.* In Miſſali etiam anno 1491. ad uſum Eccleſiæ Remenſis juſſu Petri De la Val Archiepiſcopi edita, hæc præmittuntur, *Sancta cum Sanctis, & conjunctio corporis,*

peris, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit omnibus ſalus edentibus, & bibentibus in vitam æternam. Amen.

Græci Hoſtiam in quatuor partes dividunt, Mozarabas, io novem; Latioi communiter io tres: circa quam diviſionem notanda eſt inprimis obſervatio Ernulfi Roffenſis Epiſcopi in Epiſt. ad Lambertum Spicilegii tom. 2. " Nonnullæ, *inquit*, ,, Eccleſiæ non habent uſum, ut Hoſtiam ,, non per medium dividant, ſed eam ,, trium æqualitate partium communicaot. ,, Et poſt pauca exponens rationem cur Hoſtia tres dividatur in partes, addit: " Eccleſiaſtica inolevit conſuetudo, ,, ut Epiſcopo ant Presbytero ſacrificante, ,, & Diacono, ac Subdiacooo cooperante, ,, ejuſdem obſequii nemo aut raro quiſ- ,, quam a Saoctæ communionis excipia- ,, tur participatiooe. Quia ergo ipſis tri- ,, bus Dominici altaris ſervitoribus com- ,, miſſa ſunt Dominica Sacramenta, qui- ,, bus Scriptura communicare jubet, ſtatu- ,, tum eſt, ut arcanæ recordationis Ho- ,, ſtia in tres partes dividatur, quæ divi- ,, ſæ a ſingulis ſervitoribus ſingulæ ſuſci- ,, piantur; quarum una Sacerdos in calice ,, ſecurius ſibi reſervata, ceteras in patena ,, Miuiſtris, ſi præſentes fuerint, porri- ,, gendas cuſtodit. Eis abſentibus ſicut agit ,, quod erant acturi, ita accipit quod erant ,, accepturi. ,, Deinde alias myſticas rationes adducit, quas apud ipſum lectores pii conſulere poterunt.

In quibusdam libris ſubjicitur verſus, *Agnus Dei*, ſemel in nonnullis, tertio in aliis repetendus. Et quidem ut ait Annonymus Turonenſis in MS. Speculo: " Non ,, continue, ſed interpolate, & mixtim ,, cum privata oratione, uti videre eſt io ,, Miſſali Romaricenſi. Carthuſieoſes mo- ,, nachi ſemel autem & bis poſt communio- ,, nem, *Agnus Dei*, dicunt, cujus inſti- ,, tutionis auctor eſt Sergius Papa I. qui cir- ,, ca annum 687. ſummum Pontificatum ,, iniit, de quo Pontificalis liber hec ha- ,, bet: Hic ſtatuit, ut tempore confractionis ,, Dominici corporis, *Agnus Dei qui tollis* ,, *peccata mundi, miſerere nobis*, a Clero ,, & populo decantetur. ,, Eo loci obſervare juvat id quod ſcribit Paulus Diaconus in libro de Eccleſia Lateranenſi, cap. 6. quæ quia cæleſtis Eccleſiæ typum gerit: " In ea, *inquit*, non cantatur ad Miſſas, ,, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*, quoniam ibi ſumma pax ,, juſtorum ipſe Chriſtus erit. ,,

Facta Communiooe, quædam dicuntur orationes tum ad gratias Deo rependendas, tum etiam ad beneficia de novo impetranda. Demum datur benedictio, & dimittitur populus.

SECTIO TERTIA.

De Ritibus quæ ad Miſſam ſubſequuntur.

PAUCA de hac parte ſuperſunt dicenda. Sacerdos ad Sacriſtiam regreſſus multas habet pro gratiarum actione in ſecreto fundendas preces. Sed operæ pretium eſt ad complemeotum Rituum ſupra explicatorum varias hic Liturgias texere, ut lector clarius iotelligat & quanta ſit Miſſæ antiquitas, & quam veracia ſiot, quæ de illis pro modulo noſtro explicavimus.

Supervacaneum eſt hic Canonem antiquum Gregorianum texere, quippe qui legatur initio libri Sacramentorum D. Gregorii, adeoque ſeptimi ſæculi, cum idem prorſus ſit cum illo qui legitur in miſſali Romano. Sed ad materiæ meritum, & excellentiam quaſdam vetuſtiſſimas Liturgias impræſentiarum referre juvat: videlicet Liturgiam S. Jacobi Miooris, quæ primo aut ſaltem ſecundo ſæculo apparuit; alteram S. Chryſoſtomi, qoæ quarto, quinto, & ſubſequeotibus ſæculis erat in uſu apud Ægyptos, ſeu Alexandrinos: tertiam Mozarabum a D. Iſidoro 6. ſæculo compoſitam: quartam Flacci Illyrici Lutherani, quam, Deo permitteote & ordinante, ex antiquis manuſcriptis ſeptimi ſæculi collegit, ut Proteſtantes falſa contra Miſſam rimantes, reos confitentes haberemus: quintam ex manuſcripto S. Monaſterii S. Dionyſii verſus Caroli Magni tempora exarato, brevitatis cauſa omittimus. Miſſam a Mathia Flacco Illyrico editam legimus in Bibliotheca regia, eam tamen quam damus ex libro 1. de Ritibus Eccleſiæ cap. 4. art. 12. auctore D. Martene excerpſimus. Non abs re erit hic ſubnotare M. Flaccum Centuriatorum Magdeburgenſium principem ex vetuſtiſſimo codice hanc Miſſam Argeutinæ vulgaſſe ſub hoc titulo, *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam, circa ſeptingenteſimum Domini annum, in uſu fuit, bona fide ex vetuſto*

authen-

authenticoque codice deſcripta. Primum propter auctorem hæreticum abjecta eſt Philippi II. Hiſpaniarum regis juſſu, in primis vero a Sixto V. Summo Pontifice, ejuſque lectio prohibita. Verum Lutherani, re diſcuſſa, intelligentes eam Catholicis patrocinari, ſibi vero plurimum adverſari, illam ſupprimere modis omnibus ſtuduerunt. Tum Catholici, apertis oculis, eam comprobantes ad confirmanda Euchariſtiæ, Confeſſionis, & Suffragiorum pro mortuis dogmata adhibuerunt.

LITURGIA
SANCTI JACOBI APOSTOLI
FRATRIS DOMINI.

PRimum *dicitur Oratio ante oſculum pacis*. Domine Deus noſter, nos quamvis indignos, ſalute hac dignos effice, amator hominum: ut ab omni dolo, omnique acceptatione perſonarum mundati, ſalutemus invicem in oſculo ſancto & divino, conſtricti vinculo caritatis & pacis. Per Dominum Deum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum unigenitum, per quem & cum quo te decet gloria, honor & poteſtas, cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter & oremus, gratias agamus, adoremus & laudemus agnum vivum Dei qui offertur ſuper altare. Divinitas ſeſe demiſit ad peccatores filios Adam, ſalvavitque illos ab errore & a ſervitute peccati. Spiritu ſancto ſuccenſi ſunt Prophetæ, & de primogenito locuti ſunt: unuſquiſque illorum deſcripſit Eccleſiæ, myſteria adventus ejus. Aperte ſcripſit Moſes quod ipſe creaturas condidit, & ipſe ſtatuit ad miniſterium ſuum ordines ignis & ſpiritus. Signa Domine cruce ejus Eccleſiam, quam deſponſavit in perſona ſua, & eleva atque conſtitue eam in cœlo, ad dexteram ejus qui miſit illum. Beata es Eccleſia fidelis, donis quæ dedit tibi Dominus tuus, corpore & ſanguine ſuo ſancto, & cruce ejus quæ te cuſtodit. Virginis puræ Mariæ memoriam agamus apud nos in oblatione noſtra, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Piorum & Juſtorum. Vaſa ſancta offeruntur Patri noſtro, ut oſculetur ea & Pater noſter in Liturgia ſua recordabitur omnium qui in Chriſtum credunt.

Sacerdos. Qui ſolus Dominus miſericors es, in eos qui coram altari tuo colla inclinant, mitte benedictiones tuas, tu qui in altis habitas, & humilia reſpicis, benedicque eos per gratiam, miſericordiam & amorem erga homines Chriſti unigeniti Filii tui, per quem & cum quo te decet gloriam, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus Pater, qui propter amorem tuum erga homines magnum & ineffabilem, miſiſti Filium tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne avertas faciem tuam a nobis, dum ſacrificium hoc ſpirituale & incruentum celebramus: non enim juſtitiæ noſtræ confidimus, ſed miſericordiæ tuæ. Deprecamur ergo & obſecramus clementiam tuam, ne in judicium ſit populo tuo, myſterium hoc, quod inſtitutum nobis eſt ad ſalutem: ſed ad veniam peccatorum, remiſſionem inſipientiarum, & ad gratias tibi referendas: per gratiam, miſericordiam, & amorem erga homines unigeniti Filii tui per quem & cum quo te decet gloria.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem unuſquiſque proximo ſuo, in caritate & fide, quæ Deo acceptæ ſint. Vade in pace Sacerdos præclare. Stemus decenter orantes, ſtemus cum timore & tremore, ſtemus cum modeſtia & ſanctitate: quia ecce oblatio infertur, & majeſtas exoritur. Januæ cœli aperiuntur, & Spiritus ſanctus deſcendit ſuper hæc myſteria ſancta, & illabitur. In loco timoris & tremoris conſiſtimus, & cum Cherubim & Seraphim circumſtamus. Fratres & Socii Vigilum & Angelorum facti ſumus, & miniſterium ignis & ſpiritus cum illis operamur. Nullus porro ligatus ſit, qui audeat accedere ad myſteria hæc, quia velum tollitur, & gratia demittitur, miſericordiæque effunduntur ſuper unumquemque, qui orat in corde puro & conſcientia bona.

Sacerdos elevat velum & ter populum cruce ſignat, dicens:

Caritas Patris, gratia Filii, & communicatio Spiritus ſancti, ſint cum omnibus nobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Surſum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Populus. Dignum & juſtum eſt.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum & juſtum eſt, decens & debitum, ut te laudemus, te benedicamus, te celebremus, te adoremus, tibi gratias agamus, tibi opifici omnis creaturæ, viſibilis aut inviſibilis. *Et elevans vocem*. Quem laudant cœlum & cœli cœlorum, omniſque exercitus eorum, ſol & luna & omne ſtellarum agmen, terra & maria & omnia quæ in eis ſunt: Jeruſalem cœleſtis, Eccleſia primogenitorum deſcriptorum in cœlis: Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Throni, Dominationes, Virtutes cœleſtes, & mundo ſuperiores exercitus cœli, Cherubim quibus oculi multi, & Seraphim quibus alæ ſex, qui duabus alis tegunt facies ſuas, & duabus pedes, duabuſque alter ad alterum volitantes vocibus indeficientibus, & Theologia non conticeſcente, hymnum triumphalem magnificentiſſimæ gloriæ, voce canora concinunt, clamant, vociferantur & dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine Deus Sabaoth, pleni enim ſunt cœli & terra, gloria, honore & majeſtate tua Domine, Hoſanna in excelſis. Benedictus qui venit & qui venturus eſt in nomine Domini. Hoſanna in excelſis.

Sacerdos inclinatus. Vere ſanctus es, rex ſæculorum & omnis ſanctitatis largitor; ſanctus etiam unigenitus Filius tuus, Dominus Deus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus: ſanctus etiam Spiritus tuus ſanctus, qui ſcrutatur omnia, etiam profunda tua, Deus Pater. Sanctus enim es qui omnia contines, omnipotens, terribilis, bonus, cum unigenito Filio tuo, qui paſſionum particeps fuit, & maxime propter hominem figmentum tuum, quem e terra formaſti, & conceſſiſti illi delicias paradiſi. Cum vero tranſgreſſus eſſet mandatum tuum, & cecidit, non neglexiſti aut dereliquiſti illum, o bone, ſed reduxiſti illum, ſicut pater ſummæ miſericordiæ. Vocaſti eum per legem, direxiſti eum per Prophetas: denique Filium tuum unigenitum in mundum miſiſti, ut imaginem tuam renovaret; qui deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & ex ſancta Genitrice Dei ſemperque Virgine Maria, converſatuſque eſt cum hominibus, & omnia ad generis noſtri ſalutem inſtituit.

Et elevans vocem accipit Oblatam, & dicit:

Cum ergo ſuſcepturus eſſet mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipſe immunis a peccato, in ea nocte qua tradendus erat pro vita & ſalute mundi, accepit panem in manus ſuas ſanctas, immaculatas, & incontaminatas, & levatis oculis in cœlum, aſpexit ad te Deus Pater, & gratias agens, benedixit, † ſanctificavit, † fregit, † & dedit Diſcipulis ſuis ſanctis & Apoſtolis dicens: accipite, manducate ex eo vos omnes, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.

Sacerdos. Similiter etiam & calicem poſtquam cœnaverunt, miſcens vino & aqua, & gratias agens, † benedixit, † ſanctificavit, † & dedit iiſdem Diſcipulis & Apoſtolis ſanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes, Hic eſt ſanguis meus Teſtamenti novi, qui pro vobis, & pro multis fidelibus effunditur, & in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in memoriam mei: quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem iſtum bibetis, mortem meam annuntiabitis, & reſurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

Populus. Mortis tuæ, Domine memoriam agimus, reſurrectionem tuam confitemur, & adventum tuum ſecundum expectamus; miſericordiam & gratiam a te poſtulamus: remiſſionem peccatorum precamur: miſericordiæ tuæ ſint ſuper nos omnes.

Sacerdos. Memoriam igitur agimus, Domine, mortis & reſurrectionis tuæ e ſepulcro poſt triduum, & aſcenſionis tuæ in cœlum, & ſeſſionis tuæ ad dexteram Dei Patris: ruſumque adventus tui ſecundi, terribilis & glorioſi, quo judicaturus es orbem in juſtitia, cum unumquemque remuneraturus es ſecundum opera ſua. Offerimus tibi hoc ſacrificium terribile & incruentum, ut non ſecundum peccata noſtra agas nobiſcum Domine, neque ſecundum ini-

iniquitates noſtras retribuas nobis: ſed ſecundum manſuetudinem tuam & amorem tuum erga homines magnum & ineffabilem, dele peccata noſtra, ſervorum nempe tuorum tibi ſupplicantium. Populus enim tuus & hæreditas tua deprecatur te, & per te & tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miſerere Deus Pater omnipotens, miſerere nobis.

Sacerdos. Nos etiam infirmi & peccatores ſervi tui, Domine, gratias agimus tibi, laudamus te, pro omnibus & propter omnia.

Populus. Laudamus te, benedicimus te, & adoramus te, gratias agimus tibi, & precamur a te veniam, Domine Deus, miſerere nobis, & exaudi nos.

Sacerdos. Præcipue vero ſanctæ & glorioſæ ſemper Virginis beatæ Genitricis Dei Mariæ memoriam agimus.

Diaconus. Memento illius, Domine Deus, & per ejus orationes puras & ſanctas, parce & miſerere nobis, & exaudi nos.

Diaconus. Quam terribilis eſt hæc hora: quam timendum tempus iſtud, dilecti mei, quo Spiritus vivus & ſanctus ex excelſis ſublimibus cœli advenit, deſcendit & illabitur ſuper Euchariſtiam hanc in ſanctuario poſitam, eamque ſanctificat: cum timore & tremore eſtote, ſtantes & orantes. Pax nobiſcum ſit, & ſecuritas Dei Patris omnium noſtrum, clamemus & dicamus ter: Kyrie eleiſon.

Sacerdos inclinatus dicit invocationem Spiritus ſancti.

Miſerere nobis, Deus Pater omnipotens, & mitte Spiritum tuum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui tibi throno æqualis, eſt & Filio æqualis regno, conſubſtantialis & coæternus; qui locutus eſt in Lege & Prophetis & novo Teſtamento tuo; qui deſcendit in ſimilitudine columbæ ſuper Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in Jordane flumine: qui deſcendit ſuper Apoſtolos ſanctos in ſimilitudine linguarum ignis.

Populus. Kyrie eleiſon *ter*.

Sacerdos. Ut adveniens efficiat panem iſtum, corpus vivificum, corpus ſalutare, corpus cœleſte, corpus animabus & corporibus, cœleſte, corpus Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum & vitam æternam accipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et miſtum quod eſt in hoc calice, efficiat ſanguinem Teſtamenti novi, ſanguinem ſalutarem, ſanguinem vivificum, ſanguinem cœleſtem, ſanguinem animabus & corporibus ſalutem præſtantem, ſanguinem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: in remiſſionem peccatorum & vitam æternam ſuſcipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut ſint nobis & omnibus qui ex illis accipient, iiſque communicabunt, ad ſanctitatem animarum & corporum ad fructificationem operum bonorum: ad confirmationem Eccleſiæ tuæ ſanctæ, quam ſuper veræ fidei petram fundaſti, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, cum liberaturus ſis illam ab omnibus hæreſibus & ſcandalis operantium iniquitates, uſque ad conſummationem ſæculi: per gratiam, miſericordiam & amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem & cum quo te decet gloria & honor.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quapropter offerimus tibi, Domine, ſacrificium hoc tremendum & incruentum pro locis tuis ſanctis, quæ per manifeſtationem Chriſti Filii tui illuſtraſti; præcipue vero pro Sion ſancta, matre omnium Eccleſiarum, & pro Eccleſia tua ſancta per orbem diffuſa.

Diaconus. Benedic Domine. Oremus & deprecemur Dominum Deum noſtrum, hoc temporis momento, magno, timendo & ſancto, pro patribus & rectoribus noſtris, qui hodie nobis præſunt, & in præſenti vita Eccleſias ſanctas Dei paſcunt & gubernant: venerandis & beatis Domino N. Patriarcha noſtro & D. N. Metropolita, reliquiſque Metropolitis & Epiſcopis venerandis Dominum deprecemur.

Sacerdos. Dona ditiſſima Spiritus tui ſancti concede ipſis, Domine. Memento, Domine, ſanctorum Epiſcoporum noſtrorum, qui nobis recte verbum veritatis diſpenſant, præcipue vero Patris Patrum & Patriarchæ noſtri Domini N. & Domini N. Epiſcopi noſtri, cum reliquis omnibus Epiſcopis Orthodoxis. Canitiem ipſis venerandam concede Domine; multis annis ipſos conſerva, paſcentes

populum tuum cum omoi pietate & ſanctitate. Memento, Domine, Presbyterii hujuſce, & cujuſcumque alterius loci: Diaconatus in Chriſto, omniſque miniſterii & omnis Ordinis Eccleſiaſtici. Memento etiam, Domine, paupertatis meæ, qui me licet indignum, vocare tamen dignatus es. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, ſed ſecuodum multitudinem miſerationum tuarum, memento mei tu: ſi enim iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis poterit coram te ſuſtinere? Quia apud te propitiatio eſt: viſita me & purifica me, ubi abundavit peccatum, ibi ſuperabundet gratia tua. Memento etiam, Domine, eorum qui in vinculis jacent aut in carceribus detioentur: fratrum etiam noſtrorum qui in exilio ſunt: infirmorum aut qui male affecti ſunt: eorum qui a ſpiritibus immundis infeſtantur, aut agitantur. Memento etiam, Domine, aeris, imbrium, roris, fructuum terræ & coronæ anni; oculi enim omnium in te ſperant, & tu das illis eſcam eorum in tempore opportuno: aperis tu maoum tuam omnibus ſufficientem, & imples omne aoimal bona tua voluntate. *Elevant vocem*. Eripe me, Domine Deus, ab omni anguſtia, ira & adverſitate, ab omni machinatione & infeſtationibus perverſorum hominum, ab omni impetu & violentia dæmonum, ab omni plaga a te immiſſa Domine, quæ peccatorum noſtrorum cauſa nobis accidit, & conſerva nos in fide orthodoxa, & obſervatione mandatorum tuorum, quæ ſancta ſunt, & vivifica, nos nempe & omnes qui digoi fuerunt coram te cooſiſtere, & uberes a te miſericordias expectant; quia tu Deus es, quia vis miſericordiam: & tibi gloriam referemus &c.

Populus. Amen.

Pro fratribus fidelibus Diaconus. Iterum atque iterum commemoramus fratres noſtros fideles, Chriſtianos veros, qui prius monuerunt & injunxerunt nobis infirmis & imbellibus, ut memores eorum eſſemus in hoc temporis articulo: Et pro illis qui omni genere tentationum & afflictionum vexati ſunt.

Sacerdos inclinatus. Rurſus meminiſſe dignare eorum qui nobiſcum in oratione conſiſtunt, patrum, fratrum, magiſtrorumque noſtrorum, & eorum qui abſunt. Memento etiam, Domine, eorum qui præceperunt nobis ut eorum memoriam ageremus in orationibus ad te Deum noſtrum. Unicuique illorum concede, Domioe, petitiones ſuas, quæ quidem ad ſalutem ſpectant. Memento, Domine, & illorum, qui intulerent oblationes ad altare tuum ſanctum, & eorum pro quibus ſinguli obtulerunt, eorum qui offerre voluerunt, ſed non potueruot: eorum quos unuſquiſque habet in mente, & eorum qui nunc nominantur. *Et elevant vocem*. Memento, Domine, omoium quorum memioimus, & eorum quorum non memioimus, & ſecundum multitudinem manſuetudiois tuæ, retribue illis gaudium ſalutis tuæ, ſuſcipiens ſacrificia illorum in immenſo cœlo tuo, dignoſque efficiens viſitatione & auxilio tuo: confirma illos virtute tua, & fortitudine tua, illos inſtrue, quia tu es miſericors & miſericordiam cupis, teque decet gloria, honor & potentia, ſimul cum unigenito Filio tuo & Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. *Pro Regibus*. Iterum & iterum commemoramus omnes Reges fideles, Chriſtianos veros, qui Eccleſias & Monaſteria Dei in quatuor mundi partibus ædificaverunt & fundaverunt: totamque rempublicam Chriſtianam, Clerum & populum fidelem, ut in virtutibus proficiant, Dominum deprecemur.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, piorum Regum noſtrorum & Reginarum; apprehende arma & ſcutum, & exurge in auxilium eorum. Subjice illis hoſtes omnes & adverſarios, ut placidam tranquillamque vitam agamus, in omni timore Dei & humilitate: quia tu ſalutis refugium es, & poteſtas auxiliatrix, victoriæque diſpenſator, erga eos omnes qui te invocant, & ſperant in te, Domine. Et tibi gloriam & laudem referemus.

Populus. Amen.

Diaconus. *Memoria Sanctorum*. Iterum atque iterum commemoramus vere beatam, laudatamque ab omnibus generationibus terræ, ſanctam, benedictam, ſemper Virginem Genitricem Dei Mariam, ſimulque memoriam agimus Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Prædicatorum, Martyrum, & Confeſſorum & B. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris: glo-

rioſa

rioſi S. Stephani primi Martyris, ac primi Diaconi: & unumquemque eorum commemorantes, Dominum deprecemur.

Sacerdos inclinatus. Qoniam igitur eſt tibi poteſtas vitæ & mortis, Domine, Deuſque miſericordiarum & amoris erga hominem tu es, dignos effice ut omnium illorum qui a ſæculo tibi placuerunt, memoriam agamus: Patrum ſanctorum & Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum, Joannis Præcurſoris & Baptiſtæ, S. Stephani primi Diaconorum, & primi Martyrum, & ſanctæ Genitricis Dei ſemperque Virginis beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum. *Elevant vocem*. Rogamus te, Domine, multæ miſericordiæ, qui impoſſibilia veluti poſſibilia creas, conſtitue nos in hac beata congregatione: accenſe nos huic Eccleſiæ, ſtatue nos per gratiam tuam inter electos illos, qui ſcripti ſunt in Cœlis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut dum ipſi ſtabunt coram throno tuo, noſtræ quoque tenuitatis & infirmitatis meminerint, tibique nobiſcum offerant ſacrificium hoc tremendum & incruentum, ad cuſtodiam quidem eorum qui vivunt, ad conſolationem infirmorum & indignorum, quales non ſumus: ad quietem, memoriamque bonam eorum, qui in fide vera dudum obierunt patrum, fratrum, & magiſtrorum noſtrorum, per gratiam & miſericordiam, &c.

Populus. Amen.

Diaconus. Commemoratio Doctorum. Iterum commemorantes coram te, Domine, Doctores divinos, qui fidei irreprehenſibilis explanatores, qui moribus præclaris ornati, obierunt & quieverunt, nobiſque fidem orthodoxam ordinaverunt & tradiderunt: Dominum deprecemur &c.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, ſanctorum Epiſcoporum, qui pridem obdormierunt, qui verbum veritatis nobis diſpenſaverunt: qui a Jacobo Principe Epiſcoporum Apoſtolo & Martyre, uſque ad hanc diem, verbum fidei orthodoxæ in Eccleſia tua ſancta prædicaverunt. *Elevant vocem*. Luminum & Doctorum Eccleſiæ tuæ ſanctæ, qui præclarum fidei certamen ediderunt, qui nomen tuum ſanctum tulerunt coram populis, Regibus & filiis Iſrael, eorumque precibus & ſupplicationibus, pacem tuam Eccleſiæ tuæ tribue: doctrinas eorum & confeſſionem eorum in animis noſtris confirma: hæreſes nobis noxias cito comprime, & conſiſtentiam abſque confuſione, coram tribunali tuo nobis concede: quia ſanctus es, Domine, & in Sanctis requieſcis: qui Sanctorum es conſummator atque perfector: & tibi gloriam, &c.

Populus. Amen.

Diaconus. Commemoratio fidelium defunctorum. Iterum etiam commemoramus omnes defunctos fideles, qui in fide vera defuncti ſunt, ex altari hoc ſancto, & ex hoc pago, & ex quacumque regione, qui in fide vera pridem obdormientes quieverunt, & ad te Deum Dominum ſpirituum & omnis carnis pervenerunt. Rogamus, imploramus, & deprecamur Chriſtum Deum noſtrum, qui ſuſcepit ad ſe animas & ſpiritus eorum, ut per miſerationes ſuas multas, præſtet illos dignos venia delictorum & remiſſione peccatorum: noſque & illos pervenire faciat ad regnum ſuum in cœlis. Ea propter clamemus & dicamus Kyrie eleiſon *ter*.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Sacerdotum orthodoxorum, pridem defunctorum, Diaconorum & Subdiaconorum, Pſaltarum, Lectorum, Interpretum, Cantorum, Exorciſtarum, Monachorum, Religioſorum, Auditorum, Virginum perpetuarum, & ſæcularium, qui in fide vera defuncti ſunt, & eorum quos unuſquiſque deſignat animo. *Elevant vocem*. Domine, Deus ſpirituum & omnis carnis, omnium memento quorum meminimus, qui in fide orthodoxa ex hac vita migrarunt, da animabus, corporibus & ſpiritibus illorum requiem, liberans eos a damnatione infinita ventura, & dignos efficiens gaudio quod eſt in ſinu Abraham, Iſaac & Jacob, ubi ſplendet lumen vultus tui, unde procul ſunt dolores, anguſtiæ & gemitus, non reputans illis omnia delicta illorum. Non autem intres in judicium cum ſervis tuis, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, nec ullus eſt a peccati culpa immunis, aut a ſordibus purus, ex hominibus qui ſuper terram ſunt niſi unus Dominus noſter Jeſus Chriſtus unigenitus Filius tuus, per quem nos etiam miſericordiam & remiſſionem peccatorum conſequi ſperamus, quæ propter eum eſt, & nobis & illis.

Popu-

Digitized by Google

Populus. Quietem præſta illis, & propitius eſto, & dimitte, Deus, inſipientias & defectus omnium noſtrum, ſive ſcienter, ſive ignoranter &c.

Sacerdos inclinatus. Remitte, dimitte, ignoſce, o Deus, peccata omnium noſtrum voluntaria & involuntaria, ſcienter & ignoranter commiſſa, verbo, opere, aut cogitatione, occulta & nota, publica, antiqua, per errorem admiſſa, & omnia quæ novit nomen tuum ſanctum. *Elevans vocem* Finem igitur nobis chriſtianum conſerva, & ſine peccato; congregans nos ſubter pedes electorum tuorum, quando, ubi, & ſicut volueris: tantummodo abſconde nos a confuſione iniquitatum noſtrarum; ut etiam in hoc, velut in omnibus, laudetur & celebretur nomen tuum honoratiſſimum & benedictum & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus tui ſancti.

Populus. Sicut eſt, & fuit, in generationes generationum, & futurorum ſæculorum in ſæcula. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum &c.

Sacerdos. Miſericordiæ Dei ſiot ſuper nos omnes. *Tum dicet*: Credimus, accedimus, obſignamus, & frangimus Euchariſtiam hanc: panem cœleſtem, corpus Verbi Dei vivi, in calice ſalutis & gratiarum actionis, in crucis modum ſignamus, cum particula propitiatoria, myſteriiſque ſupernis plena, in nomine Patris vivi, ad vitam: & unigeniti Filii, & Spiritus ſancti, principii, perfectionis, & ſigilli omnium quæ ſunt & fuerunt in cœlo & in terra: unius virtutis, unius poteſtatis, unius voluntatis, unius Dei veri, benedicti, excelſi & indiviſi, a quo eſt vita in ſæcula ſæculorum.

Populus. Amen.

Diaconus voce magna dicet Catholicam. Benedic, Domine. Iterum atque iterum per oblationem hanc ſanctam & ſacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, ſanctificatum, completum & perfectum eſt per illapſum Spiritus ſancti vivi, pro Patre noſtro Sacerdote præclaro; qui illud obtulit & conſecravit, & pro altari Dei, ſuper quod illatum eſt, & pro populis benedictis qui accedunt, & accipiunt illud in fide vera, & his pro quibus oblatum & conſecratum eſt, iterum impenſius oramus. Ecce tempus timoris, ecce hora terrore plena: ſuperi in timore conſiſtunt, & illi cum tremore miniſtrant; terror filiis lucis immittitur, & terreni illum non ſentiunt, hora qua venia affertur, peccata ab illa fugiunt. Miniſtri Eccleſiæ tremite, quia ignem vivum adminiſtratis. Poteſtas quæ vobis data eſt excellentior, eſt illa quam habent Seraphim. Beata anima quæ nunc in Eccleſia adeſt cum puritate, quia Spiritus ſanctus ſcribit nomen ejus, illudque elevat in cœlum. Diaconi eſtote cum tremore, hoc tempore ſancto, quo deſcendit Spiritus ſanctus, ad ſanctificanda corpora eorum, qui illud ſuſcipiunt. Aſpice, Domine, oculo miſericordi ſervum tuum, qui ſtat & ſacrum celebrat. Suſcipe, Domine, oblationem iſtam, ut illam Prophetarum & Apoſtolorum. Memento, Domine, patrum & fratrum noſtrorum, ut etiam magiſtrorum noſtrorum, noſque & illos dignos præſta per miſericordiam tuam regno cœleſti. Memento, Domine, per gratiam & miſerationes tuas divinas, Domini N. Patriarchæ noſtri & D. N. quorum orationes nobis adſint. Memento, Domine, abſentium, & miſerere præſentium. Quietem quoque præſta ſpiritibus defunctorum, & parce peccatoribus in die judicii defunctorum, qui a nobis ſeparati ab hoc ſæculo migraverunt: ſpiritibus, Chriſte quietem præſta, cum piis & juſtis. Crux tua pons ſit illis, & baptiſmus tuus tegumentum. Corpus tuum & ſanguis tuus ſanctus, via ſint quæ deducat ad regnum tuum. Gloriam perpetuam, cum adoratione acceptabili decet nos referre ex medio ſanctuarii, Patri, Filio & Spiritui ſancto vivo, ut ipſe Deus verus, adimpleat nobiſcum gratiam, benedictionem, miſerationem & clementiam ſuam, ex hoc nunc uſque ad finem: noſque omnes cum oratione Dominum deprecemur.

Sacerdos ante Orationem Dominicam, dicit:

Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui ſedes ſuper Cherubim, & a Seraphim laudaris: coram quo conſiſtunt mille Angelorum myriades, excelſa & cœleſtia agmina: qui oblationes ex donis & proventibus fructuum tibi oblatis in odorem ſuavitatis, dignatus es ſanctificare & perficere per gratiam unigeniti Filii tui, & per illapſum Spiritus tui ſan-

ſancti. Sanctifica etiam Domine animas noſtras, corpora noſtra, ſpirituſque noſtros, ut corde puro, anima lucida, & facie inconfuſa, audeamus invocare te Deum cœleſtem, Patrem omnipotentem, oremuſque & dicamus: Pater noſter qui es in cœlis.

Populus. Sanctificetur &c.

Sacerdos. Domine Deus noſter, ne inducas nos in tentationem, quam virtute deſtituti ſuſtinere non poſſimus, ſed fac etiam cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere, & libera nos a malo. Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quem, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Diaconus. Inclinate capita veſtra coram Deo miſericordi, coram altari propitiatorio, & coram corpore & ſanguine Salvatoris noſtri, in quo vita poſita eſt ſuſcipientibus illa, & ſuſcipite benedictionem a Domino.

Sacerdos. Tibi inclinant ſervi tui capita ſua, expectantes miſericordias uberes a te. Benedictiones copioſas quæ a te ſunt, mitte, Domine, & ſanctifica animas, corpora, ſpirituſque noſtros, ut digni ſimus communicandi corpori & ſanguini Chriſti Salvatoris noſtri: per gratiam & miſericordiam & amorem ejuſdem Jeſu Chriſti Domini noſtri, cum quo laudatus & benedictus es in cœlis & in terra cum Spiritu tuo, &c.

Populus, Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum &c.

Sacerdos. Miſericordiæ Dei.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Diaconus. Unuſquiſque cum timore & tremore ad Deum aſpiciat, & miſericordiam & gratiam a Domino poſtulet.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus potens Sabaoth, pleni ſunt cœli & terra laudibus tuis, Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua: ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis, &c.

Et poſt pauca Euchariſtiam accipiens manibus dicit illa voce:

Sancta Sanctis in perfectione, puritate & ſanctitate traduntur.

Tum dicunt omnes ſimul. Unus Pater ſanctus, unus Filius ſanctus, unus Spiritus ſanctus. Sit nomen Domini benedictum, qui unus eſt in cœlo & in terra et ipſi gloria in ſæcula. Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, omnia ſanctificanti, & omnia expianti.

Sacerdos. Domine vere & certo credimus, & in te credimus, quemadmodum credit in te Eccleſia ſancta & Catholica: quod ſis unus Pater ſanctus, cui ſit gloria, Amen. Unus Filius ſanctus, ipſi laus, Amen. Unus Spiritus ſanctus, ipſi gloria & gratiarum actio in ſæcula. Amen.

Diaconus. In reſurrectione Chriſti Regis accipimus veniam animabus noſtris in fide, & dicamus omnes æqualiter Filio qui ſalvavit nos per crucem ſuam. Benedictus Salvator noſter Sanctus, Sanctus, Sanctus es omnibus modis, magnificans memoriam Genitricis ſuæ, Sanctorum & defunctorum fidelium, Alleluja. Virtutes cœlorum ſtant nobiſcum in medio ſanctuarii, & miniſterium exhibent corpori Filii Dei, qui immolatus eſt coram nobis. Accedite, accipite ex eo remiſſionem peccatorum & delictorum, Alleluja. Super altare tuum ſanctum Domine, memoria fit patrum, fratrum, Doctorumque noſtrorum, reſurgantque ad dexteram tuam die ortus Majeſtatis tuæ, Rex Chriſte. Alleluja. Benedictus Dominus qui dedit nobis corpus & ſanguinem ſuum vivum, ut per illa veniam conſequamur, &c. Cum ſtatis in ſanctuario Sacerdotes aperite oſtia cordium veſtrorum, dicite Pſalmum & benedicite ſuper Euchariſtiam hanc in ſanctuario poſitam.

Pſalmus. 150.

Sacerdos interjectis aliquot orationibus quæ pro Eccleſiarum conſuetudine variæ ſunt, fractis ex majori Euchariſtici panis parte minorem aliam, qua in calice intinctâ, reliquas in modum crucis ſignat, dicens;

Inſpergitur ſanguis Domini noſtri, corpori ejus, in nomine Patris † & Filii, † & Spiritus ſancti. †

Eamdem particulam immittit in calicem dicendo:

Miſcuiſti Domine divinitatem tuam cum

cum humanitate noſtra, & humanitatem noſtram cum divinitate tua; vitam tuam cum mortalitate noſtra, & mortalitatem noſtram cum vita tua; accepiſti quæ noſtra erant, & dediſti nobis tua, ad vitam & ſalutem animarum noſtrarum, tibi gloria in ſæcula.

Sacerdos accipit corpus Chriſti, dicens.

Præſta Domine ut ſanctificentur corpora noſtra per corpus tuum ſanctum, & purificentur animæ noſtræ per ſanguinem tuum propitiatorium, ſintque ad veniam delictorum & remiſſionem peccatorum noſtrum; Domine Deus tibi gloria in ſæcula.

Mox Euchariſtiam diſtribuit Sacerdotibus, Diaconis, deinde Laicis, dicens: Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti datur tibi in veniam delictorum, & remiſſionem peccatorum in utroque ſæculo.

Interea dum communio adminiſtratur cum cochleari, Diaconus reliquis ſuccinentibus clamat:

Fratres mei accipite corpus filii, clamat Eccleſia: Bibite ſanguinem ejus cum fide, & canite gloriam: hic eſt calix quem miſcuit Dominus noſter ſuper lignum crucis: accedite mortales, bibite ex eo, in remiſſionem delictorum. Alleluja, & ipſi laus, de quo bibit grex ejus, & puritatem conſequitur.

Qui verſus ut & multi alii, juxta communicantium numerum minuuntur vel producuntur: mox Sacerdos abſtergit vaſa, Diaconorum miniſterio, & deinde dicitur Oratio gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Deus & præcipue laudamus te ob immenſum & ineffabilem erga homines amorem tuum. O Domine, quos admittere dignatus es ad participationem menſæ tuæ cœleſtis, ne damnes ob ſuſceptionem myſteriorum tuorum ſanctorum & immolatorum. Verum o bone, cuſtodi nos in juſtitia & ſanctitate, ut digni effecti communicatione Spiritus tui ſancti, partem, ſortem & hæreditatem conſequamur cum ſanctis illis omnibus, qui ex hoc mundo tibi placuerunt: per gratiam, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterem pro conſummatione myſteriorum horum, ſanctorum, Deum precemur.

Sacerdos. Deus magne & mirabilis, qui inclinaſti cœlos & deſcendiſti pro noſtra hominum ſalute, aſpice nos per miſericordiam & gratiam tuam: benedic populo tuo, & hæreditatem tuam conſerva: ut ſemper & omni tempore laudemus te, quia ſolus es Deus noſter verus: & Deum Patrem Genitorem tuum, & Spiritum tuum ſanctum nunc & ſemper, &c.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, conſerva omnes, &c.

Vel aliam benedictionem pro Eccleſiarum conſuetudine & feſtorum varietate diverſam: qua recitata, Diaconus incipit Pſalmum Benedicam Dominum in omni tempore. *Quo dicto, abeunt, & finitur Liturgia.*

LITURGIA

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Primum Oratio ante Pacem.

Domine Deus omnipotens, nomen magnum & ſanctum, excelſe, laudande, & mundum poteſtate complectens, qui ab illis omnibus qui adverſantur voluntati divinitatis tuæ, ſalvas illos qui recte glorificant te; nobis quoque ſervis & adoratoribus tuis præſta, Domine, ut ab omni fraude diaboli, & ab omnibus cogitationibus doloſis Judæ procul facti, caritatique tuæ divinæ adhærentes, amplectamur invicem in oſculo ſancto, dominico, & cum humanitate. Dignare etiam ut omnibus diebus vitæ noſtræ pacem loquamur, pacem operemur, & digni efficiamur bonis tuis cœleſtibus, & æternis: per gratiam, miſericordiam & amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem & cum quo te decet gloria, honor & potentia, cum Spiritu tuo ſanctiſſimo & bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Dia-

Diaconus. Det unuſquiſque pacem;
Populus. Dignos effice nos.
Diaconus. Poſt &c.
Populus. Coram te.
Sacerdos. Tu enim es ſummus excelſus & mirabilis, atque a creatis omnibus abſconditus. Tu es pax, & iratorum conciliator, veniæ largitor: inſipientium magnus conſolator, lætificans afflictos. Aperi, Domine, oſtium miſericordiarum tuarum ſupplicationibus noſtris, ſuſcipe deprecationes noſtras juxta multitudinem gratiæ tuæ. Fac nos filios tuos & hæredes regni tui æterni, per gratiam, miſericordiam, & amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem & cum quo, &c. *Populus*. Amen.
Sacerdos. Adorande qui ab Angelis benediceris & ſanctificaris, & ab hominibus terrenis celebraris & exaltaris, quique ab omnibus creaturis cum timore & tremore adoraris & glorificaris; aſpice, Domine, famulos tuos, qui nunc te invocant, & da illis, ut cum puritate animæ & ſanctitate corporis offeramus tibi orationes puras, oblationeſque acceptabiles: & fructus labiorum noſtrorum ſint ad beneplacitum & voluntatem divinitatis tuæ, & referemus tibi gloriam, &c.
Populus. Amen.
Diaconus. Stemus decenter.
Populus. Miſericordiæ.
Sacerdos. Caritas Patris.
Populus. Et cum ſpiritu tuo.
Sacerdos. Surſum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Deo.
Populus. Dignum & juſtum eſt.
Sacerdos inclinatur. Vere dignum & juſtum eſt, ut tibi gratias agamus, adoremus, glorificemus, laudemus & exaltemus, honore afficiamus, jubilemus, benedicamus & ſanctificemus unam majeſtatem Trinitatis ſanctæ, ejuſdem ſubſtantiæ, & adorandæ in tribus perſonis, Patris, Filii, & Spiritus ſancti, neque noſtra gratiarum actione opus habes.
Elevans vocem. Sunt enim tibi laudatores innumeri, & virtutes excelſæ infinitæ, Cherubim congregati, Seraphim præclari milleni, & congregatio innumerabilis: multitudines & agmina quæ ſupputari non poſſunt: ordines expanſi ignis devorantis: virtutes mirandæ carbonis ardentis, legiones abſconditæ quæ ſubſtinent currum Cherubim, cujus converſiones infinitæ ſunt: turmæ Seraphim, quæ alarum ſuarum ſonitu ſuperliminaria commovent: multitudo præclara, quæ e medio prunarum ardentium, motu ſuo percipitur: mille millia quæ ſtant coram te, & myriades myriadum quæ laudant eſſentiam tuam: & una voce nitida, unoque concentu amabili, cantu ſuavi, linguiſque materiæ expertibus, clamant alter ad alterum, laudibus æternis vociferantur & dicunt. *Populus*. Sanctus.
Sacerdos inclinatur. Voces, Domine, Seraphim eſſentiam tuam explicant: turmæ Cherubim abſconditam naturam tuam benedicunt: agmina Archangelorum te adorant. Gloria ſit tibi, qui magnificaſti genus noſtrum infirmum, & adjunxiſti cœtibus ſpiritualibus laudantium te. Tu Domine per miſerationes tuas multas, miſiſti Filium tuum dilectum ad ſalutem noſtram, ortuſque eſt ex Virgine ſancta, tamquam in ictu oculi puriſſimi, ſuſcepitque ſimilitudinem ſervi, cum eſſet vere filius majeſtatis tuæ. Factus eſt homo, ſicut ipſe voluit, ut nos Deos faceret, quemadmodum illi placitum eſt. Natus eſt ex utero carneo, ut regeneraret nos ex utero ſpirituali. Factus eſt nobis frater per gratiam ſuam, ut faceret nos filios tibi, pater cœleſtis. Extulit nos ab humili ſervorum conditione, deditque nobis honorem hæredum. Abſtulit a nobis ſervitutem mercenariorum, conſtituitque nos in gradu filiorum, & dedit nobis pignus adoptionis, quo te Pater vocaremus patrem noſtrum confidenter.
Elevat vocem. Non boves ſaginatos offerimus, neque agnorum, hædorum, aut vitulorum ad cornua altaris ſanguinem aſpergimus, aut coronas, balteos aut Ephod præcingimus. Venit enim corpus pro ſimilitudine, ſcilicet unigenitus Filius tuus, qui perſona propria præſtitit mundationem peccatorum noſtrorum, per ſanguinem ſuum pretioſum qui effuſus eſt pro nobis. In nocte ſiquidem illa qua traditus fuit ad mortem, pro vita & ſalute mundi, accepit panem in manus ſuas ſanctas, aſpexit ad te, Deus Pater, & gratias egit, † benedixit, † ſanctificavit, † & fregit, deditque diſcipulis ſuis Apoſtolis ſanctis dicens: Accipite, edite ex eo: Hoc eſt enim vere corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur & datur,

in

in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.

Sacerdos. Similiter & calicem poſtquam cœnaverunt, accipiens vino & aqua moderate & ordinate miſcuit, gratias egit, † benedixit, † ſanctificavit, † & dedit iiſdem diſcipulis ſuis, Apoſtolis ſanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic enim eſt ſanguis meus vere, ipſe qui pro vobis & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam: hoc facite in mei memoriam. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis, tuæ Domine.

Sacerdos. Quis poſſit enarrare magnificentiam tuam excelſam & æternam, o Verbum Dei: & exinanitionem tuam voluntariam pro nobis, quis comprehendat? Quis noverit enarrare nativitatem tuam mirabilem ex Virgine, illaſque paſſiones voluntarias, immeritas & ſalutares quas pro nobis ſuſtinuiſti, & paſſus es, quis compenſet? Omnemque diſpenſationem tuam ſalutarem propter nos, quis adorare & celebrare ſufficiat? Te igitur deprecamur, Domine, optime & amator hominum, ut ſuſcipiatur oblatio iſta quam offerimus, coram majeſtate tua, ſuper altare tuum ſpirituale, quod excelſius cœlis eſt, in habitaculo Angelorum, inter ſanctorum conventus, in loco divinæ tuæ præſentiæ, in tabernaculo primario ſecreti tui: ut per illam digni efficiamur propitiatione delictorum & remiſſione peccatorum. Et cum veneris ad judicandum vivos & mortuos, non intres in judicium cum ſervis tuis, non afficiat nos confuſio in conſpectu tuo, non abneges nos neque dicas nobis, Neſcio vos, in hoc ipſo die magno & terribili judiciorum. Non extra projicias nos ad portam gehennæ, in locum fletus, & ſtridoris dentium, ſed reſpice Domine miſericors, ad infirmitatem & paupertatem noſtram, propter nomen tuum ſanctum, quod invocatum eſt ſuper nos. Et ſicut digni facti ſumus per gratiam tuam dono corporis & ſanguinis tui propitiatorii, dignare ut tecum ſimus unum, per ſanctitatem, ſicut tu unus es per eſſentiam cum Patre tuo & Spiritu tuo. Atque propter hæc Eccleſia tua ſancta & hæreditas tua pœnitens deprecatur te, & per te & tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miſerere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Laudamus.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus ſancti.

Per ſupplicationem ad te factam, Domine Deus pater omnipotens, Spiritus tuus & virtus tua ſanctificatrix requieſcat ſuper hoc ſanctum, & ſanctificet oblationes iſtas, & illabatur, reſideat, & habitet ſuper panem hunc, & ſuper hoc vinum, & fiant unum corpus & ſanguis unigeniti Filii tui, per virtutem tuam & Spiritus tui vivi & ſancti.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.

Sacerdos elevans vocem. Corpus quidem hoc Chriſti Dei noſtri, fiat in pignus vitæ futuræ, corpus bona illa novies multiplicata conferens, quæ promiſſa ſunt: corpus ad delicias illas cœleſtes quæ expectantur præparans, ad innovationem animarum corporumque noſtrorum, ad emundationem omnium ſordium carnis & ſpiritus; ad præſervationem noſtram ab omni operatione maligni hoſtis noſtri, & vitam æternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et miſtum quod eſt in hoc calice, ſanguis Chriſti Dei noſtri, fiat propitiatorius delictorum & peccatorum quæ commiſimus: ſanguis vivificans ſuſcipientes illum, vita nova indeficienti; ſanguis dirigens ad portus tranquillos, & habitacula lucis præparata: ad innovationem animarum corporumque noſtrorum, ad emundationem ab omnibus ſordibus carnis & ſpiritus, ad præſervationem ab omni operatione maligni hoſtis noſtri & ad vitam æternam. *Populus*. Amen.

Sacerdos. Da & concede nobis per miſerationes tuas magnas, Domine, ut animabus illæ corporibuſque noſtris commiſtos, proſit ad propitiationem delictorum, remiſſionem peccatorum, abſterſionemque omnium perverſitatum, ad delicias quæ cum ſanctis tuis ſunt, conſequendas, & ad vitam æternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus coram te, Domine, Deus oblationem hanc puram & ſanctam, pro Eccleſia tua Catholi-

ca,

ca, & Apoſtolica, quam acquiſiviſti, quæ in tua ſpe conſiſtit; & regnum tuum expectat; ut per crucem tuam ſalutarem conſervetur, & benedicatur. Congrega filios ejus, in unam concordiam, caritatem & fidem in te. Memento. Domine, venerabilium Epiſcoporum Orthodoxorum, Patriarchæ noſtri Domini N. & Domini N. & reliquorum omnium Epiſcoporum Orthodoxorum. Doce illos verbum veritatis, quod recte diſpenſent, & paſcant gregem tuum, illis a te commendatum, pie & ſancte. Da illis Domine, ſenectutem longævam in præclara gubernatione, ut perficiant voluntatem tuam. Memento, Domine, Sacerdotum venerandorum, Diaconorum modeſtorum, Subdiaconorum caſtorum, omniſque plenitudinis, & Ordinis Eccleſiaſtici. Da illis Domine, virtutem ad reſiſtendum adverſus omnes inſidias, & artes diaboli, & dirige illos ad omne opus quod Ordini illorum conveniat. Memento etiam, Domine, infirmitatis animæ meæ morbidæ, neque avertas faciem tuam, aut elongeris a me. Et quandoquidem pro ultima illa peccatorum remiſſione te deprecor, non ſicut errans aut projectus a tua præſentia ſim, ſed fac mecum ſecundum miſericordiam tuam; adjuva infirmitatem meam, neque recenſeas mihi inſcipientias meas. Memento, Domine, Regum, & ſubditorum, qui in nomen tuum crediderunt, illorum etiam qui bellis, pugnis & periculis confligantur. Libera & præſerva nos, Domine, a fame, bellis, captivitatibus & effuſione ſanguinis juſti, & a deprædatione per manus gentium barbararum. Memento, Domine, pauperum, male habentium, orphanorum, viduarum, afflictorum, ægrotantium, & eorum qui a malignis ſpiritibus infeſtantur. Tu enim, Domine, conſervator vitæ illorum es, & neceſſitatibus illorum opitulator.

Elevans vocem. Deus celſitudine abſcondite, & majeſtate laudande, quem exercitus, agmina, & cœtus omnium, tam cæleſtium quam terreſtrium laudant, quique voluiſti, ut miniſterium hoc pium & ſacerdotale, per poteſtatem tuam Deo dignam perficeretur, & præſtitiſti nobis ut cum Epiſcopis, & Sacerdotibus tuis ſtaremus coram te & ibi miniſtraremus: complaceat tibi etiamnum Domine primarie paſtor, & confortator animarum noſtrarum, in paſtoribus illis qui in capite populi tui ſtant, & tranquillitatem & pacem Eccleſiarum illarum ſanctarum concede; ad perficienda præcepta tua ſancta & vivifica: ut ſuper fundamentum fidei Apoſtolicæ, ſtabiliti & fundati, annumerentur ovili tuo ſuperno, & vitæ æternæ. Præſta nos omnes dignos communicandi operibus eorum, eoſque aperta facie intuendi, in adventu unigeniti Filii tui, per quem & cum quo te decet gloria, honor & poteſtas cum Spiritu tuo ſancto, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, omnium fratrum noſtrorum fidelium, eorum qui propter nomen tuum fecerunt & faciunt omnia bona in omni regione, & communicaverunt, communicantque egenorum neceſſitati, ſubveniuntque egeſtati omnium pauperum, peregrinorum, & afflictorum. Nunc in præſenti vita retribue illis bona, & illic cum fidelibus defunctis vitæ æternæ hæredes efficiantur.

Sacerdos elevans vocem. Da & concede per miſericordiam tuam multam, præclara dona, bonorumque affluentiam, omnibus illis qui communicant neceſſitatibus pauperum, & præclaris operibus cujuſcumque generis in Eccleſia tua ſancta conſpicui ſunt. Auge ignem caritatis tuæ in animabus omnium noſtrum, & aufer a nobis omnes vepres delictorum, & ſpinas amaras peccati. Per te qui es lux & vita vera, illuſtremur & vivamus: per gratiam miſericordiam & amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem & cum quo te decet gloria & honor.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Deus qui bonitate laudandus es, & incomprehenſibilitate excelſus, Dominus omnis naturæ noſtræ, creator & curator omnis creaturæ intelligibilis, & ſenſibilis, ex te enim pendet cura, & conſervatio vitæ illorum. Omnes etiam virtutes materiæ expertes, naturæ illæ abſconditæ, & ignes ſuperni, contemplatione tua divina perpetua delectantur, & a te proveniunt omnia auxilia illis qui ad imaginem tuam regiam ex illorum numero, juxta id quod tibi placitum eſt, creati ſunt.

Elevans vocem. Pacem concede per miſericordiam tuam regnis Domine, ut nos pauperes, in tranquillitate vivamus: be-

nedic

Digitized by Google

nedic revolutioni annorum per circulum. Fecunda illos pluvia, rore, aeris temperie & ſerenitate, omnibuſque fructibus benedictionum, quia tu altor bonus, ſuavis & miſericor es, bonorumque omnium largitor, & tibi gloriam & laudem referemus. *Populus*. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Patriarcharum, Patrum ſanctorum, Prophetarum, Apoſtolorum, Prædicatorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorumque ſanctorum; præcipue vero ſanctæ, & glorioſæ ſemper Virginis Beatæ Mariæ, & B. Joannis, nuncii, Baptiſtæ, præcurſoris, & deſponſatoris Eccleſiæ tuæ ſanctæ; & ſancti glorioſique Stephani principis Diaconorum & protomartyris, omniumque qui placuerunt nomini tuo, & te confeſſi ſunt.

Elevans vocem. Domine Domine ſanctiſſime, & qui ſolus bonus es, qui a legionibus ignis & ſpiritus motu magno terribiliter benediceris, & ſanctificaris, noſque infirmos & terrenos dignatus es ſacerdotali munere, non quod digni eſſemus, ad myſterium hoc magnum & cæleſte accedendi: ſed per miſerationes tuas, eos qui a te cognominantur, nos inquam, dignos feciſti, illo quod deſiderant Angeli proſpicere: quamvis multiplici peccatorum genere impliciti, & a cognitione vera divinitatis tuæ alieni facti fuerimus; ad dilectos & dignos qui intercedentes ſuſcipiantur, accedimus; omnes ſcilicet Sanctos, qui a ſæculo tibi placuerunt, qui in laboribus, ſudoribus, & ærumnis agones ſuos perfecerunt: ut per orationes eorum acceptabiles laqueos peccati a nobis ſolvas, & a decipulis, laqueis & ſcandalis futuris per te liberemur; ut cum illis & inter illos, & juxta illos in agminibus eorum, referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, illorum qui propius ad Deum accedunt, & res divinas enunciant: illorum qui theſaurus, lumen & fundamentum Eccleſiæ ſunt, Doctorum, vel curam habentium gregis tui rationalis, & illorum qui pie paverunt & rexerunt oves emtas ſanguine pretioſo unigeniti Filii tui; qui a Jacobo principe Epiſcoporum, Apoſtolo & Martyre ad hanc uſque diem, verbo doctrinæ Eccleſiam tuam ſanctam illuſtraverunt. Præcipue vero SS. Patrum, Ignatii, Dionyſii, Julii, & reliquorum Apoſtolorum ſanctorum, Paſtorumque verorum.

Elevans vocem. Mentem prudentiſſimam, & regimen ſuperne concreditum habuerunt, patres noſtri pii & beati, ab illo paſtorum principe & inſtitutore confeſſionis noſtræ, doniſque ſpiritus inſtructi, converterunt prorſus mentem ſuam, & rectitudinem fidei orthodoxæ ſuſcipere digni facti ſumus. Illi ergo legis vitæ inſtitutori, & præclaræ de caritate ſententiæ, ſuaviter per cordis puritatem nos offeramus, & ad mentem puram, curſu bonæ cogitationis, in illa conſiſtentia regali præparemus nos: & ad thronum illum regalem, circumquaque illis adhærendo reſpicientes, oculo interiori, laudes materiæ expertes illuc mittamus: neque ſocorditer, aut mendaciter, in ſemitis beatorum illorum Patrum noſtrorum curramus. Maxime vero ad ſupremum illud altare purum, attente oculis intellectualibus convertamur, & aſpiciamus: caſteque, nec impure, laudationem æternam referamus Trinitati abſconditæ, neque mente comprehenſibili, ejuſdemque ſubſtantiæ Patris, Filii, & Spiritus ſanctiſſimi.

Populus Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum Orthodoxorum, Diaconorumque tuorum, Subdiaconorum, Devotorum, ſæcularium, & omnium defunctorum, qui ex hoc altari, aut ex omni loco, vel parte defuncti ſunt: patrum etiam fratrumque noſtrorum, tam ſecundum Spiritum quam ſecundum corpus: quieſcere illos jube in habitaculis tuis cæleſtibus, cum omnibus Sanctis tuis, noſque illorum orationibus adjuvemur.

Elevans vocem. Et illorum qui cum puritate cordis, & ſanctitate animæ & corporis, ex ſæculo iſto egreſſi ſunt, & ad te Deus pervenerunt. Illorum qui ab Adam primo, & protoplaſto figmenti noſtri, in omnibus generationibus placuerunt coram te, & te confeſſi ſunt, ſperaveruntque, & expectaverunt manifeſtationem unigeniti tui, deſideraveruntque videre diem illius magnum & præclarum. Illorum etiam, qui ex ſinu ſpirituali baptiſmatis ſplendide te induerunt, & in nomen tuum crediderunt. Quietem illis præſta in habitaculis tuis cæleſtibus, in paradiſo deliciarum, in tabernaculis lucis, in locis quietis. Neque Domi-

Domine, intrescum illis in judicium, quia non juſtificatur in conſpectu tuo omnis vivens: unus enim eſt qui viſus ſit ſuper terram purus & abſque macula, unigenitus Filius tuus; per quem nos etiam ſperamus miſericordiam conſequi, & remiſſionem peccatorum propter illum, & nobis & ipſis.

Populus. Quietem præſta.

Sacerdos inclinatus. Exime Domine animas, corpora & ſpiritus noſtros, ab omni genere infirmitatis pernicioſæ, & ſarcinis gravibus peccati. Dirige greſſus noſtros in ſemitis mandatorum Evangelicorum & vivificantium, & da nobis ut ſimus tibi populus ſanctus, congregatio ſalvata & regale Sacerdotium.

Elevans vocem. Ut qui jam plene ſumus a te perfecti, per ſacrificium hoc pium innoventur animæ & corpora noſtra: dignos effice nos gaudiis Angelicis, tripudiis ſpiritualibus, & choreis lætitiæ: cum beatis viris illis ſimul vivamus & lætemur: ut cum illis & inter eos glorificemus & laudemus nomen tuum glorioſiſſimum, & benedictum, ut etiam Domini noſtri Jeſu Chriſti & Spiritus tui ſancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones ſint.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos frangit Oblatam & ſignat. Mox dicit Orationem ante Pater noſter.

DOMINE noſter & Deus miſericors, qui es ultra tempora & mentes, & ſuperior omnibus principatibus & ordinibus excelſis & cœleſtibus: qui per gratiam & miſericordiam tuam vocaſti nos, & addixiſti nos ſervituti beatæ, & deliciis paradiſi Eden. Sed cum inexcuſabiles manſiſſemus, & mandata tua dominica audacter conculcantes, & tranſgreſſi, ideo morte damnati eſſemus, unigenitum Filium tuum, & ſplendorem ſubſtantiæ tuæ miſiſti ad ſalutem noſtram. Is omnem diſpenſationem ſuam ſalutarem pro nobis perfecit; mandataque ſalutaria, & leges vivificantes nobis propoſuit, ut in illis ambularemus, graderemurque, & perveniremus ad te, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis. Et nunc Domine Deus, da nobis, ut advolent preces noſtræ infirmæ, per alas amabiles gratiæ tuæ, uſque ad gloriam ſolii regni tui, pureque, ſancte, facie revelata, & cum fiducia in te ſtemus coram te, & glorificemus te: atque linguis exultatione & gaudio plenis, orationem illam magnam & dominicam, quam unigenitus Filius tuus Apoſtolos ſuos ſanctos docuit, recitemus & dicamus. Pater noſter qui es in cœlis.

Populus. Sanctificetur, &c,

Sacerdos. Domine miſericors rogamus te & deprecamur miſericordiam tuam: præſta nobis omnibus per gratiam tuam, ut in nobis infirmis & terrenis, ſanctificetur nomen tuum glorioſum & ſanctum: & veniat regnum tuum ad auxilium infirmitatis noſtræ; requiſcatque voluntas tua & permaneat in animabus noſtris, quemadmodum in exercitibus ſanctis & cæleſtibus. Libera etiam nos Domine, ab omnibus tentationibus gravioribus, quæ vires noſtras ſuperent: & eripe adoratores tuos, ab omnibus molitionibus & inſidiis pernicioſis diaboli: quia tuum eſt regnum, & poteſtas & laudatio, ſimulque unigeniti Filii tui, & ſpiritus tui ſanctiſſimi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Diaconus. Domine capita noſtra inclinemus.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Domine Deus bone & amator hominum, propitius & multæ miſericordiæ, reſpice illos omnes qui inclinaverunt capita ſua coram majeſtate tua, & benedic eos benedictione tua ſpiritali, & inauſeribili. Neque repellas nos Domine, cum accedimus ad ſancta tua divina & immortalia: neque ſimus rei corporis & ſanguinis unigeniti Filii tui per cogitationes odioſas cordium noſtrorum; ſed cum puritate, & abſque macula dignos fac communicandi myſteriis tuis ſanctis, cæleſtibus, vivificis & terribilibus; atque per illa conſecra animas noſtras & corpora noſtra in habitaculum divinitatis tuæ, & referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos. Miſericordiæ Dei.
Populus. Et cum ſpiritu tuo.
Diaconus. Cum timore.
Sacerdos. Sancta ſanctis.
Populus. Unus Pater ſanctus.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

QUID nobis eſt, quod retribuamus tibi Domine, pro omnibus beneficiis tuis erga nos, & propter omnia dona tuis, & beneficia tua & benefacta tua erga nos: qui dignos feciſti nos communicandi corpori unigeniti Filii tui, & ſuſcipiendi calicem ſalutis, ſanguinem ejus pretioſum & ſalutarem. Nunc autem Domine bone & amator hominum, quemadmodum vocaſti, & adduxiſti nos ad has delicias beatas & vivificantes, dignare ut miſceatur corpus unigeniti Filii tui, corporibus noſtris, & commiſceatur ſanguis ejus animabus noſtris, ſitque nobis ad veniam delictorum, remiſſionem peccatorum, viaticum vitæ æternæ, diaboli depulſionem, & ſanctificationem corporum & animarum: quia tu benedictus es, o Deus, & ſanctum regnum tuum, tibique gloriam referimus & unigenito Filio tuo, & Spiritui tuo ſancto, nunc, &c.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum ſpiritu tuo.
Diaconus. Poſt, &c.
Populus. Coram te.
Sacerdos. Coram te Domine, humiliamus mentes, cogitationes & animos noſtros, omnemque compagem corporum noſtrorum, commendantes tibi animas noſtras: orantes te, & deprecantes miſericordiam tuam, ut requieſcat ſuper nos dextera tua magna, inviſibilis, omnibuſque benedictionibus plena. Adjuva & cuſtodi nos omnes, benedic & ſanctifica nos omnes: ſalva & ſerva nos omnes, per crucem tuam ſalutarem & vivificam: referemuſque tibi gloriam & gratiarum actionem, & Patri tuo, & Spiritui tuo vivo & ſancto, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.
Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus.

Miſſa in feſto S. Jacobi ex antiquo Miſſali MS. Mozarabum excerpta. Tribuitur S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo adeoque eſt ſexti circiter Sæculi.

ADJUTORIUM noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. Sit nomem Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Hæc dicit Dominus. Ego tuli, & fui tecum, Alleluja, & interfeci omnes inimicos tuos, Alleluja: Fecique tibi nomen grande, Alleluja Alleluja. ℣. Beatus vir qui timet Dominus: in mandatis ejus cupit nimis. *Populus*, Fecique tibi nomen grande, Alleluja, Alleluja. ℣. Gloria & honor, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. *Populus*, Fecique tibi nomen grande, Alleluja, Alleluja. Per omnia ſemper ſæcula ſeculorum. ℟. Amen.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus Rex cæleſtis: Deus Pater omnipotens, Domine fili unigenite Jeſu Chriſte altiſſime, Domine Deus agnus Dei filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: qui tollis peccata mundi ſuſcipe deprecationem noſtram: qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis: quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Jeſu Chriſte, cum ſancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Dicatur iterum. Per omnia ſemper ſæcula ſeculorum.

Oratio. Chriſte, cujus virtus atque potentia tantum in Apoſtolo tuo Jacobo emicuit; ut in nomine tuo emiſſis a te dæmoniorum catervis potentialiter meruit imperare: tu Eccleſiam tuam ab adverſantium impugnatione defende, virtute ſpiritus exuperando adverſa, ut illius doctrinam opere compleat, cujus hodie exempla piæ paſſionis honorat. ℟. Amen.

Dicat Presbyter in medio altaris.

Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſeculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Le-

Digitized by Google

Lectio libri Sapientiæ Salomonis. ℟. Deo gratias.

Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit: ſenectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani ſunt autem ſenſus hominis: & ætas ſenectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Captus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus: aut ne fictio deciperet animam illius. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona: & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia. Conſummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educare illum de medio iniquitatum, populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis ſuis talia, quoniam miſericordia Dei, & gratia in ſancto illius: & reſpectus in electo ipſius. ℟. Amen.

Iterum dicatur. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc cantetur Pſalendo*.

Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo. ℣. Super ſalutare tuum Domine exultabit vehementer: deſiderium animæ ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. *Populus*. Coronam de lapide pretioſo. *Dicat Sacerdos vel Diaconus*. Silentium facite. Lectio actuum Apoſtolorum. ℟. Deo gratias.

In illis autem diebus ſupervenerunt ab Hieroſolymis Prophetæ Antiochiam: & ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum, famem futuram magnam in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio. Diſcipuli autem, prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli: eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, appoſuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies Azimorum, quem cum apprehendiſſet, miſit eum in carcerem, tradenſque quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo. ℟. Amen.

Accepta benedictione ut in Miſſali Toletano antiquo, vel ut in officio Latino, dicat Presbyter.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

In illis diebus, aſſumens iterum Jeſus duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent ei ventura. Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur in manus principibus ſacerdotum, & ſcribis & ſenioribus, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die reſurget. Et accedunt ad eum Jacobus, & Joannes, filii Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus ut quodcumque petierimus facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram ſedeamus in gloria tua. Jeſus autem dixit eis: Neſcitis quid petatis, poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? aut Baptiſmo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt: Poſſumus. Calicem quem ego bibo, bibetis, & Baptiſmo quo ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt. Et audientes decem, indignati ſunt de Jacobo & Joanne. Jeſus autem vocans eos ait illis: Scitis, quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt in vobis, quicumque voluerit fieri major, erit minor: & quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus. Nam & filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret: & daret animam ſuam redemptionem pro multis. ℟. Amen.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Ecce ſervus meus ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Alleluja.

*Hoc in loco ponitur aliud Miſſale, quod vocatur offerentium, in cornu epiſtolæ: & tunc offerat ſacerdos Hoſtiam hac oratione; & eſt notandum quod orationes quæ ſignantur hoc ſigno *, leguntur in offerentium, & quæ ſignantur hoc ſigno in Miſſale*.

Oratio. Acceptabilis ſit majeſtati tuæ, omnipotens æterne Deus, hæc oblatio, quam,

Digitized by Google

quam tibi offerimus pro reatibus, & facinoribus noſtris, & pro ſtabilitate ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus: Per Chriſtum Dominum noſtrum. In nomine Pa ✝ tris, & Filii, & ſpiritus ſancti. Amen.

Dimittendo patenam ſuper corporale deinde accipiat calicem ſanctificando ſic.

In nomine Pa ✝ tris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Oratio. Offerimus tibi Domine calicem, ad benedicendum ſanguinem Chriſti filii tui: deprecamurque clementiam tuam, ut ante conſpectum divinæ majeſtatis tuæ cum odore ſuavitatis aſcendat. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

Ponat calicem ſuper aram, & accipiat filiolam ſine ſanctificatione, & ponat ſuper calicem dicendo.

Oratio. Hanc oblationem, quæſumus Domine placatus admitte, & omnium offerentium, eorumque, pro quibus tibi offertur, peccata indulge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hic dicat. In ſpiritu humilitatis, *ut in officio Latino.. Poſtea dicat Presbyter.*

Adjuvate me fratres in orationibus veſtris: & orate pro me ad Deum ℞. Adjuvet te Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

Sacrificium. Fulgebit juſtus ſicut ſplendor firmamenti, & ſicut ſtellæ cœli dantes claritatem lucis: ita & juſtus ſplendebit. ℣. In perpetua æternitate. *Hic accipiat aquam in manibus, & dicat ſilentio ſuper oblationem cum tribus digitis.*

In nomine Pa ✝ tris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Inclinet ſe Sacerdos ante altare, & dicat ſilentio iſtam orationem.

Accedam ad te in humilitate ſpiritus mei: loquar ad te quia multam ſpem in fortitudine dediſti mihi. Tu ergo fili David, qui revelato myſterio ad nos in carnem veniſti, clave crucis tuæ ſecreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphin, qui candenti carbone illo, qui de altari tuo ſublatus eſt, ſordentia labia mea emundet, mentem enubilet, docendique materiam ſubminiſtret, ut lingua, quæ proximorum utilitati per caritatem ſervit, nec erroris inſonet caſum, ſed veritatis reſultet ſine fine præconium, per te Deus meus, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Incipit Miſſa.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio. Chriſte, cujus virtus atque potentia, tantum in Apoſtolo tuo Jacobo emicuit, ut in nomine tuo emiſſis a ſe dæmoniorum catervis, potentialiter meruit imperare: tu Eccleſiam tuam ab adverſantium impugnatione defende: ut virtute ſpiritus exuperando adverſa, illius doctrinam opere compleat, cujus hodie exemplum piæ paſſionis honorat. ℞. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Dicat Sacerdos elevando manus.

Oratio. ℞. Agios, Agios, Agios, Domine Deus Rex æterne tibi laudes & gratias.

Eccleſiam ſanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus: ut eam Dominus fide, & ſpe, & charitate propitius ampliare dignetur. Omnes lapſos, captivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus: ut eos Dominus propitius reſpicere, redimere, ſanare, & confortare dignetur. ℞. Præſta æterne omnipotens Deus.

Poſtea dicit Presbyter:

Oratio. Vocantem nos ad ſe Jeſum, fratres dilectiſſimi agnoſcentes, qui Beatiſſimum Jacobum Apoſtolum ſuum retia componentem, in navi ad ſe vocans, ejuſdem nos poſtmodum ſpiritualibus doctrinis admonet, atque docet, ut poſtulantes in fide nihil hæſitemus: omni mentis devotione cum lacrymis eamdem Dominum flagitemus: ut poſtulatio noſtra apud eum ea nobis obtineat adimplere, quæ in ipſo Apoſtolo docente cognovimus. ℞. Amen.

Per miſericordiam tuam Deus noſter, in cujus conſpectu ſanctorum Apoſtolorum, & Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum nomina recitantur. Amen.

Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes noſtri Papa Romenſis, & reliqui pro ſe, & pro omni clero, & plebibus Eccleſiæ ſibimet conſignatis, vel pro univerſa fraternitate. Item offerunt univerſi Presbyteri, Diaconi, Clerici, ac populi circumadſtantes in honorem Sanctorum pro ſe & ſuis. ℞. Offerunt pro ſe, & pro univerſa fraternitate. *Dicat Sacerdos.*

Fa-

Facientes commemorationem beatiſſimorum Apoſtolorum, & Martyrum, glorioſæ ſanctæ Mariæ Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Simonis, & Judæ, Mathiæ, Marci, & Lucæ. ℟. Et omnium Martyrum.

Item pro ſpiritibus pauſantium Hilarii, Athanaſii, Martini, Ambroſii, Auguſtini, Fulgentii, Leandri, Iſidori, David, Juliani, item Juliani, Petri, item Petri, Joannis ſervi Dei, Viſitani, Viventii, Felicis, Cypriani, Vicentii, Gerontii, Zachariæ, Cenapoli, Dominici, Juſti, Saturnini, Salvati, item Salvati, Bernardi, Reymundi, Joannis, Cenebruni, Gundiſalvi, Martini, Roderici, Joannis, Gutterii, Sancii, item Sancii, Dominici, Juliani, item Juliani, Philippi, Stephani, Joannis, item Joannis, Felicis. ℟. Et omnium pauſantium.

Dicat Presbyter poſt nomina.

Oratio. Vivant in nobis, Jeſu Domine, Apoſtoli tui Jacobi prædicamenta doctrinæ, quibus docemur illum beatum eſſe, qui illatas tentationes voluerit æquanimiter ſupportare: quo dum præſentia mala patientiſſime tolleraverimus, in pace & charitate nunc, & in æternum tecum ſine fine vivamus. ℟. Amen.

Quia tu es vita vivorum: ſanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in æterna ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Ad pacem.

Oratio. Suſcipe, Jeſu bone, in hoc natali Jacobi Apoſtoli tui offerentium vota: & refrigerium præſta ſpiritibus defunctorum: ut eo apud te intercedente, & viventibus, & defunctis tuæ pietatis gratia impendatur: cujus doctrina duodecim tribuum commemorantium edocetur. ℟. Amen.

Quia tu es vera pax noſtra, & charitas indiſrupta vivis tecum & regnas cum Spiritu ſancto unus Deus in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter elevando manus.

Gratia Dei Patris omnipotentis, pax ac dilectio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & communicatio Spiritus ſancti ſit ſemper cum omnibus nobis. ℟. Et cum hominibus bonæ voluntatis.

Deinde dicit. Quomodo aſtatis, pacem facite. ℟. Pacem meam do vobis. Pacem meam commendo vobis: non ſicut mundus dat, pacem do vobis. ℣. Novum mandatum do vobis: ut diligatis vos invicem. *Reiteretur.* Pacem meam do vobis.

℟. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. *Populus.* Pacem meam &c.

Interim quod chorus dicit. Pacem meam, *accipiat Sacerdos pacem de patena, dicendo ſic.* Habete oſculum dilectionis & pacis: ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis Dei.

Poſtea inclinet ſe Sacerdos junctis manibus, & dicat. Introibo ad altare Dei mei. ℟. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Ponat Presbyter manus ſuper calicem, & dicat. Aures ad Dominum. ℟. Habemus ad Dominum.

Levat manus & dicit.

Surſum corda. ℟. Levemus ad Dominum.

Junctis manibus inclinando ſe in medium altaris dicat. Deo ac Domino noſtro Jeſu Chriſto filio Dei, qui eſt in cœlis, dignas laudes, dignaſque gratias referamus. *Et elevet manus in altum.*

℟. Dignum & juſtum eſt.

Et poſtea dicat Presbyter. Illatio.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, in cujus nomine electus Jacobus, cum ad paſſionem traheretur, Paralyticum ad ſe clamantem curavit, atque hoc miraculo cor illudentis ſibi ita compulſit, ut eum Sacramentis inſtructum fidei, faceret ad gloriam pervenire martyrii. Sic ipſe poſt in confeſſionem filii tui, capite dejecto interemptus, occubuit: perveniens ad eum in pace, pro qua hanc ſuſtinuit paſſionem. Ipſe eſt enim Unigenitus filius, qui dedit animam ſuam redemptionem pro multis, per quem noſtris tu Deus Pater jubeas parcere jam delictis, cui merito exercitus militiæ cæleſtis non ceſſant clamare ita dicentes.

Reſpondet chorus.

Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria majeſtatis tuæ. Oſanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis. Agios, Agios, Agios, Kyrie, Otheos.

Dicat Presbyter.

Vere ſanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus filius tuus, quem Jacobus relicto Zebedæo patre ita ſecutus eſt, ut eum obnixe diligendo, fieret electus in vita, mundus in conſcientia, probabilis in doctrina. Poſtremo ita ſcientiam commendans ex opere, ut pro eo truncato interierit capite, quam pro ſe, vel pro omnibus noverat animam poſuiſſe Chriſtum Dominum, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde in ſilentio, junctis manibus, inclinando ſe ante altare, dicit Sacerdos.

Oratio. Adeſto, adeſto, Jeſu bone, Pontifex in medio noſtri: ſicut fuiſti in medio diſcipulorum tuorum, & ſancti † fica hanc oblationem †, ut ſanctificata † ſumamus per manus ſancti Angeli tui, ſancte Domine, & Redemptor æterne. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, bene † dixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate.

Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traderur.

Hic elevetur corpus. Quotieſcumque manducaveritis hoc facite in meam † commemorationem. ℟. Amen. Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens.

Super Calicem.

Hic eſt calix novi Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Hic elevetur calix coopertus cum filiola.

Quotieſcumque biberitis, hoc facite in meam † commemorationem. ℟. Amen.

Quotieſcumque manducaveritis panem hunc, & calicem iſtum biberitis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat in claritatem †, de cœlis. ℟. Amen.

Oratio eſt pridie.

Subjuga, Deus, noſtras tuo jugo cervices: ut onus tuum, quod amantibus leve eſt, ita optabili devotione feramus, ſicut Jacobus Apoſtolus tuus innexo collo ſuo fune ad paſſionem tractatus eſt lætabundus ac ſanctificans hæc, quæ tibi offerimus, nos ipſos benedicas perceptione hoſtiæ hujus. ℟. Amen.

Te præſtante, ſancte Domine, quia tu hæc omnia nobis indignis ſervis tuis valde bona creas, ſancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, ac præſtas nobis: ut ſit benedicta a te Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Et tunc Presbyter accipiat corpus Domini de patena, & ponat ſuper calicem diſcoopertum, & dicat alta voce omnibus diebus, feſtivis videlicet, & Dominicis, præter in locis in quibus erit antiphona propria: ad confractionem panis.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum.

Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus: *& elevet Sacerdos corpus Chriſti, ut videatur a populo, & dicat chorus Symbolum, bini ac bini, videlicet.*

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ: viſibilium omnium, & inviſibilium conditorem. Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum: omouſion Patri, hoc eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine. Et homo factus eſt. Paſſus ſub Pontio Pilato. Sepultus tertia die reſurrexit. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum vivificatorem, ex Patre & filio procedentem: cum Patre & filio adorandum, & glorificandum, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Poſt hæc frangit Presbyter Euchariſtiam in medium, & ponit mediam partem in patena & de alia parte facit quinque particulas, & ponit in patena: & poſtea accipit aliam partem, & facit quatuor particulas,

& po-

& ponit in patena ſimiliter per ordinem, & ſtatim purget bene digitos, & cooperto calice faciat: Memento, pro vivis.

Ad orationem Dominicam.

Oratio. Apoſtolo tuo Jacobo, Domine, edocente præmonemur: ut ſi quis noſtrum indiget ſapientia, poſtulet a te, qui das omnibus affluenter, & non improperas, ſed quia ad te pervenire cupimus, per Chriſtum, qui eſt virtus tua, & ſapientia, id agere peroptamus, poſcentes clementiam tuam: ut per eum, qui apud te advocatus factus eſt noſter, & pervenire nos ad te facias, & orationem, quam ipſo Domino inſtruente didicimus, ad te introire permittas, proclamantes e terris Pater noſter, qui es in cœlis. ℟. Amen. Sanctificetur nomen tuum. ℟. Amen. Adveniat regnum tuum. ℟. Amen. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. ℟. Amen. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. ℟. Quia Deus es. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. ℟. Amen. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Dicat Sacerdos.

Liberati a malo, confirmati ſemper in bono, tibi ſervire mereamur Deo ac Domino noſtro: pone Domine finem peccatis noſtris: da gaudium tribulatis: præbe redemptionem captivis, ſanitatem infirmis, requiemque defunctis, concede pacem & ſecuritatem in omnibus diebus noſtris, frange audaciam inimicorum noſtrorum, & exaudi Deus orationes ſervorum tuorum omnium fidelium Chriſtianorum in hac die, & in omni tempore. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſemper ſæcula ſeculorum. ℟. Amen.

Accipiat modo particulam, Regnum, de patena, & mittat in calicem, dicendo ſubmiſſa voce.

Sancta ſanctis, & conjunctio corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſumentibus & potantibus nobis ad veniam: & defunctis fidelibus præſtetur ad requiem. *Et cooperiat calicem, & dicat.*

Humilitate vos benedictioni, Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Chriſtus Deus Dei Patris filius, quem Jacobus relicto Patre in navi tota ſecutus eſt intenſione cordis: indeſinenter vos faciat ſuis inhærere veſtigiis. Amen.

Quique per hunc Apoſtolum ſuum, cultores dæmonum convertit ad fidem: concedat vobis vana hujus ſæculi reſpuendo, ſe in veritate diligere. ℟. Amen.

Ut ejus remuneremini præſidiis, cujus hodie triumphum excolitis paſſionis. ℟. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur: per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum.

Guſtate & videte quam ſuavis eſt Dominus. Alleluja, Alleluja, Alleluja. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo. Alleluja, Alleluja, Alleluja. ℣. Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum: & non relinquet omnes, qui ſperant in eum. Alleluja, Alleluja, Alleluja. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Quo dicto accipit aliam particulam, Gloria, ſequentem, & dicit ſic. Panem cæleſtem de menſa Domini accipiam: & nomen Domini invocabo.

Dicat Memento pro mortuis, tenendo illam particulam ſuper calicem, & facto dicat.

Domine Deus meus, da mihi corpus & ſanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti ita ſumere: ut per illud remiſſionem omnium peccatorum merear accipere, & tuo ſancto ſpiritu repleri, Deus noſter, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. *Et deinde.* Ave in ævum ſanctiſſima caro Chriſti, in perpetuum ſumma dulcedo.

Hic dicit ter, Dominus non ſum dignus, *ut in officio Latino. Et ſumit illam particulam, Gloriam, & omnes reliquas per ordinem, & ſumat calicem dicendo.*

Ave in ævum cæleſtis potus, qui mihi ante omnia, & ſuper omnia dulcis es.

Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat corpus, & animam meam in vitam æternam. Amen.

Et ad ablutionem dicant hanc orationem.

Domine Deus meus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, fac me te ſemper quærere & diligere: & a te per hanc ſanctam communionem, quam ſumpſi, numquam recedere, quia tu es Deus, & præter te non erit alius in ſæcula ſæculorum. Amen. Refecti Chriſti corpore & ſanguine, te laudamus Domine. Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Hic tollitur Miſſale, quod vocatur, Offerentium, & aliud Miſſale ponitur in cornu epiſtolæ, & dicit ſequentem orationem.

Oratio. Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod accipimus, & ſanctus ſanguis ejus, quem potavimus, adhæreat viſceribus noſtris, æterne omnipotens Deus: ut non veniat nobis ad judicium, nec ad condemnationem: ſed proficiat ad ſalutem, & remedium animarum noſtrarum in vitam æternam. ℟. Amen. Per miſericordiam &c. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum. Solemnia completa ſunt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, votum noſtrum ſit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

In fine Miſſæ dicitur antiphona in laudem glorioſæ virginis Mariæ: & datur benedictio. Antiphona.

Salve Regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve: ad te clamamus exules filii Evæ: ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle Eia ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, & Jeſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. ℟. Ut digni efficiamur, &c. ℣. A morte ſubitanea & improviſa. ℟. Libera nos Domine. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum.

Oremus. Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis, &c.

Quo facto dat benedictionem dicendo.

In unitate Sancti Spiritus, benedicat vos Pater & Filius.

Ad hanc benedictionem vertit ſe Sacerdos ad populum, & benedicit illum: & nil aliud agens, vadit ad ſacriſtiam.

Ordo continens Miſſam a Mathia Flacco Illyrico Proteſtante, veritate Sacrificii Miſſæ ſuperato, editam.

In primis, quomodo Sacerdos Apologetica celebrare debeat, antequam ad Miſſarum celebrationem accedat, mox antequam ſacerdotalibus induatur veſtibus, ſi locus acciderit, vel tempus permiſerit, flexis genibus coram altare cantet 7. Pſalmos Pœnitentiales cum litania, qua finita, dicat Pater noſter, Credo in Deum Patrem omnipotentem. *Poſt has preces.*

“ *Exurge*, Domine adjuva nos, & re-
„ dime nos propter nomen tuum.

“ *Dirige* me in veritate tua, & doce
„ me: quia tu es Deus Salvator meus,
„ & te ſuſtinui tota die. „

“ *Reminiſcere* miſerationum tuarum Do-
„ mine: & miſericordiarum tuarum quæ
„ a ſæculo ſunt.

„ *Delicta* juventutis meæ, & ignoran-
„ tias meas ne memineris Domine.

„ *Secundum* miſericordiam tuam memen-
„ to mei tu: & propter bonitatem tuam
„ Domine.

„ *Propter* nomen tuum, Domine, pro-
„ pitiaberis peccato meo: multum eſt
„ enim.

„ *Non* derelinquas me, Domine Deus
„ meus, ne diſceſſerit a me.

„ *Complaceat* tibi, Domine, ut eruas me:
„ Domine, ad adjuvandum me reſpice.

„ *Fac* mecum Domine ſignum in bono,
„ ut videant qui me oderunt, & confun-
„ dantur, quoniam tu adjuviſti me, &
„ conſolatus es me.

„ *Manus* tuæ Domine fecerunt me, &
„ plaſmaverunt me, da mihi intellectum
„ ut diſcam mandata tua.

„ *Servus* tuus ſum ego, da mihi intel-
„ lectum, ut ſciam teſtimonia tua.

„ *Egredere* Domine in ſalutem populi
„ tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

„ *Converte* nos Deus ſalutaris noſter:
„ & averte iram tuam a nobis.

„ *Dignare* Domine, die iſto: ſine pec-
„ cato nos cuſtodire.

„ *Miſerere* noſtri, Domine, miſerere no-
„ ſtri.

“ *Fiat* miſericordia tua, Domine, ſuper
„ nos; quemadmodum ſperavimus in te.

„ *Peccavimus* cum patribus noſtris, in-
„ juſte egimus, iniquitatem fecimus Do-
„ mine.

„ De-

„ *Domine* ne memineris iniquitatum „ noſtrarum antiquarum : cito anticipent „ nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

„ *Adjuva* nos Deus ſalutaris noſter, & „ propter gloriam nominis tui Domine, „ libera nos, & propitius eſto peccatis „ noſtris, propter nomen tuum.

„ *Domine*, non ſecundum peccata noſtra facias nobis : neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

„ *Ne* reminiſcaris, Domine, delicta „ noſtra, vel parentum noſtrorum: neque „ vindictam ſumas de peccatis noſtris.

„ *Libera* nos Deus in mirabilibus tuis: „ & da gloriam nomini tuo.

„ *Extende*, Domine, brachium tuum: „ & libera animas noſtras ne pereamus.

„ *Memento* noſtri, Domine, in beneplacito populi tui : viſita nos in ſalutari tuo.

„ *Memor* eſto, Domine, congregationis tuæ: quam poſſediſti ab initio.

„ *Cuſtodi* nos, Domine, ut pupillam „ oculi : ſub umbra alarum tuarum protege nos.

„ *Protege* nos, Domine, a facie impiorum: qui nos afflixerunt.

„ *Eſto* nobis, Domine in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvos nos facias.

„ *Eſto* nobis, Domine, turris fortitudinis, a facie inimici.

„ Da nobis, Domine, auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

„ *In* Domine faciemus virtutem : & „ ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

„ *Fiat* pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

„ *Deus* tu converſus vivificabis nos, & „ plebs tua lætabitur in te.

„ *Oſtende* nobis Domine miſericordiam „ tuam: & ſalutare tuum da nobis.

„ *Sacerdotes* tui induantur juſtitiam: & „ ſancti tui exultent.

„ *Domine* Deus virtutum converte nos: „ & oſtende faciem tuam ; & ſalvi erimus.

„ *Domine* exaudi orationem meam: & „ clamor meus ad te veniat.

His autem precibus finitis, dicat Sacerdos has orationes : „ Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

“ *Omnipotens* & mitiſſime Deus, reſpice propitius preces meas, & libera cor „ meum de malorum tentatione cogitationum, ut ſancti Spiritus dignum fieri „ habitaculum merear.

„ *Deus* cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere &c.

“ *Exaudi* quæſumus, Domine, ſupplicum preces &c.

„ *Omnipotens* ſempiterne Deus, &c.

„ *Omnipotens* Deus, miſericordiam tuam „ nobis placatus impende, &c. „

Poſtea ſurgens ad induendum ſe veſtimentis ſacerdotalibus, primo dicat.

“ *Intervenientibus* pro nobis omnibus Sanctis, & electis tuis, actiones noſtras „ quæſumus Domine, & aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut omnis oratio, & cuncta noſtra operatio a „ te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. „

Tunc lavat manus hunc verſum dicendo.

„ *Lavabo* inter innocentes, &c.

Oremus.

„ *Largire* ſenſibus noſtris omnipotens „ Deus, ut ſicut hic exterius abluuntur „ inquinamenta manuum, ſic a te mundetur interius pollutio mentium, ut „ creſcat in nobis augmentum ſanctarum virtutum. „

Cum ſe exuerit quotidianis veſtibus, dicat.

„ *Conſcinde*, Domine, ſaccum meum, „ & circumda me lætitia ſalutari. „

Hos Pſalmos interim dum paratur Epiſcopus, circumſtantes Clerici cantent.

“ *Quam* dilecta tabernacula, & Benedixiſti, Domine, terram, &c. Inclina Domine, aurem tuam, &c. Fundamenta ejus in montibus ſanctis, &c. „ Domine Deus ſalutis meæ, &c. Credidi propter quod locutus ſum, &c. Memento Domine David, &c. „

Induendum ad ephod, vel amictum.

“ *Humeros* meos ſancti Spiritus gratia „ rege Domine, &c. „

Ad

Ad albam.

" *Circumda* me fidei armis, &c."

Oratio ad albam.

" *Omnipotens* ſempiterne Deus, te ſuppliciter exoro, ut fraude omnium fuſcatorum exutus, alba veſte indutus, te ſequi merear ad regna ubi vera ſunt gaudia."

Ad cingulum.

" *Circumcinge* lumbos meos, Domine, zona juſtitiæ, &c."

Ad Præcinctorium.

" *Præcinge* me, Domine, virtute, & pone immaculatam viam meam."

Ad ſtolam.

" *Stola* juſtitiæ circumda, Domine, cervicem meam, &c."

Oratio ad ſtolam.

" *Dirumpe*, Domine, vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ ſervitutis innixus, valeam tibi cum timore & reverentia famulari."

Ad ſubtile.

" *Indue* me, Domine, veſtimento ſalutis, & circumda me lorica fortitudinis."

Ad dalmaticam.

" *Indumento* hoc typo priſcorum patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto veſtibus, humiliter poſtulo, ut ex commemoratione paſſionis tuæ, fiam tibi, Domine Jeſu Chriſte, jugiter gratioſus: qui vivis &c."

Ad caſulam.

" *Indue* me, Domine, ſacerdotali juſtitia, ut induci merear in tabernacula ſempiterna."

Oratio ad caſulam.

" *Indue* me, Domine, ornamento humilitatis, & charitatis, & concede mihi protectionem, contra hoſtem inſidiatorem, ut valeam puro corde, & caſto corpore laudare nomen tuum ſanctum in ſæcula ſæculorum. Amen."

Cum mappulam acceperis.

" *Inveſtione* iſtius mappulæ ſubnixe deprecor Domine, &c."

Cum mappulam induerit.

" *Da* Domine, virtutem manibus meis ad abſtergendam, &c."

Ad induendas manus.

" *Creator* totius creaturæ, dignare me indignum famulum tuum indumentis juſtitiæ, & lætitiæ induere, &c."

Ad annulum.

" *Circumda*, Domine, digitos meos, & decora ſacrificatione."

Ad rationale.

" *Da* nobis, Domine, veritatem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ digne aperire."

Poſtquam infulatus fuerit dicat hanc orationem.

" *Rogo* te, altiſſime Sabaoth, Pater ſancte, ut me tunica ſanctitatis digneris accingere, &c."

Inde confeſſio ſingularis.

" *Domine* Deus omnipotens, qui es trinus & unus, ubique præſens, tibi confiteor omnia peccata mea."

His omnibus rite peractis, dicat Epiſcopus preces has.

" *Exurge*, Domine, adjuva nos, &c.
" *Fiat* miſericordia tua, Domine ſuper nos, &c.
" *Deus* tu converſus vivificabis nos, &c.

" Oſten-

" *Oſtende* nobis Domine miſericordiam
" tuam, &c.
" *Non* intres in judicium cum ſervis
" tuis, Domine, &c.
" *Domine*, ne memineris iniquitatum
" noſtrarum antiquarum, &c.
" *Propitius* eſto peccatis noſtris, Domine
" &c.
" *Domine*, exaudi orationem meam, &c.

Sequuntur Orationes.

Oremus.

" *Fac* me quæſo omnipotens Deus ita
" indui, ut in Sanctorum tuorum merear
" exultatione lætari, &c.

Alia.

" *Aures* tuæ pietatis mitiſſime Deus,
" inclina precibus meis, &c.

Ad incenſum imponendum.

" *In* nomine Patris, & Filii, & Spi-
" ritus ſancti, ſit benedictum hoc incen-
" ſum in odorem ſuavitatis Domino, &
" in remiſſionem omnium peccatorun no-
" ſtrorum. Amen."

Ad oſculandum Evangelium.

" *Pax* Chriſti in viſceribus noſtris per-
" maneat."

Cum egreditur Epiſcopus de ſacrario, dicat.

" *Deduc* me, Domine, in via tua, &
" ingrediar in veritate tua, &c."

Eccleſiam intrans.

" *Introibo* in domum tuam, Domine,
" &c.
" *Domine*, deduc me in juſtitia tua
" propter inimicos meos, &c.
" *Averte* oculos meos, ne videant vani-
" tatem, &c.
" *Deus* propitius eſto mihi peccatori."
Interim cum proceſſione egrediens ad gradus hunc Pſalmum pro ſe deducentibus cantet.
" *Dominus* regit me, nihil mihi de-
" erit, &c."

Cum verſu.

" *Virga* tua & baculus tuus, &c."

Quo finito ſubjungat orationem hanc.

" *Dominus* vobiſcum, & cum ſpiritu tuo.

Oremus.

" *Dominus* Deus omnipotens qui es ma-
" gnus & mirabilis Dominus, &c."
Coram altare autem ſtans cum proceſſione proferens confeſſionem det indulgentiam miniſtris hanc.
" *Indulgentiam* & remiſſionem ipſe oc-
" cultorum omnium cognitor per Domi-
" num noſtrum. Jeſum Chriſtum Filium
" ſuum, &c."

Data indulgentia adnectat has orationes.

Oremus.

" *Omnipotens* ſempiterne Deus, te hu-
" militer deprecamur, ut non nos per-
" mittas perire, quia tua creatura ſumus,
" ſed concede nobis ſpatium vivendi ut
" ante diem exitus noſtri per veram pœ-
" nitentiam, fidemque rectam, & puram
" confeſſionem tibi omnipotenti Domino
" in hac præſenti vita placere merea-
" mur. Per &c.

Alia.

" *Præſta* quæſumus omnipotens & mi-
" ſericors Deus, ut reatus noſtri confeſ-
" ſio indulgentiam valeat percipere deli-
" ctorum. Per &c."

Alia.

" *Famulorum* tuorum quæſumus, igno-
" ſce, &c."
Deinde in eodem loco Presbyteris illum ducentibus, & Diaconis præbeat oſculum pacis: ipſique poſt acceptam pacem ab Epiſco o, ſinguli aſcendant ad cornu altaris, oſculantes illud. Et redeant Presbyteri ad ducendum Epiſcopum ad altare, & in aſcendendo dicat orationem hanc.
" *Dominus* vobiſcum.
" *Et* cum ſpiritu tuo."

" *Au-*

Oremus.

„ *Aufer* a nobis quæſumus Domine, „ iniquitates noſtras, ut ad Sancta ſan- „ ctorum puris mereamur mentibus intro- „ ire. „

Et dum pervenerit ad altare, intonat per ſe Antiphonam.

„ *Introibo* ad altare Dei; ad Dominum „ qui lætificat juventutem meam, *cum* „ *Pſalmo* Judica me Deus, diſcerne cau- „ ſam meam de gente, &c. „

Quo finito has adnectet preces.

„ *Delictum* meum cognitum tibi feci, „ & injuſtitias meas non abſcondi: Ioi- „ quitates meas ego cogooſco, & delicta „ mea contra me ſunt ſemper.

„ *Averte* faciem tuam a peccatis meis, „ & omnes iniquitates meas dele.

„ *Redde* mihi lætitiam ſalutaris tui, & „ ſpiritu principali cooſirma me.

„ *Auditam* fac mihi mane miſericordiam „ tuam: quia in te ſperavi.

„ *Notam* fac mihi viam in qua ambulem, „ quia ad te levavi animam meam.

„ *Eripe* de inimicis meis, Domine, ad „ te confugi, doce me facere voluntatem „ tuam, quia Deus meus es tu.

„ *Spiritus* tuus bonus deducet me in ter- „ ram rectam, &c.

„ *Educes* de tribulatione animam meam, „ &c.

„ *Et* perdes omnes, qui tribulant ani- „ mam meam, quoniam ego ſervus tuus „ ſum.

„ *Egredere*, Domine, in ſalutem po- „ puli tui, in ſalutem cum Chriſto. „

Tunc ſalutat Evangelium.

„ *Pax* Chriſti, quam nobis per Evan- „ gelium ſuum tradidit, confirmet, & „ cooſervet corda & corpora noſtra in „ vitam æternam. Amen. „

Deinde oſculetur altare, dicens hanc orationem.

„ *Omnipotens* ſempiterne Deus, qui me „ peccatorem ſacris altaribus adſtare vo- „ luiſti, &c. „

Poſt hac ſecreto dicat hanc confeſſionem.

„ *Suſcipe* confeſſionem meam uoica ſpes „ ſalutis meæ Domine Deus meus Jeſu „ Chriſte, &c. „

Alia.

„ *Confiteor* tibi peccata mea æterne Pon- „ tifex, & Sanctorum Miniſter, & ve- „ ri tabernaculi Sacerdos, &c. „

Alia.

„ *Ego* miſer peccator, qui me præ om- „ nibus Chriſtiaois ſceleratiſſimum puto, „ & ſcio, & confiteor Domino & om- „ nibus Sanctis ejus, &c. „

Poſt confeſſionem ſingularem ſequuntur Orationes.

„ *Tuam* Domioe, clementiam depre- „ cor, ut mihi veniam peccatorum meo- „ rum coocedas, &c.

„ *Salva* me, Domine, Rex æternæ „ gloriæ, qui potes ſalvare, da mihi & „ velle operari, & perficere quæ tibi pla- „ ceot, & mihi expediunt, da in per- „ turbatione auxilium, in perſecutiooe „ ſolatium, & in omni tentatione virtu- „ tem, tribue de præteritis veniam, de „ præſentibus malis emeodationem, de „ futuriſque digoeris largiri cuſtodiam. „ Amen. „

Alia.

„ *Obſecro*, Domine Jeſu cunctas civita- „ tis meæ portas juſtitiæ facias, ut in- „ greſſus io eas confitear nomini tuo, &c. „

Alia.

„ *Deus* omnipotens miſerere ſupplici „ tuo &c. „

Alia.

„ *Indignum* me, Domine, fateor tuis „ ſacris, qui innumeris quotidie ſuffocor „ peccatis, nam qui blandis rogare præ- „ ſumo, improbis ſæpiſſime factis offen- „ do, &c. „

Alia.

Alia.

„ *Deus* propitius eſto mihi peccatori, „ & ſine peccato ſolus, &c. „

Alia.

„ *Domine* Jeſu Chriſte Redemptor mundi, propitius eſto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti, quia „ tu ſolus Domine, immortalis es, & „ ſine peccato; indulge mihi miſerrimo „ præſumenti accedere ad ſanctum altare „ tuum, & invocare te &c. „

Alia.

„ *Deus* miſericordiæ & veritatis, clementiam tuam ſuppliciter deprecor, „ ut mihi miſero innumerabilium veniam „ concedas peccatorum, &c. „

Alia.

„ *Clementiſſime* Chriſte, fidelium animarum Redemptor, propitius quæſo „ adeſto meis indignis precibus exauditor, „ &c. „

Has orationes interim dicat, donec cantentur ad introitum, Kyrie eleiſon, deinde carmen Angelorum.

„ *Gloria* in excelſis, &c.,

Hac ſequens oratio dicatur ab Epiſcopo interim donec Hymnus Angelicus finiatur.

Oremus.

„ *Deus* qui juſte iraſceris, & clementer ignoſcis, qui etiam non mortem „ peccatorum, ſed vitam deſideras, me „ miſerum, fragilemque peccatorem delictorum ſordibus plenum, tua pietate „ non repellas, neque reſpicias ad peccata mea, quæ male vivendo commiſi, „ ſed ad immenſas miſericordias tuas, „ quibus gratuito munere precantibus ſubvenire conſuevisti, &c. „

Finita angelica laude, miſſalem orationem dicat Sacerdos: deinde lectio recitetur, & inter lectionem & Evangelium, id eſt tempore Gradualis, & Alleluja, ac ſequentia, Epiſcopus dicat has orationes.

„ *Ante* oculos tuos Domine Deus, „ conſcientiæ teſtis aſſiſto, rogare non „ audeo, quod impetrare non mereor, „ &c. „

Alia.

„ *Chriſte* parce, miſerere mei, non „ ſecundum merita mea, ſed ſecundum „ miſericordiam tuam, &c. „

Alia.

„ *Quæſumus* immenſam pietatem tuam „ Deus, ne nos pro noſtra iniquitate condemnes, &c.

Alia.

„ *Mordacis* conſcientiæ ſtimulis, & delictorum noſtrorum recordatione commoniti, Dominum indulgentiæ deprecamur, &c. „

Alia.

„ *Si* ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, plagas, quas vel duriſſimas in hac vita pati poſſumus, „ conferamus, minus eſt quod patimur; „ majus eſt; quod meremur. &c. „

Alia.

„ *Ante* conſpectum tuæ inæſtimabilis „ Majeſtatis, ſancta Trinitas, & vera „ unitas, omnipotens æterne Deus, non „ ſine debita reverentia, attamen nulla „ officii dignitate vilis admodum peccator accedo, &c. „

Alia.

„ *Miſerere*, Deus, omnibus errantibus, „ & ad te pertinentibus, & his omnibus „ miſerere, pro quibus debitores ſumus „ exorare, &c. „

Alia.

„ *Succurre* mihi Deus antequam moriar, „ antequam me tormenta rapiant, antequam me tenebræ obvolvant, &c. „

Alia.

„ *Domine* Jeſu Chriſte, qui me tuâ „ ſan-

Digitized by Google

„ ſanguine redemiſti, exaudi me peccatorem quotidie peccantem, & in peccatis nimiis jacentem, &c.

Alia.

„ *Domine* Jeſu Chriſte integritatis amator, muni cor meum ab omnibus ſagittis, & inſidiis inimici, &c. „

Alia.

„ *Tuam*, Domine, clementiam precor, ut mihi famulo tuo remiſſionem cunctorum tribuas peccatorum, &c. „

Alia.

„ *Projectis* nobis Domine in condemnationem operum noſtrorum, da capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem infunde lacrymarum, ut peccati maculas abluendo, ultrices pœnarum flammas fletuum ubertate vincamus, &c. „

Alia.

„ *Impellit* peccatorem miniſtrandi officium, hoſtiam ſalutarem offerre pro populi delicto, &c. „

Oratio pro ſemetipſo.

„ *Salva* me, Domine, Rex æternæ gloriæ, qui potes ſalvare, & da mihi, ut valeam, & operari, & perficere quæ tibi placeant, & mihi expediant, &c.

„ *Domine* ſancte, piiſſime Pater, da mihi de præteritis delictis veniam, de præſentibus emendationem, de futuris largire cuſtodiam, &c. „

Oratio in quacumque tribulatione.

„ *Deus*, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectum, adeſto precibus noſtris, &c. „

Oratio Paſtoris dicenda pro ſe, & pro ſubditis.

„ *Dimitte*, Domine Deus omnipotens quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris noſti increpatio momordit in ſubditos, quicquid minus de boni perfectione diximus parce, &c. „

Cum incenſum ante Evangelium in thuribulum mittitur, dicat Sacerdos.

„ *Odore* cæleſtis inſpirationis ſuæ accendat.

Benedictio ejuſdem.

„ *In* nomine Domini Jeſu Chriſti benedicatur incenſum iſtud, &c.

Deinde inclinante ſe Diacono, dat benedictionem Dei dicens.

„ *Benedictio* Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper te, &c. „

Diaconus accipiendo, vel oſculando Evangelium.

„ *Da* mihi Domine ſarmonem rectum, & bene ſonantem in os meum, &c.

Perlecto autem Evangelio Diaconus dicat:

„ *Per* iſtos ſermones ſancti Evangelii tui, &c.

Et ceteri omnes dicant.

Pax tibi: „

Tunc allato incenſo, ſimulque Evangelio ad ſalutandum, dicant ſinguli.

„ *Per* iſtos ſanctos ſermones Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. „

Quando incenſum offertur dicant ſinguli.

„ *Dirigatur* oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine. „

Tunc Sacerdos incipiat ſymbolum id eſt, Credo in unum Deum, &c.

Finito ſymbolo Apoſtolorum, dicat Sacerdos.

„ *Dominus* vobiſcum.

„ *Et* cum ſpiritu tuo. „

Deinde lavet manus hanc orationem dicens:

„ *Largire* ſenſibus noſtris omnipotens Pater „ &c.

Hæc prædicta oratio dicenda eſt a Sacerdote cum manus lavat, ſive ante Miſſam, vel interim, ſeu poſtea.

Tandiu

Tandiu autem, quamdiu Ofertorium, & verſus canuntur, has dicat orationes:

„ *Domine* Deus omnipotens, fac me „ peccatorem hodie ſecundum miſericor- „ diam tuam accedere ad ſanctum altare „ tuum, &c.

„ *Deus*, qui de indignis dignos facis, „ de peccatoribus juſtos, de immundis „ mundos, munda cor meum, &c. „

Alia.

„ *Majeſtatem* tuam totis viribus, De- „ us piiſſime, humili prece depoſco, „ &c. „

Cum autem ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, has orationes humillime ante altare ſe flebiliter accuſans, dicat:

„ *Ante* oculos tuos, Domine, reus „ conſcientiæ triſtis aſſiſto &c. „

Alia.

„ *Deus*, qui te præcipis a peccatoribus „ exorari, tibique contriti cordis ſacrifi- „ cium offerri, &c. „

Alia.

„ *Conſcientia* quidem trepidi, Domine, „ ad altare tuum accedimus, &c. „

Alia.

„ *Ante* conſpectum divinæ Majeſtatis „ tuæ reus aſſiſto, &c. „

Alia.

„ *Altiſſime* Deus, ignoſce mihi pecca- „ tori, quia totius vitæ meæ ſuperavit „ me iniquitas, &c. „

Alia:

„ *Ignoſce* quæſo mihi, Domine, quem „ maculatæ vitæ conſcientia trepidum, „ & criminum meorum confuſio fecit „ eſſe captivum, & qui pro me veniam „ obtinere non valeo pro aliis rogaturus „ aſſiſto, &c. „

Tunc accedens ad altare, & illud oſculando dicat:

„ *Oro* te, Domine, omnipotens De- „ us, ut per merita Sanctorum tuorum, „ &c. „

Tunc convertat ſe ſuſcipere oblationes Presbyterorum, aliorumque, quando quis oblationem in manum Epiſcopi, vel Presbyteri offert, dicat:

„ *Tibi* Domino Creatori meo offero „ hoſtiam pro remiſſione omnium pecca- „ torum meorum, &c. „

Pro ſemetipſo, & pro cuncto populo chriſtiano.

„ *Tibi* Domino Creatori meo offero ho- „ ſtiam placationis pro delictis meis & po- „ puli tui, &c. „

Pro Rege & Antiſtite noſtro, & pro cuncto Clero, ac omni populo chriſtiano.

„ *Tibi* Creatori meo offero hoſtiam pla- „ cationis & laudis, pro me, & pro „ Rege noſtro, & Antiſtite noſtro, „ ac pro cuncto populo chriſtiano: pe- „ to, Domine, ut des nobis vitam æter- „ nam. „

Epiſcopus vero, vel Presbyter ad oblationes, dicat.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc obla- „ tionem, &c. „

Poſt acceptas oblationes a Clero, vel plebe, accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblatam, dicendo.

„ *Acceptum* ſit omnipotenti Deo, & „ omnibus Sanctis ejus ſacrificium tu- „ um. „

Veniensque Diaconus ante Epiſcopum offerat dicens hoc offertorium.

„ *Suſcipe* ſancte Pater hanc oblationem „ & hoc ſacrificium laudis in honorem „ nominis tui, &c. „

Et Epiſcopus accipiens oblationem a Diacono, dicat:

„ *Acceptabilis* ſit omnipotenti Deo obla- „ tio tua. „

Tunc puro corde offerat Domino oblatam, ita dicens:

„ *Suſcipe* ſancte Pater omnipotens, æter- „ ne Deus, hanc immaculatam hoſtiam, „ &c.

Alia.

„ *Suſcipe* clementiſſime Pater hoſtias „ placationis & laudis, quas tibi offero ego

„ ego indigous famulus tuus, &c. „

Iſta orationes, cum oblationes offeruntur ad altare dicenda ſunt, & eſt hac prima quotidiana, & generalis.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero io memoriam Iocarnatioois, &c. „

Pro ſemetipſo.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, haoc oblationem, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis atque offeoſionibus meis, &c.

Alia pro ſemetipſo.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, &c.

„ *Exaudi*, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, &c. „

Apologia Sacerdotis.

„ *Suſcipe* confeſſionem meam uoica ſpes ſalutis meæ, &c. „

Alia.

„ *Deus*, qui per os David locutus es, Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, te ſuppliciter exoro, &c. „

Alia.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam cgo indignus, &c. „

Pro familiaribus, ac fratribus, & ſororibus.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & noſtræ congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris, &c. „

Pro Rege, & populo chriſtiano.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem pro Rege noſtro, & ſua venerabili prole, &c. „

Pro Eccleſia Catholica.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, haoc oblationem quam pro Eccleſia tua ſancta Catholica tibi offero, &c. „

Pro ſalute vivorum.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, haoc oblatiooem, &c. „

Pro infirmis.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, &c.

Pro defuncto.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, pro anima famuli tui N. ut per hoc ſalutare ſacrificium purgata Sanctorum tuorum conſortio coadunari mereatur. Per Dominum. „

Pro defunctis.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum, famularumque tuarum, & requiem æternam dones eis inter Sanctos tuos, & clectos, ut in illorum conſortio vita perfruantur æteroa. Per Dominum. „

Alia pro defunctis.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus, in tui nominis confeſſione defunctis, &c. „

Pro omnibus univerſaliter.

„ *Suſcipe*, ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam pro ſeniore noſtro, & cuncta congregatiooe, ſancti Petri &c. „

Tunc imponat oblatam altari, & dicat.

„ *Sanctifica*, Domine, hanc oblationem, ut nobis unigeniti filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus fiat. Qui tecum vivit &c. „

Deinde Diaconus accipiat a Subdiaco-

no vinum, *& miſceat cum aqua in calice*, *dicens*.

„ *Deus*, qui humanæ ſubſtantiæ, &c. „

Tunc Diaconus offerat calicem ſuper altare, *& Epiſcopo dicat*.

„ *Immola* Domino ſacrificium laudis, „ &c. „

Et Sacerdos calicem offerens dicat offertorium iſtud.

„ *Offerimus* tibi, Domine, calicem ſalutaris & deprecamur clementiam tuam, „ ut in conſpectu divinæ Majeſtatis cum „ odore ſuavitatis aſcendat. „

Sequitur oratio.

„ *Domine* Deus Jeſu Chriſte, qui in „ cruce paſſionis tuæ, &c. „

Poſito calice ſuper altare, *dicat Sacerdos*.

„ *Oblatum* tibi Domine calicem ſan„ ctifica &c.

Tunc benedicat utraque elevata manu, *& dicat*:

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spi„ ritus ſancti, ſit ſignatum, ordinatum, „ ſanctificatum, & benedictum hoc ſacri„ ficium novum. „

Adjungat.

„ *Veni* ſanctificator omnipotens, &c. „

Poſtea accipiens Epiſcopus thus a Diacono, *ponat in thuribulum*, *dicens*:

„ *Per* interceſſionem S. Gabrielis Ar„ changeli ſtantis a dextris altaris incen„ ſi &c. „

Hac oratio dicenda eſt, *dum incenſo miſſo in thuribulum*, *ipſum thuribulum ſuper panem & calicem circumducitur*.

„ *Memores* ſumus, æterne Deus, Pa„ ter omnipotens, glorioſiſſimę Paſſionis „ Filii tui, &c.

Circumveniens autem altare cum incenſo Epiſcopus aut Presbyter dicat:

„ *Incenſum* iſtud a te benedictum, „ &c. „

Sequitur.

„ *Dirigatur* oratio mea, ſicut incenſum „ in conſpectu tuo Domine. „

Quando odor incenſi porrigitur Sacerdoti & fratribus, *dicat unuſquiſque eorum*.

„ *Accendat* in nobis Dominus ignem „ ſui amoris, flammam æternæ charita„ tis. „

Tunc Sacerdos humillime ſe convertat ad circumſtantes, *dicens*:

„ *Orate* pro me peccatore, fratres & „ ſorores, ut meum ac veſtrum ſacrifi„ cium acceptum fiat Domino Deo omni„ potenti ante conſpectum ſuum. „

Tunc reſpondeatur ei a ſingulis.

„ *Suſcipiat* Omnipotens de manibus tuis „ ſacrificium, &c.

„ *Orent* pro te omnes Sancti, & electi „ Dei, memor ſit omnis ſacrificii tui, „ & holocauſtum tuum pingue fiat, „ &c. „

Tunc converſus Sacerdos ad altare fundat pro ſemetipſo hanc orationem.

Ante Secreta.

Domine Jeſu Chriſte, fides & fiducia „ &c. „

Tunc incipiat Secreta, *quibus finitis*, *& Præfatione dicta*, *quando alii Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus decantant*, *hac oratio curſim dicenda eſt a Sacerdote*.

„ *Domine* Deus, qui non mortem, ſed „ pœnitentiam deſideras, &c. „

Hac oratione finita, *antequam ſacramenta incipiantur*, *iterum ſe Domino commendat*, *dicens*:

„ *Facturus* memoriam ſalutaris hoſtiæ „ totius mundi, &c. „

Deinde cum ſumma reverentia incipiat Te igitur *& Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent ipſos Pſalmos uſque dum* Te igitur *finiatur*.

Exaudiat te Dominus

Miſerere mei Deus ſecundum magnam.

Domine refugium.

Qui habitat in adjutorio.

Deinde preces.

„ *Salvum* fac ſervum tuum Deus meus „ ſperantem in te, &c. „

Oratio pro Sacerdote.

„ *Gaudeat*, Domine, quæſumus, famu„ lus tuus beneficiis impetratis, &c. „

Digitized by Google

Alia communis.

„ *Precibus* noſtris quæſumus, Domine, „ aures tuæ pietatis accommoda, &c. „

Infra actionem.

„ *In primis* una cum famulo tuo Papa „ noſtro N. & pro omnibus Orthodoxis, „ atque apoſtolicæ fidei cultoribus, &c.
„ *Memento*, Domine, famulorum famularumque tuarum, &c.
„ *Quam* oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, &c. „
Iſtud prafer in eodem canone, quando Concilium vel conſilium aliquod agitur; poſtquam dixeris Æterno Domino vivo & vero.
„ *Communicantes*, & memoriam venerantes, &c. „

Pro ſemetipſo.

„ *Memento*, Domine, & miſerere mei, „ multi enim & magni ſunt languores „ mei, &c. „

Nobis quoque peccatoribus.

Pro ſemetipſo, & pro debitoribus.

„ *Memento*, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. N. præcipue „ deprecor pro his qui memoriam mei „ coram te in ſuis precibus faciunt, „ &c. „

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro ſemetipſo in eodem canone dicenda.

„ „ *Memento* etiam mei, quæſo Deus, „ & miſerere, & licet hæc ſancta, „ &c. „

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro ſalute vivorum & mortuorum.

„ *Memento* etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, &c. „

Hic recites nomina quorum velis.

„ *Iſtis*, Domine, & omnibus in fide „ catholica quieſcentibus, locum pacis, „ refrigerii & quietis, ut indulgeas deprecamur. Per Chriſtum, &c. „

Nabis quoque peccatoribus.

„ *Memento* etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. N. qui „ nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis & omnibus „ in Chriſto quieſcentibus, “ locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur. Per Dominum, &c. „
Expleta Secreta, & Oratione Dominica, cum dixerit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

Miſceatur corpus Dominico ſanguini, & dicatur.

„ *Hæc* ſacro ſancta commixtio corporis, & ſanguinis D. N. J. C. fiat omnibus nobis ſumentibus ſalus mentis & „ corporis, & ad æternam vitam capeſcendam præparatio ſalutaris. Per eumdem, &c.
„ *Fiat* commixtio & conſecratio corporis, & ſanguinis D. N. J. C. omnibus accipientibus nobis in vitam æternam, &c. „
Non omittat Epiſcopus in calicem partem oblatæ ut Presbyteri ſolent, ſed expectet, donec finita benedictione Epiſcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenenſque ſuper calicem immittat, dicens:
„ *Sacri* ſanguinis commixtio cum ſancto corpore D. N. J. C. proſit omnibus ſumentibus ad vitam æternam, „ &c. „

O R A T I O.

„ *Concede* Domine Jeſu Chriſte, &c. „

Poſt hæc dicta oſculetur altare, dicens:

„ *Domine* Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis: pacem relinquo vobis, „ pacem meam do vobis, ne reſpicias „ peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ, „ eam-

„ eamque ſecundum tuam voluntatem pacificare & adunare dignare. „

Deinde convertat ſe ad circumſtantes, pacemque dicendo,

„ *Habete* vinculum pacis, & charitatis, ut apti ſitis ſacro-ſanctis myſteriis. „

Et ipſi invicem ſe pacificando dicant:

„ *Pax* Chriſti & Eccleſiæ abundet in cordibus noſtris. „

Quando Corpus Dominicum Sacerdos in manus accipit, dicat:

„ *Panem* cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo. „

Sequitur oratio.

„ *Perceptio* corporis tui, Domine Jeſu Chriſte. „ *Ut in Miſſali Romano.*

Alia.

„ *Fiat* mihi obſecro, Domine, hoc Sacramentum, &c. „

Cum corpus ſumitur.

„ *Corpus* D. N. J. C. ſit mihi remedium ſempiternum in vitam æternam. „

Quando calicem in manus accipit Sacerdos, dicat:

„ *Quid* retribuam Domino. *Et reliqua ut in Miſſali Romano.*

Sequitur oratio.

„ *Communicatio* & confirmatio corporis & ſanguinis D. N. J. C. proſit mihi in remiſſionem omnium peccatorum meorum, & conſervet me ad vitam æternam. „

Alia ad utrumque.

„ *Domine*, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, &c. „

Cum ſanguis ſumitur.

„ *Sanguis* Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat me in vitam æternam. „

Poſt perceptam Communionem.

„ *Domine* Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris. „ *Et reliqua ut in Miſſali Romano.*

Alia.

„ *Corpus* tuum Domine quod accepi, & calix quem potavi, adhæreant in viſceribus meis, & præſta, ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua ſancta introierunt Sacramenta. Qui vivis, &c. „

Deinde Presbyteris & Diaconis corpus in manus accipientibus & communicantibus, dicitur ſingulis:

„ *Pax* tecum: R. Et cum ſpiritu tuo. „

Alia.

„ *Verbum* caro factum eſt, & habitavit in nobis. „

Calicem vero cum ſacro-ſancta commixtione dando, unicuique dicat.

„ *Hæc* ſacro-ſancta commixtio corporis & ſanguinis D. N. J. C. proſit tibi ad vitam æternam. „

Subdiaconis autem, ac alio Clero communicet hoc modo, dicens:

„ *Perceptio* corporis & ſanguinis D. N. J. C. ſanctificet corpus, & animam tuam in vitam æternam. Amen. „

Populo quidem communicando, dicat:

„ *Corpus* & ſanguis D. N. J. C. proſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & ad vitam æternam. Amen.

Interim dum communicant, dicat.

„ *Ignoſce*, Domine, &c. „

Poſt perceptam communionem.

„ *Quod* ore ſumpſimus, Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. „

ORATIO.

„ *Obſecro* etiam te piiſſime omnium auxiliator, &c. „

Bb 2 *Alia*

Alia.

„ *Conſervent* nos , Domine , munera „ tua , &c. „

Alia.

„ *Cuſtodi* intra nos , &c. „

Alia.

„ *Praſta* , Domine , Jeſu Chriſte . „

Poſtquam Diaconus dixit : Ite Miſſa eſt ; *veniat Sacerdos ante altare* , *& oſculetur illud dicens :*

„ *Meritis* & interceſſionibus B. Mariæ „ ſemper Virginis , & illorum atque om„ nium Sanctorum ſuorum miſereatur no„ ſtri omnipotens Deus , qui vivit , „ &c. „

In hac Miſſa habetur I. Realitas corporis Chriſti in Euchariſtia ſæpius conclamata , quæ Calviniſtas confundit . II. Ejuſdem corporis permanentia ſtabilitur, nam Sacerdos nonniſi longo tempore a conſecratione elapſo ſeipſum & alios communicat, nec verba conſecrationis repetit ſingulis adminiſtrando Euchariſtiam , ut faciunt Lutherani ; ſicque proprio telo a Flacco Lutherano eatenus confodiuntur, quatenus ipſe hanc in lucem edidit Miſſam , qua ſtante contra omnes Proteſtantes dogma ſacrificii , purgatorii , invocationis Sanctorum , ut dictum eſt , mirum in modum firmatur & roboratur .

ARTICULUS TERTIUS.

Caſus conſcientiæ circa Communionem , & Sacrificium Miſſæ proponendi , & reſolvendi .

De Communione.

PRIMUS CASUS.

Infantes duodecim infra annorum ſunt ne ad ſacram Communionem ſuſcipiendi ?

RESPONDEO affimative , ſi eam calleant acuitatem, & de myſteriis ita ſint edocti , ut perfecte diſcernant inter myſterium , & myſterium . Ita D. Thomas in 4. diſt. 9. q. 1. quæſtiunc. 4. in corpore , ubi ſic loquitur : " Pueris ca„ rentibus uſu rationis , quia non poſſunt „ diſtinguere inter cibum ſpiritualem , „ & corporalem , non debet Euchariſtia „ dari . „ Tum ſubjungit : " Pueris au„ tem jam incipientibus habere diſcretio„ nem , etiam ante perfectam ætatem , „ puta cum ſint decem , aut undecim an„ norum , aut circa hoc , poteſt dari , ſi „ in eis ſigna diſcretionis appareant , & „ devotionis . „ Ejuſdem eſt ſententiæ ſanctus Carolus Borromæus , Act. Eccl. Mediol. part. 4. inſtruct. de Sacram. Communione tom. 1. p. 601.

SECUNDUS CASUS.

Utrum illuſio nocturna impediat Communionem ?

RESPONDEO I. Negative ſi ſit involuntaria . Hæc reſponſio eſt D. Thomæ in 4. diſt. 9. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. in corpore , his verbis : " Omne peccatum , „ ſecundum Auguſtinum eſt in voluntate : „ motus autem voluntatis præſupponit ju„ dicium rationis , eo quod eſt apparentis „ boni , vel vere , vel falſe . Unde ubi „ non eſt judicium rationis , non poteſt „ eſſe voluntatis motus ; in ſomnis autem „ judicium rationis impeditur &c. Igitur „ modo illuſio ſit involuntaria tam ante„ cedenter , quam concomitanter , con„ ſequenter non eſt peccatum : adeoque „ non eſt ratio a Communione diſceden„ di . „

Reſpondeo II. Idem eſſe dicendum de fluxu perpetuo ſeminis quo quis ex infirmitate laborat , modo fluxus ille ſit per omnia involuntarius . Iſta doctrina eſt ejuſdem S. Thomæ ibidem art. 4. quæſtiunc. 3. in corpore , ubi ſic loquitur de Euchariſtiæ ſumptione : " Cum iſte cibus „ non ſit corporis, ſed mentis, magis in ejus „ ſumptione conſideranda eſt diſpoſitio „ mentis , quam corporis . Et ideo di„ ſtinguendum eſt in immunditia corpo„ rali tantum:quia poteſt eſſe perpetua ſic„ ut lepra , aut diuturna : vel eſt tem„ poralis , & cito purgabilis . Si quidem „ perpetua , vel diuturna ; tunc nullo modo „ propter hoc quis abſtinere debet , ne pro„ pter immunditiam corporis perdatur fru-

„ ctus

„ ctus mentis, ſicut accidit in lepróſis patientibus fluxum ſanguinis, vel ſeminis. Si autem ſit temporalis, & facile expurgabilis: tunc ſi quis in mente ſit bene diſpoſitus, ſumere non prohibetur. „

TERTIUS CASUS.

Poteſtne denegari Communio feminis quæ habent faciem depictam, vel etiam collum ad pectus uſque adapertum?

RESPONDEO affirmative, & ſcandalum non in Sacerdotem, ſed in feminam a modeſtia chriſtiana ſecedentem refundendum eſſe. Sic cenſet S. Carolus, Act. Eccl. Mediol. part. 4. inſtr. de Sacram. Euch. tit. de præparat. corporis tom. 1. pag. 425. & ſeq. " Hæc Parochus præmonebit, & curabit, ut ſumma reverentia fideles accedant, & ſumant... Mulieres non fuco, aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, ſed ita veſtito, ut ne præter faciem quidquam cernatur. „ Rurſus ibidem pag. 611. " Mulieres quælibet, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis ſint, ad ſanctam communionem non accedant cum fuco, pigmentis &c. „

QUARTUS CASUS.

Utrum ille qui prolaberetur mane in peccatum mortale, poſſet, tranſacta una aut altera hora, præmiſſa confeſſione ad ſacram Menſam accedere?

RESPONDEO citra neceſſitatem non debere. Sic pronunciat S. Thomas in 4. diſt. 9. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 2. " Non eſſet, *inquit*, conſulendum alicui, quod ſtatim poſt peccatum mortale carnis, etiam contritus, & confeſſus ad Euchariſtiam accederet: Sed deberet, niſi magna neceſſitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere. „ Hanc eo loci reddit rationem: " Confeſſio purgat maculam mentis: non autem immunditiam corporalem, & habitudinem quæ conſurgit in mente ex depreſſione ipſius ad carnem. „

QUINTUS CASUS.

Peccat-ne mortaliter, qui dum accedit ad ſacram Menſam, recordatur exitiale peccatum in confeſſione omiſiſſe?

RESPONDEO affirmative, ſi nondum ſtet ad menſam, quandoquidem Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. declaravit cuncta peccata mortalia eſſe in confeſſione aperienda: Secus vero ſi adſit menſæ, nec citra ſcandalum ab ea diſcedere queat, ut peccatum de quo habet conſcientiam, confiteatur. Sic propugnat Sylvius Reſol. var. v. Confeſſio 6. " Confiteri tenetur, *inquit*, vel non communicare... regulariter, ſeu per ſe loquendo. Si nimirum alterutrum iſtorum ſacere poſſit, hoc eſt vel non communicare, vel confeſſionem iſtius peccati præmittere abſque ſui infamia, vel aliorum ſcandalo, aut offenſione. „

SEXTUS CASUS.

Utrum communicare licitum ſit illi, qui reſignationem ſimoniacam commiſit, & tamen peccatum in confeſſione non aperuit, eo quod culpam uti ſolum venialem haberet?

RESPONDEO peccare mortaliter eo quod non potuit laborare ignorantia invincibili de Simonia commiſſa, cum hoc ſpectet jus, & non merum factum. Ita D. Thomas 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. his verbis: " Hoc, quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter: uno modo per culpam ſuam, vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum: puta ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale; vel quia negligens eſt in examine ſui ipſius contra id quod Apoſtolus dicit 1. Cor. 9. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens corpus Chriſti; licet non habeat conſcientiam peccati: quia ipſa ignorantia eſt ipſi peccatum. „

SEPTIMUS CASUS.

Utrum aliquis tuta conſcientia poſſit ſacram Eucharistiam ſumere, cum peccato mortali, de quo, omni adbibita in examine diligentia, ne minimum quidem recordatur?

RESPONDEO affirmative, & peccatum efficacia Communionis remitti, modo ante communionem, contritionem de omnibus peccatis tam cognitis quam incognitis elicuerit. Solutio eſt Divi Thomæ in 4. diſt. 9. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. in corpore ubi ſic habet: " Si aliquis per ,, hujuſmodi ſigna, facta diligenti diſcuſ- ,, ſione ſuæ conſcientiæ, quamvis for- ,, te non ſufficienti, ad corpus Chriſti de- ,, vote accedat aliquo peccato mortali in ,, ipſo manente, quod ejus cognitionem ,, præterſugiat, non peccat; immo ma- ,, gis ex vi Sacramenti remiſſionem con- ,, ſequitur. Unde Auguſtinus dicit in quo- ,, dam ſermone, quod quando corpus ,, Chriſti manducatur, vivificat mor- ,, tuos. ,,

OCTAVUS CASUS.

Quæritur utrum ille qui vel liquidum in parva quantitate ſumpſit ad ſacram Synaxim accedere queat?

RESPONDEO 1. poſſe, ſi ſolum aquæ guttulam inter lavandum os deglutierit, vel etiam qui partes aliquas ciborum ex priſtina cęna inter dentes inhærentes mane die Communionis non abſimili modo ſumpſerit; ea enim omnia ſe haberent per modum ſalivæ, ſecus vero ſi hora circiter undecima pomeridiana ſaccharum in ore poſitum, accedente ſomno liquefiat & abeat in ſtomachum.

Primum propugnant communiter Theologi, quia allata ſe habent per modum ſalivæ, nuſquam vero per modum cibi, & refectionis; ſed non ſic de ſecundo, niſi perſona certior facta ſit ante mediam noctem materiam liquefactam fuiſſe: Ratio ea eſt, quod res ſumpta rationem cibi habeat cum ad refocillandum ſumpta ſit; ſic propugnat Cabaſſutius L. 3. c. 5. n. 8. " De ,, iis, *inquit*, ut faucium raucedinnem aut ,, pectoris tuſſim, aut defluentium ex ce- ,, rebro humorum acrimoniam leniant, ,, ori imponunt ſaccharum, aliam-ve ma- ,, teriam quam paulatim liquefactam de- ,, glutiunt. His enim non licet poſtridie ,, communicare; niſi certum habeant om- ,, nem illam electuarii ſubſtantiam fuiſſe ,, in ſtomachum trajectam ante mediam ,, noctem. ,,

Reſpondeo 2. Eos utique poſſe communicare qui aliquid de cibo aut potu linguæ apponunt, ut probent num cibus ſit ſufficienter ſale conditus, aut vinum generoſum. Ita S. Antoninus 3. p. ſummæ tit. 3. c. 6. §. 8. " De his etiam, *ait*, quæ ſumun- ,, tur per modum guſtationis, ſicut taber- ,, narii, & coqui faciunt, qui cibum, & ,, potum ſupra linguam ponunt ſolum ad ,, probandum, & ſtatim projiciunt, vi- ,, detur quod non impediat *communionem* ,, ... Ex decentia tamen debet quis a tali- ,, bus abſtinere, qui vult communica- ,, re. ,,

NONUS CASUS.

Utrum ægrotus qui jam Sacrum ſuſcepit viaticum, procraſtinante longius infirmitate, multoties, etiam non jejunus, ſi aliter fieri non poſſit, Eucharistiam iteratis vicibus poſſit ſumere?

RESPONDEO Sacram communionem ad conſolationem multoties concedendam eſſe ægroto eam expoſtulanti, & hoc intra octo aut decem dies. Ita Rituale Pariſienſe an. 1647. juris publici factum pag. 114. " Pro viatico autem, & non jejuno mi- ,, niſtrabit *Parochus* quod in mortis periculo ,, gravi ægrotus erit. Quod ſi per aliquod ,, tempus in eodem periculo remaneat, ,, vel poſtquam periculum mortis evaſe- ,, rit, denuo in illud incidat, & ſacrum ,, viaticum devote petat; annuet & ipſi ,, Parochus dummodo ſaltem dies decem ,, ab altera Viatici ſumptione interceſſe- ,, rint. ,, Hanc iteratam eodem morbo perſeverente communionem, expreſſe propugnat Toletus, & hoc elapſis ſolum 8. diebus inſtruct. Sacerd. L. 5. c. 1. Item & Nugno in 3. part. Sum. D. Thomæ q. 20. art. 8. " Quia, *inquit*, tunc inſurgunt vehemen- ,, ter tentationes, & eſt extrema neceſſi- ,, tas perſeverandi in gratia Dei. Cum igi- ,, tur hoc Sacramentum detur ad perſeve- ,, randum, non debet denegari in illo tem-

,, po-

Digitized by Google

„ pore, etiamſi infirmus propter neceſ„ ſitatem non poſſit accedere non jeju„ nus. „

DECIMUS CASUS.

Utrum poſſit denegari Communio uſurario publico, qui tamen de peccatis cum contritione, & emendationis propoſito confeſſus, & abſolutus eſt?

RESPONDEO denegandam eſſe Communionem niſi conſtet publice uſurarium eſſe pœnitentem, & ad reſtitutionem paratum: Sic docet S. Thomas 3. p. q. 80. art. 6. „ Quidam vero, *inquit*, manifeſti *peccatores* ſcilicet per evidentiam facti, ſunt „ publici uſurarii, aut publici raptores: „ vel etiam per aliquod judicium Eccle„ ſiaſticum, vel ſæculare; manifeſtis er„ go peccatoribus non debet, etiam peten„ tibus, ſacra communio dari. „ Subſcribit Toletus Inſtr. Sacerd. L. 6. c. 17. ubi ſic ait: His enim neganda eſt Euchariſtia, „ niſi pœniteant; & ita nota ſit pœniten„ tia, ut notum eſt crimen. „

UNDECIMUS CASUS.

Quaritur, num citra peccatum Confeſſor poſſit denegare Communionem peccatori, cujus ſuſcepit confeſſionem, ſed juſta de cauſa abnegavit abſolutionem?

RESPONDEO non negandam eſſe Communionem, ſi accedens ſit peccator occultus, & publice accedendo cum ceteris ad ſacram menſam, eam expoſtulaverit; hoc enim confeſſionis ſigillum temerare eſſet: e contra vero ſi ſit peccator publicus. Sic reſpondet S. Thomas in 4. diſt. 9. q. 11. art. 5. quæſtiunc. 1. in corpore: " Si vero, „ *inquit*, peccatum eſt manifeſtum, de„ bet ei denegari *Euchariſtia* ſive in oc„ culto, ſive in manifeſto petat. „ Si tamen peccatum eſt occultum, & reus petat in occulto communionem poteſt ei denegari, inquit ibidem S. Thomas, & monere perfidum ut in publico illam non petat. Contrarium tamen cpmmuniter tenent Theologi, & Sanctus Doctor 3. p. Summæ q. 80. art. 6. priorem derelinquit ſententiam. Paludanus, Navarrus, in primis vero Dominicus Soto in 4. diſt. 12. q. 1. art. 6. propugnant Angelicum Doctorem ab iſta receſſiſſe ſententia; quæ indirecte ſigillo adverſari videtur.

DUODECIMUS CASUS.

Utrum pro quocumque ſcandali peccato poſſit Parochus denegare Communionem?

RESPONDEO I. non poſſe, niſi ſcandalum ſit juridice probatum. Ita leges Galliarum; ſi tamen impedimentum ſe teneat ſolum ex parte fori interni, fides adhibenda eſt peccatori, qui dicit ſe in confeſſione fuiſſe abſolutum: Sic colligitur ex S. Thoma Quodlib. 1. q. 6. art. 12. his verbis: " Si enim ſit impedi„ mentum ad forum judiciale pertinens, „ puta excommunicatio, non tenetur „ Sacerdos ſubdito credere, quem ex„ communicatum novit; niſi ſibi de ab„ ſolutione conſtet. Si autem ſit impe„ dimentum, quod ad forum pœnitentiæ „ pertineat, ſcilicet peccatum; tenetur „ ei credere, & injuſte agit, ſi deneget „ Euchariſtiam ei, qui perhibet ſe con„ feſſum, & abſolutum ab eo qui ab„ ſolvere potuit. „ Ex hoc principio ſequitur non eſſe a ſacra menſa propellendos eos qui tabernas frequentant, & uti mali Chriſtiani habentur etiam Paſchatis tempore, ſi inſtrumento publico probent ſua depoſuiſſe peccata, & ab eis rite fuiſſe abſolutos.

DECIMUSTERTIUS CASUS.

Utrum Sacerdos qui certo ſcit mulierem concubinarie vivere, quæ tamen ſæpius per hypocriſim accedit ad Communionem, poſſit, ſecluſo peccato, de induſtria illi dare hoſtiam non conſecratam, eo ſolum motivo, ut Sacramenti profanatio vitetur?

RESPONDEO negative, quandoquidem Sacerdos populum idololatriæ exponeret, quippe qui adoraret, quod crederet eſſe adorandum. S. Thomas ſic docet 3. p. q. 80. art. 6. ad 2. " Hoſtia tamen, *inquit*, „ non ſacrata nullo modo debet dari lo„ co conſecratæ. „ Ejuſdem eſt ſententiæ ſanctus Auguſtinus in Pſalmum 98. n. 9. Concinit Innocentius III. *in cap. de homine* 7. de celebrat. Miſſarum Lib. 3. tit. 41.

DECIMUS-QUARTUS CASUS.

Quæritur, num ille qui ea die communicavit, poſſit eo ipſo die petere viaticum? Altera difficultas eſt, num qui depoſitis peccatis petiit viaticum, ſed dementia corripitur dum adſtat Sacerdos ut Euchariſtiam illi porrigat, de facto illi concedere debeat?

RESPONDEO ad primum negative; ita ſanctus Thomas in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. in corp. "Homo, *ait*, non
,, debet pluries in una die communicare
,, ... ut ſaltem quantum ad unam diem
,, repræſentetur unitas divinæ paſſionis:
,, & ut, quantum ad aliquid reverentia
,, Sacramento adhibeatur ſemel ſumen-
,, do.,,

Reſpondeo ad ſecundum affirmative: Sic propugnat S. Thomas in 4. diſt. 9. art. 9. quæſtiunc. 3. in corp. rurſus 3. part. quæſt. 80. art. 9. in corp. modo non ſit a nativitate furioſus: "Quia, *inquit*,
,, amentes non poſſunt ad devotionem in-
,, duci quæ requiritur ad hoc Sacramen-
,, tum..... Vel inciderunt in amentiam
,, poſt fidem & devotionem Sacramenti,
,, & tunc debet eis dari *Euchariſtia*, niſi
,, timeatur periculum, vel de vomitu,
,, vel expuitione, aut aliquo hujuſmodi.
Expreſſius Concilium Carthaginenſe 4. anno 398. approbatum a Leone 3. cap. 76. & habetur in Canone *is qui* 8. 26. q. 6. "Is qui pœnitentiam in infirmitate
,, petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos in-
,, vitatus venit, oppreſſus infirmitate ob
,, mutuerit, vel in phrænesim verſus
,, fuerit, dent teſtimonium qui eum au-
,, dierunt, & accipiat pœnitentiam, &
,, ſi continuo creditur moriturus, recon-
,, cilietur per *manus* impoſitionem, & in-
,, ſundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſuper-
,, vixerit admoneatur, & ſupradictis te-
,, ſtibus petitionis ſuæ ſatisfactum: & ſub-
,, datur ſtatutis pœnitentiæ legibus quan-
,, diu Sacerdos qui pœnitentiam dedit,
,, probaverit.,,

DECIMUS-QUINTUS CASUS.

Licitum-ne eſt, graſſante peſte, Euchariſtiam involvere in linteo, & illam apponere ad portam ægroti, ut ſeipſum communicet?

RESPONDEO perfectiſſimum eſſe, ſi Sacerdos ea impulſus charitate, ipſe ægrum communicet, ut habetur in Concilio Mediolanenſi anno 1579. celebratum; abſolute tamen loquendo citra peccatum fieri poteſt ut ægrotus ipſe ſacram ſuſcipiat Euchariſtiam; teſte enim Cypriano Serm. de lapſis, Laici Chriſtiani, ſæviente perſecutione, in domum aſportabant Euchariſtiam linteo involutam, quod dominicale vocabatur, ut ſecundum devotionem ſeipſos communicarent. Euſebius Lib. 6. Hiſt. cap. 44. ait, de Dionyſio, quod ultro per infantem ſacram Euchariſtiam ad Serapionem ſenem miſerit. ,, Exiguam,
,, *inquit*, Euchariſtiæ partem puero tra-
,, didit, ut in aqua intinctam ſeni in os
,, inſtillaret.,,

CASUS DECIMUS-SEXTUS.

Poteſtne devota, quæ caſu tempore Paſchali in peccatum mortale prolapſa eſt, humilitatis motivo procraſtinare communionem Paſchalem ad feſtum uſque Pentecoſten.

Reſpondeo negative; hoc enim non niſi auctoritate Eccleſiæ faciendum eſt. Sic colligitur ex S. Thoma 3. part. q. 80. art. 11. ad 1. his verbis: "Dicendum,
,, quod, ſicut Gregorius dicit in Paſtora-
,, li, illa vera eſt humilitas cum ad re-
,, ſpuendum, quod utiliter præcipitur,
,, pertinax non eſt. Et ideo non poteſt
,, eſſe laudabilis humilitas, ſi contra præ-
,, ceptum Chriſti & Eccleſiæ aliquis om-
,, nino a communione abſtineat.,,

Hinc qui prætermiſit ſua culpa communionem Paſchalem, vel ipſa tranſacta quindecimana, cito citius ſub pœna peccati mortalis tenetur præcepto ſatisfacere. Ratio non una eſt: Primo, obligatio communionis non terminatur ad tempus; ut contendit Sylvius. in 3. part. Summæ D. Thomæ q. 80. art. 12. quæſito 4. "Prin-
,, cipale, *ait*, quod Eccleſia intendit:
,, præ-

„ præcipere, eſt communio: temporis autem determinatio ſolum eſt aliquid ſecundarium. „ Ratio altera ejuſdem Theologi ea eſt, quod qui prætermiſit confeſſionem annualem, prima data occaſine, ſua debet deponere peccata. Igitur & ſimili ratione communicare; cum utrumque præceptum, de confeſſione ſcilicet & communione cedat in animæ ſalutem, adeoque obligatio utriuſque, tranſacto Paſchæ tempore, perdurat.

DECIMUS-SEPTIMUS CASUS.

Quæritur, utrum qui ſex anni menſibus ruri, ſex vero aliis in urbe commoratur, poſſit indiſcriminatim modo ruri, modo in urbe & confeſſionem & communionem Paſchalem celebrare?

RESPONDEO affirmative modo æquali tempore domicilium ruri & in urbe habeat, nec refert ſi contingat tempore Paſchali diutius in uno remanere loco; ſic habet Gloſſa in cap. *Dilectus* 29. *De reſcriptis V.* domicilium. L. 1. tit. 3. ſubſcribit S. Antoninus 3. part. Sum. Theol. tit. 17. cap. 9. " Si in utraque Parochia haberet „ domum: in una, manerium Hyemale, „ in alia Æſtivale ... Utriuſque ſortitur „ non ſimul, ſed ſucceſſive, ſecundum „ quod habitat hic & ibi: ut tunc hic recipiat Sacramenta, quando hic habitat; „ alias alibi. „

DECIMUS-OCTAVUS CASUS.

Utrum Sacerdos in peccato mortali exiſtens peccet mortaliter ſacram porrigendo Euchariſtiam?

RESPONDEO affirmative cum S. Thoma in 4. diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. in corpore his verbis: " In peccato mortali exiſtens ...... Sacerdos, baptizans „ cum ſolemnitate, Miniſtrum Eccleſiæ „ ſe exhibens, peccat mortaliter. „ Idem dicendum de eo qui ſacram adminiſtrat Euchariſtiam, quia ex S. Auguſtino Sacramenta nocent indigne ea tractantibus; & habetur can. *Omnia*. 78. & in can. *Per Eſaiam*. 98. §. 3. 1. 9. 1. " Omnia Sacramenta cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus. „

Si tamen Sacerdos quindecim perſonas in menſa adſtantes eodem tempore communicet, non quindecim peccata, ſed unicum committit: ſic docet Navarrus Lib. 5. Conciliorum de pœnit. & remiſſ. conſ. 14. " Plures, *inquit*, actus exteriores „ tendentes in unum peccatum principale, qui ſunt diverſi in genere entis, „ cenſentur conſtituere unum peccatum „ in genere moris. „

DECIMUS-NONUS CASUS.

Utrum Diaconus, abſente Parocho, poſſit deferre Sacrum viaticum ad ægrotum animam agentem?

RESPONDEO affirmative, ſi adſit neceſſitas. Hæc reſponſio eſt D. Thomæ in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſt. 2. ad 1. " Non „ debet Diaconus corpus diſpenſare, niſi „ de mandato Presbyteri, vel Epiſcopi, „ vel Presbytero longe poſito, in caſu „ neceſſitatis. „ Concinit Rituale Bituricenſe tit. de Miniſtro Sacræ Euch. Ratio eſt, quia quondam Diaconi ſacram Euchariſtiam miniſtrabant, ut habetur in Apologia 2. D. Juſtini, & apud S. Cyprianum Serm. de Lap. dixi ſolum in neceſſitate, quandoquidem ſolus Sacerdos eſt ordinarius ſacræ Euchariſtiæ Miniſter.

VIGESIMUS CASUS.

Utrum Bataviam proficiſcens initio Quadrageſimæ teneatur præoccupare communionem Paſchalem, ut ſatisfaciat præcepto, eo quod ut plurimum, ibi propter hæreſim deficiat copia Sacerdotis?

RESPONDEO viatorem poſſe prævenire tempus Paſchale, non tamen abſolute ſi jam in anno communicaverit. Primum patet, cum Concilium Lateranenſe IV. cap. *omnis utriuſque ſexus*, injungat ſingulis fidelibus ſaltem ſemel in anno ſacram Euchariſtiam ſumere: Secundum utique: Nam præceptum de tempore Paſchali levius eſt, capitale vero de communione ſaltem ſemel in anno facienda, maxime, cum juxta Theologorum placita nullus teneatur antevertere ſeu prævenire celebrationem, tum jejunii, tum feſtivitatis: Igitur nec communionis.

Digitized by Google

DE MISSA.

PRIMUS CASUS.

Utrum Sacerdos qui unam, aut alteram liquoris corroborantis ſumpſit guttulam propter infirmitatis ſeu debilitatis pondus, vel etiam minimam per medum ſimplicis hauſtus, poſſit celebrare Miſſam?

RESPONDEO negative ad utrumque caſum; citra dubium eſt enim in utraque hypotheſi confractum fuiſſe jejunium, quo ſecluſo, non debet Sacerdos celebrare. Ita Concilium Conſtanticnſe Seſſ. 13. ita Auguſtinus Epiſt. 119. cap. 6. Sic definit Concilium Toletanum ſeptimum cap. 2. & habetur in can. *Nihil* 17. 7. q. 1. his verbis: " Ne tamen quod naturæ, languoris cauſa, conſulitur in præſumptionis pernitiem convertatur; nullus poſſit poſt cibum, potumque quemlibet minimum ſumptum Miſſas facere .... præſumat .... Si quis hæc temerare præſumpſerit excommunicationis ſententiam ſuſtinebit. " Sic etiam propugnat S. Thomas 3. part. quæſt. 8. art. 8. ad 4. " Nec refert, *inquit*, utrum aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis. "

SECUNDUS CASUS.

An qui poſt primam Miſſam die natali celebratam ſumpſit ablutionem, poſſit nihilominus ſecundam & tertiam celebrare, maxime ſi ex ſecunda vel tertia prætermiſſa inde ſequeretur ſcandalum, videlicet multos hac ipſa die Miſſam non audituros?

RESPONDEO negative, quia præceptum jejunii ſemper urget ante celebrationem; ſic colligitur ex S. Thoma 3. part. art. 6. ad 2. ex S. Auguſtino Epiſt. 54. num. 7. 8. maxime vero ex Gratiano in can. *Liquido* de conſecratione diſt. 2. nec inde ſequitur ſcandalum, ſed potius exurgit ædificatio, quum fama volat in villa, Eccleſiæ Rectorem ne temeraret præcepti jejunii legem, ab aliis Miſſis celebrandis abſtinuiſſe.

TERTIUS CASUS.

Utrum Sacerdos, qui abſoluta Miſſa, animadvertit quoſdam vini guttas calici adhærere, eas habere debeat ut conſecratas?

RESPONDEO uti tales habendas eſſe guttas, ſi intra calicem adhæreant, e contra vero ſi ad extra: hinc in primo caſu illas tenetur conſumere, cum dubium teneat pro reverentia erga Sacramentum. In altero vero ſufficit eas linteo abſtergere, quandoquidem adeſt certitudo moralis illas non eſſe conſecratas.

QUARTUS CASUS.

Num, qui tabaccum ante Miſſæ celebrationem ſumit, accedat jejunus ad altare?

RESPONDEO præceptum quidem jejunii non violari ſumendo tabaccum ſive ſolidum, ſive in fruſta conciſum, aut in pulverem redactum, quippe quod non pervadat uſque ad ſtomachum, cum potius attrahat humores ſive in cerebro, ſive etiam in pectore adhærentes, & non nutriat: melius tamen eſt ob reverentiam tanto Myſterio debitam, illud ante Miſſæ celebrationem non ſumere: Sed non ſine gravi irreverentiæ peccato, quiſquam, durante Miſſa, eo uteretur, & hoc conſtat ex Bulla Urbanii VIII. die 30. Januarii anno 1642. qua prohibet Laicis quidem in Eccleſia tabaccum ſumere, Sacerdotibus vero ſub interminatione excommunicationis, "Ipſo facto, *inquit*, ne de cetero, in quibuſvis civitatis & Diœceſis prædictarum Eccleſiis, earumque atriis, & ambitu tabaccum, ſive ſolidum, ſive in fruſta conciſum, aut in pulverem redactum, ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, aut alias quomodolibet ſumere audeant, vel præſumant ſub excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendæ pœna auctoritate Apoſtolica tenore præſentium interdicimus & prohibemus. "

Digitized by Google

CASUS QUINTUS.

Utrum tuta conſcientia villæ Rector poſſit abſque caſula celebrare Miſſam die Dominica quo urget præceptum audiendi ſacrum, & hoc quia arca, in qua caſulæ concluduntur, defectu clavis reſerari non poſſit?

RESPONDEO negative, quandoquidem præceptum audiendi Miſſam non obligat cum deſunt ornamenta. Sic docet Sylvius in 3. part. D. Thomæ quæſt. 83. art. 6. quæſito 3. ſeſſ. ſextum: "Præce- „ ptum autem, *inquit*, divinum de ſumen- „ do viatico ſolum obligat infirmum pro „ illo tempore quo ipſe poteſt ſine inde- „ centia, vel irreverentia illud habere. „ Eccleſiaſticum autem de Miſſa audien- „ da, tunc dumtaxat fideles obligat, quan- „ do poſſunt eam audire celebratam ſecun- „ dum Eccleſiæ conſtitutionem. „ Hæc ſolutio colligitur ex Concilio Tridentino Seſſ. 22. decreto de obſervandis & evitandis in celebrat. Miſſæ: "Caveant, *inquit*, Epiſcopi, ne Sacerdotes ... Ritus „ alios, aut alias cæremonias & preces in „ Miſſarum celebratione adhibeant præter „ eas quæ ab Eccleſia probatæ ac frequen- „ ti & laudabili uſu receptæ fuerint. „ *Innixi* ſacræ Synodi ſententia, dicimus citra peccatum grave non poſſe Sacerdotem abſque lumine, Miſſæ ſacrificium celebrare. Concinit Honorius III. in cap. *Litteras* 12. de celebrat. Miſſar. lib. 3. tit. 41. "Ex ejus confeſſionibus, *inquit*, *Reſpondens Epiſcopo*. Inveniſti, quod idem „ *Presbyter* ſine igne ſacrificabat, & aqua. „ Cum igitur vel ex aperta malitia, vel „ nimia deſcipientia peccaſſe probetur; „ mandamus, quatenus officio & beneficio „ perpetuo ipſum prives. „

SEXTUS CASUS.

Utrum Eccleſiæ Præpoſitus, cogente neceſſitate, abſque Miniſtro reſpondente, poſſit celebrare Miſſam?

RESPONDEO I. De via ordinaria hoc non eſſe licitum; ſic reſpondet Alexander III. in cap. *Propoſuit* 7. de filiis Presbyterorum Lib. 1. tit. 17. Sic Concilium Moguntinum can. 43.

Reſpondeo II. Hoc eſſe licitum, urgente neceſſitate; ita cenſet Alexander Alenſis part. 4. quæſt. 46. memb. 7. his verbis: "Recluſus ſine aſſiſtente poteſt celebrare. „ Et ſic habetur Gloſſa in can. *hoc quoque*, tit. V. *ipſe tertius*, his verbis: "Immo & incluſus Miſſam ſolus canta- „ re poteſt.... Ubi Cleri copia non ſuf- „ fragatur. „ Eo non abſimili modo Alexander III. in cap. *Quæſivit* 14. de verborum ſignificatione, & ibi Gloſſa Lib. 5. tit. 40. in qua ſic habetur: "Solus poteſt infirmum ungere. „ Intellige ſi neceſſe fuerit.

CASUS SEPTIMUS.

Sacerdos inter celebrandum recordatur modo aquam in calicem infundere prætermiſiſſe, modo etiam ſolam aquam appoſuiſſe, & hoc, conſecratione facta, quæritur jam num peccaverit, & quid ſit faciendum?

RESPONDEO peccaſſe graviter, ſi hæc vel ex inadvertentia craſſa, vel etiam, quod pejus eſt, ex contemptu fecerit. In prima hypotheſi debet apponere aquam, ſi nondum facta ſit conſecratio; e contra vero ſi tranſacta ſit. Ita S. Thomas in 4. ad Annibaldum, diſt. 11. art. 4. in corp. ſed maxime 3. p. q. 83. art. 4. ad 6. In ſecunda hypotheſi ibid. art. 6. ad 4. ſic reſpondet: "Si vero *Sacerdos* percipiat poſt „ verba conſecrationis quod vinum non „ fuerit poſitum in Calicem, ſi quidem „ hoc percipiat ante ſumptionem corpo- „ ris, debet, depoſita aqua, ſi ibi fue- „ rit, imponere vinum cum aqua, & „ reſumere a verbis conſecrationis ſan- „ guinis. „

Idem S. Doctor ibid. art. 6. ad. 3. ait quid ſit faciendum: "Si muſca, vel ara- „ nea in calicem ante conſecrationem ce- „ ciderit, aut etiam venenum deprehen- „ derit eſſe immiſſum, debet effundi, & „ abluto calice, denuo aliud vinum poni „ conſecrandum .... debet animal caute „ capi, & diligenter lavari, & com- „ buri, & ablutio cum cineribus in ſacra- „ rium mitti. „ Tum ſubjicit: Si vero „ venenum ibi eſſe deprehenderit immiſ- „ ſum: nullo modo debet ſumere, nec alii „ dare, ne calix vitæ vertatur in mortem, „ ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad „ hoc apto, cum reliquiis conſervari. Et

ne

„ ne Sacramentum remaneat imperfectum, „ debet aliud vinum apponere in calicem, „ & denuo reſumere a conſecratione ſanguinis, & ſacrificium perficere. „

OCTAVUS CASUS.

Num Sacerdos, celebrata Miſſa, alternata vice eam celebrare queat in caſu, quo deficit hoſtia per modum viatici, ad ægrotum animam agentem deferenda, vel etiam ad expoſtulationem Principis qui hoc exigit ne in die feſto omittat audire ſacrum?

DUÆ ſunt circa iſtud momentum opiniones, alrera eorum qui tenent affirmativam, & eſt Synodorum Lingonienſium anno 144. 1452. & 1455. in quibus hæc admittitur exceptio: " Item poteſt bis „ in die Miſſam celebrare propter neceſſitatem infirmorum... Ut ſi non habeatur *Hoſtia* conſecrata pro communicando infirmo. „ Sic propugnat Paludanus, in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 4. ſic Sylveſter de Prierio V. Miſſa 1. §. 7. qui ſic interpretatur iſta Innocentii III. verba *Niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat*.

Altera vero eorum qui partem negativam propugnant, quæque nunc eſt in uſu.

NONUS CASUS.

An licitum ſit Sacerdoti celebranti conſumere unam hoſtiam ſeneſcentem, & ſuo loco apponere eam quam modo conſecravit?

RESPONDEO illum Sacerdotem peccare mortaliter. Sic propugnat Sylvius in 3. part. D. Thomæ q. 83. art 4. " Peccaret autem, *inquit*, graviter Sacerdos qui hoſtiam, ſeu formulam unicam in ſua „ Miſſa conſecratam ſervaret pro proceſſione, & ejus loco ſumere veterem, „ quia ſic agens non participaret de utraque ſpecie, tunc conſecrata; ac per conſequens non integre complet hoc ſacrificium. „ Pari & conſimili ratione dicendum eſt non licere Miſſam celebrare ſub unica ſpecie. Hoc ipſum docet Sylvius in 3. p. Sum. Th. q. 83. art. 1. Quæſito 2. " Sumptio, *ait*, quæ fit a celebrante eſt Sacrificii pars integralis. „ Rurſus ibidem: " Ideo enim Eccleſia curavit, „ ut utraque ſpecies ſumatur a celebrante, vel, quo caſu id fieri non poſſit, „ ab alio Sacerdote, etiam non jejuno, „ ne ſacrificium maneat imperfectum. „ Sic voluit Chriſtus, cum diſtribuens corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*.

DECIMUS CASUS.

Quæritur, quid ſit faciendum cum Sacerdos de repente celebrando moritur., & Miniſter præ diſtractionibus non poteſt dicere num ante, vel poſt conſecrationem Sacerdos vita functus ſit?

RESPONDET S. Thomas in 4. diſt. 8. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. in corp. totam Miſſam iterum eſſe celebrandam. " Alius, *inquit*, Sacerdos debet explere quod „ ille inchoavit; ita quod incipiat ſequens Sacerdos ubi primus dimiſit, ſi „ ſciatur; ſi autem neſciatur, debet a „ capite incipere; non enim dicitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum. „

UNDECIMUS CASUS.

Utrum Sacerdos qui inter celebrandum recordatur ſe aliquo peccato mortali, cenſuram annexam habente teneri, vel etiam non eſſe jejunum, debeat Miſſam continuare, donec perficiatur?

RESPONDEO teneri primum actum contritionis elicere, tum continuare & perficere Miſſam; ſummum quippe malum eſt, & quidem omnibus vitandum modis, inchoatum ſacrificium non perficere: Excipe caſum in quo celebrans certior factus de adventu hæreticorum ad profanationem accinctorum. Primum docet S. Thomas 3. parr. q. 8. 3. art. 6. ad 2. bis verbis: " Ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud quod habet minus de periculo, maxime autem periculoſum circa hoc Sacramentum eſt, „ quod eſt contra perfectionem hujus Sacramenti, quia hoc eſt immane ſacrilegium; „ minus autem eſt, illud quod pertinet ad „ qualitatem ſumentis. „ Alterum defendit Sylvius in 3. part. D. Thomæ, q. 83. art. 7. quæſit. 2.

DUO-

DUODECIMUS CASUS.

Licitum ne eſt quandoque Miſſam pro aliqua neceſſitate interrumpere?

RESPONDEO primo, ſi nondum dictum ſit Evangelium, celebrantem poſſe expectare aliquo tempore, in neceſſitate qua multi occurrentes & properantes ad Eccleſiam, omitterent Miſſam. Huic ſententiæ ſubſcribit Azorius Inſtit. moral. Lib. 20. cap. 32. q. 3. Navarrus cap. 10. de Oratione num. 55.

Reſpondeo ſecundo vel immediate ante canonem, Sacerdotem ad tempus poſſe relinquere altare, ut baptizet infantem, qui in vitæ periculum venit; ſic reſpondet Sylvius ibid. quæſit. 3. " Ex cauſa „ vero legitima, *inquit*, poteſt miſſa in„ terrumpi, ſeu diſcontinuari, etiam no„ tabiliter: veluti ad baptizandum infan„ tem moribundum. „

CASUS DECIMUS-TERTIUS.

Num utramque ablutionem cum ſola aqua ſumere licitum ſit?

RESPONDEO eum peccare graviter, qui ſic ageret; nihil enim debet immutari in ritu ab Eccleſia præſcripto. Sic definivit Concilium Trident. Seſſ. 22. Decreto de ſervandis & vitandis in celebrat. Miſſæ: ſic etiam colligitur ex decretali Innocentii III. in cap. de celebrat. Miſſ. " Semper Sacerdos, *inquit*, vino perfun„ dere debet poſtquam totum acceperit „ Euchariſtiæ Sacramentum. „ Concinit S. Thomas 3. p. q. 83. art. 5. ad 10. Ita ut prima ablutio ex mero vino, altera vero ex vino aqua temperato fiat.

CASUS DECIMUS-QUARTUS.

Utrum qui accepit triginta libras pro ſtipendio ſexaginta Miſſarum, tuta conſcientia poſſit ſolum quadraginta celebrare, eo quod juxta Epiſcopi Diœceſani determinationem, Stipendium pro qualibet Miſſa aſcendat ad quindecim aſſes?

RESPONDEO Sacerdotem propter pactum initum de celebrat. 60 Miſſarum non poſſe citra injuſtitiæ luem omittere viginti ſine conſenſu, vel ſummi Pontificis, vel Epiſcopi: ſic propugnant, Sylvius Reſolut. var. V. *Miſſa* & apud eum Barboſa Allegat. 24. num. 5. Navarrus Manual. cap. 25. num. 92. pari & conſimili ratione tenetur celebrare centum Miſſas fundatas, tametſi ſtipendium acerbitate temporum maxime imminutum ſit. Concilium enim Tridentinum ſic ſtatuit Seſſ. 21. de Reformat. cap. 8. maxime Seſſ. 25. ubi remittit ab Epiſcopos, Abbates & Generales Ordinum, ut de hoc diſponant. Gregorius IX. in cap. *Tua nobis* de Teſtam. & ultimis volunt. Lib. 3. tit. 26. ſic reſpondet ad Epiſcopum Noviodunenſem: " Cum igitur in om„ nibus piis voluntatibus, ſit per loco„ rum Ordinarios providendum, ut ſecun„ dum voluntatem defuncti univerſa pro„ cedant. „ &c.

CASUS DECIMUS-QUINTUS.

Utrum qui quindecim aſſes pro una Miſſa celebranda accepit, poſſit retenta ſibi dimidia parte, rurſus Sacerdoti celebrandam committere, illi dimidium dando ſtipendium?

RESPONDEO negative juxta decretum Alexandri VII. die 24. Sept. an. 1665. contra 28. molliorum Caſuiſtarum propoſitiones, quarum nona hæc eſt: *Poſt decretum Urbani VIII. poteſt Sacerdos cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Ante ipſum Urbanus VIII. eamdem proſcripſerat doctrinam Bulla *Cum ſæpe*. Hæc ſunt ejus decreti verba: *Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.*

DE-

DECIMUS SEXTUS CASUS.

Quæritur, utrum Religioſus poſſit celebrare Miſſam juxta ſuam intentionem propriam, cum ex ſtatuto Monaſterii teneatur ſolum celebrare Miſſam votivam de beata Virgine in tali capella, & nihil de intentione commemoretur?

RESPONDEO teneri celebrare juxta intentionem Ordinis, ita Sylvius Reſolut. var. 2. V. *religioſus dicet* his verbis: " Sacerdotes qui Miſſas illas de beata Maria celebrant, non tantum obligari ad Miſſam, ſed etiam ad aliquam applicationem; nec eos cui voluerint applicare, etiam ſi in ſtatutis nulla fiat mentio applicationis. " Quia præſumitur talem eſſe Superiorum intentionem.

Ex his ſequitur reſolutio iſtius caſus quo quæritur, Num Miſſa in Conventu monialium fundata a Petro ea intentione, ut filia ſua monialis Miſſam quotidie audire poſſit, qua ſecluſa fundatione, Miſſam non niſi diebus feſtivis audiret, defectu Sacerdotum, celebranda ſit pro conſervatione Petri, vel etiam ejus animæ refrigerio, ſi e vita migraverit, tametſi in fundationis contractu altum ſit de applicatione Miſſæ ſilentium? Reſpondet affirmative Sylvius Reſolut. Var. V. Miſſæ 8. eo quod ſic præſumatur; quandoquidem ſuppoſito quod Petrus alibi fundaſſet Miſſam celebrandam, non fuiſſet licitum niſi ad fundatoris intentionem Miſſam celebrare.

CASUS DECIMUS-SEPTIMUS.

Utrum licitum ſit aliquid de celebratione Miſſarum immutare?

RESPONDEO affirmative, modo nihil de ſubſtantia fundationis immutetur: quo circa fundationi Miſſæ *de Requiem* ſit ſatis per Miſſam in die occurrentem; ſi tamen in contractu determinaretur quod Miſſa in altari privilegiato diceretur, ſtandum eſſet fundationi quoad iſtam circumſtantiam. Non idem prorſus foret dicendum ſi Parochus Miſſam ſolemnem die Dominica celebrandam, transferret ad diem Mercurii, ut tota vicinia facilius & abſque incommodo ſacrificio adſtaret. Hinc ad hoc requiritur Epiſcopi licentia. Ita Sylvius Reſol. Var. V. Miſſa 1. Sambovius Tom. 3. caſu 51.

Attamen non culpandus foret Sacerdos qui anticiparet Miſſarum fundationis celebrationem ne deficeret in futuro propter imminentia negotia: Hoc enim cedit in bonum fundatoris, at non excuſaretur a peccato, ſi Miſſas dicendas procraſtinaret citra tempus præfixum. Ita habetur in collationibus Diœceſis Condemii Tom. 2. collat. 6. ſect. 3.

CASUS DECIMUS-OCTAVUS.

Utrum citra peccatum Sacerdos poſſit procraſtinare Miſſam celebrandam pro homine in agonia poſito, vel etiam pro felici exitu proceſſus qui ipſa die judicio concludendus eſt pro qua Miſſa tali tempore dicenda accepit ſtipendium?

RESPONDEO citra peccatum Miſſam procraſtinare non poſſe, & ſi caſu contingat eum qui dedit ſtipendium cauſa cadere, tenetur Sacerdos reſtituere eleemoſynam. Sic docet Cabaſſut. L. 6. cap. 14. num. 18. " Reſtituere, *inquit*, tenetur Sacerdos Miſſarum ſtipendia quibus non ſatisfecit, aut quarum celebrationem nimium diſtulit, adeo ut veriſimiliter non profuerit ſecundum ſpecialem intentionem ejus qui ſtipendium dedit. "

CASUS DECIMUS NONUS.

Num liceat offerre Sacrificium pro Iſmaele pagano?

RESPONDEO affirmative; cum Apoſtolus 1. ad Tim. 2. ſic loquatur: *Obſecro vos primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt ..... Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro. Deo qui omnes vult salvos fieri.* Sic propugnat ſanctus Chryſoſt. Hom. 6. in 1. ad Tim. ſic S. Auguſt. Epiſt. 107. num. 26. & 27. " Numquid, *ait*, & orare prohibebis Eccleſiam pro infidelibus....., Numquid poſtremo Apoſtolum Paulum pro Judæis infidelibus habentem talia vota culpabis. " Sic Bellarminus. Lib. 2. de Miſſa cap. 6. ubi docet ſacrifi-

ficium poſſe offerri pro converſione infidelium, ſchiſmaticorum, & hæreticorum: " Exiſtimo, *inquit*, id licere, modo nihil ,, addatur ad Miſſam; ſed ſolum per in- ,, tentionem Sacerdotis applicetur ſacri- ,, ficium converſioni infidelium; id enim ,, multi faciunt viri pii & docti, ,, quos reprehendere non poſſumus, ne- ,, que extat expreſſa Eccleſiæ prohibi- ,, tio. ,,

Ratio eſt, quod ſacrificium nedum ex opere operato & propria virtute, ſed etiam via impetrationis ſuum producat effectum, flectendo ſcilicet miſericordiam Dei, ut concedat infidelibus & obduratis converſionis gratias, ad quem effectum obtinendum non requiruntur abſolute diſpoſitiones; e contra vero in Sacramentis, cum gratias niſi dependenter a diſpoſitionibus operentur. Ita Sylvius in 3. part. D. Thom. quæſt. 83. art. 1. quæſt. 14. concluſ. 4. his verbis: " Ex his intelli- ,, gi poteſt quæ diſpoſitio requiratur pro ,, quo offertur ſacrificium; nam ad auxi- ,, lium gratiæ prævenientis, ad donum ,, pœnitentiæ & converſionis impetran- ,, dum nulla diſpoſitio eſt neceſſaria. Of- ,, fertur enim etiam pro illis, qui toti ſunt ,, averſi a Deo, ut convertantur. ,,

CASUS VIGESIMUS.

Utrum aliquis poſſit abſtinere a Miſſa audienda?

RESPONDEO milites officio vacantes non teneri: Non idem dicendum de milite non impedito; ſic propugnant communiter Theologi; debet enim adimplere præceptum. Non deſunt qui propugnent nobilem viduam domi, viginti circiter diebus in ſignum luctus pro morte mariti poſſe manere, omittendo Miſſam ſi uſus ſic obtinuerit. Ita S. Antoninus 2. p. Sum. Theol. tit. 9. §. 1. his verbis: " Quod ,, viduæ aliquibus diebus, vel hebdomadis ,, in morte virorum maneant domi in ſi- ,, gnum triſtitiæ, unde & Miſſam non ,, audiant, videtur tolerandum, ſi eſt de ,, more patriæ. Sed dubio-procul neque hoc conſulendum eſt, immo nec adhærendum conſuetudini. Sic colligitur ex S. Cypriano in can. *Conſuetudo* 8. diſt. 8.

Reſpondeo 2. Ancillam, cui incumbit conſulere vitæ ſui Domini graviter ægrotanti, non teneri audire Miſſam, vel ipſo die feſto, ſi ex ejus abſentia immineat ægrotanti vitæ periculum. Ita S. Antoninus 2. part. Sum. Theol. tit. 9. cap. 10. §. 2. " Excuſantur autem a præcepto audien- ,, di Miſſam, *ait*, . . . Servitores infir- ,, morum, qui non poſſunt dimittere in- ,, firmos propter periculum . . . Et matres, ,, quæ non poſſunt dimittere parvulos ſi- ,, ne periculo . . . . . Et alii qui impedi- ,, menta legitima habent, vel ardua neg- ,, otia quæ non poſſunt dimittere ſine ,, magno detrimento, ſcandalo, vel pe- ,, riculo. ,,

Reſpondeo 3. Non excuſari a præcepto Miſſæ audiendæ qui habitu peccati mortalis tenetur, ea fucata ratione ſuffultus, quod non habeat animum a peccato recedendi; eam quippe audire debet tum ut præceptum adimpleat, quod ſicut juſtos, ſic & peccatores obligat: tum ut gratiam converſionis obtineat; ſufficit enim quod non habeat actualem affectum ad peccatum dum audit Miſſam, ut non imputetur illi ad novum peccatum, ſi in tali diſpoſitione audiat ſacrum. Sic docent Concilia. In primis Tridentinum Seſſ. 22. cap. 2. dicens: " Per ipſumque *ſacrificium* ,, fieri, ut ſi . . . Pœnitentes ad Deum ac- ,, cedamus, miſericordiam & gratiam in- ,, veniamus. ,,

CASUS VIGESIMUS PRIMUS

Quæritur, Num Sacerdos peccet, qui humilitatis motivo pluribus annis a Miſſa celebranda abſtinet?

RESPONDEO affirmative, & peccato negligentiæ teneri. Iſta reſponſio colligitur ex Concilio Trident. Seſſ. 23. de reform. cap. 14. his verbis: " Curet Epi- ,, ſcopus, ut Sacerdotes ſaltem diebus Do- ,, minicis, & feſtis ſolemnibus, ſi au- ,, tem curam habuerint animarum, tam ,, frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, ,, Miſſas celebrent. ,,

Ad eamdem difficultatem reſpondet affirmative S. Thomas 3. p. q. 82. art. 10. in corp. eo quod Miniſter teneatur Deum glorificare, quod maxime fit oblatione ſacrificii. Tum ſic concludit: " Sacerdoti, ,, etiamſi non habeat curam animarum, ,, non licet omnino a celebratione ceſ- ,, ſare,

„ ſare, ſed ſaltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt.„

Obſervet velim fideles Chriſtianos peccare graviter ſi audiant Miſſam Sacerdotis ſcandaloſi, & publice fornicarii. Ita S. Thomas Quodlibeto 11. art. 8. in corp. ſecus ſi foret occultus: “ Attendendum „ tamen eſt, *inquit*, quod non intelligitur de quolibet Sacerdote fornicario; „ ſed de publicis fornicariis, qui proprie „ dicuntur publici, quando & ſententia „ Eccleſiæ vocantur publici. Unde quicumque a tali fornicario publico audit „ Miſſam, peccat mortaliter.„

CASUS VIGESIMUS SECUNDUS.

Utrum Sacerdos poſſit accipere ſtipendium, pro parte ſibi contingente, ut eſt Miniſter?

RESPONDEO negative; ſic colligitur ex Alexand. VII. decreto 24. Decembris 1665. in quo legitur proſcripta iſta Propoſitio: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti etiam ſpecialiſſimam partem fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Urbani VIII.* Ratio eſt, quod Miniſter nullum proprium accipiat fructum, niſi actione ſacrificii, quæ quidem actio tota debetur illi qui primum ſolvit ſtipendium.

CASUS VIGESIMUS TERTIUS.

Quæritur, qua ætate fideles teneantur audire Miſſam?

RESPONDEO teneri ut primum pervenerint ad rationis auroram, quia tunc ex ſancto Thoma ſub peccato mortali tenentur ſe ſe ad Deum convertere, illi famulari, eumque adorare.

CASUS VIGESIMUS QUARTUS.

Utrum ſatiſfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui illi adeſt cum affectu actuali ad peccatum?

RESPONDEO negative, cum illudat Eccleſiæ quæ præcipit fidelibus audire Miſſam, ut actum religionis Deo exhibeant; ille vero impie agit. Hinc Clerus Gallicanus anno 1700. hanc damnavit propoſitionem: *Eidem præcepto ſatiſfit per reverentiam exteriorem animo licet voluntarie in aliena, immo & prava cogitatione defixo.* Cenſura. *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, erronea, impietati & ſacrilegio favet & præcepto Eccleſiæ illudit.*

De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus circa Pœnitentiam.

TRIA pro more hic diſcutienda habemus, videlicet de diſpoſitionibus quæ ad Pœnitentiam, ut Sacramentum prærequiruntur, tum de Sacramenti conferendi ritibus, poſtremo de difficultatibus quæ non ſemel in collatione hujus Sacramenti, ſive etiam in ſuſceptione, ſolvendæ occurrunt; unde ſit

---

ARTICULUS PRIMUS.

De Diſpoſitionibus ex parte ſuſcipientium.

MULTA jam peracta ſunt ubi de Catechumenatu, de diſpoſitionibus ad Euchariſtiam rite ſuſcipiendam, & de laboribus pœnitentiæ luctuoſæ, cum iſta omnia non modicum inſerviant ad Pœnitentiæ ſacramentum ſicut oportet, & decet ſuſcipiendum.

Catechiſmus Romanus non leviora de diſpoſitionibus pœnitentiæ profert, part. 2. de Pœnitentia.

Primo: Exigit ſicut charitatem ardentiſſimam ſic & contritionem amaram; num. 27. ita loquitur: “ Quoniam charitas qua „ Deum diligimus perfectiſſimus eſt amor; „ hinc fit, ut contritio vehentiſſimum „ animi dolorem conjunctum habeat, ut „ enim maxime diligendus eſt Deus, ita „ quæ nos a Deo alienant maxime deteſtari debemus.„

Secundo: Ut impius juſtificetur, nedum unum aut alterum peccatum mortale, ſed omnia & ſingula exitialia deteſtari debet; ſin minus vacuus foret dolor de ceteris, cum in uno quoque peccato mortali prævaricator ſuum ultimum finem reponat; quocirca ſi de aliquo non doleret, nullo modo ad Deum foret converſus,

ſus. Hinc fert Adagium Theologicum, *Qui peccat in uno, factus eſt omnium reus*. Ibidem num. 29. habetur: " Maxime au- ,, tem hortandi & monendi ſunt fideles, ,, ut ad ſingula mortalia crimina proprium ,, contritionis dolorem adhibere ſtudeant: ,, Ita enim Ezechias contritionem deſcribit, ,, cum ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos* ,, *in amaritudine animæ meæ*. ,,

Tertio: Exigitur firmum vitæ priſtinæ emendandæ propoſitum; quod ſi deficeret, dubio-procul non eſſet vera ad Deum converſio, cum voluntas adhuc creaturæ adhæreret. Sic propugnat idem Catechiſmi auctor, num. 40. " Ut peni- ,, tens, *inquit*, vitæ emendandæ certam ,, & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat. ,, Hoc vero Propheta his verbis aperte ,, nos docuit. *Si impius egerit pœnitentiam* ,, *ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt*: ,, *& cuſtodierit omnia præcepta mea & fe-* ,, *cerit judicium & juſtitiam vita vivet*... ,, *Facite vobis cor novum*. Idem etiam ,, Chriſtus Dominus mulieri quæ in adul- ,, terio deprehenſa eſt, præſcripſit: *Vade* ,, inquit, *& jam amplius noli peccare*. I- ,, tem paralytico illi quem ad probaticam ,, piſcinam probaverat. *Ecce* ait, *ſanus* ,, *factus es, jam noli peccare*. ,,

Quarto: Neceſſe eſt ut qui accedit ad reconciliationis Sacramentum, prius cum inimico reconcilietur, & ſatisfaciat ſive in ære, ſive affectu & voluntate, in quantum fieri poteſt, pro bonis proximi, vel dilapidatis, vel furtim ablatis. Hanc egregiam doctrinam tradit Catechiſmus ibidem num. 33. " Ita enim Dominus & Salvator ,, noſter monet, atque denuntiat: *Si di-* ,, *miſeritis hominibus peccata eorum, dimit-* ,, *tet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta* ,, *veſtra*. ,,

Quinto: Penitens maturo examine conſcientiam diſcutere, priuſquam ad Sacramentum accedat, debet: ſicut enim ad Euchariſtiæ ſuſceptionem pertinet iſtud Apoſtoli 1. Cor. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*; ita & ad peccatorem qui ad Pœnitentiæ ſacramentum accurrit. Sic loquitur Catechiſmus ibid. num. 35. " Monere autem oportet, ut ,, omnes conſcientiam ſuam frequenter ,, excutientes videant, num quæ a Deo, ,, ſive Eccleſiaſticis ſanctionibus præcepta ,, ſunt, ſervaverint &c. ,,

Sexto: Summum inter omnes virtutum actus requiritur humilitatis exercitium: Scriptum eſt enim: *Qui ſe humiliat exaltabitur*, hinc & publicanus humiliatus rediit juſtificatus. Luc. 14.

Septimo: Quædam pœnalitates pro gravioribus criminibus Pœnitentiæ ſacramentum antevertere debent, juxta illud Apocalypſeos cap. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*; quandoquidem pœnitentia laborioſa emollit cor, & Deum reddit placabilem. Ita Catechiſmus ibidem num. 70. " Pœnitentiæ pœna a nobis ſuſ- ,, cepta Dei animadverſionem ſupplicia- ,, que in nos conſtituta antevertit. Ita ,, enim docet Apoſt. cum ait, *Si nosmeti-* ,, *pſos dijudicaremus, non utique judicare-* ,, *mur*. ,,

Octavo: Animo ſumme demiſſo quiſque tenetur ad ſacramentum Pœnitentiæ accedere, ut judicem ſibi reddat placabilem. De iſto articulo ibidem Catechiſmus num. 42. ſic loquitur: " Cum enim a- ,, perto capite ad pedes Sacerdotis abjecti, ,, demiſſo in terram vultu, ſupplices ma- ,, nus tendentes, aliaque hujuſmodi Chri- ,, ſtianæ humilitatis ſigna dantes, quæ ,, ad Sacramenti rationem neceſſaria non ,, ſunt, peccata confitemur; ex his per- ,, ſpicue intelligimus, tum in Sacramento ,, cæleſtem vim agnoſcendam, tum a no- ,, bis divinam miſericordiam ſummo ſtudio ,, requirendam, atque afflagitandam eſſe. ,,

Nono: Fides in primis veluti prima omnium præparatio eſt; tum timor ut homo deterreatur a peccatis, deinde vero ſpes & fiducia in Deo. Sic docet Conc. Trident. Seſſ. 6. cap. 6. his verbis: " Diſpo- ,, nuntur autem ad ipſam juſtitiam *peccato-* ,, *res* dum excitati divina gratia & adjuti, ,, fidem ex auditu concipientes, libere ,, moventur in Deum .... Dum pecca- ,, tores ſe ſe intelligentes, a divinæ ju- ,, ſtitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ,, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe ,, convertendo in ſpem eriguntur, fiden- ,, tes Deum ſibi propter Chriſtum propi- ,, tium fore. ,,

Hanc divus Thom. pœnitentiæ diſpoſitionum œconomiam hic quæſt. 85. art. 5. ſic delineat & ordinat: ita ut prima operatio ſit motus Spiritus ſancti excitantis ,, cor peccatoris ad penitendum: Secunda, motus fidei: Tertia, motus timoris ſervilis: Quarta, motus ſpei: Quinta, mo-

motus Charitatis: Sexta, motus timoris filialis. Adſunt verba: " Dicendum,
" quod de pœnitentia loqui poſſumus dupliciter. Uno modo quantum ad habitum; & ſic immediate a Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus: non tamen ſine nobis diſpoſitive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo poſſumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor: ſecundum illud Thren. ulti. Converte nos Domine ad te, & convertemur. Secundus actus eſt motus fidei: Tertius eſt motus timoris ſervilis: quo quis timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. "

SYNOPSIS ARTICULI.

Requiruntur ad Pœnitentiam plures animæ diſpoſitiones.

PRIMO: Examen conſcientiæ, juxta illud Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Secundo: Virtutum omnium ſupellex, maxime contritio, & humilitas; habetur enim Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

Tertio: Pœnalitates ſatisfactoriæ: ſic exigit Lex Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De ritibus Pœnitentiæ.

POENITENTIA duplex diſtinguitur a Sanctis PP. tum a Theologis; una ſcilicet publica & ſolemnis, altera vero privata. Prior non ſine magna ſolemnitate, abſoluta pro peccatis ſcandaloſis ſatisfactione adimplebatur; Epiſcopus enim Pœnitentes probatos in conventu Eccleſiæ ſuſcipiebat, eoſque a peccatis confeſſis abſolvebat. Multa de hoc ritu ſolemni, ubi de Pœnitentia publica jamjam, cunctis ponderatis, diximus. Poſterior vero ſicut antiquitus, ſic & nunc perficitur in tribunali pœnitentiali, ubi depoſitis peccatis, & contritione elicita, nec non & ſatisfactione pœnali data & injuncta, poſt abſolutionem adimplenda, tum præviis quibuſdam precibus Sacerdos in nomine Chriſti, cujus perſonam repræſentat, ſic abſolvit pœnitentem. *Dominus Jeſus Chriſtus ſummus Pontifex te abſolvat, & ego auctoritate ipſius mihi conceſſa, licet indigniſſimo, abſolvo te in primis ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges: deinde eadem auctoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.* Si pœnitens non ſit clericus, & ordinibus nondum initiatus, ſiletur vox *ſuſpenſionis*.

Juvat nunc pro more poſito aliquos ex veteribus ordinibus, ſeu methodis hic texere, quibus quondam abſolutio pœnitentibus, tam publicis quam privatis conferebatur.

ORDO PRIMUS.

Ex MS. Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis, cujus character annos circiter nongentos refert.

Incipit qualiter ſuſcipere debeant pœnitentes Epiſcopi, vel Presbyteri.

QUOTIESCUMQUE *Chriſtiani ad Pœnitentiam accedunt, jejunia damus: Et nos communicare cum eis debemus jejuniis unam, aut duas ſeptimanas, aut quantum poſſumus, ut non dicatur nobis, quod Judæorum Sacerdotibus dictum eſt a Domino ſalvatore: Væ vobis legis periti, qui adgravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia: ipſi autem uno digito veſtro, non tangitis ſarcinas ipſas. Nemo autem poteſt ſublevare cadentem ſub pondere, niſi inclinaverit ſe, ut porrigat manum: neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare niſi fetoribus particeps fuerit: Ita quoque nullus Sacerdotum, vel Pontifex peccatorum vulnera curare poteſt*, aut

aut animabus peccata auferre, niſi præſtante ſolicitudine, & oratione lacrymarum, &c.

Incipit ratio ad dandam Pęnitentiam.

,, *In primis* dicit Pſalmum 37. totum,
,, Domine ne in furore tuo arguas me:
,, & poſtea dicit.,,

Oremus.

,, *Exaudi*, quæſumus Domine, ſuppli-
,, cum preces, & confitentium tibi par-
,, ce peccatis, ut quos conſcientiæ rea-
,, tus accuſat, indulgentia tuæ miſera-
,, tionis abſolvat. Per Dominum noſtrum
,, Jeſum Chriſtum.,,

,, *Et* dicit Pſalmum 102. Benedic ani-
,, ma mea Domino, uſque Renovabi-
,, tur ſicut aquilæ juventus mea. Et di-
,, cit.,,

Oremus.

,, *Adſit*, quæſumus Domine, huic fa-
,, mulo tuo inſpiratio gratiæ ſalutaris,
,, quæ cor ejus fletuum ubertate reſolvat,
,, ſicque macerando conficiat; ut iracun-
,, diæ tuæ motus idonea ſatisfactione com-
,, peſcat. Per.,,

,, Et dicit Pſalmum 50. Miſerere mei
,, Deus uſque, Et omnes iniquitates meas
dele. Et dicit.

Oremus.

" *Præveniat*, hunc famulum tuum,
,, quæſumus Domine, miſericordia tua,
,, ut omnes iniquitates ejus celeri indul-
,, gentia deleantur. Per.,,

,, *Poſt* hæc dicit Pſalmum: Deus in
,, nomine tuo, & dicit.,,

Oremus.

" *Adeſto* Domine, ſupplicationibus no-
,, ſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo cle-
,, mentiæ tuæ longinqua miſeratio. Sana
,, vulnera, ejuſque remitte peccata; ut
,, nullis a te iniquitatibus ſeparatus, tibi
,, Domino ſemper valeat adhærere. Per.,,

,, *Et* dicit Pſalmum 51. Quid gloriaris
,, in malitia, uſque, Videbunt juſti & ti-
,, mebunt, & dicit.,,

Oremus.

" *Domine* Deus noſter, qui offenſione
,, noſtra non vinceris; ſed ſatisfactione
,, placaris, reſpice, quæſumus, ad hunc
,, famulum, qui ſe tibi peccaſſe graviter
,, confitetur. Tuum eſt abſolutionem
,, criminum dare, & veniam præſtare
,, peccantibus, qui dixiſti Pęnitentiam te
,, malle peccatorum, quam mortem.
,, Concede ergo, Domine, hoc, ut tibi
,, pœnitentiæ excubias celebret; & cor-
,, rectis actibus ſuis conferri ſibi a te ſem-
,, piterna gaudia gratuletur. Per.,,

,, *Etſi* in gravibus delictis præoccupa-
,, tus fuerit, expelli debet ab Eccleſia
,, canis. ℟. In ſudore vultus tui. Et pro-
,, ſternat ſe ante januam Eccleſiæ, tunc
,, orent pro eo: Pater noſter. Miſerere
,, mei Deus quoniam infirmus ſum, &
,, anima mea turbata eſt valde. Conver-
,, tere, Domine, & eripere animam
,, meam. Domine, vide humilitatem
,, meam & laborem meum. Illuſtra fa-
,, ciem tuam ſuper ſervum tuum. Sal-
,, vum fac ſervum tuum, Deus meus,
,, ſperantem in te, & dicit.

Oremus.

,, *Deus*, cujus indulgentia nemo non in-
,, diget, memento, Domine, famulo tuo
,, N. & qui lubrica terræque corporis
,, fragilitate nudatus; quæſumus, ut des
,, veniam confitenti, parce ſupplici, ut
,, qui noſtris meritis accuſamur, tua mi-
,, ſeratione ſalvemur. Per.,,

Alia oratio.

,, *Deus* ſub cujus oculis omne cor tre-
,, pidat, omneſque conſcientiæ contre-
,, miſcunt, propitiare omnium gemitibus,
,, & cunctorum medere vulneribus, &
,, ſicut nemo noſtrum liber eſt a culpa;
,, ita nemo ſit alienus a venia. Per.,,

Item alia oratio.

,, *Deus* infinitæ miſericordiæ, verita-
,, tiſque immenſæ, propitiare iniquitati-
,, bus noſtris, & omnibus animarum no-
,, ſtrarum medere languoribus, ut miſera-
,, tionum tuarum remiſſione percepta, in
,, tua ſemper benedictione lætemur. Per.,,

Alia oratio.

„ *Da* quæſumus huic famulo tuo continuam purgationis ſuæ obſervantiam pęnitendo gerere ; & ut hoc efficaciter implere valeat ; gratia eum tuæ viſitationis præveniat. Per Dominum, Amen. „

Ad reconciliandos pęnitentes Feria 5. in Cęna Domini.

„ *Adeſto* Domine, ſupplicationibus noſtris ; & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis tui miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare, Per Dominum. „

Alia.

„ *Præſta* quæſumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum reddatur innoxius veniam conſequendo. Per. „

Alia.

„ *Abſolvimus* vos vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus ligandi atque ſolvendi poteſtatem dedit, & quantum ad vos pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio. Sit vobis Deus omnipotens vita & ſalus, & omnium peccatorum veſtrorum indultor: & qui vobis compunctionem cordis dedit, det veniam peccatorum, longævamque vobis atque felicem vitam in hoc ſæculo largiatur, & in futuro cum Chriſto & in omnibus Sanctis ejus in fine manentem. Per eumdem Dominum noſtrum. „

Item alia.

„ *Domine ſancte, Pater omnipotens*, æterne Deus, qui vulnera noſtra curare dignatus es, ſupplices te rogamus & petimus, nos humiles tui Sacerdotes, ut precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atque ad pœnitentiæ confeſſionem movearis, remittaſque omnia crimina, & peccata univerſa condones, deſque huic famulo tuo pro ſuppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam: ut qui ad tantam ſpem cæleſtis apicis devolutus eſt, & de tua miſericordia confidens ad bona paciferi præmii tui, atque ad cæleſtia dona pervenire mereamur, Per. „

Alia.

„ *Exaudi* nos, Domine, & ſicut Publicani precibus & confeſſione placatus es; ita & huic famulo tuo N. placare, & precibus ejus benignus aſpira, ut in confeſſione flebile permanens, & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & Sacramentis reſtitutus, rurſus cæleſti gloriæ mancipetur. Per &c. „

O R D O II.

Ex pervetuſto codice Floriacenſi.

Modus audiendi confeſſiones a Patribus ſenioribus traditus.

In Chriſti nomine incipit ordo ad dandam pęnitentiam ſecundum ſeniorum Patrum traditionem, qualiter confeſſiones uniuſcujuſque Sacerdos ſuſcipi debeat.

Oportet *eum exhortari verbum ſalutis, & dare illi rationem qualiter diabolus per ſuperbiam ſuam de angelica cecidit dignitate, & poſtea hominem expulit de paradiſo. Et proinde Chriſtus ad ſalutem humanam per uterum Virginis in mundum venit, atque poſt reſurrectionem & diabolum vicit, & mundum de peccato redemit, & poſtea per Apoſtolos Baptiſmi gratiam tradidit, per quod hominem lavaret de peccato, & qui peccaſſet, ſi pœnitentiam non agebat, in infernum mitteretur perpetuo cruciandum. Et qui Sacerdotibus dabit confeſſionem poſt crimina perpetrata, æterna conſequeretur præmia, vel qualiter in finem ſæculi venturus eſt judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique ſecundum opera ſua.*

Interrogatur *ei ſi credit reſurrectionem, vel iſta omnia quod dictum eſt ei: vel ſi habeat fidem confeſſionis per judicium ſacerdotis*

datis veniam conſequi apud Dominum. Quod ſi omnia confitetur, & non dubitat vitam eſſe juſtis in Paradiſo beatam poſt mortem, & quod peccatoribus gehenna ignis præparatur.

Interrogatur *ei quod egit, unde timet. Et ille cum ſuam integram dederit confeſſionem; tunc cum ipſo proſternat ſe ipſe Sacerdos ante altare, & confitentes recitent Pſalmos cum gemitu, & ſi fieri poteſt cum fletu, & ambo proſtrati dicant capitulum.*

Convertere Domine &: Adjutorium noſtrum in nomine Domini. *Et poſtea incipiat*: Domine ne in ira tua, I. & II. Et miſerere mei Deus, *uſque* dele iniquitatem meam, &: Benedic anima mea Dominum. I. *uſque* Renovabitur ſicut aquila juventus mea, & *poſtea capitulum*, Ne memineris iniquitates noſtras. *Et poſtea ſurgant pariter.*

.... Denuo *ſi credit pro ipſa confeſſione veniam, ſi egerit pœnitentiam, & ſi vult in verbis promittere, ut in hoc quod judicatum fuerit interim quantum potuerit debeat cuſtodire; aut qualiter poſtea abſtinere debeat, ſi eſt infirmus, aut ſi non eſt. Et ſi ad omnia reſponſum dederit.*

Poſtea *ſi cauſſas criminales habet, aut Presbyter aut Diaconus ſuper caput ejus collectas dicant. Et poſtea proſtrati in terra Domino Deo cæli commendatur, & dicant capitulum:* Confirma hoc Deus. *Et ſic poſtea pertractetur juxta culpam & devotionem, aut pro poſſibilitate indicetur ei quod tempus definitum habeat, vel obſervare debeat, & dicetur ei capitulum:* Dominus cuſtodit te ab omni malo. *Et relinques eum.*

Sequitur in eodem MS. codice tractatus de Pœnitentia facienda ſub hoc titulo.

Incipit judicium Pænitentiæ.

,, *Si* quis Clericus, vel Laicus homicidium fecerit; 10. annis pœniteat. 3. Ex his in pane & aqua. Si bene egerit; per teſtimonium Sacerdotis reconcilietur. ,,

,, *Si* quis vero homicidium fecerit caſu, id eſt non volens; 7. annis pœniteat, II. ex his in pane & aqua. ,,

,, *Variis* hoc pœnitentiale articulis conſtat, quorum 64. tantum extant MS. codice quo utar, e quibus hos qui ſequentur deſcribere uti ſingulares haud inutile viſum eſt. ,,

,, XII. *Si* quis Clericus, vel cujuslibet ſuperioris ordinis gradus, qui uxorem habuit, poſt converſionem, vel honorem iterum eam cognoverit; ſciat ſe adulterium commiſiſſe. Idcirco ſi Diaconus eſt, 9. annis pœniteat; ſi Presbyter, 12. annis pœniteat. 7. ex his in pane & aqua. ,,

,, XIII. *Si* quis Euchariſtiam, id eſt, corpus & ſanguinem Domini acceperit, & neglexerit, & exinde aliquid perdiderit; annum integrum in pane & aqua pœniteat. Et ſi per ebrietatem aut voracitatem illum vomuerit; tres Quadrageſimas in pane & aqua pœniteat. ,,

,, XXVII. *Si* quis ad fontes, vel ad cancellos, vel ad arbores, vel ubicumque, excepto in Eccleſiam votum voverit, aut ſolverit; 4. annis in pane & aqua pœniteat: quia & hoc ſacrilegium eſt vel dæmonium. Qui vero ibidem ederit, vel biberit; annum integrum in pane & aqua pœniteat. ,,

,, XXVIII. *Si* quis Clericus poſtquam Deo ſe vovit, ſæculari habitu reverſus fuerit; 10. annis pęniteat: III. ex his in pane & aqua, & numquam poſtea conjugio copuletur. Quod ſi noluerit; ſancta Synodus vel Apoſtolica ſedes ſeparet eos a communione omnium Catholicorum. Similiter & mulier poſtquam Deo ſe vovit, ſi tale ſcelus commiſit; tali ſententiæ ſubjaceat. ,,

,, XXXI. *Si* quis, quod in Kalendis Januarii multi faciunt, quod de Paganis remanſit, in cervulo quod dicitur, aut vehicula vadit; III. annis pęniteat: quia & hoc dæmonium eſt. ,,

,, XLVII. *Si* quis ſe laceraverit ſuper mortuum ſuum cum ferro, aut ungulas ſuas, capillos traxerit; jejunet hebdomadis IV. ,,

,, XLIX. *Mulier* abſtineat ſe a viro tres menſes quando concepta eſt antequam pariat, & poſt partum 40. dies. Quæ autem nupſerit his diebus; 40. dies pęniteat, aut 30. vel 20. qui in matrimonio ſunt abſtineant ſe in tribus quadrageſimis & in dominica nocte, & in Sabbato, & Feria 4. & 6. quæ legitimæ ſunt, & tres noctes abſtineant antequam communicent. ,,

,, L. *Qui* in quadrageſima ante Paſcha cognoſcit mulierem ſuam, & noluit abſtinere, annum unum pęniteat, vel

„ ſum precium reddat ad Eccleſiam, vel „ pauperibus diſtribuat vel 36. ſolidos reddat &c. „

O R D O III.

Ex MS. Gellonenſi Sæculo 9. aut 10. exarato.

Incipit ordo ad dandam pœnitentiam.

Sacerdos. " Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum? „

„ *Pœnitens.* Credo. „

„ *Sacerdos.* Credis quod iſtæ tres perſonæ, quæ modo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres perſonæ ſunt & unus Deus? „

„ *Pœnitens.* Credo. „

„ *Sacerdos.* Credis quod in iſta carne, in qua vinces, in ipſa habes reſurgere in die judicii, & recipere ſive bonum ſive malum quod geſſiſti? „

„ *Pœnitens.* Credo. „

„ *Sacerdos.* Vis dimittere illis peccata, quicumque in te peccaverunt, dicente Domino: Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra? „

„ *Pœnitens.* Dimitto. „

Sacerdos. *Requiret diligenter ſi eſt inceſtuoſus. Sed ſi non vult ipſa inceſta dimittere, non poteſt ei dare pœnitentiam. Nam ſi vult ipſa inceſta dimittere; tunc faciet confiteri eum omnia peccata ſua, & ad ultimum dicere: multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da illi pœnitentiam, eique dicet orationes ſuper eum.*

Oremus.

„ *Exaudi*, Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quod reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. „

Item alia.

„ *Præveniat* hunc famulum tuum N. quæſumus Domine miſericordia tua, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per. „

Item: *ſi tempus habueris; ſicut in ſacramentario continetur. Si tibi non vacat; iſta ſufficiunt reconciliationi pœnitentis, orationes.*

„ *Præſta* quæſumus, Domine, hunc famulum tuum N. dignum pœnitentiæ fructum facere, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, reddatur innocuus. „

Alia.

Majeſtatem tuam, quæſumus, Domine, ſancte Pater æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris, reſpice flentem famulum tuum N. ad te proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte. Scinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitiam ſalutarem: ut poſt longæ peregrinationis famem de ſanctis altaribus ſatietur, ingreſſus cubiculum Regis in ipſius aula, & benedicat nomen gloriæ tuæ quod eſt ſanctum. Per. „

Ex pervetuſto codice Gellonenſi.

Forma abſolutionis pœnitentis morientis.

" DEUS omnipotens Salvator, & Redemptor generis humani, qui Apoſtolis ſuis dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi; ipſe te abſolvere dignetur a cunctis iniquitatibus & peccatis tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante Domino, ſis abſolutus ante faciem illius qui vivit & regnat. &c. „

„ *Dominus*, Jeſus Chriſtus, qui dixit Apoſtolis ſuis, Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; de quorum numero quamvis indignos non eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis & iniquitatibus tuis, quacumque cogitatione, locutione, atque operatione egiſti, atque a nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui vivit &c. „

„ *In* ea auctoritate & poteſtate fidentes, quam Deus omnipotens B. Petro Apoſtolorum Principi tribuit, dicens: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quantum nobis permiſſum eſt, totum tibi indulgemus, & confracta de collo tuo omnium deli-

„ cto-

„ ctorum catena liber, & abſolutus ante „ tribunal æterni Judicis venias, percepturus ab ipſo hæreditatem in cæleſtibus „ regnis, in quibus gaudeas ſine fine, exultans in gloria cum omnibus Sanctis, „ præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto. „

“ *Vice* Apoſtolorum Principis, cui a „ Domino collata eſt poteſtas ligandi atque „ ſolvendi, cujus etiam & nos licet in„ digni vice fungimur, abſolvimus te in „ quantum tua expetit accuſatio, & ad nos „ pertinet remiſſio, ſecundum quod nobis, „ ut diximus, a Domino in S. Petro eſt „ attributum, ab omnibus criminibus tuis, „ ſitque tibi omnipotens Deus Redem„ ptor tuus, vita & ſalus, & remiſſio „ omnium peccatorum tuorum. Qui cum „ Patre, &c. „

“ *Deinde* abſolvimus te vice ſancti Petri „ Apoſtolorum Principis, cui a Domino „ collata eſt poteſtas ligandi atque ſolven„ di, de cujus vice, quamvis indigne præ„ ſumimus. Vice SS. Confeſſoris, hujuſ„ que ſanctæ Congregationis, ita ut ab ho„ dierna die, & deinceps de quibiſcum„ que peccatis contra hunc locum vel „ Congregationem deliquiſti, ſit tibi Do„ minus Jeſus Chriſtus omnium peccato„ rum tuorum piiſſimus indultor, & re„ mittat tibi omnia peccata tua, præſen„ tia, præterita, atque futura. Liberet „ te ab omni malo, & ad vitam perdu„ cat æternam. Amen.

Obſerves velim, Sacramentum Pœnitentiæ ex his omnibus plurimum roborari, cum nedum abſolutio, ſed & ſingulorum peccatorum confeſſio proclametur; juxta illud: *Tunc facies confiteri eum omnia peccata ſua*.

O R D O IV.

Ex MS. inſignis Eccleſiæ Ebroicenſis annorum 800.

De ordine in Cœna Domini.

Procedat Epiſcopus de ſacrario ſine pallio cum Diaconibus ſeptem, qui omnes ſint dalmaticis induti, & totidem Subdiaconi & Acolythi cum thuribulis & ceroferariis, & ſalutato altari, non aſcendat ipſa die ad ſedem: juxta altare uſque ad horam ſeſſionis ſtet: Poſtquam canatur Kyrie eleiſon. *Qua expleta, dicit Epiſcopus* Gloria in excelſis Deo: *Et poſtea*, Pax vobiſcum, *etiamſi non ſolent dicere Epiſcopi, niſi tantum diebus feſtis. Deinde ſequitur oratio*, Deus a quo & Judas. Ad Corinthios fratres convenientibus: *Poſtea ſedeat in ſede juxta altare, & non dicat* Dominus vobiſcum; *ſed Archidiaconus legat coram eo & populo rotulam in qua continentur quadam * indita de pœnitentium reconciliatione. Poſt hac eret Epiſcopus ante ſanctum altare. Hoc expleto, pergat ad ambonem, & aſcendat in eum, faciatque ſermonem tam populis, quam pœnitentibus, ſicut Ordo præcipit Romanus: Tunc redeat ante altare, & proſternens ſe tam ille, quam omnis populus, etiam pœnitens, tam illi qui intus ſunt, quam extra; & cantent vij. Pſalmos. Finitis Pſalmis, ſurgat ſolus, & dicat has orationes tam pro ſe quam pro populo.*

“ *Adeſto*, Domine, ſupplicationibus no„ ſtris. „

Alia.

“ *Præſta*, quæſumus, Domine, his fa„ mulis tuis, &c. „

Abſolutio.

“ *Sicut* principali ſententia conſtat, „ quia in multis offendimus omnes; ita „ principali ſententia conſolamur, quia „ ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & „ juſtus eſt Jeſus Chriſtus, Conditor & „ Redemptor, ac Salvator noſter, quem „ habemus Advocatum juſtum apud Pa„ trem, & eſt propitiatio pro peccatis no„ ſtris, & interpellat pro nobis fideliter „ confitentibus, & dimittit nobis peccata „ noſtra, & emundat nos ab omni iniqui„ tate. Quapropter, fratres noſtri, confi„ tentibus vobis peccata veſtra per Eccle„ ſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſta„ tem, quam Dominus noſter Jeſus Chri„ ſtus tradidit diſcipulis ſuis & Apoſto„ lis ſuis dicens: Accipite Spiritum ſan„ ctum: quorum remiſeritis peccata, re„ mittentur eis: & per eoſdem Apoſtolos „ ſuos ipſorumque ſucceſſores, quorum „ vices licet indigni tenemus, etſi non „ merito, tamen nomine atque officii „ ſuſceptione, eamdemque poteſtatem do„ navit, & in ſe credenti fideliter dixit: „ fiat tibi ſecundum fidem tuam, gratia „ & omnipotentia ſua cum virtute Spiri„ tus ſancti, qui eſt remiſſio omnium pec„ catorum, dimittat vobis peccata ve„ ſtra, liberet vos ab omni malo, conſer„ vet vos in omni opere bono, & perducat

,, vos ad vitam æternam, ad ſanctorum
,, conſortium ſupernorum civium; A-
,, men. ,,

Alia:

,, *Omnipotens* criminum abſolutor, &
,, indultor peccaminum, qui Apoſtolis
,, tuis Apoſtolorumque ſucceſſoribus dixi-
,, ſti: Sine me nihil poteſtis facere; etſi
,, duo ex vobis conſenſerint ſuper ter-
,, ram, de omni re quamcumque petie-
,, rint, fiet eis a Patre meo; qui etiam
,, ſpecialiter B. Petro Apoſtolorum Prin-
,, cipi ligandi & ſolvendi Pontificium tra-
,, didiſti, & poſtea in omnibus Diſcipulis
,, inſufflaſti & dixiſti: Accipite Spiritum
,, ſanctum: quorum remiſeritis peccata,
,, remittentur eis: tu, Domine, in noſtro
,, miniſterio tuam infere clementiam, &
,, in nobis peccatoribus quod tuum eſt ope-
,, rare, & quod noſtra non exigunt meri-
,, ta, tuæ virtutis impleantur effectu. Sup-
,, plices ergo poſcimus tuam clementiam,
,, ut famulis tuis omnibus cordis & corpo-
,, ris gemitibus ſuorum relaxationem pec-
,, catorum poſtulantibus pius auditor adſi-
,, ſtas, & clemens indultor exiſtas, ni-
,, hilque eis in præſenti vita ſive exitu ob-
,, ſtet, quod fragilitas cumulavit humana.
,, Adſit eis, Domine Rex cœli, tua mi-
,, ſericordia in tribulationibus conſtitutis,
,, ſicut adſuit latroni confitenti, & me-
,, retrici gementi ac lacrymanti, cui di-
,, miſſa ſunt peccata multa, quia dilexit
,, multum. Ne reminiſcaris, Domine,
,, multorum factorum ſuorum, ſed recor-
,, dare, Domine, quod pollicitus es: No-
,, lo mortem peccatoris, ſed ut converta-
,, tur, & vivat. Tu enim ſolus potens
,, es, non ſolum peccata dimittere, ve-
,, rum etiam ipſos peccatores juſtificare:
,, qui ſolus cum Patre & Spiritu ſancto vi-
,, vis & regnas per immortalia ſæcula ſæ-
,, culorum. Amen. ,,

Alia.

,, *Ego* immeritus & peccator Epiſcopus,
,, hanc abſolutionem manu, ore & corde
,, confirmans, omnipotentis Dei clemen-
,, tiam ſupplex imploro, ut ipſe ſua pote-
,, ſtate & noſtra deprecatione vos dignetur
,, abſolvere a vinculis peccaminum veſtro-
,, rum, ab omnibus quæcumque aut cogi-
,, tatione, aut locutione, aut operatione
,, negligenter egiſtis, atque miſericordi-
,, ter abſolutos perducere dignetur ad re-
,, gna cœlorum. Amen. ,,

Alia.

" *Deus* humani generis benigniſſime, &c.

Alia.

,, *Deus* miſericors, Deus clemens, &c.

Alia.

,, *Precor*, Domine, clementiam tuam, &c.

Alia.

,, *Majeſtatem* tuam, Domine, ſupplices.

Abſolutio.

" *Abſolvimus* vos vice B. Petri Apoſto-
,, li. ,,

Tunc convertat ſe Epiſcopus ad altare, & ſalutat populum, & dicit Dominus vobiſcum: Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Et tunc canatur offertorium cum verſibus, ac offerant Presbyteri ſacram ill. oblationem, quibus expletis, incip'atur Miſſa ſolito more.

ARTICULUS TERTIUS.

Caſus Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantes.

Quæritur.

Primo: *Utrum Pœnitentiarius, renitente Epiſcopo, poſſit a caſibus reſervatis abſolvere?*

RESPONDET Fagnanus affirmative in cap. *Grave* 29. de Præbendis, & Dignit. n. 10. 11. lib. 1. decret. tit. 5. ea ductus ratione, quod juriſdictio ordinaria eſt officio Pœnitentiarii annexa, cui opinioni favere videtur Concilium Trident. Seſſ. 2. cap. 8. de reformat. tum Innocentius IV. in cap. *Cum ab Eccleſiarum* 3. de officio judicis ordin. lib. 1. tit. 31.

Reſpondeo II. negative, quia Pœnitentiarius nonniſi ex commiſſione Epiſcopi abſolvit a reſervatis: Sic propugnat S. Thomas in 4. ad Annibald. diſt. 17. q. 3. art. 2. in corp. " Oportet, *inquit*, confiteri Sa-
,, cerdoti & nonniſi proprio: Sed proprius
,, Sacerdos duplex eſt; vel ex juriſdictione
,, ordinaria, ſicut Parochianus Sacerdos,
,, vel Epiſcopus, vel Papa: vel ex juriſ-
,, dictione delegata, ſicut ille cui commit-
,, tit poteſtatem audiendi aliquis horum
,, trium. ,,

Sanctus Bonaventura ſuum addit calcu-
lum

lum in 4. diſt. 17. art. 1. quæſt. 2. in reſponſ. ad argum. " De tertio Sacerdote, ,, *inquit*, qui ſolvit per demandationem, ,, ſive commiſſionem non habens animæ ,, curam eſt diſtinguendum; aut enim ,, commiſſa eſt ei & licentia data a Sacer- ,, dote, & tunc jus ſuum commiſit alii . . . ,, aut eſt auctoritas commiſſa a Superio- ,, ri ordinario, aut tunc eſt plena, aut ,, in caſu: Si plena, ſic judicandum ſic- ,, ut de ordinario, ſicut patet in his qui ,, ſunt Pœnitentiarii Domini Papæ & ,, Epiſcoporum, aut commiſſa, in caſu ,, &c. ,,

Nunc uſus obtinuit Epiſcopos ad nutum amovere iſtud officium a Pœnitentiariis, quod quidem jus Ludovicus XIII. ſua declaratione facta 28. Septembris 1637. tum & ulteriori Ludovicus XIV. 17. Auguſti 1700. munivit.

Obſerves tamen Pœnitantiarum, his non obſtantibus, poſſe ſuam abſolvendi a reſervatis facultatem ſimplici Sacerdoti demandare, tametſi enim inquit Navarrus Manual. cap. 27. num. 45. non poſſit totalem poteſtatem committere, bene tamen partialem, cum iſtud Juris axioma, *Delegatus non poteſt delegare*, intelligatur ſolum de priori, quod quidem probat Gloſſa in cap. *His quibus* fin. de offic. judicis ordin. V. *caſibus* lib. 1. cap. 31. ubi hæc habentur: " Illi, qui ordinario jure vel- ,, delegato a Principe poſſunt abſolvere, ,, poſſunt committere vices ſuas cum vide- ,, rint expedire, dummodo delegatus ha- ,, beat juriſdictionem. ,, Tum ſic loquitur Navarrus: " His omnibus addimus, ,, quod ſimplex miniſterium abſolvendi ,, poteſt delegari etiam a delegato ordina- ,, rii, & a ſubdelegato delegati Papæ, quam- ,, vis non poſſint delegare ſuas juriſdi- ,, ctiones, ratione quarum id eis compe- ,, tit. ,,

2. *An abſolutio deprecatoria ſufficiat?*

Reſpondeo 1. affirmative; neque enim forma Græcorum a ſummis Pontificibus non ſemel ponderata, tametſi deprecatoria proſcripta eſt. Quod autem talis ſit apud Orientales frequentata, & ſufficiat, docet Cabaſilas expoſit. Liturg. cap. 29. Tum Arcudius Lib. de concord. Eccleſiæ Orient. cum Eccleſia Occident. Lib. 4. cap. 2. Deinde Alexand. Alenſis 4. p. Sum. Theol. membro v. art. 2. Item Sotus In 4. diſt. 14. q. 1. art. 3. quique adfuit Concilio Trident. his verbis: " Re- ,, ſpondeo, *inquit* . . . . . remittuntur tibi ,, peccata: ſolidum eſſet ſacramentum: ,, neque neceſſarium eſt addere: abſolvo te ,, ab omnibus peccatis tuis; licet ſit con- ,, gruum. ,,

Reſpondeo 2. Confeſſarium graviter peccare ſi deprecatorie abſolvat, eo quod immutet formam abſolutam præceptam a Concilio tum Florentino, tum Tridentino; primum enim in decreto unionis ait: " Forma hujus ſacramenti ſunt verba ab- ,, ſolutionis quæ Sacerdos profert cum di- ,, cit: *Ego te abſolvo &c.* Alterum vero Seſſ. 14. cap. 3. ita habet: " Declarat præ- ,, terea ſancta Synodus ſacramenti Pœni- ,, tentiæ formam . . . . . in illis mini- ,, ſtri verbis poſitam eſſe: *Ego te abſolvo* &c.

Reſpondeo 3. hanc formam his ſolum verbis expreſſam *te abſovo*, ſufficere. Sic propugnat ſanctus Thomas 3. p. q. 84. art. 3. in corpore: " Hoc autem ſacramen- ,, tum, ſcilicet Pœnitentiæ, non conſiſtit ,, in conſecratione alicujus materiæ, nec ,, in uſu alicujus materiæ ſanctificatæ; ſed ,, magis in remotione cujuſdam materiæ, ,, ſcilicet peccati, prout peccata dicun- ,, tur eſſe materia Pęnitentiæ . . . talis au- ,, tem remotio ſignificatur a Sacerdote cum ,, dicitur *Ego te abſolvo*. ,,

Sylvius eſt ejuſdem labii in 3. Sum. divi Thomæ q. 84. art. 3. quæſito 1. " Poſita, *ait*, peccatorum confeſſione, ,, ſuper quam hæc verba Te abſolvo ca- ,, dunt, videtur habere ſatis determina- ,, tam ſignificationem ex intentione ab- ,, ſolventis, & ex præſentia confitentis ,, etiamſi non addatur *a peccatis*. ,,

III. *Num citra peccatum aliquis poſſit denegare abſolutionem moribundo alias ſcandaloſo quum apoplexia correptus petiit Confeſſarium, ſed adveniente Parocho, ne minimum quidem loqui poteſt;*

Reſpondeo, Parochum abſolutionem denegantem graviter peccare; cum enim ægrotus petierit Confeſſarium antequam amiſiſſet loquelam, cenſetur contritus. Sic docet ſanctus Auguſtinus Lib. 1 de adulterinis conjugiis cap. 28. Sic Concilium Carthag. 3. cap. 76.

4. *U-*

4. *Utrum homo octogenarius qui pondere annorum oppreſſus, ne quidem unius aut alterius peccati recordatur, poſſit tamen abſolvi, ſi quædam peccata in genere deponat?*

Reſpondeo prius interrogandum eſſe hominem de peccatis in particulari commiſſis, tum & de delictis juventutis, & poſtea abſolvi poſſe; eodem enim modo de iſto ratiocinandum eſt, ac de moribundo, qui ſenſibus orbatus, non poteſt loqui: Sic colligitur ex Concilio Carthag. 3. cap. 32. & 4. cap. 76.

5. *Utrum extraneus animam agens poſſit abſolvi, ſigna Pœnitentiæ exhibendo in caſu quo non habet interpretem: vel in hypotheſi quod habeat, teneatur per interpretem ſe confiteri?*

Reſpondeo 1. abſolvendum eſſe; ut docet ſanctus Thomas Supplm. q. 9. art. 3. ad 2. his verbis: " In eo, qui uſum linguæ „ non habet ſicut eſt mutus, vel qui eſt „ alterius linguæ, ſufficit quod per ſcri„ ptum, aut per nutum, aut per inter„ pretem confiteatur. „

Reſpondeo ad 2. Iſambertus de Sacramento Pęnit. diſput. 18. art. 3. pag. 152. nullo præcepto teneri deponere peccata per interpretem: contrarium colligitur ex divo Thoma ibidem, ubi ſic loquitur: " Quando non poſſumus uno modo, de„ bemus ſecundum quod poſſumus confi„ teri. „ Attamen opinio Iſamberti præ. valeret, ſi ægrotus citra damnum aut ſigilli periculum non poſſet confiteri per interpretem.

6. *An poſſint abſolvi, clauſis januis, ægroti morbo contagioſo correpti?*

Reſpondeo affirmative, ſi poſſint audiri; non enim tenetur Confeſſor cum vitæ periculo audire confeſſiones hujuſmodi, maxime cum audiat ſufficienter pęnitentes januis clauſis.

7. *An licitum ſit abſolvere pęnitentem, ut primum aſſerit ſe vere de peccatis pœnitere, promittendo quod omni cum diligentia, tum a peccato, tum a peccandi occaſione ſe impoſterum abſtenturum?*

RESPONDEO pro prima vice, ſi peccatum non ſit ita enorme, nec habituale, fidem eſſe pęnitenti adhibendam, & abſolvendum, modo credenda ſciat: e contra vero ſi peccatum ſit vel enorme, vel habituale, vel etiam credenda ignoret, cum prius & probandus & inſtruendus ſit. Hinc iſta propoſitio 64. damnata eſt ab Innocentio XI. die 2. Martii anno 1679. " Abſolu„ tionis capax eſt homo, quantumvis la„ boret ignorantia myſteriorum fidei, & „ etiamſi per negligentiam, etiam cul„ pabilem, neſciat myſterium ſanctiſſimæ „ Trinitatis & Incarnationis Domini no„ ſtri Jeſu chriſti. „

De eodem momento audiendus ſanctus Carolus Act. Eccleſ. Mediol. part. 4. inſtruct. Confeſſ. " Sciant *inquit confeſſo„ res*, ſe non poſſe iis impendere bene„ ficium abſolutionis qui peccati morta„ lis occaſionem omnem fugere ſerio „ non propoſuerint . . . . Peccati mor„ talis occaſiones vocantur, quicquid „ ad peccatum inducit, aut ex ſua na„ tura, aut ex parte pœnitentis fragi„ lis, qui in ea occaſione poſitus, ita „ peccare conſuevit, ut probabile ſit ex „ eo peſſimo habitu in eadem peccata la„ pſurum, ſi in illa occaſione amplius „ perſeveret. „

Subſcribit etiam Innocentius II. in Concilio Lateranenſi anno 1139. can. 21. his verbis: " Falſa etiam ſit pœnitentia cum „ pęnitens ab officio vel curiali, vel neg„ otiali non recedit, quod ſine peccato „ agi nullatenus prævalet. „

Item & Innocentius IX. decreto 12. Martii 1679. ubi proſcribit 65. propoſitiones, quarum ſexageſima prima hæc eſt: *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult amittere, quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Et iſta ſexageſima ſecunda: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit*, ſicut & iſta ſexageſſima tertia. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro* be-

bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

Non omittenda ſexageſima his expreſſa terminis: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere & proponere emendationem.*

Reſpondeo 2. abnegandam eſſe utique abſolutionem iis qui proximo reconciliari vel differunt, vel penitus abnuunt, cum Chriſtus præcipiat accedenti ad Eccleſiam ibi relinquere donum ſuum offerendum, & quærere prius proximum ut illi reconcilietur. Hinc Concilium Nanetenſe ſic ſtatuit: " Ut Dominicis & diebus ,, feſtis Presbyteri, antequam Miſſas ce- ,, lebrent, plebem interrogent . . . Si ali- ,, qui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem ,, implacabilem habeant: & ſi inventi ,, fuerint, ſtatim reconcilientur: quod ſi ,, renuerint pacem ſuſcipere, ab Eccleſia ,, ejiciantur uſquequo ad charitatem red- ,, eant. ,, Hoc ipſum iiſdem pene verbis Conc. Agat. an. 509. c. 31. dicit.

Neque vero beneficium abſolutionis concedendum eſt iis, qui bona proximi retinent, necreſtituunt dum poſſunt. Sic docet ſanctus Auguſtinus Epiſt. 153. num. 20. ad Macedonium: " Cum reddi poſſit, *in-* ,, *quit ſanctus Doctor*, & non redditur; ,, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi ,, autem veraciter agitur; non remittetur ,, peccatum, niſi reſtituatur ablatum . . . ,, cum reſtitui poteſt. ,,

Demum abſolutione non ſunt donandi qui ſcandalum publicum dederunt, donec illud reſtauraverint: Sic habet Ri- ,, tuale Romanum tit. de ſacrament. Pœnit. his verbis: " Neque abſolvat eos qui ,, publicum ſcandalum dederunt, niſi pu- ,, blice ſatisfaciant, & ſcandalum tol- ,, lant. ,,

VIII. *Num teneatur Dominus dimittere ancillam quæ illi habitualiter ſui copiam facit, tametſi totam domum, & ceteros domeſticos regat; habeat pro Commiſſario in negotiis ſuis verſatiſſimo ejus ſponſum, ac tandem ſummam argenti non leviorem illi debeat, quam tamen nonniſi decurſu temporum illi valet reddere?*

RESPONDEO teneri dimittere, juxta illud Chriſti Matth. 16. *Quid enim prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Sic docet ſanctus Auguſtinus Lib. 1. de Serm. Domini in monte, ubi oſtendit a Chriſtiano omnia, quæ animæ ſaluti adverſantur, prorſus eſſe abjicienda. Sic Theophilactus in Matth. 5. & ante ipſum Chryſoſtom. Hom. 17. in Matthæum.

Ex his colligitur abnegendam eſſe abſolutionem illi, qui parentem feminam in domo habens, cum qua ex habitu diverſatur, non vult dimittere, ea fucata ratione, ſeu prætextu quod inde ſua fama in periculum veniret: Cenſetur enim ille ſive Laicus, ſive Eccleſiaſticus ſit, ſemper velle peccatum: quam vanam rationem confutat S. Greg. Magnus Hom. 7. in Ezechielem his verbis: " Si autem de veri- ,, tate ſcandalum ſumitur, utilius permit- ,, titur naſci ſcandalum, quam veritas re- ,, linquatur. ,,

IX. *Utrum deneganda ſit abſolutio Joannæ quæ ſæpius cum domeſtico peccat, tametſi impoſſibile illi ſit, ita patrem movere, ut dimittat domeſticum?*

RESPONDEO poſſe abſolvi, ſi una ſolum aut altera vice cum domeſtico lapſa ſit, modo firmum habeat propoſitum non peccandi in poſterum. Sic docet ſanctus Carolus Act. Eccleſ. Mediol part. 4. tit. inſtruct. Confeſſ. his verbis: " 1. Differa- ,, tur abſolutio, donec emendationis ſigna ,, dederit; quod ſi inde infamiæ pœniten- ,, ti periculum acciderit, & Confeſſor ta- ,, lia contritionis in eo ſigna perſpexerit, & ,, debitam ad excipienda remedia emenda- ,, tionis ſuæ neceſſaria diſpoſitionem obſer- ,, vaverit, debent proponi alia magis op- ,, portuna, v. g. ut ſolus talem mulierem ,, numquam alloquatur, ut orationes ali- ,, quas agat, &c. . . . . quod ſi tamen ac ,, jam habita aut a ſe, aut ab alio Confeſ- ,, ſore diligentia, non emendatus pœni- ,, tens fuerit, non abſolvatur, donec oc- ,, caſio illa ſublata fuerit. ,, Et ſic patet ſolutio ad ſecundum.

X. *Num*

Digitized by Google

X. *Num concedenda ſit abſolutio Parocho qui habitu peccati mortalis detinetur, maxime cum non habeat Vicarium qui poſſit vices ejus ſupplere, nec aliud præter beneficium ad vitæ ſuſtentaculum poſſideat, toto corde promittens ſe a peccando ceſſaturum?*

RESPONDEO generaliter loquendo denegandam eſſe Parocho abſolutionem propter rationes jam allatas de peccati exitialis habitu, ſi tamen conſtaret certiſſimis argumentis, eum ſincere loqui, & de promiſſis exequendis ſigna daret efficaciſſima, vel magnam tunc præbendo pauperibus eleemoſynam, vel etiam cilicium induendo: ſin minus & pœnitentiæ labores recuſet, remittendus eſt. Sic colligitur ex ſancto Ambroſio in can. *Nonnulli* 55. de Pœnit. diſt. 1. " Nonnulli, ,, *inquit*, ideo poſcunt Pœnitentiam, ut ,, ſtatim ſibi reddi Communionem velint. ,, Hi tam non ſe ſolvere cupiunt, quam ,, Sacerdotem ligare, ſuam enim con- ,, ſcientiam non exuunt, Sacerdotis in- ,, duunt. ,,

RESPONDEO II. aliter eſſe ratiocinandum de eo qui habitu peccati mortalis ſuperatus, data occaſione Miſſionis, deponit peccata Miſſionario cum argumentis de propoſito ſincero non peccandi in poſterum, quia Miſſionarius cum amplius in poſterum non viſurus eſt, maxime vero cum Miſſionibus annexa ſit gratia ſpecialis ad convertendos peccatores.

Quid vero dicendum ſit de Jacobo, qui eo infirmitatis gradu devenit, ut cum deſponſata peccet ſemper, nec ſit moralis de correctione ſpes. R. denegandam eſſe ei, ut reor, abſolutionem, donec reſipiſcat, ut cum præparatione debita accedat ad Sacramentum Matrimonii.

II. *Utrum concedenda ſit abſolutio ei qui æs alienum retinens, promittit ſe reſtituturum?*

RESPONDEO non eſſe concedendam donec reſtituatur ablatum ſi fieri poteſt, eo quod, ut plurimum hujus furfuris homines non ſtent promiſſis. Sic colligitur ex ſancto Auguſtino in can. *Res aliena* 1. 14. q. 6. " Si res aliena, propter quam ,, peccatum eſt, cum reddi poſſet, non ,, redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Subſcribit ſanctus Carolus Act. Eccleſ. Mediol. part. 4. tit. inſtruct. Confeſſorum: " Caveant, *inquit*, Confeſſo- ,, res ne ante debitam ſatisfactionem il- ,, los abſolvant, quibus, cum facultas ,, adſit aliena reſtituendi vel legata, quæ ,, ad pias cauſas facta ſunt perſolvendi, il- ,, liſque ut id facerent ſuperiori confeſ- ,, ſione præceptum ſit, præſtare tamen ,, neglexerint. ,,

Celeberrimum eſt teſtimonium Gregorii X. qui in Concilio generali Lugdunenſi anno 1274. prohibet ne abſolvantur uſurarii, donec uſuras reſtituerint, vel etiam fructum ex uſuris perceptum. Et refertur in capite *Quamquam* fin. de uſuris in 6. Lib. 5. tit. 5. " Nullus, *inquit*, ,, manifeſtorum uſurariorum teſtamentis ,, interſit, aut eos ad confeſſionem ad- ,, mittit; ſive ipſos abſolvat, niſi de ,, de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfa- ,, ciendo pro ſuarum viribus facultatum ,, præſtent... idoneam cautionem.

XII. *Utrum Parochi denuntiati rite poſſint abſolvere?*

RESPONDEO negative, quia amiſerunt juriſdictionem: Ita ſanctus Thomas 2. 2. q. 39. art. 3. in corpore, ubi de exauctoratis ſic loquitur: " Poteſtas autem ,, juriſdictionis eſt, quæ ex ſimplici in- ,, junctione hominis confertur: & talis ,, poteſtas non immobiliter adhæret. Un- ,, de non poſſunt nec abſolvere, nec ex- ,, communicare, quod ſi fecerint, nihil ,, eſt actum. ,,

De caſibus reſervatis

SACRA Synodus Tridentina docet & Papam, & Epiſcopos in ædificationem Eccleſiæ poſſe ſibi quoſdam caſus abſolvendos reſervare, ut homines a peccatis enormibus deterreant; quæ quidem poteſtas aſtruitur & a Patribus & a Synodis. Sic docet ſanctus Cyprianus Epiſt. 10. ſecundum editionem Pamelii: Sic Concilium Meldenſe anno 845. can. 44. Sic Arelatenſe anno 1275. can. 12. Sic Rotomagenſe anno 1581. Sic Bituricenſe anno 1584. Tridentinum Seſſ. 14. cap. 7. de hoc momente ſic loquitur: " Magnopere vero ,, ad chriſtiani populi diſciplinam perti- nere

,, nere SS. PP. noſtris viſum eſt, ut a- ,, trociora quædam & graviora crimina ,, non a quibuſvis, ſed a ſummis dumta- ,, xat Sacerdotibus abſolverentur. ,, Concinit ſanctus Thomas Supplem. 3. part. q. 20. art. 2.

Jam quæritur:

I. *Utrum aliquis poſſit abſolvere a peccatis reſervatis, Sede vacante?*

QUIDAM autumant poſſe, niſi ſtatutum Synodale, vivente Epiſcopo, de iſta reſervatione conditum ſit, quia lex cedit in bonum publicum, & fuit a Dięceſi accepta. Non deſunt qui propugnent reſervationem perdurare, niſi Vicarii generales in quibus remanet poteſtas Epiſcopalis quantum ad juriſdictionem, aliter ordinent, & hæc opinio probabilior videtur.

II. *Num qui habet caſus reſervatos, poſſit abjurationem alicujus Proteſtantis recipere, & eum a cenſuris ſolvere.*

RESPONDEO negative, niſi ab Epiſcopo commiſſionem habeat; ita Navarrus Manual. cap. 27. num. 260. " Epiſcopus concedendo caſus ſuos, ſive ſibi reſervatos ,, non videtur concedere abſolutionem a ,, cenſuris ſibi reſervatis, quoniam a di- ,, verſis non fit illatio. ,, Et habetur cap. ad *audientiam* de Decimis.

III. *An Confeſſor habens caſus reſervatos, poſſit primum abſolvere a peccatis, tum remittere pęnitentem ad Epiſcopum ut a cenſuris & irregularitatibus forſan annexis ſolvatur?*

RESPONDEO non poſſe abſolvere a peccatis quibus annexa eſt cenſura, quæ quidem prius tollenda eſt, quam detur abſolutio a peccatis; ſi vero peccatis confeſſis, non ſit alligata cenſura, recte abſolvi poteſt pęnitens, deinde vero ad Superiorem remitti, ut a cenſuris obtineat abſolutionem. Sic docet S. Thomas in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 2. his verbis: " Pęnitentia ab omnibus defecti- ,, bus culpæ liberat; non autem ab omni- ,, bus defectibus pęnæ, quia adhuc poſt ,, peractam pęnitentiam de homicidio ali- ,, quis remanet irregularis, unde Sacer- ,, dos poteſt de crimine abſolvere, & pro ,, pęna amovenda ad Superiorem remitte- ,, re, niſi in excommunicatione, quia ab- ,, ſolutio ab ipſa debet præcedere abſolu- ,, tionem a peccatis: quia quamdiu aliquis ,, eſt excommunicatus, non poteſt reci- ,, pere aliquod Eccleſiæ Sacramentum. ,, Ex quibus verbis liquet pęnitentem ſemper eſſe ad Superiorem remittendum antequam abſolvatur, ſi aliquo teneatur excommunicationis vinculo.

IV. *Utrum Sacerdos poſſit abſolvere a caſibus reſervatis Jacobum, qui aperit caſus reſervatos quidem in ſua Dięceſi, ſed non in aliena ubi adeſt ex profeſſo, ut ſua deponat peccata?*

RESPONDEO, Regularem v. g. poſſe iſtum ſolvere hominem qui ex devotione hanc ſuſcipit peregrinationem ut a peccatis ſolvatur, ſecus vero ſi hujuſmodi caſus, vel in iſta etiam Dięceſi reſervaretur. Sic reſpondet Clemens X. in Bulla 7. ab ipſo promanata: " Decernimus, *in-* ,, *quit*, & declaramus Regularem Confeſ- ,, ſorem in ea Dięceſi in qua eſt approba- ,, tus, confluentes ex alia Dięceſi a pec- ,, catis in ipſa reſervatis, non autem in ,, illa ubi idem Confeſſor eſt approbatus, ,, abſolvere; niſi eoſdem pęnitentes no- ,, verit in fraudem reſervationis ad alie- ,, nam Dięceſim pro abſolutione obtinen- ,, da migraſſe. ,,

V. *An qui percuſſit Clericum in Eccleſia poſſit abſolvi ab excommunicatione huic peccato annexa, eo quod nulla fuerit ſanguinis effuſio?*

RESPONDEO ad ſummum Pontificem remittendum eſſe, ſi gravis fuerit percuſſio, puta cum adeſt effuſio ſanguinis, aut alicujus membri mutilatio: Sic docet Concilium ſecundum generale Lateranenſe ſub Innocentio II. anno 1139. & habetur can. *Si quis ſuadente* 29. 17. q. 4. his terminis: " Si quis ſuadente diabo- ,, lo hujus ſacrilegii crimen incurrerit, ,, quod in Clericum, vel Monachum vio- ,, lentas manus injecerit, anathematis ,, vinculo ſubjaceat; & nullus Epiſcopo- ,, rum illum præſumat abſolvere, niſi ,, mortis ſurgentis periculo, donec Apo-

,, ſto-

Digitized by Google

„ ſtolico conſpectui præſentetur, & ejus „ mandatum ſuſcipiat. „

Caſus quosvel ipſi Galli agnoſcunt ſummo Pontifici reſervatos.

" PRIMUS: Falſificare Bullas Pontificias, vel eas retinere, ultra viginti elapſos dies poſt cognitionem fraudis.
" *Secundus*: Perſonam Eccleſiaſticam, tum „ & religioſam verberare, tametſi actio „ non eſſet ultra modum violenta.
„ *Tertius*: Committere ſimoniam, vel „ etiam realem confidentiam.
„ *Quartus*: Incendiarius denuntiatus.
„ *Quintus*: Furari res ſacras in Eccleſia, „ adveniente portarum vel arcarum confractione, ut primum tamquam reus denuntiatus eſt.
„ *Sextus*: Matrimonium Monachi, ſicut „ & ſi ſanctum Viaticum & Extremam-„ Unctionem citra licentiam Epiſcopi miniſtret.
„ *Septimus*: Cogere Presbyterum ut celebret in loco interdicto.
„ *Octavus*: Nolle ab Eccleſia, durante „ ſervitio, egredi, ſi contingat ſe eſſe excommunicatum vel interdictum.
„ *Nonus*: Excommunicatus eo quod agitaverit Superiorem, qui aliquam fulminavit excommunicationem, & in eo perdurare ſtatu duobus ultra menſibus, non „ curando de abſolutione.
„ *Decimus*: Communicare pertinaciter „ cum eo qui a ſummo Pontifice excommunicationis anathemate percuſſus „ eſt. „

Sunt alii Smulto plures a ummiſtis exterarum regionum relati.

VI. *Quæritur, Num habens caſum ſummo Pontifici reſervatum, ſed occultum, teneatur abire Romam ut abſolvatur?*

RESPONDEO poſſe ab Epiſcopo abſolvi. Sic docet Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 6. " Liceat, *inquit*, Epiſcopis „ in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex „ homicidio voluntario, & exceptis aliis „ deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut „ Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere. „

VII. *Utrum qui habent Indulta a ſummo Pontifice pro caſibus reſervatis abſolvendis, poſſint indiſcriminatim illis uti?*

RESPONDEO poſſe abſolvere ab hujuſmodi caſibus, etiam a cenſuris ibi annexis; ſi tamen caſus haberet cenſuram reſervatam ab Epiſcopo, autumat Sylvius in 3. p. ſupplem. D. Thom. q. 20. art. 2. non poſſe abſolvere ab hujuſmodi cenſuris: " Intereſt autem, *inquit*, inter „ caſus reſervatos Papæ, & reſervatos „ Epiſcopis, quod omnes illi habeant „ cenſuram annexam; non omnes iſti; „ quo fit, ut cui conceditur facultas abſolvendi a caſibus Papalibus, concedatur ſimul poteſtas abſolvendi a cenſuris. „

VIII. *Utrum Metropolitanus poſſit abſolvere a cenſuris & caſibus reſervatis ſubditum Epiſcopi ſibi ſuffraganei?*

RESPONDEO negative; non enim habet juriſdictionem ad hoc niſi in duobus caſibus. Primo quidem, ſi cenſuris ligatus a ſuo Epiſcopo provocaverit ad Metropolitanum. Secundo, ſi vacet ſuis viſitationibus; ita Caballutius theor. prax. Lib. 5. cap. 14. num. 9.

IX. *Utrum Julius qui quatuor aut quinque caſus reſervatos habet in ſua Diœceſi, poſſit alteram petere Diœceſim, ut de eis facilius abſolutionem obtineat, ea potiſſimum ratione, quod ſui caſus nullam habeant reſervationem in illa externa Diœceſi?*

RESPONDEO optime poſſe abſolvi, ſi abſque fraude ad aliam tranſmeat Diœceſim, puta vel ſtudiorum, vel negotiorum cauſa. Ibidem Caballutius Lib. 3. cap. 12. num. 1. contra Sotum, Medinam, & Graſſium: " Juſta cauſa, *inquit*, cognitio non adſtringenda ſub conditionibus impoſſibilibus. Sic enim judicia „ tollerentur, ſed eſſet conditio impoſſibilis, & proinde iniqua; ſi Confeſſarius „ quilibet adſtringeretur ad ſciendum om-„ nes

„ nes & ſingulos caſus reſervatos in Diœ-
„ ceſibus eorum qui ad ſe confeſſionis cau-
„ ſa confluunt ; cum teneatur Confeſſa-
„ rius ſcire in quibus poſſit vel non poſ-
„ ſit abſolvere . „ Rurſus ibidem hanc alteram affert rationem : " Quia conſtans
„ uſus ac regula receptiſſima eſt in omni
„ cauſa delicti judicandum eſſe reum ſecun-
„ dum jura ipſius loci in quo idem judi-
„ catur reus . „

Reſpondeo II. Pœnitentem non poſſe abſolvi a caſibus ſuo Ordinario reſervatis , ſi in fraudem alteram petat Diœceſim , eo ſolum ſcopo ut abſolvatur . Ita colligitur ex Bulla Clementis X. ſeptima 21. Junii 1670.

Reſpondeo III. Sacerdotem alterius Diœceſeos approbatum poſſe abſolvere advenam qui habet caſus reſervatos Epiſcopis ex jure communi , ea tamen conditione , ut quidam contendunt , quod ille Confeſſarius habeat poteſtatem in ſua Diœceſi abſolvendi a caſibus reſervatis .

X. *An licitum ſit dividere Confeſſionis Sacramentum , & hoc dupliciter : primoquidem ſi habens caſus reſervatos , poſſit abſolvere Julium a caſu reſervato quo ligatur, & illum remittere ad ejus Confeſſarium ordinarium , ut audiat confeſſionem , & ab aliis abſolvatur ab eo ; vel etiam ſi quis non habens caſus reſervatos poſſit eumdem abſolvere a non reſervatis , deinde vero cum remittere ad Pœnitentiarium , ut de reſervato obtineat abſolutionem ?*

Respondeo negative contra Durandum & alios non ignoti nominis Theologos , in primis Toletum inſtruct. Sacerd. Lib. 3. cap. 8. num. 2. Ratio non una eſt apud Sylvium in 3. p. Supplem. S. Thomæ quæſt. 20. art. 2. quæſito 3. Prima eſt , quod integritas confeſſionis ſit de jure divino , adeoque non poteſt dividi Sacramentum , ut colligitur ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. cap. 5. " Quia , *inquit* , ut ex Concilio Trident. . . . patet
„ integritas confeſſionis eſt de jure divi-
„ no,Ergo non eſt in poteſtate Superioris
„ ut dimidietur . „ Ratio divi Thom. hic quæſt. 86. art. in corpore hæc eſt :
" Nullum peccatum poteſt remitti ſine
„ gratia . Omne autem peccatum morta-
„ le contrariatur gratiæ , & excludit eam .
„ Unde impoſſibile eſt quod unum pecca-
„ tum ſine alio remittatur . „ Ratio al-
„ tera , quia in hypotheſi , unum aut alterum peccatum mortale non foret materia ſufficiens Sacramenti , cum alterum ſupereſſet abſolvendum , ſicque ſuſpenderetur Sacramenti effectus ex deliberato Miniſtri propoſito ; hinc & abſolutio non reſponderet veritati , quæ omnia Tridentino adverſantur . Eædem rationes pro altera caſus parte ſubſiſtunt . Quæ quidem inconvenientia ut vitent Pœnitentiarii , pœnitentes audiunt pro reſervatione , ſed eos abſolvendos cum ſchedula ad Confeſſarium remittunt , cui ſuam ad hoc delegant poteſtatem .

XI. *Num liceat ſuprema exigente neceſſitate , alicui , vel abſolvere a reſervatis , vel etiam audire Monialium confeſſiones , tametſi ad neutrum habeat abſolvendi facultatem ?*

Non una eſt Theologorum de his ſententia . Quidam recentiores exiſtimant id fieri poſſe , modo pœnitens cenſeatur in impoſſibilitate morali ſeſe confitendi , quandoquidem non abſimili ratione de eo judicandum eſt , ac ſi extrema ageret , nec alium præter occurrentem haberet Confeſſorem ; cum Eccleſia , immo & Epiſcopi huic facto tacite aſſentiri præſumantur ; quod experientia quandoque probavit .

Tutior tamen & probabilior ſententia eſt non poſſe , propter traditum a Conc. Trid. ſtatutum Seſſ. 14. de Sacrament. Pœnit. cap. 7. his verbis : " Extra quem
„ articulum *mortis* Sacerdotes cum nihil
„ poſſint in caſibus reſervatis ; id unum
„ pœnitentibus perſuadere nitantur , ut
„ ad Superiores & legitimos Judices pro
„ beneficio abſolutionis accedant . „ Ratio eſt , quia ut plurimum impoſſibilitas habendi Confeſſarium privilegio munitum , ſæpius idealis eſt . Idem reſpondendum eſt ad caſum circa Moniales .

XII. *An*

XII. *An Sacerdos habens facultatem abſolvendi a reſervatis in ſua Diœceſi, poſſit a Confeſſario talem non habente facultatem, propter hujuſmodi caſus in quos prolapſus eſt abſolvi?*

RESPONDEO negative, niſi habeat facultatem a reſervatis abſolvendi tum activam, tum paſſivam, quia juxta Summiſtarum axioma: *Lex in tantum valet in quantum ſonat*. Sic colligitur ex Bonifacio VIII. in cap. *Si Epiſcopus* 2. de Pœnit. & remiſſ. in ſexto Lib. 5. Tit. 10. " Si Epi-
„ ſcopus, *ait*, ſuo ſubdito conceſſerit ut
„ ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem,
„ ille quem is elegerit, in caſibus, qui
„ eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur,
„ nullam habet penitus poteſtatem.

XIII. *Utrum qui prævie examine ſua in confeſſione generali depoſuit peccata, poſſit tranſacto Jubilæo ad eumdem recurrere Confeſſorem, ut a duobus caſibus reſervatis, ſed oblitis abſolvatur?*

RESPONDEO 1. affirmative, eo quod iſta peccata cenſeantur eſſe de priſtina confeſſione, quam quilibet Sacerdos approbatus poterat excipere. Sic colligitur ex Tridentino Seſſ. 14. de Pœnit. cap. 5. his verbis: " Reliqua autem peccata quæ di-
„ ligenter cogitanti non occurrunt, in
„ univerſum in eadem confeſſione inclu-
„ ſa eſſe intelliguntur. „

Hinc penitens poteſt & a cenſuris & a caſibus reſervatis recipere abſolutionem. Sic colligitur ex S. Thoma in 4. diſt. 21. art. 2. ad 1. ex Navarro Manual. cap. 26. num. 13.

XIV. *Utrum Abbas Regularis ſeu ſimilis, ut Superior ſupremus, poſſit ad libitum ſibi reſervare magnam caſuum multitudinem?*

RESPONDEO negative, nec alios poſſe ſibi reſervare præter eos qui declarantur in decreto Clementis VIII. die 26. Maji 1595. niſi accedat conſenſus Capituli generalis, vel ſaltem Provincialis. Adſunt verba hujus decreti: " Sua San-
„ ctitas decrevit, ut nemo ex Regu-
„ larium Superioribus peccatorum abſolu-
„ tiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſe-
„ quuntur, aut omnibus, aut eorum ali-
„ quot... 1. Veneficia, incantationes,
„ ſortilegia. 2. Apoſtaſia a religione, ſive
„ habitu dimiſſo, ſive retento... Noctur-
„ na ac furtiva e monaſterio, ſeu conven-
„ tu egreſſio, etiam non animo apoſtatan-
„ di facta. 3. Proprietas contra votum
„ paupertatis, quæ ſit peccatum mor-
„ tale. Juramentum falſum in judicio
„ regulari, ſeu legitimo. 4. Procuratio,
„ auxilium, ſeu conſilium ad abortum fa-
„ ciendum poſt animatum fœtum, et-
„ iam effectu non ſecuto. 5. Falſificatio
„ manus aut ſigilli officialium Monaſte-
„ rii, aut Conventus. Furtum de rebus
„ Monaſterii, ſeu Conventus, in ea quan-
„ titate, quæ ſit peccatum mortale. 6.
„ Lapſus carnis voluntarius opere con-
„ ſummatus. 7. Occiſio aut vulneratio,
„ ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſo-
„ næ. 8. Malitioſum impedimentum
„ aut retardatio, aut apertio litterarum a
„ Superioribus ad inferiores, & ab inferio-
„ ribus ad Superiores. Si quod aliud præ-
„ terea peccatum grave pro religionis con-
„ ſervatione, aut pro conſcientiæ puritate
„ reſervandum videbitur; id non aliter
„ fiat, quam generalis Capituli in toto
„ Ordine, aut Provincialis in Provincia,
„ matura diſcuſſione & conſenſu. „

XV. *Num qui rem habuit cum ſorore uxoris ſuæ, ſed intra vas non conſummavit, habeat in hoc caſum reſervatum, & cum propria uxore contraxerit affinitatem?*

RESPONDEO ad utrumque negative, eo quod actus non fuerit completus: Sic propugnant Theologi omni exceptione majores, in primis S. Thom. in 4. diſt. 42. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 4. ad. 2. ubi ſic habet: " Quantumcumque ali-
„ quis clauſtra pudoris invadat, vel
„ frangat, niſi commixtio ſeminum ſe-
„ quatur, non contrahitur ex hoc affi-
„ nitas. „

XVI. *Utrum Moniales quæ non ſunt de juriſdictione Epiſcopi, immo & Superioris ſui Ordinis, poſſint abſolvi a reſervatis abſque licentia Epiſcopi?*

RESPONDEO negative, propter duo: Primoquidem quia Epiſcopus ex jure com-

Digitized by Google

communi eſt delegatus ſummi Pontificis in ſpiritualibus reſpectu Monialium; hinc cum non alium habeant Superiorem præter ſummum Pontificem in hoc ſubjiciuntur Epiſcopo, ſin minus forent acephalæ. Altera ratio ea eſt, quod non poſſint ipſæ conferre juriſdictionem nec pro ſe, nec pro aliis: Sic colligitur ex Sylvio in ſua reſpooſione ad ſimilem caſum data 8. Julii 1620. “ Quamvis enim ſint, *inquit*, „ exemptæ, neque ſubjaceant vel Epi- „ ſcopo, vel Regularibus, earum tamen „ Confeſſarii Epiſcopo loci ſubjiciuntur, „ ſaltem quantum ad hoc ut approben- „ tur ad confeſſiones audiendas, & ut „ juriſdictionem ad abſolvendum acci- „ piant. „ Tum ſubdit: „ Si ergo Epi- „ ſcopus Confeſſarium eis det, ſive ſit „ Confeſſarius a Monialibus forſitan ele- „ ctus approbationem & juriſdictionem „ accipiat ab Epiſcopo; ita ut Epiſcopus „ non det Confeſſario majorem poteſta- „ tem, quam impertiatur reliquis Con- „ feſſariis; iſte Confeſſarius non poterit „ eas a reſervatis abſolvere. „

De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus circa Extremam Unctionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De Diſpoſitionibus.

USUS nunc obtinuit ſacram Unctionem conferre poſt Euchariſtiam, ſaltem in pluribus Diœceſibus, & quidem in cubiculo ægrotantis, tametſi quondam vel in ipſam Eccleſiam deferretur infirmus, ut eo loci illud ſuſciperet Sacramentum. Dictum eſt etiam antiquitus in more fuiſſe poſitum Extremam-Unctionem ante ipſam Euchariſtiam porrigere, ea ratione quod abſtergens peccati reliquias, ſit optima ad Sacramentum corporis & ſanguinis Domini recipiendum diſpoſitio. Jam quæritur, quænam ſint ad illud Sacramentum rite ſuſcipiendum diſpoſitiones. Eas omnes quas vulgo exigunt ſancti Doctores ad Sacramentum vivorum, eaſdem & expoſtulant ad Extremam-Unctionem; cum enim ſit Spiritus ſancti plenitudo, ſeu etiam unctio, qua infirmi velut Chriſti athletæ inunguntur ad ſuſtinendos Dæmonum impetus, qui cuncta movent, ut infirmi in extremis poſiti animam perturbent, & ſi fieri poteſt a Deo avertant, non jejunæ præparationes requiruntur, ut tandem ægrotus, & carnis & mundi, & inferni victor evadat.

Prima inter omnes diſpoſitiones annumeratur Baptiſmus; hoc eſt, requiritur ut inungendus ſit Baptiſmo initiatus, quandoquidem iſtud Sacramentum eſt ceterorum janua.

Altera: Ut ſuſcipiens Extremam-Unctionem ſit adultus, hoc ipſum indicat forma, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum &c.* Quæ quidem verba ad ſolos diriguntur adultos. Sic docet Catechiſmus Romanus hic 2. p. de Extrema-Unctione num. 9. his verbis: “ Omnes præ- „ terea, qui rationis uſu carent, ad hoc „ Sacramentum ſuſcipiendum apti non „ ſunt: ut pueri quia nulla peccata ad- „ mittunt, quorum reliquias ſanare hujus „ Sacramenti remedio opus ſit. „

Tertia: ſumma humilitas. Hinc in antiquis manu ſcriptis & Ritualibus hoc Sacramentum præcedebat humilis & publica peccatorum in genere confeſſio, ut videre eſt in omnibus pene Ritualibus a Launojo collectis. Codex Siculus Barberinus hæc habet: “ Antequam ungatur „ infirmus, confiteatur omnibus modis „ Deo & Sacerdoti ſuo pariter omnia „ peccata ſua, & reconciliationem ab eo „ percipiat plenam, ut ulceribus vitio- „ rum prius per confeſſionem adapertis, „ dignius proficiat ei unctio ſpiritalis „ medendo nequitiarum putredinem inte- „ rius latitantem. „

His accedit Pontificale Anglicanum, ubi hæc habentur de præparatione ad Extremam Unctionem: “ Poſt, ejus accipiat confeſſionem. „ Concilium Moguntinum anno 847. cap. 26. eſt ejuſdem labii: “ Ab infirmis, *inquit*, in mortis „ periculo poſitis per Presbyteros pura „ inquirenda eſt confeſſio, & ideo ſecun- „ dum canonicam auctoritatem... cum un- „ ctione Dei animati ſecundum ſtatuta „ ſanctorum Patrum communione viatici „ reficiantur. „

Ad hunc humilitatis gradum promovendum infirmos ſæpius non niſi genuflexos, aut ſaltem ſedentes quondam inungebat Eccleſia, ut liquet ex Rituali Salisburgenſi

in quo hæc leguntur: " Et ſic flectat genua ſua, qui eſt languidus & ſtet ad dexteram Sacerdotis, & cantetur hæc Antiphona: Sana Domine infirmum iſtum. „ Sic utique referunt acta S. Ottonis Bambergenſis Epiſcopi apud Surium 2. Julii Lib. 4. cap. 4. " Non jacendo, *inquiunt*, *ſed ſedendo* perunctus eſt. „

Quarta: ut ſit ab omni peccato lethali immunis, & in gratia Dei conſtitutus. Sic habet Catechiſmus Romanus ibidem num. 12. " Quoniam vero, *ait*, omni ſtudio curare oportet ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adverſatur, quam alicujus peccati mortiferi conſcientia: ſervanda eſt Eccleſiæ Catholicæ perpetua conſuetudo, ut ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtretur. Ac deinde ægroto perſuadere Parochi ſtudeant, ut ea fide ſe ungendum ſacerdoti præbeat, qua olim qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſeipſos offerre conſueverant. „

Quinta: Exigitur quoque magna devotio; cum enim ægrotus in brevi ſiſtendus ſit ante Tribunal ſupremi & ſeveriſſimi judicis, pro virili ad fidei, ſpei, & charitatis actus eliciendos ſe ſe accingere debet; maxime cum iſtarum virtutum præcepta tunc temporis urgeant. S. Thomas 3. p. q. 32. art. 4. in corp. ait: " Dicendum quod hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente. „ Hoc eſt in quantum fieri poteſt. Tum ibidem quæſt. 80. art. 9. loquens de his qui extrema agentes, uſu rationis carent, ait: " Aut non ſemper caruerunt uſu rationis, & tunc, ſi prius quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi. „

Sexta: Requiruntur preces tum ex parte ægroti, tum ex parte aſtantium: Cum enim perſeverantia finalis non cadat ſub meritum, a Deo optimo & miſericordi ſupplicationibus advocanda eſt; hinc in Ritualibus præcipitur ut Pſalmi pœnitentiales dum Sacerdos inungit ægrotum, recitentur ad placandum Deum, maxime vero Litaniæ Sanctorum; ſic habetur in omnibus Ritualibus a Launojo collectis, ut meritis Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum omnium remiſſionem peccatorum, & in bono perſeverantiam Deus ægroto concedat.

Catechiſmus Romanus ibidem num. 7. de hac diſpoſitione ita loquitur: " Adhibentur autem ritus proprii in hujus quoque Sacramenti adminiſtratione, ſed eorum maxima pars precationes continet, quibus Sacerdos ad ægroti ſalutem impetrandam utitur. Nullum enim eſt aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur: ac recte quidem, quoniam eo potiſſimum tempore fideles piis obſecrationibus adjuvandi ſunt, quare & alii omnes, quos tum adeſſe contigerit, & præcipue Parochi, debent orare Deum ex animo, & ejus miſericordiæ laborantis vitam & ſalutem omni ſtudio commendare. „

ARTICULUS SECUNDUS.

De ritibus Extremæ-Unctionis.

ORDO I.

In quo varii ad ungendos infirmos Ritus referuntur. Ex MS. Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis, annorum circiter 900.

DUM *invitati Sacerdotes ad infirmum fuerint viſitandi ungendique cauſa, qui eorum ad illud officium dignus jure cenſetur, induat ſuperhumerali, alba & ſtola, cum phanone, atque planeta, ſi adfuerit; ſin alias, caſula non induatur. Diaconus vero qui Evangelii textum ferat & oleum infirmorum, & ceroferarii ſecundum ordinem ſuum ſe induant. Unus ceroferariorum dextra cereum, læva cum incenſo. Sic induti cum domum, in qua infirmum jacet, intrare voluerint; Sacerdos læva codicem, quo hujus officii orationes habentur, teneat; dextra ſe ſigno Dominicæ crucis muniat, quatenus cum ſumma humilitate & timore Dei quod inceperit perficere valeat. Et ſic intrando iſtam antiphonam, dicat;*

" *Pax* huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus & regredientibus. „

Oratio quam Sacerdos, cum intra januam fuerit, dicere debet.

" *Omni-*

" *Omnipotens* ſempiterne Deus, quæſu-
,, mus immenſam pietatem tuam, ut ad
,, introitum humilitatis noſtræ hunc fa-
,, mulum tuum hoc in habitaculo feſſum
,, jacentem ſalutifere viſitare digneris:
,, & ſicut viſitaſti Tobiam & Saram, ſo-
,, crumque Petri, nec non & puerum Cen-
,, turionis: ita & iſte priſtina ſanitate ani-
,, mæ corporiſque recepta, a te viſitatus,
,, gratiarum tibi in Eccleſia tua ſancta re-
,, ferat actionem. Per. ,,

Deinde *vero progrediens, undique verſus aquam benedictam aſpergendo, atque antiphonam*, Aſperges me Domine hyſſopo, *decantando, ad lectum ægroti, non tumida mentis auſteritate, verum etiam cum omni manſuetudinis induſtria accedere ſatagat*.

Sequitur oratio poſt Aſperſionem.

,, *Præſta*, Domine quæſumus, per hanc
,, creaturam Aſperſionis ſanitatem men-
,, tis, integritatem corporis, tutelam ſa-
,, lutis, ſecuritatem ſpei, corroboratio-
,, nem fidei, hic & in æterna ſæcula ſæcu-
,, culorum. Amen. ,,

Sequitur & alia oratio, quam Sacerdos ſtans ante lectum ægroti, antequam ei quidquam loquatur, dicere debet.

" *Domine* Deus, qui per Apoſtolum
,, tuum Jacobum locutus es, Infirmatur quis
,, in vobis? inducat Presbyteros Eccle-
,, ſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum
,, oleo ſancto in nomine Domini, & oratio
,, fidei ſalvabit infirmum, & allevabit
,, eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimit-
,, tentur ei: cura, quæſumus Redemptor
,, noſter, gratia ſancti Spiritus languores
,, iſtius infirmi, & vulnera ejus ſana,
,, eique dimitte peccata, atque dolores
,, cunctos cordis & corporis ab eo expel-
,, le, planamque ei interius, exteriuſque
,, ſanitatem miſericorditer redde; Ut au-
,, xilio miſericordiæ tuæ in priſtinam va-
,, letudinem reſtitutus, ad propria officia
,, reparetur per virtutem tuæ majeſtatis,
,, Salvator mundi, Qui vivis. ,,

Tunc Sacerdos flexis genibus ante ægrotum inclinet dicens ei, Ut quid nos vocaſti, frater? Infirmus dicat: *Ut Unctionem mihi tradere dignemini. Sacerdos tunc eum compendioſe cum omni lenitate divinis inſtruat dogmatibus:* " Si ſpiritualis eſt, di-
,, cens ei: Prius te ad puram præpara
,, confeſſionem, de cetero ſanctam acci-
,, pies Unctionem. *Si ſæcularis eſt, dicat ei*: Tuæ prius diſpone domui, & ſi
,, quid intra tui cordis conſcientiam ha-
,, bere cenſes contra quempiam, indulgen-
,, do remitte; quatenus, opitulante ſum-
,, mi Tonantis clementia, per hanc valeas
,, unctionem tuorum percipere peccami-
,, num abolitionem. ,,

Deinde Sacerdos hanc dicat orationem.

" *Oremus*, Fratres dilectiſſimi, Domi-
" num noſtrum Jeſum, cum omni intenta
" ſupplicatione, ut hunc famulum viſita-
,, re, & confortare in puram dignetur
,, confeſſionem. Qui vivit. ,,

Tunc ejus accipiet confeſſionem. Et ſi cunctis voluerit dimittere: ſanctam ei humiliter tradat unctionem. Quod ſi noluerit, ſacro eum chriſmate omnino non tangat, quia in Evangelio legitur: Si non dimiſeritis omnibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.

Sequitur Litania cum capitulis & oratione ſequenti.

" *Domine*, qui juſte iraſceris, & cle-
,, menter ignoſcis, afflicti famuli tui la-
,, crymas reſpice, & iram tuæ indigna-
,, tionis quam juſte meremur, propitius
,, averte. Per.

" *Antiphona*, Ingreſſus Raphael Ar-
,, changelus ad Tobiam, ſalutavit eum di-
,, cens: Gaudium tibi ſemper ſit. Cui
,, Tobias ait: Quale gaudium mihi erit,
,, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non
,, video? Cui Angelus inquit: Forti ani-
,, mo eſto, in proximo eſt ut a Deo cu-
,, reris. ,,

Et ſic perungat infirmum de oleo ſanctificato cruces faciendo.

" *Unguo* te oleo ſanctificato In nomine
,, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,
,, ſicut unxit Samuel David Regem &
,, Prophetam, ut non lateat in te Spiri-
,, tus immundus, neque in membris, ne-
,, que in medullis, neque in ulla compa-
,, gine membrorum. Sed inhabitet in te
,, virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus ſan-
,, cti, quatenus per hujus operationem my-
,, ſterii, & per hanc ſacri olei unctio-
,, nem, atque noſtram deprecationem,
,, virtute ſanctæ Trinitatis medica-
,, tus ſive ſanatus, priſtinam & meliora-
,, tam recipere merearis ſanitatem.
,, Per. ,,

Digitized by Google

„ *Antiphona*, Sana, Domine, infirmum
„ iſtum, cujus oſſa turbata ſunt valde,
„ ſed tu Domine convertere, ſana eum,
„ & eripe animam ejus. Pſal. *Domine ne*
„ *in furore tuo* 1.

Oratio ad ungendos oculos in ſuperciliis oculorum.

„ Unguo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti,
„ hujus olei unctione expietur. Per Dominum noſtrum. „
„ *Succurre* Domine infirmo huic, &
„ medica eum ſpiritali medicamine, ut
„ in priſtina ſanitate a te reſtitutus,
„ gratiarum tibi referat actionem. Pſal.
„ *Beati quorum*, &c.

Ad aures.

„ *Unguo* has aures ſacrati olei liquore,
„ ut quicquid delectatione nocua auditus
„ admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per. „
„ *Antiphona:* Sanet te Jeſus-Chriſtus ab
„ omni ægritudine tua, quoſcumque habes dolores: dimittat Dominus omnia
„ peccata tua. Pſal. *Domine ne in furore*
„ *tuo*, &c.

Ad nares.

„ *Unguo* has nares de oleo ſacrato: ut
„ quicquid noxæ contractum eſt odoratu
„ ſuperfluo, iſta mundet medicatio. Per
„ Dominum noſtrum.
„ *Antiphona*: Opem ferat huic infirmo
„ Deus, ſuper lectum doloris ejus: ipſe
„ conſervet eum, & vivificet eum. Pſal.
„ *Beatus qui intelligit*, &c.

Ad labia.

„ *Unguo* labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quicquid otioſa vel criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante, expietur hac unctione. Per.
„ *Antiphona*: Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis: In nomine meo Dæmonia ejicite, & ſuper ægros manus veſtras imponite, & bene habebunt. Pſ.
„ *Deus Deorum Dominus*, &c.

Ad collum.

„ *Unguo* collum tuum de oleo ſancto
„ In nomine Patris & Filii, & Spiritus
„ ſancti.
„ *Antiphona*: Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernis. Pſal. *Miſerere*
„ *mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam*, &c.

Ad ſcapulas.

“ *Unguo* has ſcapulas, ſive medium ſcapularum de oleo ſancto, ut ex omni
„ parte ſpiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore juvaminis repellere. Per Dominum.
„ *Antiphona*: Salvum fac ſervum tuum,
„ Domine, Deus meus ſperantem in te.
„ Cuſtodi animam ejus quoniam in te ſperavit. Pſal. *Inclina Domine*, &c.

Ad pectus.

“ *Unguo* pectora tuo de oleo ſancto, ut in
„ hac unctione protectus, fortiter præſtare
„ valeas adverſus aereas catervas. Per
„ Dominum.
„ *Antiphona*: Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: tibi
„ autem nullum appropinquat malum.

Ad manus.

„ *Unguo* has manus de oleo conſecrato,
„ ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur.
„ Per Dominum.
„ *Antiphona*: Propitietur Dominus iniquitatibus, & ſanet omnes ægritudines
„ tuas, & renovetur ut aquila juventus
„ tua. Pſal. *Benedic.* 1. &c.

Ad pedes.

„ *Unguo* hos pedes de oleo benedicto,
„ ut quidquid ſuperfluo, vel nocuo inceſſu commiſerunt, iſta aboleat unctio.
„ Per.
„ ℟. *Ne* reminiſcaris Domine delicta
„ noſtra, vel parentum noſtrorum, neque
„ vindictam ſumas de peccatis meis. Pſ.
„ *De profundis*, &c.

Et

Et in umbilico, ſive in loco ubi plus dolor immineris amplius perungatur.

Item oratio.

" *Unguo* te oleo ſanctificato, In nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut „ more militis uncti præparatus ad luctam poſſis aereas ſuperare catervas. „ Per Dominum. „

„ *Antiphona*. Memento, Domine, & „ oſtende te nobis in tempore tribulatio- „ nis. Pſal. *Domine exaudi*.

Hoc enim faciunt, ut ſi in quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula adhaſit, hac medicina Dei ſanetur.

Oratio poſt unctionem.

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc olei ſanctificati „ unctio ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defenſionem „ contra jacula immundorum ſpirituum. „ Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis: ut non lateat hic „ ſpiritus immundus, neque in membris, „ neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed habitet in eo „ virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus ſancti. Per. „

„ *Domine* Deus ſalvator noſter, qui es „ vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas & omne medicamentum venit: quique nos Apoſtoli tui documento „ inſtruxiſti, ut languentes olei liquore „ tangeremus: reſpice propitius ſuper „ hunc famulum tuum, & quem languor „ curvat ad exitum, & virium defectus „ trahit ad occaſum, medela gratiæ tuæ „ reſtituat in ſalutem. Per &c. „

Alia.

" *Per* iſtam unctionem, & per miniſterium noſtrum, Deique benedictionem, „ mundentur & ſanctificentur ab omni „ ſorde & contagione peccati caput, & „ ſenſus tui, Viſus, auditus, odoratus, „ guſtus, & tactus; ut quicquid in humeris, vel manibus, aut pedibus, ſive toto corpore, cogitatione, locutione, & „ opere peccaſti, miſericordia Salvatoris „ expietur: ut idoneus efficiaris ad invocandum Dominum, & benedicendum „ atque ſanctificandum Deum, In nomine „ ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti: „ reddatque tibi lætitiam ſalutaris ſui, & „ ſpiritu principali confirmet te, & Spiritum ſanctum innovet in viſceribus tuis, „ & ne auferat illum a te: Sed benedictio „ Patris, & filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, quæ copioſe ſuper caput tuum defluat, & in extrema totius „ corporis tui deſcendat, interius, exteriuſque repleat, atque circumdet, & „ ſit ſemper tecum. Amen.

Alia.

„ *Sana* quoque, Deus omnium medicator, ejus febrium & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque & dolorum omnium diſſolve tormenta, viſcerumque ac cordium interna medica: „ medullarum quoque & cogitationum ſana „ diſcrimina, ulcerum vanitatumque putredines evacua, conſcientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immenſaſque remove paſſiones: „ carnis ac ſanguinis materiam reforma, „ delictorumque cunctorum veniam tribue: „ ſicque illum tua pietas jugiter cuſtodiat: „ ut nec ad corruptionem aliqua ſanitas, „ nec ad perditionem nunc te auxiliante „ perducat infirmitas; ſed fiat ei hæc olei „ ſacrati perunctio mortis, morbi & languoris præſentis expulſio, atque peccatorum omnium optata remiſſio. Per. „

Alia.

„ *Da* nobis, Domine, ut ſicut Publicani precibus & confeſſione placatus es; „ ita & huic famulo tuo olei benedictione placare, & precibus ejus benignus „ aſpira, ut in confeſſione flebili permanens, & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque „ altaribus & Sacramentis reſtitutus, rurſus divino famulatui mancipetur. Per.

„ *Propitietur* Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores „ tuos, redimatque de interitu vitam „ tuam, & ſatiet in omnibus deſiderium „ tuum, qui ſolus in Trinitate unus Deus „ vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. „ Amen.

uper infirmum.

„ *Deus*, qui famulo tuo Ezechiæ ter-
„ quinos annos ad vitam donaſti : ita &
„ famulum tuum a ſæclo ægritudinis tua
„ potentia erigat ad ſalutem. Per &c.

Alia.

„ *Reſpice*, Domine, famulum tuum in
„ infirmitate ſui corporis laborantem, &
„ animam refove quam creaſti : ut caſti-
„ gationibus emendatus, continuo ſe ſen-
„ tiat medicina ſalvatum. Per.

Alia.

„ *Deus*, qui facturæ tuæ pio ſemper
„ dominaris affectu : inclina aurem tuam
„ ſupplicationibus noſtris, & famulum
„ tuum ex adverſa valetudine, corporis
„ laborantem placatus reſpice, & viſita
„ in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ præ-
„ ſta medicinam.

Alia.

„ *Virtutum* cæleſtium Deus, qui ab hu-
„ manis corporibus omnem languorem, &
„ omnem infirmitatem præcepti tui po-
„ teſtate depellis : adeſto propitius huic
„ famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus,
„ & viribus receptis, nomen ſanctum
„ tuum inſtaurata protinus ſanitate bene-
„ dicat. Per.

Alia.

„ *Domine* ſancte, Pater omnipotens,
„ æterne Deus, qui fragilitatem condi-
„ tionis humanæ infuſa virtutis tuæ di-
„ gnatione confirmas : ut ſalutaribus re-
„ mediis pietatis tuæ corpora noſtra &
„ membra vegetentur ; ſuper huoc fa-
„ mulum tuum propitiatus intende : ut
„ omni neceſſitate infirmitatis excluſa,
„ gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta
„ reparetur. Per.

ORDO II.

Ex MS. inſignis Eccleſiæ Turonenſis, ante annos 800. exarato.

In primis faciant Sacerdotes aquam benedictam extra domum ; & cum *ingreſſi fuerint intra domum infirmi, dicant primum*, Pax huic domui ; *& tunc incipiunt Antiphonam*, Aſperges : *& aſpergatur aqua benedicta ſuper infirmum & domum. Cantetur*, Miſerere mei Deus. *Oratio*. Deus, qui famulo tuo Ezechiæ terquinos.

Poſt hæc cantent Sacerdotes & ceteri ſuper infirmum ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Antiphona. Ne reminiſcaris Domine, *cum oratione Dominica & capitulis*.

Sequitur oratio.

„ *Reſpice*, Domine, famulum tuum il-
„ li in infirmitate corporis ſui &c.

Poſt hæc canant litaniam ſuper infirmum, quæ ſequitur : & expleta litania, dicat has orationes quæ ſequuntur. " Omnipotens &
„ miſericors Deus, quæſumus immenſam
„ pietatem tuam, ut ad introitum humi-
„ litatis noſtræ.

Alia.

„ *Deus*, qui per Apoſtolum tuum lo-
„ quutus es, infirmatur quis ex vobis
„ &c.

Alia.

„ *Omnipotens* ſempiterne Deus, qui per
„ Jacobum Apoſtolum tuum inducere Pre-
„ sbyteros &c.

Poſt has orationes flectat genua, qui fuerit languidus, & ſtet ad dexteram Sacerdotis, & pſallant hanc Antiphonam cum Pſalmo quod ſequitur.

„ *Antiphona*. Dominus loquutus eſt di-
„ ſcipulis ſuis dicens : In nomine meo
„ dæmonia ejicite, ſuper ægros manus
„ imponite, & bene habebunt. *Pſal*,
„ Deus miſereatur noſtri. *Et repetat*, in
„ nomine.

Hic ponat Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ manus ſuas ſuper infirmum ; & dicatur oratio.

Oro-

Digitized by Google

Oremus.

„ *Dominum* Jeſum Chriſtum cum omni „ ſupplicatione rogemus, ut hunc famu- „ lum ſuum viſitare, & confortare, ac „ conſolare dignetur. Per.

„ *Sequitur* Antiphona; ſuccurre, Do- „ mine, famulo illi, & medica illum „ ſpiritali medicamine, ut priſtina ſani- „ tate a te reſtitutus, gratiarum tibi ſa- „ nus referat actionem. „ *Pſal.* Ad Dominum dum tribularer. *Et repetat, ut priſtina.*

„ *Omnipotens* ſempiterne Deus, qui æ- „ gritudines & animarum depellis & cor- „ porum &c.

„ *Antiphona.* Sana me, Domine, quo- „ niam conturbata ſunt oſſa mea, & ani- „ ma mea turbata eſt valde; ſed tu, Do- „ mine, convertere & eripe animam „ meam. „ *Pſalm.* Domine ne in furore tuo. 1. *uſque in finem cum gloria, & repetat.* Et animam mea &c.

Et ſic perungat infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo, in gutture, & inter ſcapulas, & in pectore, ſeu loco ubi dolor imminet amplius perungatur. & ſupplicando dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem.

Unctio.

„ *Unguo* te de oleo ſancto in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, „ obſecrans miſericordiam ipſius unius „ Domini ac Dei noſtri, ut fugatis om- „ nibus doloribus vel incommoditatibus „ corporis tui, recuperetur in te virtus & „ ſalus, quatenus per hujus operationem „ myſterii, & per hanc ſacrati olei un- „ ctionem & noſtram deprecationem, „ virtute ſanctæ Trinitatis medicatus ſi- „ ve fotus, priſtinam & immelioratam „ recipere merearis ſanitatem. Per.

Sequitur oratio.

„ *Domine* Deus, ſalvator noſter, qui „ es vera ſalus & medicina &c.

Alia oratio.

„ *Propitietur*, Dominus, iniquitatibus „ tuis, &c.

Deinde communicet eum corpore & ſanguine Domini, & ſic faciat illi per ſeptem dies, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione quam de alio officio, & ſuſcitabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimittentur ei. Debent etiam Sacerdotes & Miniſtri ſanctæ Dei Eccleſia cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingules dies Veſperas & Matutinas cum Hymno Chriſte cæleſtis, & cum Antiphonis, & reſponſoriis, ſive lectionibus, & orationibus ad hoc pertinentibus. Multi enim Sacerdotes infirmos perunguunt inſuper in quinque ſenſibus corporis, id eſt in ſuperciliis oculorum, & in auribus deintus, & in narium ſummitate ſive interius & exterius, & in manibus exterius, id eſt deforis. In omnibus his membris crucem faciant de oleo ſacrate dicentes. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Hoc enim ideo faciant, ut qui in quinque ſenſus mentis & corporis aliquam maculam inhaſit, hac medicina Dei ſanetur.

Sequitur oratio.

„ *Omnipotens*, ſempiterne Deus, qui „ ſubvenis in periculis, & in neceſſitate „ laborantibus &c.

Item oratio.

„ *Deus*, qui peccatores & ſcelerum „ onere vulneratos &c.

Alia.

„ *Deus* qui humano generi ſalutis re- „ medium &c.

Alia.

„ *Virtutum* cæleſtium Deus, qui ab „ humanis corporibus &c.

Alia.

„ *Domine* ſancte, Pater omnipotens, „ æterne Deus, qui fragilitatem &c.

Alia.

„ *Omnipotens*, ſempiterne Deus, ſalus „ æterna credentium &c.

Alia.

„ *Domine* ſancte, Pater omnipotens, æter-

„ æterne Deus, qui benedictionis tuæ „ &c.

Benedictio ſuper infirmum.

„ *Dominus* Jeſus Chriſtus apud te ſit „ &c.

Alia.

„ *Benedicat* te Deus Pater. Amen &c.

Alia.

„ *Benedicat* te Deus cœli. Amen &c.

Alia.

„ *Benedicat* te Deus Pater, qui in prin„cipio &c.

Alia.

„ *Benedicat* te Deus Pater. Amen &c. Antequam *ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & ſacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua; & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum per confeſſionem prius adapertis, digna ejiciat unctio ſpiritualis medendo nequitiarum putredinem latitantem. Ingredientes vero ſacerdotes domum infirmi, decantent ſeptem pœnitentiales Pſalmos cum orationibus ſupradictis, & agatur litania ...... & dicantur orationes ſupraſcriptæ pro infirmo & ſic ungatur.*

ORDO III.

Ex MS. Pontificali inſignis Eccleſiæ CP. annorum circiter 500.

Ordo compendioſus & conſequens ad ungendum.

IN TINCTO *namque pollice in oleo infirmorum, ſacerdos in agri corpore ſignum crucis facit in 9. vel aliquibus locis ita dicens.*

Ad caput.

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spi„ritus ſancti. Amen. Unguo hanc fron„tem tuam: ut merearis priſtinam ſa„lutem recipere, atque recuperare per „ ejus clementiam. Amen.

Oratio.

„ *Benedicat* te Dominus, corpus tuum „ corde mente cuſtodiat: gubernare, & „ conſervare te dignetur ſancta Trinitas. „ Qui vivit & regnat.

Ad aures.

„ *Unguo* has aures de oleo ſancto, in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ ſancti: ut more militis uncti præpara„tus ad luctam, poſſis aereas ſuperare „ catervas. Per.

Oratio.

„ *Benedicat* te Deus cæli: adjuvet te „ Chriſtus Filius Dei: corpus tuum in „ ſuo ſervitio conſervari faciat, mentem „ tuam illuminet, ſenſum tuum cuſto„diat, gratiam ſuam ad perfectum animæ „ tuæ in te augeat, ab omni malo te li„beret, dextera ſua te defendat; qui „ Sanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te „ adjuvet & conſervet. Qui vivit. „

Ad oculos.

„ *Unguo* oculos tuos de oleo ſanctifica„to; ut quidquid illicito viſu deliqui„ſti, hujus olei unctione expietur. Per „ Dominum.

Oratio.

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spi„ritus ſancti, ſit tibi unctio olei ſancti„ficati ad purificationem mentis & cor„poris, ad munimen & defenſionem „ contra jacula immundorum ſpirituum. „ Præſtante &c.

Ad nares.

„ *Unguo* has nares oleo ſacro; ut quid„quid noxio vapore contractum eſt, vel „ odore ſuperfluo, iſta emundet unctio „ vel medicatio. Per.

Oratio.

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spiri„tus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſan„ctifi-

„ ſtificationis ad purificationem mentis & „ corporis : miſericordiaque Dei, quæ „ per oleum ſignificatur, cuſtodiat om- „ ni tempore, & pietas illius ſubſe- „ quatur te omnibus diebus vitæ tuæ. „ Qui &c.

Ad labia.

„ *Ungeo* labia iſta conſecrati olei me- „ dicamento: ut quidquid otioſa vel cri- „ minoſa peccaſti locutione, divina cle- „ mentia miſerante expurgetur hac un- „ ctione. Per.

Oratio.

„ *Benedicat* Dominus cor & corpus „ tuum: medelam ſuam conferat tam „ cordi quam corpori tuo; augeat in te „ ſenſum ſpiritualem, & ad patriam „ æternalem perducat te Dominus Jeſus „ Chriſtus. Qui vivit.

Ad pectus.

„ *Ungeo* pectus tuum de oleo ſancto; ut „ hac unctione protectus fortiter ſtare ad- „ verſus aereas catervas. In nomine Pa- „ tris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit „ tibi hæc unctio olei ſanctificati ad puri- „ ficationem mentis & corporis. Per.

Oratio.

„ *Benedictio* illa in te deſcendat ſpi- „ ritualis, quæ deſcendit ſuper angelos, „ & gratiam ſuam ſuper te corroboret. „ Qui vivit.

Ad ſcapulas.

„ *Ungeo* has ſcapulas, ſive in medio ſca- „ pularum oleo ſacrato, ut ex omni par- „ te ſpiritali protectione munitus, jacula „ diabolici impetus viriliter contemnere, „ ac procul poſſis cum robore ſupeſni ju- „ vaminis impellere. Per.

Oratio.

„ *Virtus* Chriſti altiſſimi, & benedictio „ quæ deſcendit ſuper caput & verti- „ cem Aaron & Joſeph nazare, ita de- „ ſcendat ſuper dorſum & verticem tuum, „ & confirmet cor tuum in ſpe regni cæ- „ leſtis. Qui cum Patre.

Super manus.

„ *Ungeo* has manus oleo ſanctificato, „ ut quidquid ſuperfluo vel nocivo inceſ- „ ſu commiſerunt: iſta aboleat unctio. „ Per &c.

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spi- „ ritus ſancti, accipe ſanitatem mentis „ & corporis. Amen.

„ *Hæc* tibi unctio per iſtud ſignum ſan- „ ctæ & vivificæ crucis, & per oleum „ ſanctificatum, & per donum ſancti Spi- „ ritus, fiat ad ſanitatem & ſempiter- „ nam ſalutem. Amen.

„ *Benedicat* te Deus Pater, qui te crea- „ vit. Amen.

„ *Filius* qui te redemit. Amen.

„ *Spiritus* ſanctus qui in te fuſus eſt. „ Amen.

„ *Remiſſionem* & indulgentiam omnium „ peccatorum tuorum tribuat tibi omni- „ potens Dominus, & in præſenti ſæcu- „ lo & in futuro vitam æternam conce- „ dat. Amen.

„ *In* nomine Patris, & Filii, & Spi- „ ritus ſancti, accipe ſanitatem mentis & „ corporis. Amen.

„ *Concede* nobis Domine famulis tuis, „ ut orantes cum fiducia dicamus. *Pa- „ ter noſter.*

„ *Libera* nos, Domine, ab omni ma- „ lo, & cuſtodi nos ſemper in omni bo- „ no, Chriſte Jeſu auctor omnium bo- „ norum. Qui vivit.

ARTICULUS TERTIUS.

CASUS

Circa Extremam-Unctionem propoſiti & ſoluti.

QUÆRES.

Primo utrum peccet mortaliter Parochus, cujus ſubditus extrema agens, ejus incuria extrema unctione privatus moritur?

RESPONDEO affirmative; dictum eſt in ſecunda tractatus parte Extremam-Un-

Unctionem eſſe de præcepto, ubi ægrotus venit in vitæ periculum. Ita Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 3. his verbis de Extrema-Unctione: " Neque vero tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus ſancti injuria eſſe poſſet. " Hoc ipſum propugnat Cabaſſutius prax. juris can. 1. 3. 6. 15. num. 80. " Etiam non rogatus *Parochus*, ſi advertit ægrum in eo ſtatu eſſe, ut hoc indigeat Sacramento, maxime vero ſi alias ſine ullo omnino Sacramento ſit ex hac vita diſceſſurus, dubitandum non eſt Parochum hæc advertentem & negligentem, peccare mortaliter. "

Secundo, utrum Extrema-Unctio conferri poſſit cum oleo Catechumenorum, vel etiam cum ſimplici, id eſt non benedicto?

RESPONDEO I. poſſe conferri cum oleo Catechumenorum, oleo infirmorum deficiente: Sic propugnat Maldonat. de Extrema-Unctione q. 1. argum. 5. tom. 2. pag. 364. ſic Sambovius Diſput. 3. de Extrema-unctione art. 1.

Reſpondeo II. in caſu quo oleum infirmorum propter parvam quantitatem non ſufficiat ad ungendos infirmos occurrentes, poſſe illi adjungi oleum purum olivarum. Sic docet Rituale Romanum tit. de Extrema-Unctione: " Si forte, *inquit*, intra annum aliquo modo ita deficiat *oleum infirmorum*, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate ſuperinfuſo, reparari poteſt. "

Reſpondeo 3. Extremam-Unctionem non poſſe valide conferri cum oleo puro & non benedicto; ſic docet ex profeſſo S. Thomas 3. p. q. 72. art. 3. " Quia, *inquit*, benedictio eſt de *neceſſitate Sacramenti*. " Ibi varias affert pro hoc momento rationes, maxime iſtam. " Secunda cauſa, eſt propter plenitudinem gratiæ quæ confertur, non ſolum ut tollat culpam, ſed etiam reliquias & infirmitatem corporis. " Non deſunt tamen Theologi qui propugnent iſtam benedictionem non eſſe eſſentialem, ita Sambovius Tom. 2. caſu 88. p. 288.

Tertio an poſſit iſtud Sacramentum adminiſtrari quibuſdam omiſſis, quæ vulgo fiunt?

RESPONDEO I. Peccare Sacerdotem, ſi potens cuncta adhibere, aliqua omittat.

Reſpondeo 2. Sacramentum valere, ſi Sacerdos omittat iſta verba, *per viſum*, *per auditum*, *per guſtum*, & *locutionem*, *per ardorem libidinis*, *per inceſſum pedum*. Quia cauſa principalis & effectus ſufficienter exprimuntur per priora verba; ut ſi dicat, *per iſtam ſanctam Unctionem*, & *piiſſimam ſuam miſericordiam parcat tibi Deus quicquid deliquiſti*, *in nomine Patris &c.* Quandoquidem Deus cauſa principalis gratiæ nominatur, nec tacetur effectus, quem iſta indicat verba *parcat tibi quicquid deliquiſti*. Sic tenet Sylvius in Supplem. 3. p. S. Thom. q. 29. art. 9.

Reſpondeo III. iſtam formam: *Ego te ungo oleo ſancto in nomine Patris &c.* non eſſe validam, niſi adjungatur preces aliquæ, quia forma hujus Sacramenti non eſt abſoluta, ſed deprecatoria, ut teſtantur omnia Ritualia, nedum Græca ſed & Latina. Sic propugnat S. Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. in corpore.

Quarto, num plures Sacerdotes poſſint ſimul Extremam-Unctionem miniſtrare?

RESPONDEO I. Sacramentum non valere ſi unus adhibeat materiam, alter vero pronuntiet formam. Hujus ſententiæ tenaciſſimus eſt Sylvius in Supplem. D. Thomas q. 31. art. 1. ſub finem: " Si plures, *ait*, ita miniſtrent, ut uno ungente, alter proferat formam, nihil fit; quia cum materia proxima Sacramenti eſt actio miniſtri, ut ablutio, ſignatio, unctio, illa debet ab eo determinari per formam. " Secus vero ſi quilibet Sacerdos adhibendo materiam ſuper unum ſenſum pronuntiet & formam tali unctioni reſpondentem. Hoc ipſum colligitur ex illis S. Jacobi verbis cap. 5. *Infirmatur quis .... inducat Presbyteros Eccleſiæ .... orent ſuper eum ungentes eum oleo &c.* Uſus obtinuit in Eccleſia Orientali ut ſeptem Sacerdotes ſic infirmum inungant. Ita Arcudius de Extrema-Unctione. Et S. Thomas 4. contra Gentiles cap. 73. ſic propugnat

Syl-

Sylvius, explicans enim S. Thomam ait: " Si vero unus ſuam unctionem faciat cum „ ſua forma, & aliam, etiam cum pro„ pria forma, Sacramentum ſubſiſtit, ſi„ ve id ob neceſſitatem fiat, ideoque li„ cite, ſive extra illam, & illicite. „

Quinto, utrum ſi deficiente tempore, omnes fieri non poſſint unctiones, una ſufficiat ad validitatem Sacramenti?

RESPONDEO, S. Thomam in 4. diſt. 23. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 2. in corpore videri propugnare omnes unctiones eſſe de validitate Sacramenti: hanc affert rationem hic quæſt. 30. art. 1. ad. 3. " Et „ ideo in ultima unctione gratia infunditur „ quæ effectum Sacramento præbet. „ aliorum ſententia eſt unam ſufficere. Ita Rituale Pariſienſe de Extrema-Unctione his verbis: " Si vero non poſſit ſuper in„ firmum fieri niſi unica unctio, ungatur „ oculus, vel aliud ſenſuum organum, „ & ceteris precibus prætermiſſis, dicatur. *Per iſtam ſacri olei unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi quicquid peccaſti per ſenſus*. Subſcribit Bartholomæus ab Aula in ſuo Paſtorali; concinunt Ritualia Cameracenſe & Attrebatenſe, & alia.

Sexto, utrum in dubio an ægrotus adhuc vivat, poſſit ſub conditione ungi?

RESPONDEO affirmative, & hoc ipſum declarat Rituale Romanum de Sacramento unctionis, his verbis: *Quod ſi dubites an vivat adhuc*, ſcilicet poſt unam datam unctionem, *proſequatur ſub conditione pronuntiando formam: dicens, ſi vivis, per iſtam ſanctam unctionem &c.* Idem aſſerit Concilium Mediolanenſe parte 1. tit. *Quæ pertinent ad ſacramentum Extremæ-Unctionis:* ubi hæc habentur præſente S. Carolo. *Si vero aliqua morbi vis de repente illum oppreſſit, ut dubitetur vivus ne ſit an mortuus, ea conditione inungendo utatur:* Si es vivus, per iſtam ſanctam unctionem; ſuffragatur Rituale Pariſienſe de Sacr. Extr. Unct.

Reſpondeo 2. in caſu quod poſt unam aut alteram unctionem ægroto factam, ipſe Sacerdos apoplexia correptus non poſſit ceteras perficere, alium Sacerdotem poſſe reliquas unctiones dare, ut propugnat ex profeſſo S. Thomas in 4. diſt. 23. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. ita tamen quod non reiteret priores factas, quippe quæ jam factæ ſuum habuerint effectum. Subſcribit verbis expreſſis S. Carolus act. Eccleſ. Mediol. p. 4. tit. de ſacram. Extremæ-Unctionis cap. de diligentia in miniſtrando.

Septimo, utrum Extremæ-Unctionis ſacramentum poſſit conferri ægroto qui morbi pondere oppreſſus, illud poſtulare non potuit?

RESPONDEO affirmative, ſi ſigna contritionis prius dederit, aut ſaltem argumenta fidei in vita Chriſtiana acta habeat. Sic docet Navarrus Manual. cap. 22. num. 13. ſic Cabaſſutius Lib. 3. cap. 15. num. 5. " Etiamſi plures ſint Extremæ-Un„ ctionis effectus ultra peccatorum remiſ„ ſionem, hæc tamen ſola tanti momenti „ eſt; ut ille etiam inungendus ſit, qui ce„ terorum effectuum ſit incapax; nam is „ qui uſu rationis prorſus excidit, non „ opus habet ut adverſus tentationes ad„ verſarias roboretur, neque ut ejus ani„ mus, ſive torpore, ſive terrore depreſ„ ſus erigatur: & nihilominus inungi de„ bet ut peccatorum præcedentium ſive „ mortalium, ſive venialium reliquiæ abo„ leantur; poteſt namque Sacramentum „ iſtud primam etiam, ac juſtificantem „ gratiam conferre illi qui vel ex oblivio„ ne, vel ex impotentia loquendi, vel ex „ ſuperveniente dementia nequit confite„ ri. „ Secus vero ſi peccator fuerit publicus & ſcandaloſus.

Octavo, utrum debeat conferri Extrema-Unctio mulieri quæ dolores partum præludentes, experitur?

RESPONDEO negative cum S. Carolo, qui in Concilio 4. Mediolanenſi p. 2. tit. *Quæ pertinent ad Extremam Unctionem* ait: " Iſtis ne miniſtret *hoc Sacramentum* pue„ ris rationis uſu carentibus, mulieribus „ in partu laborantibus, ad bellum „ proficiſcentibus, navigantibus, pere„ grinantibus &c. Sic ante pronuntiave„ rat Tridentinum Seſſ. 14. de ſacra„ mento Extremæ-Unctionis, „ " Illis „ vero præſertim, *inquit*, qui tam pericu„ loſe decumbunt ut in exitu vitæ conſti-

„ tuti

Digitized by Google

„ tuti videantur. „ Mulieres vero & alii prædicti extrema agere non cenſentur.

DE DISPOSITIONIBUS, ritibus, & caſibus circa Ordinis Sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Diſpoſitionibus.

VARIA de diſpoſitionibus quæruntur, videlicet de his quæ exiguntur ex parte mentis, de aliis quæ voluntatem & mores ſpectant: de illis etiam quæ ſe tenent ex parte perſonæ: tandem de multis quas ſpecialiter exigit Eccleſia. Unde ſit.

SECTIO PRIMA.

De Diſpoſitionibus extrinſecis, ex parte mentis & cordis.

CERTUM eſt Baptiſmum ad ſacros Ordines ſuſcipiendos prærequiri, cum ſit Sacramentorum janua: Alterum quod utique exigitur, eſt vocatio.

§. I.

Vocatio ad ſacros Ordines ſuſcipiendos eſt neceſſaria.

HOC ipſum paſſim indicant ſancti Patres, ſed maxime Scripturæ ſacræ; ſic enim habetur Joan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Rurſus Hebræorum 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hinc vel ipſe Deus conqueritur Oſee 8. de quibuſdam qui citra vocationem aliquam uſurpaverant dignitatem: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego non cognovi*. Rurſus Jerem. cap. 23. de aliis qui Prophetarum munus ſibi falſo tribuebant, ait: *Currebant, & ego non mittebam eos*.

Catechiſmus Romanus p. 2. de Ordine hanc diſpoſitionem exigit num. 3. ſic loquitur: " Hujus igitur tanti officii „ onus nemini temere imponendum eſt; „ ſed iis tantum qui illud vitæ ſancti„ tate, doctrina, fide, prudentia ſuſti„ nere poſſint. *Nec* vero *quiſquam ſumat ſi*„ *bi honorem ſed qui vocatur a Deo tam*„ *quam Aaron*. Vocari autem a Deo di„ cuntur, qui a legitimis Eccleſiæ mi„ niſtris vocantur. Nam qui in hoc mi„ niſterium ſeipſos arroganter inferunt, „ atque intrudunt, de his Dominum in„ tellexiſſe docendum eſt, cum inquit: „ *Non mittebam Prophetas, & ipſi curre*„ *bant*. Quo quidem hominum genere, „ nihil infelicius, ac miſerius, nihil Ec„ cleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt. „

§. II.

De Diſpoſitionibus mentis.

DUÆ potiſſimum diſpoſitiones mentis ad ſuſcipiendos Ordines requiruntur, ſcilicet intentio recta, pura, cum & ſcientia. De priori momento ſic loquitur Catechiſmus Romanus ibidem num. 8. " Illi „ autem oſtio in Eccleſiam introire me„ rito dicuntur, quia a Deo legitime vo„ cati Eccleſiaſtica munera ejus unius rei „ cauſa ſuſcipiunt, ut Dei honori inſer„ viant. „ Num. 5. ſic pergit ": Verum „ qui Ordinis Sacramento initiari volunt „ hoc ſibi proponant opus eſt, ut non ſo„ lum Dei gloriam in omnibus rebus quæ„ rant, quod quidem cum omnibus tum „ maxime fidelibus commune eſſe con„ ſtat: ſed etiam ut alicui certo Eccleſiæ „ miniſterio addicti, in ſanctitate & ju„ ſtitia illi ſerviant. „

De altero capite multus eſt ſermo tum in Scriptura, tum in Conciliis. Deuteronomii 17. habetur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris.... venies ad Sacerdotes Levitici generis &c.* Rurſus Aggæi 2. *Interroga Sacerdotes legem*. Demum Malachiæ 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent*. Quæ verba expendens D. Hieronymus ait: " Idcirco in Sacerdotis pe„ ctore rationale eſt, & in rationali do„ ctrina & veritas ponitur, ut diſcamus „ Sacerdotem doctum eſſe debere, & præ„ conem Dominicæ veritatis.

Idem habetur in novo Teſtamento. Chriſtus enim Matth. 23. Phariſæos ſic increpat,

crepat, *Væ vobis duces cæci*. Prius cap. 15. de eis dixerat, *Cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Quocirca Apoſtolus Titum inſtituens Epiſcopum, ei ſcientiæ vacare injungit, Epiſt. ad ipſum cap. 1. *Ut* Epiſcopus inquit, *potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*: Quæ verba ſic explicat Hieronymus: " Hic locus adverſus eos „ facit, qui ſe in artium ſtudio & ſomno „ dedunt, non animadvertentes Apoſto„ lum poſt catalogum converſationis, E„ piſcopi etiam doctrinam ſimiliter præ„ cepiſſe. „

Hoc ipſum conclamant Concilia; in primis Toletanum 4. & refertur a Gratiano 36. c. *Ignorantia*, ubi ſic habetur: " Igno„ rantia mater cunctorum errorum, ma„ xime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, „ qui docendi in populis officium ſuſce„ perunt. „

Non abſimilia profert Concilium Cabilonenſe ſecundum. Maxime vero Lateranenſe cap. *omnis utriuſque ſexus*, ubi ſic admonet Sacerdotem: " Ut more præ„ diti medici vinum & oleum infundere „ valeat. „

Catechiſmus ibidem num. 32. egregie mentem Concilii explicat his verbis: " Præterea in Sacerdote non ſolum ea co„ gnitio requirenda eſt, quæ ad Sacramen„ torum uſum, & tractationem pertinet: „ ſed etiam ſacrarum Litterarum ſcientia „ ita inſtructum eſſe oportet, ut populo „ Chriſtianæ fidei myſteria, & divinæ le„ gis præcepta tradere ad virtutem & pie„ tatem incitare, a vitiis revocare fideles „ poſſit. Sacerdotis enim duo ſunt munera: „ quorum alterum eſt, ut Sacramenta rite „ conficiat & adminiſtret: alterum, ut „ populum fidei ſuæ commiſſum, iis re„ bus, & inſtitutis, quæ ad ſalutem ne„ ceſſaria ſunt, erudiat. „ Quod quidem probat variis Scripturæ locis.

§. III.

De Diſpoſitionibus ex parte cordis.

DE hoc momento nos edocet Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. his verbis: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum.* Rurſus ad tit. 1. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe ..... Sanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.*

Non abſimiles exigit diſpoſitiones ſacra Synodus Tridentina in ſimplicibus Presbyteris paſſim de reformatione, quod ſic explicat ejus Catechiſmus hic num. 31. his verbis: " Primum itaque in eo, qui „ Sacerdos creandus eſt, vitæ, & mo„ rum integritas commendetur magnope„ re oportet, non ſolum quia ſi alicujus „ mortiferi peccati conſcius ſe initiari cu„ ret, vel etiam patiatur, novo ſe, & „ maximo ſcelere obſtringit: ſed etiam „ quia virtutis, & innocentiæ lumen aliis „ præferre debet. Ea de re quid Apoſtolus „ Tito & Timotheo præcipiat, Paſtoribus „ declarandum erit. „ Hoc ipſum exigit Sacerdotii dignitas, videlicet ut ſicut dignitate vel ipſos præcellit Principes, ſic & virtute omnes antecedat.

Idem Catechiſmus Sacerdotis exaltat dignitatem hic num. 5. ubi ſic loquitur: " Nam & ſacra pro ſe ipſis, & pro omni „ populo faciunt, & divinæ legis vim „ tradunt: ad eamque prompto & alacri „ animo ſervandam fideles hortantur, & „ inſtituunt: & Chriſti Domini Sacramen„ ta, quibus omnis gratia impertitur & „ augetur, adminiſtrant: &, ut uno ver„ bo conplectamur, a reliquo populo ſe„ gregati, in omnium longe maximo & „ præſtantiſſimo miniſterio ſe exercent. „

Pergit num. 8. ubi ſacerdotes legis novæ ſupra legis Moſaicæ Sacerdotes propter majorem poteſtatem in immenſum extollit: " Hæc enim, *ait*, cæleſtis eſt, „ omnemque Angelorum etiam virtutem „ ſuperat: neque a Sacerdotio Moſaico, „ ſed a Chriſto Domino, qui non ſecun„ dum Aaron Sacerdos fuit, ſed ſecundum „ ordinem Melchiſedech ortum habet. „ Is enim, qui ſumma poteſtate gratiam „ tribuendi, & peccata remittendi præ„ ditus fuit, hanc poteſtatem quamvis „ virtute definitam, & Sacramentis ad„ ſtrictam, Eccleſiæ ſuæ reliquit &c. „

Digitized by Google

SYNOPSIS

Eorum quæ in Sectione continentur.

DISPOSITIO ad Sacramenta multiplex requiritur. Ex parte animæ prima, Baptiſmus, quippe qui ſit omnium Sacramentorum janua. Secunda, vocatio, nedum externa & ab hominibus profluens, ſed & interna. Sic Jerem. 1. Jeremias miſſus eſt a Deo ad prophetandum, ſic & Apoſtoli Matth. 28. a Chriſto Domino, ad docendas & baptizandas Gentes. Tertia, recta intentio; quandoquidem quæritur a miniſtris *ut fidelis quis inveniatur*. Quarta, ſcientia; ſin minus Sacerdos foret dux cæcus, & cum cæcis in foveam prolaberetur. Demum morum puritas, & hoc miniſtris ſpecialiter injungitur his verbis Matth. 5. *Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras: & conculcetur ab hominibus.*

SECTIO SECUNDA.

De Diſpoſitionibus ex parte perſonæ.

NON ſolum diſpoſitiones interiores ad ſuſcipiendos ordines prærequiruntur, verum etiam & quædam exteriores, ut in clerico cuncta ejus ſpirent dignitatem, ne homines vel ex eorum defectibus perſonalibus ſicut a cultu divino, ſic & a pietate & religione avertantur.

Primo igitur qui ad clericatum aſſumendus eſt, virtutis bonum odorem præ ſe ferre debet; hinc ſi crebrioribus rumoribus ab optimis deflecteret virtutibus, non foret ſacris ordinibus initiandus. Sic pronuntiat Gelaſius Papa Ep. 9. ad Epiſc. per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos: " Si quis etiam, *inquit*, de religioſo propoſito & diſciplinis monaſterialibus eruditur ad Clericale onus accedit; in primis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, vel ſi nullo gravi facinore probatur infectus, ſi ſecundam non habuit fortaſſis uxorem, nec à marito relictam ſortitus oſtenditur, ſi pœnitentiam publicam fortaſſis non geſſit, nec ulla corporis parte apparet vitiatus, ſi ſervili aut originariæ non eſt conditioni obnoxius, ſi curiæ jam probatur nexibus abſolutus &c. "

Secundo: Ab ordinatione propelluntur Hæretici & Schiſmatici, niſi Eccleſiæ per impoſitionem manuum reconcilientur. Ita habetur in Concilio Aurelianenſi 1. can. 12. " De Hæreticis Clericis, quia ad fidem Catholicam plena fide & voluntate venerint... id cenſuimus obſervari, ut ſi Clerici fideliter convertantur..... cum impoſitæ manus benedictione ſuſcipiant. "

Tertio: Ordinandus debet eſſe adultus, & in fide a longo tempore inſtitutus; hinc neophyti, hoc eſt recens baptizati a ſuſcipiendis ordinibus arceantur, juxta illud 1. ad Timoth. 3. de conditionibus Epiſcopi, oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.... *non neophytum*. Concinit Concilium Laodicænum can. 3. his verbis: " Non oportet eos qui recens ſunt illuminati Baptiſmate in ordinem ſacerdotalem promoveri. " Idem docet Sardicenſe can. 13. idem Catechiſmus Romanus hic num. 33. " Qui vero, *ait*, ætatis annus in ſingulis ordinibus ſit expectandus, ex ſacri Concilii Tridentini decretis facile erit cognoſcere. Excipiuntur etiam ſervi: neque enim divino cultui dedicari debet qui non ſui juris, ſed in alterius poteſtate eſt. Viri præterea ſanguinum & homicidæ, quia Eccleſiaſtica lege repelluntur, atque irregulares ſunt. "

Quarto: Requiritur utique ut Clerici in quantum fieri poteſt, ſint forma ſpecioſi, aut ſaltem non ita deformes, ut eorum ſpecies quemdam inferat horrorem; hic propelluntur a Clericatus ſtatu Clinici; hoc eſt infirmitate corporea non leviori correpti, de vita periclitantes, in lectulo tincti. Sic colligitur ex S. Cornelio Papa in ſua epiſtola apud Euſebium Lib 6. cap. 43. ubi propugnat Novatum, refragante Clero, ſacris ordinibus fuiſſe initiatum, quippe qui in lectulo graviter decumbens baptizatus fuiſſet: " Eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, perfuſi fuiſſent, in Clerum aſſumi. " Concilium Neocæſarienſe can. 12. idem prohibet.

Quinto: Exigit etiam Eccleſia ut aſſumendus ad Clerum, non fuerit in peregrinatione lotus, eo quod non ſatis conſtet de moribus talis hominis. De hoc momento ſic loquitur Concilium Illiberitanum

can. 14. " Omnes, *ait*, qui in peregrinatione fuerint baptizati eo quod eorum minime ſit cognita vita, placuit ad clerum non eſſe promovendos in aliis Provinciis. ,, Quocirca Greg. Mag. Lib. 2. Epiſt. 25. peregrinos, ab ordinationibus arcet. Eadem ratione Lib. 9. Epiſt. 111. vetat ne recens ad clerum aſſumptus aſcendat, donec prius ejus mores probentur.

Sexto: Clericus ordinandus debet eſſe liber, qua quidem conditione deficiente, ſervi mancipales non ordinandi ſunt, ut ſtatuit canon 82. Apoſtolorum, ubi ſic habetur: " Servi in Clerum non ordinentur ſine Domini voluntate. ,, Suffragatur S. Leo Magnus Epiſt. 3. novæ editionis ubi conqueritur quod: " Admittuntur paſſim ad ordinem ſacrum quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur, & qui a Dominis ſuis libertatem conſequi minime potuerunt. ,,

Septimo: Clericus ad ordines promovendus non debet eſſe militiæ addictus. Sic ſtatuit Concilium Toletanum 1. can. 8. " Si quis poſt Baptiſmum militaverit, & clamydem ſumpſerit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamſi gravia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem. ,, Expreſſius loquitur Siricius Papa Epiſt. 4. " Si quis, *inquit*, poſt remiſſionem cingulum militiæ ſæcularis habuerit ad Clericatum admitti omnino non debet. ,,

Non abſimili ratione prohibentur ab ordinibus curiales; hi ſcilicet qui negotiis ſæcularibus ex officio totaliter dediti ſont. Gregorius Mag. Lib. 1. Epiſt. 25. de hoc capite ſic loquitur Mauritio Imperatori: " Ne vel curiæ, vel cuilibet conditioni obnoxium ad ſacros ordines permittas accedere. ,, Tum Hieronymus Epiſt. 2. ad Nepotianum: " Procuratores & diſpenſatores domorum allienarum atque villarum, quomodo poſſunt eſſe Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? ,,

Octavo: Clericus debet eſſe unius uxoris vir, unde ex jure tum antiquo tum novo bigami a ſacris ordinibus excluduntur. Ita Concilium Aurelianenſe 4. can. 10. & colligitur ex canone 17. Apoſtolorum, ubi hæc habentur: " Qui viduam accepit vel ejectam, vel meretricem, vel ſervam, vel mimam ſeu ſcenicam non poteſt eſſe Presbyter, vel Epiſcopus, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali. ,, Rurſus can. 18. " Qui duas uxores duxit, vel conſobrinam, non poteſt eſſe Clericus. ,,

Nono: Ad ordines ſacros appellatus debet utique eſſe in origine purus: quamobrem illegitimi & ſpurii non poſſunt in Clero recipi, ſtatuit Concilium Meldenſe anno 845. his verbis: " Filii vero ex hujuſmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minus laudabile procreati ad Eccleſiaſticam dignitatem nullo modo provehantur, nec de tali conjugio generati Eccleſiaſticis ordinibus applicentur: Niſi forte eos, vel maxima Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas poſtulet, vel evidens meritorum prærogativa comendet. ,,

Catechiſmus Romanus hic num. 33. de his momentis ſic habet: " Spurii quoque, & ii omnes qui ex legitimis nuptiis non ſunt procreati (*ad Clerum non ſunt aſſumendi*) Decet enim, ut qui ſacris addicuntur, nihil in ſe habeant, quo ab aliis merito contemni ac deſpici poſſe videantur. Ad extremum etiam admitti non debent qui aliquo inſigni corporis vitio deformes aut manci ſunt. Ea enim fœditas, & debilitatio tum offenſionem habet, tum vero Sacramentorum adminiſtrationem impediat, neceſſe eſt. ,,

SYNOPSIS

Recenſitorum in Sectione.

MULTA ex parte perſonæ ordinandæ prærequiruntur; primo quidem, ut probis floreat moribus: Secundo, ut iis accedat exculta quædam corporis ſpecioſitas & integras; immo & ad debitam menſuram ſanitas; quocirca propelluntur a Clero ſupra modum deformes, in membris mutilati, quibuſdam contagioſis morbis correpti: tertio & honeſtas, unde ſpurii, bigami, & hujuſmodi furſuris homines non habent in Clero ſedem: Quarto, neque in eo admittuntur aut militiæ, aut tragœdiis, aut fori externi ſtrepitibus implicati.

SE-

SECTIO TERTIA.

De Diſpoſitionibus ab Eccleſia ſpecialiter expoſtulatis.

TAMETSI jam jam laudatas diſpoſitiones prærequirat Eccleſia, quaſdam tamen ex profeſſo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ convenientes prærequirit; quæ ad tria circiter capita reduci queunt, videlicet ad tonſuram Clericalem, tum ad electionem, & examen ſubditorum ad ordines promovendorum: Poſtremo ad interſtitia & tempus quo Clerici ad ſacros Ordines promoveri debent.

§. I.

De Tonſura Clericali.

TONSURA Clericalis vulgo definitur, præparatio ad Ordines; tunc enim Laicus primum altaribus inſerviendis ſe ſe mancipat, quod quidem ſignificat tonſuræ figura, qua ſuperfluis ex capite abjectis & induta veſte oblonga coloris nigri nomen dat militiæ Clericali, cujus miniſter eſt Epiſcopus, qui adhibita oratione tondit Laicum, & ſuperpelliceo eum induit, illi annuntiando quod in poſterum Deus ſpecialiter ipſi erit in hæreditatem; quæ quidem cæremonia ortum quemdam habet a legis Moſaicæ Levitis; præceperat enim Dominus ut nihil de terra promiſſionis eis elargiretur, quoniam ipſe eſſet eorum portio & hæreditas, juxta illud Num. 18. *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* Ut intelligant Clerici, ne uno quidem excepto, ſe ab omni terrenarum rerum ſolicitudine per Tonſuram ſpoliatos eſſe, & ſoli Deo famulari ipſis incumbere; eam vero non reiterari, quamvis non imprimat characterem, uſus in Eccleſia obtinuit: nonnulla autem in ea obſervare ſeu ſubnotare non injucundum erit.

Primo: Multi propugnant tonſuram a S. Petro originem habere, ſic ſcribit Gregorius Turonenſis Lib. 1. de gloria Martyrum cap. 27. " Petrus Apoſtolus, *inquit*, ad humilitatem docendam caput deſuper tonderi inſtituit." Subſcribit Iſidorus Lib. 2. de divinis officiis cap. 4 his verbis: " Hujus ergo exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi qui in divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi id eſt Sancti Dei, crine præciſo, innoventur."

Secundo: Eadem eſt apud omnes gentes Tonſuræ figura, ſcilicet ſphærica: ſed de latitudine, longitudine, vel etiam altitudine, non eſt apud omnes eadem ratio; quidam enim integrum caput condere volunt, ſic Orientales, vel etiam in Occidente multi Monachi, ita tamen ut quidam ſuperſint capilli abraſi figuram coronæ exprimentes. Occidentales quidem, qui a beato Petro illam accepiſſe glorientur, totum non tondent caput, ſecus vero Orientales, qui a beato Paulo totaliter in capite tonſo, morem gerere ſatagunt, ut videre eſt apud Ceolfridum in ſua ad Naitanum regem Epiſtola. De eodem momento loquitur venerabilis Beda Lib. 4. Hiſtoriæ gentis Anglorum cap. 1.

Tertio: Multa Concilia ſicut Tonſuram ſic & veſtem Clericalem injungunt. Londinenſe anno 1248. ſic loquitur: " Statuimus, & diſtricte præcipimus ut Clerici univerſi veſtes gerant, non brevitate nimia ridiculoſas & notandas, ſed ſaltem ultra tybiarum medium attingentes, aures quoque patentes crinibus non coopertas, coronas habeant, probanda latitudine condecentes, in quibus depoſitio terrenorum & regalis Sacerdotii dignitas deſignantur." Idem ſtatuit Baſileenſe anno 1431. his verbis: " Tonſuras deferant ſuis Ordinibus congruentes, & capillos ita tonſos quod aures pateant." Idem Colonienſe anno 1452.

Quarto: Catechiſmus Romanus hic egregie explicat myſticas tonſuræ ſignificationes. Num. 13. reddit rationem cur Clerici per tonſuram terrena ſe abjicere conclament: " Clerici nomen, quod ei tunc primum imponitur, ab eo deductum eſt, quod Dominum ſortem, & hæreditatem ſuam habere incipit, vel ut qui in Hebræorum populo, divino cultui mancipati erant: quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promiſſionis diſtribui, cum inquit Num. 18. *Ego pars, & hæreditas tua.* Ac quamvis id omnibus fidelibus commune

ſit.

Digitized by Google

„ ſit, præcipua tamen ratione iis conve-
„ niat neceſſe eſt, qui ſe Dei miniſterio
„ conſecrarunt. „

Tum num. 14. ſubdit: " Tondentur ve„ ro capilli ad coronæ ſpeciem, & ſi„ militudinem, quam perpetuo conſerva„ re oportet: & ut quiſque in altiori or„ dinis gradu collocatur, ſic ejus orbis for„ ma latior circumſcribi debet. „ Ibidem probat Tonſuram ortum habere ab Apoſtolis, auctoritate Dionyſii Lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 6. Hieronymi in cap. 44. Ezechielis, Auguſtini Serm. 19. ad fratres in eremo.

Poſtremo ibidem ſubjungit, Tonſuram ſignificare dignitatem regiam: " Quod e„ nim Petrus Apoſtolus fideli populo tri„ buit: *Vos genus electum, regale Sacerdo„ tium, gens ſancta*, peculiari quadam & „ magis propria ratione ad Eccleſiaſticos „ miniſtros pertinere facile intelligimus. „ Subjicit Tonſuram perfectam vitæ ratio„ nem etiam indagare: " Et ſi non de„ ſunt qui vel perfectioris vitæ profeſſionem „ a Clericis ſuſceptam circuli figura, quæ „ omnium perfectiſſima eſt, ſignificari exi„ ſtiment, vel externarum rerum contem„ ptionem, animique ab omnibus huma„ nis curis vacuitatem declarari putent, „ quod capilli ſupervacaneum quiddam in „ corpore tondeantur. „

§. II.

De examine & electione Clericorum.

DE examine morum jam ſupradictum eſt; cum enim ad magnum aſſumantur miniſterium, operæ pretium eſt ut nullus, niſi diſcuſſis & probatis moribus, ad Clerum aſſumatur, quandoquidem teſte Apoſtolo 2. Cor. 10. poteſtas Eccleſiæ non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem. Audiendus eſt de hoc momento S. Baſilius, qui in epiſtola canonica ad Cor-epiſcopos tom. 2. Conciliorum ait: " Eos qui Eccle„ ſiæ miniſtrant, recepta olim in Eccle„ ſiis conſuetudo, diligentiſſime probatos „ admittebat, & omnis eorum vitæ agen„ dæ ratio curioſe inquirebatur ... Et hæc „ quidem examinabant Presbyteri & Dia„ coni, qui cum eis verſabantur. Refere„ bant autem ad Cor-epiſcopos, qui acce„ ptis ſuffragiis ſinceris teſtibus, & eo„ rum admonito Epiſcopo, Miniſtrum „ deinde in ſacerdotalem numerum coo„ ptabant. „

Concilium tertium Turonenſe hac ſuffultus traditione idem præcipit, tum & Bracarenſe ſecundum anno 563. can. 20. ſic loquitur: " Ut ex Laico ad gradum Sa„ cerdotii ante nemo veniat, niſi prius „ in officio Lectorati, vel Subdiaconati „ diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, & ſic „ per ſingulos gradus prædictus ad Sacer„ dotium veniat.

Ex quibus patet minores ordines eo fuiſſe inſtitutos ſcopo, ut Clerici per gradus aſcendentes ad Presbyteratum in his exercitiis probarentur, num digni eſſent ſacro Presbyteratus ordine: qua de cauſa vel noſtris etiam temporibus conclamationes prius fiunt in Eccleſia, & annuntiantur qui Presbyteri ordinandi ſunt, ut ſi quis habeat aliquid contra ordinandum dicendum, Eccleſiæ revelet.

Multus eſt ſermo in hiſtoria Eccleſiaſtica de electione miniſtrorum Eccleſiaſticorum, pro qua etiam ſuffragia populi admittebantur. Hoc ipſum patet ex epiſtola Synodica Concilii Nicæni primi ad Epiſcopos per Ægyptum, Libyam, & Pantapolim conſtitutos, Apud Socratem Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. ubi de miniſtris eligendis hæc habentur: " In de„ functi locum atque honorem provehan„ tur ii qui nuper adſciti ſunt, modo di„ gni videantur, & populus eos eligat, ſuf„ fragante nihilominus plebiſque judicium „ confirmante Alexandrinæ urbis Epi„ ſcopo. „

Concinit Concilium tertium Carthaginenſe can. 12. " Ut nullus ordinetur Clericus, niſi probatus vel Epiſcuporum examine, „ vel populi teſtimonio. „

§. III.

De interſtitiis, & ætate Ordinandorum.

AB ipſa vagiente Eccleſia quædam interſtitia inter quemlibet ordinem ſuſcipiendum conſtituta ſunt, & niſi urgeret neceſſitas, ad majorem ordinem nullus promovebatur, antequam prius in inferioribus reſpective Ordinibus ſe ſe exercuiſſet.

De ætate Ordinandorum hæc pauca ſubnotanda ſunt.

PRIMO: Minores ordines quondam in teneri ætate collati ſunt, ut colligitur ex Epiſtola 1. Siricii Papæ.

Secundo: Subdiaconus annis octodecim natus olim ordinabatur, tum ſolummodo vigeſimo anno inchoato, ut habetur in Concilio Toletano ſecundo can. 1 tum in Trullano han. 15. his verbis: " Subdiaco-,, nus ne minor viginti annis ordine-,, tur.,,

Tertio: Diaconus non niſi poteſt viginti quinque annos olim inaugurabatur, juxta illud Concilii Carthaginenſis tertii can. 4. " Placuit ut ante viginti quinque annos ,, ætatis nec Diaconi ordinentur, nec ,, virgines conſecrentur.,,

Quarto: Exigebat Eccleſia tunc pro Presbyteris triginta annos. Sic ſtatuit Concilium Toletanum quartum can. 20. " A ,, triginta, *inquit*, annis Presbyteri ordi-,, nentur.,,

Quinto: Nullus ex veteri diſciplina Epiſcopus inaugurabatur, niſi quinquageſimum attigiſſet annum, ut habetur Lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 1. ubi legitur Epiſcopum debere eſſe: " Non ,, minorem annis quinquaginta: quod quo-,, dam modo in hac ætate juveniles per-,, turbationes, & externas calumnias ſu-,, peravit adverſus blaſphemias.,,

Si ad præſentem ſpectemus diſciplinam tonſura Clericalis confertur vulgo iis qui decimum attigere annum; quatuor Minores his dantur, qui quintum decimum circiter; Subdiaconatus, qui annum vigeſimum primum inchoatum; Diaconatus, qui annum vigeſimum tertium inchoatum; Presbyteratus, qui annum vigeſimum quintum inceptum; Epiſcopatus denique, qui annum trigeſimum primum habuerint. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de reformat. cap. 12. de hoc momento ſic loquitur: " Nullus in poſterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad ,, Diaconatus ante vigeſimum tertium, ,, ad Presbyteratus ante vigeſimum quin-,, tum ætatis ſuæ annum promoveatur.,,

Interſtitia qualia.

Nunc ad interſtitia convertitur oratio: ea enim ab Eccleſia fuiſſe inſtituta ſequitur ad ea quæ de ætate ex ſacris canonibus modo dicta ſunt, in primis vero ex traditione ea repetere juvat.

Ex Sæculo quarto Concilium Sardicenſe Canone 10. ſic ordinat interſtitia: " O-,, ſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque ne-,, ceſſarium exiſtimo, ut cum omni cura ,, & diligentia examinetur; ut ſi quis ex ,, foro, ſive dives, ſive ſcholaſticus, Epi-,, ſcopus fieri dignus habeatur, non prius ,, conſtituatur, quam lectoris, & Diaco-,, ni, & Presbyteri Miniſterium pere-,, gerit: ut in uno quoque gradu, ſi di-,, gnus exiſtimatus fuerit, ad Epiſcopatus ,, faſtigium per progreſſionem poſſit aſcen-,, dere.,,

Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum can. 9. ſtatuit neminem ante pubertatis annum Lectorem conſtitui; tum ait: " Qui acceſſu ,, adoleſcentiæ uſque ad trigeſimum æta-,, tis annum ... Acolythus & Subdiaconus ,, eſſe debebit... Poſtque ad Diaconi gra-,, dum... accedat. Ubi ſi ultra quinque ,, annos laudabiliter miniſtravit, congrue ,, Presbyteratum conſequatur. Exinde poſt ,, decennium Epiſcopalem cathedram po-,, terit adipiſci.,,

Ex quinto Sæculo Innocentius I. Epiſt. 4. ad Felicem Nucerianum Epiſcopum cap. 5. jubet interſtitia a Siricio ordinata ſervari, his verbis: " Ita ſane ut in ,, eos tempora a majoribus conſtituta ſer-,, ventur.,,

Ex nono Sæculo eadem lex interſtitiorum executioni mandabatur; quod quidem probat Capitularium Caroli Magni Lib. 7. cap. 27. Hæc quoque obtinebat conſuetudo in Oriente, ut pluribus etiam annis in inferioribus manerent Clerici ordinibus; & probatur ex octava Synodo generali can. 5. ſic loquente & ſtatuente: " Quod ,, ſi quis multa ſuſpicione dictæ ambitio-,, nis, vel honoris ſpe tactus, ſed recta ,, honeſtaque inductus in clerum... per-,, que omnes gradus Eccleſiaſticos defini-,, tis temporibus viam agendo inculpate ,, tranſiiſſe reperiatur, ad Epiſcopatus ho-,, norem evehatur.,,

Abſoluto tandem milleſimo anno, non nihil ſenuerunt interſtitia, quandoquidem anno 1199. in Concilio Dalmatiæ ubi præerant oratores Innocenti III. can. 2. ſancitum eſt, unum dumtaxat annum interſtitio-

Digitized by Google

terſtitiorum inter majores ordioes ſufficere.

Tandem Concilium Trideotinum Seſſ. 23. cap. 12. determinavit, ut dictum eſt, ætatem & tempus ordinandorum; cap. vero 11. ibidem de ioterſtitiis ſic loquitur: " Minores ordioes iis qui ſaltem latinam „ linguam intelligaot per temporum in- „ terſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire „ magis videretur, conferantur; ut eo ac- „ curatius, quantum ſit hujus diſciplinæ „ pondus, poſſint edoceri, ac in uno quo- „ que munere, juxta præſcriptum Epiſco- „ pi ſe exerceant .... Cumque hinc ad „ altiores gradus, & ſacratiſſima Myſte- „ ria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, „ quem non ſcientiæ ſpes majoribus ordi- „ nibus dignum oſtendat; hi vero non oiſi „ poſt annum a ſuſceptione poſtremi gra- „ dus minorum ordlnum ad ſacros ordines „ promoveantur, niſi neceſſitas, aut Ec- „ cleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud ex- „ poſcat. „ Ex quibus liquet Epiſcopum poſſe diſpenſare ab interſtitiis, maxime in gratiam Regularium, qui vitæ perfectæ tenorem habeot, ut colligitur ex Gelaſio Papa Epiſt. 9. cap. 2.

§. IV.

De Ordinationibus per ſaltum.

STATUS quæſtionis non unum habet ſenſum. Primo quidem, per ſaltum temporis, ita ut non obſerventur ioterſtitia; Secundo, per ſaltum ipſorum ordinum, ita ut, quibuſdam omiſſis, alter ordo ſuperior cooferri poſſit. Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Ordinationes abſque ioterſtitiis ſervatis in neceſſitate fieri poſſunt.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quæ ſunt de jure Eccleſiaſtico, poſſunt ſubire diſpenſationem, ubi exigerit neceſſitas: ſed quandoque exigit ut, omiſſis ioterſtitiis, ordinatio fiat: Ergo &c. Iſta ratio eſt Concilii Tridentini mox citati Seſſ. 23. cap. 11 ubi habetur: " Hi vero non niſi poſt annum a ſuſce- „ ptione poſtremi gradus minorum ordi- „ oum ad ſacros ordioes promoveantur, „ niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utili- „ tas, judicio Epiſcopi aliud expo- „ ſcat. „

Secunda: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Atqui non una probat experientia ordinationes, omiſſis interſtitiis, factas fuiſſe: Et probatur. Primo quidem exemplo D. Ambroſii, de quo ſic ſcribit Paulious in ejus vita num. 9. " Baptizatus fer- „ tur omnia Eccleſiaſtica officia impleſſe, „ atque octava die Epiſcopus ordioatus eſt „ ſumma cum gratia & lætitia cuncto- „ rum, quam quidem ordinatlonem Oc- „ cidentales Epiſcopi judicio, Orientales „ etiam exemplo probaverunt. „ Vel ipſe Ambroſius Epiſt. 63. novæ editionis ita de ſua ordinatione ſcribit. Rurſus aliquibus elapſis ad hac ordinatione annis Baſſianus Laudenſis Epiſcopus electus:" Cogen- „ te Clero & populo per ſingulos Eccleſia- „ ſticos gradus ad Sacerdotii dignitatem „ promovetur. „

Tertia: Tempus non ſpectat ordinationis eſſentiam: Igitur modo perſona electa ſit alias omoibus numeris abſoluta, poteſt cunctis initiari ordinibus: immo vel nos ipſi vidimus, eumdem Clericum intra quindecim dies Subdiaconatum, & Diaconatum accepiſſe io Diœceſi Nivernenſi ab illuſtriſſimo Domino Vallot loci Epiſcopo: nec deſunt alia exempla, quibus ex indulgentia, & neceſſitate premente aliquos quatuor Minores ſimul & Subdiaconatum eodem ordinationis tempore ſuſcepiſſe. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Superiores ordines, ut Presbyteratum, omiſſis inferioribus ordinibus & Subdiaconatu, Epiſcopus conferre poteſt.

Probatur ratione, eaque multiplici.

PRIMA: Concilium Sardicenſe can. 10. determinans quinam ordines ſumendi ſint, ut quis Epiſcopus inauguretur; exigit ſolum ut Lector Diaconus & Presbyter ſit: " Epiſcopus fieri dignus ha- „ beatur, non prius conſtituatur quam „ Lectoris & Diaconi, & Presbyteri Mi- „ niſterium peregit. „ Nec meminit tum

 alio-

aliorum inferiorum ordinum, tum ipſius Subdiaconatus. Ergo &c.

Secunda: Quod Eccleſia quandoque omittit, eſſentiale Ordini non eſt exiſtimandum: Atqui Eccleſia Orientalis ſæpius omittit in ordinationibus tres minores ordines, & ſolum confert Lectoratum, ut videre eſt in Græcorum ordinationibus apud Arcudium; nec tamen ſummi Pontifices, ubi actum eſt de reconciliatione Eccleſiæ Orientalis eum Latina, tum in Concilio Lugdunenſi poſtremo, tum & in Florentino Græcos de hoc arguerunt; immo uſus hic quondam etiam obtinuerat apud Gallos & Hiſpanos, ut conſtat ex Zoſimo Papa Epiſt. 1. ad Heſechium Salonitanum Epiſcopum: Ergo &c.

Tertia: Tempore Apoſtolorum nulli erant Miniſtri inferiores, immo ante Diaconorum inſtitutionem erant vere & Presbyteri & Epiſcopi: Igitur non requiritur abſolute inferiorum ordinum collatio; maxime eum omnes in Presbyteratu concludantur, nec ſint niſi Presbyteratus explicationes, cum & Diaconi officium, vel iſtis temporibus ipſe Sacerdos ſubeat, ubi deeſt Miniſtrorum copia, ut in villis & pagis.

CONCLUSIO TERTIA.

Epiſcopatus, omiſſo Presbyteratu, nuſquam potuit dari.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod prioribus ſæculis diſtricte prohibitum eſt, valide nequit fieri: Sed Concilium Sardicenſe ean. 10. 4. ſæculo adunatum hoc prohibet: Ergo &c. Porro Patres Sardicenſes, quorum plurimi adfuerant Concilio primo Nicæno, primorum ſæculorum de hoc momentu traditionem optime noverant.

Secunda: Tametſi duæ circumferantur opiniones circa Epiſcopatum, num ſit Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, vel non; in utraque tamen ſententia nullus poteſt, omiſſo Presbyteratu, Epiſcopus inaugurari: Ergo &c. Probatur Antecedens: Juxta divum Thomam Epiſcopatus non eſt Sacramentum, ſed ſolum Presbyteratus extenſio; Idem eſt de Papatu reſpectu Epiſcopatus, qui licet ſupra Epiſcopatum longe excellentior, non tamen dicitur Sacramentum. Igitur a fortiori nec Epiſcopatus. Rurſus Doctores Epiſcopatum inter Sacramenta annumerantes, illum a Presbyteratu non diſtinguunt. Igitur, iſto omiſſo, non poteſt exiſtere Epiſcopatus.

Tertia: Eo ipſo quo Diaconus Presbyter conſecratus eſt, habet Sacramentum ordinis completum: Igitur cum Presbyteratus ſit complementum ordinis, illo omiſſo, non compleretur ordo entitative: Igitur Diaconus, omiſſo Presbyteratu, valide ad Epiſcopatum non promoveretur.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Sed ex multis factis conſtat Diaconos non ſemel Epiſcopos fuiſſe inauguratos: Et probatur primo ex Cæleſtino I. Papa Epiſt. 2. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis; cap. 3. ait: " Ordinatos quoſdam *fuiſſe* Epiſcopos, qui nullis Eccleſiaſticis ordinibus ad tantæ dignitatatis faſtigium fuerint inſtituti contra patrum Decreta. " 2. Æneas Epiſcopus Pariſienſis, tom. 7. Spicilegii pag. 114. ſeribit Diaconos quondam, omiſſo Presbyteratu, conſecratos fuiſſe Epiſcopos: " De hoc, *inquit*, quod quæritur, quare apud Romam plerumque Diaconus quondam ſaltu, non percepta Presbyterali benedictione, in Epiſcopum ſubito conſecretur. " 3. Photius hoc ipſum exprobrat Latinis, quod inter eos abuſus iſte obrepſiſſet, ut ſcribit Nicolaus I. Nec deſunt qui affirment etiam poſt Photium malam iſtam conſuetudinem perſeveraſſe. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et facta laudata ſunt dubia, concedo: Et non ſunt, ſubdiſtinguo; hoc factum eſt per abuſum, concedo: eitra abuſum, nego. Nullum enim reperies, aut ſummum Pontificem, aut Concilium quod ſimili ordinationi conſenſerit, nam Cæleſtinus citatus non niſi per modum querimoniæ locutum fuiſſe conſtat.

Ad Photii auctoritatem, diſtinguo: Et in hoc grandi calumnia præ invidia infectatus eſt Latinos, quos propter ſuam

exau-

exauctorationem in ore habebat, concedo: Secus, nego. Sic propugnat Ratramnus Monachus Lib. 4. contra oppoſita Græcorum cap. 8. his verbis: " In ceteris, ,, *inquit*, ſibi demunt auctoritatem fidei, ,, quandoquidem in iſtis tam evidenter men- ,, tiuntur. ,,

Ne tamen impoſterum hujuſmodi dicteriis Latini ab æmulis laceſcerentur, a multis ſæculis prohibitum eſt, ne quiſquam ſub gravioribus pœnis, vel ipſis ordinibus inferioribus omiſſis, Presbyter ordinaretur, ut habetur in Concilio Sueſſionenſi, ubi diſceptata eſt cauſa Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis: " Judicatum eſt, *inquit*, ,, eum qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad ,, Sacerdotium proſilierit, in degradatio- ,, nem debitam reſilire debere. ,, Idem colligitur ex Alexandro ſecundo Papa apud Gratianum diſt. 52. ubi reſpondens Grimaldo Conſtantienſi, qui illum conſuluerat de clerico, qui omiſſo Subdiaconatu ad Presbyteratum promotus fuerat, num in ſuo ſtaret ordine? Reſpondet eum eſſe reordinandum: " Mandamus ,, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, ,, donec proximo quatuor temporum jeju- ,, nio Subdiaconatus miniſterium ſibi ,, recte imponas, & ſic deinceps ad ,, majora officia eum redire conce- ,, das. ,,

Innocentius III. cap. *unico* de Clerico per ſaltum promoto, in ſua ad Bononienſem Epiſcopum Decretali jubet Clericum abſque Diaconatu conſecratum Sacerdotem ordinare Diaconum: " Mandamus, *ait*, ,, quatenus condignam pœnitentiam pro ,, hujuſmodi negligentia injungas eidem, ,, qua peracta, quia non intelligitur itera- ,, tum quod factum eſſe neſcitur, ipſum ,, in Diaconum ordinare procures, & ſic ,, de miſericordia eumdem miniſtrare per- ,, mittas in ordine Sacerdotis. ,,

§. V.

De titulo ab Eccleſia expoſtulato, ut aliquis ad ſacros promoveatur Ordines.

SALOMON omnium Regum ſapientiſſimus a Deo, ſpretis omnibus, petiit ſapientiam, omnia bona ſe habere ratus, modo eam pro lumine & viarum ſuarum rectrice haberet, hanc etiam addidit deprecationem, ne, ſicut divitiis abundaret, ſic & nimia premeretur egeſtate, qua quidem vel ipſius diadematis ſplendor in contemptum principis obſcuratur.

Eccleſia ſancte gubernata Spiritu hunc a Clericis defectum ſemovere ſatagit tituli ope & efficacia, ne vani homines terrena magis quam cæleſtia inhiantes, Sacerdotem pauperem flocci faciant: quocirca de victu & veſtitu eis providere curavit, ut unuſquiſque vas ſuum ſeu perſonam charactere Chriſti inſignitam cum honore gerere queat.

De titulo varia quæruntur, videlicet quid ſit? Quænam Eccleſiæ circa iſtud momentum praxis? Quinam impræſentiarum uſus?

Primo: Titulus eſt jus ad bona quædam temporalia percipienda, quibus Clericus vitam honeſte ſuſtentare queat. Duplex diſtingui poteſt, videlicet laicus unus, & alter Eccleſiaſticus. Prior eſt jus ad bona jure hæreditatis, vel emptionis ſibi concredita, quorum uſu abſque negotio & ſolicitudine anxia neceſſaria vitæ ſovendæ & alendæ quiſque habet, puta ſi quis habeat ex fundo avito centum nummos aureos annui & perpetui cenſus ſeu reditus: poſterior eſt jus ad bona Eccleſiæ propter officium & famulatum, ut Præbenda, & dicitur Beneficium.

Secundo: Neque prætermittendum eſt juxta antiquos canones vi ordinationis poteſtati, & juriſdictioni Epiſcopi clericum ſic fuiſſe mancipatum, ut nec intra, nec extra Diœceſim quidquam invito, vel inſcio Prælato tentare poſſet; inde ſequebatur Clericum Eccleſiæ in qua conſecrabatur ſic alligatum fuiſſe, ut in ea ſua exhibere officia teneretur; ex illa vero reſidentia illoque famulatu Clericus jus habebat ad portionem bonorum, quæ ad vitam, ſicut decet Eccleſiæ Miniſtrum, ſuſtentandam ſufficeret; quod quidem jus nomine beneficii celebratum eſt, & ad præſentem uſque diem celebratur.

Tertio: Mille annorum ſpatio nullus citra titulum Eccleſiaſticum ordinabatur; nec ulli ad aliam Eccleſiam tranſmeare licitum erat. Sic expreſſe ſtatuit Leo Magnus Epiſt. 86. ſic Concilium Arelatenſe can. 2. & 21. Sic Francofurtenſe ann. 794. can. 28. his verbis: " De Cleri- ,, cis, ut nequaquam de Eccleſia ad aliam Eccleſiam tranſmigrent, neque re- ,, cipiantur ſine conſcientia Epiſcopi ,, & li-

„ & litteris commendatitiis, de cujus „ Diœceſi fuerunt.„ Mos iſte perſeverabat adhuc tempore Concilii Placentini an. 1085. Nonnulla tamen erat exceptio, nimirum pro iis qui ea ſolum conditione ordinationem acceptabant, ut Eccleſiæ, in qua conſecrationem accipiebant, non adſcriberentur, ut conſtat de S. Hieronymo, qui ea lege conſenſit Sacerdotem ordinari a Paulino Epiſcopo Antiocheno, ut ejus non deputaretur Eccleſiæ.

Quarto: Elapſo undecimo ſæculo, uſus abſque titulo Eccleſiaſtico Clericos ordinandi ceſſare cœpit: cui defectui occurrere volens Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. Papa ann. 1176. celebratum, prohibuit ne Epiſcopi quemquam ſine certo titulo ordinarent, cujus defectu ipſi neceſſaria ad vitam alendam ſuppeditare tenerentur; niſi ordinati ex patrimonio poſſent vivere; qua clauſula titulus laicus vim cœpit habere, ita ut, illo habito, non requireretur Eccleſiaſticus, ſeu beneficium. Sic loquitur cap. 5.“ Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo „ neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum, „ vel Presbyterum ordinaverit: tandiu neceſſaria ei ſubminiſtret, donec „ in aliqua ei Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ clericali aſſignet. Niſi forte „ talis qui ordinatur, extiterit, qui de ſua „ vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ „ poſſit habere. „

Quinto: Uſus nunc obtinet, ut Clerici moribus probis inſtituti ad ſacros promoveantur ordines, modo titulum vel Eccleſiaſticum, vel ſaltem Laicum pro vita foventa ſufficientem habeant. Sic ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſ. 21. de ref. cap. 2.

Decretum pro Titulo.

“ CUM non deceat eos, qui divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere; compertumque „ ſit, complures pleriſque in locis ad ſacros „ ordines nullo fere delectu admitti, qui „ variis artibus ac fallaciis confingunt ſe „ beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam „ idoneas facultates obtinere: ſtatuit S. „ Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate ad ſacros ordines promoveatur, niſi prius legitime „ conſtet eum, beneficium Eccleſiaſticum, „ quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, „ pacifice poſſidere. Id vero beneficium „ reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit „ promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere „ commode poſſit: Et aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium vero, vel „ penſionem obtinentes ordinari poſthac „ non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel „ commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo „ quoque prius perſpecto, patrimonium „ illud, vel penſionem vere ab ei obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam „ ſuſtentandam ſatis ſint, atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint; donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens „ ſint adepti, vel aliunde habeant, unde „ vivere poſſint. Antiquorum canonum „ pœnas ſuper his innovando. „

SYNOPSIS SECTIONIS.

PRIMO: Tonſura Clericalis requiritur ut præparatio ad ordines, & hoc ipſum jus canonicum docet.

Secundo: Inter diſpoſitiones ad ſacramentum Ordinis ſuſcipiendum requiritur examen, ut probetur, num perſona ſit digna. Item & electio, cui accedebat plebis ſuffragium, ne exoſi in deſtructionem Eccleſiæ & ſcandalum ordinarentur. Quocirca multos propter defectus tum animæ, tum corporis ab ordinationibus propelli ſtatutum eſt.

Tertio: Quædam etiam interſtitia appoſita ſunt inter majores & minores ordines ſuſcipiendos, ut gradatim Clerici ad majores ordines aſcenderent, tum etiam ut prius in ſuis reſpective ordinibus exercerentur. Concilium Tridentinum Seſſ. 23. cap. 11. & 12. determinat interſtitiorum tempus, quæ gradatim ſubeunda ſunt, ab uno ordine ad alterum.

Quarto: Eccleſia tamen poteſt diſpenſare in interſtitiis, ut Paulinus Diaconus refert de ſancto Ambroſio, qui inter octo circiter dies inferioribus, & ſupremis ordinibus initiatus eſt. Immo, quibuſdam inferioribus ordinibus omiſſis, Clericus poteſt ordinari Presbyter, quandoquidem

Digitized by Google

dem Eccleſia Orientalis ſolum retinet Lectoratum. Non idem dicendum de Epiſcopatu, qui omiſſo presbyteratu, nuſquam valide conferretur; namque Epiſcopatus eſt juxta omnes Theologos cujuſcumque ſententiæ ordo a Presbyteratu entitative indiſtinctus.

Quinto: Eccleſia recte exigit in ordinando titulum, ne Miniſtri paupertas in Sacerdotii contemptum & dedecus convertatur.

Incaſſum proponerentur quædam facta, contra Ordinum gradus, cum ſint incertæ fidei, vel ſaltem ut meri abuſus ventilentur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ritibus ſacrarum Ordinationum.

SOLEMNITAS Ordinationis Sacerdotum ortum habet ab antiqua lege, in qua, præcipiente Deo, Aaron & Filii ejus, ut habetur Levitici 8. magno cæremoniarum apparatu ordinati ſunt. Aaron quidem per infuſionem olei, Levitæ vero per aſperſionem, tum ſpecialibus, & magnificis veſtibus induti ſunt. Sic enim habetur: Moyſes: *Obtulit Aaron & filios ejus; cumque laviſſet eos, veſtivit Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica byacinthina, & deſuper humerale impoſuit, quod aſtringens cingulo aptavit rationali, in quo erat doctrina & veritas. Cidari quoque texit caput: & ſuper eam, contra frontem, poſuit laminam auream conſecratam ...... Tulit & unctionis oleum..... quod fundens ſuper caput Aaron unxit eum, & conſecravit, filios quoque ejus oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit balteis, impoſuitque mitras ..... obtulit & arietem ſecundum in conſecratione Sacerdotum: poſueruntque ſuper caput ejus Aaron & filii ejus manus ſuas, quem cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine ejus tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus ejus dextræ, ſimiliter & pedis. Obtulit & filios Aaron: cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum.*

In nova lege non minori ſolemnitate Miniſtri altaris conſecrantur. In eorum Ordinationibus tria potiſſimum enucleanda ſunt: videlicet tempus quo fiunt; tum loca in quibus faciendæ ſunt; ac demum modus ipſe quo fiunt.

§. I.

De Tempore.

QUATUOR circa tempus conſideranda ſunt; ſcilicet annus, menſis, dies, immo & hora.

Gelaſius Epiſt. 9. ad Epiſcopos per Brutios & Lucaniam conſtitutos cap. 11. de his momentis ſic loquitur: " Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent; id eſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi; ſed etiam quadrageſimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, die Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas. " Subſcribit Gregorius Papa II. Epiſt. 4. ad Clerum plebemque Thuringiæ: concinunt antiqui libri Pontificales manuſcripti.

Quidam ſuſpicantur vel ante ipſum Gelaſium quatuor anni tempora fuiſſe pro ſacris Ordinationibus aſſignata. Quidquid ſit, citra dubium eſt ipſo Leonis Magni tempore, ſic fuiſſe, ut indicant iſta S. Papæ verba: " Quarta igitur & ſexta feria jejunemus. Sabbato autem apud beatum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus. " Hæc de Diaconatu & de Presbyteratu intelligenda veniunt. His ſucceſſit Subdiaconi Ordinatio ante annos circiter 900. ut conſtat ex antiquis Pontificalibus & Sacramentorum libris Egberti, ex Gellonenſi, Regio & Noviomenſi: quatuor vero Minores & Epiſcopatus quolibet tempore ad hæc uſque tempora collati ſunt.

Statuta ſacrarum Ordinationum tempora tanta religione obſervarunt Antiqui, ut S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, qui defectu ſacrorum Miniſtrorum, urgente neceſſitate, hanc obſervare legem non potuerat, indulgentiam a Sede Apoſtolica expetere non dubitaverit, ut liquet ex Epiſt. 12. Zachariæ Papæ ad ipſum directa.

Gelaſius modo laudatus aſſignat ſabbatum pro conſecrationis die, & hoc ad veſperam. Concinit S. Leo Epiſt. 10. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ: " Non paſſim, *inquit*, ſed die legitimo Ordinatio

„ celebretur: nec ſibi conſtare ſtatus ſui
„ noverit firmitatem, qui non die ſab-
„ bati veſpere, quod luceſcit in prima ſab-
„ bati, vel ipſe die Dominico fuerit or-
„ dinatus. Nunc uſus obtinuit Ordinationes majores, ſcilicet Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri celebrari die ſabbati mane quatuor temporum, initio, & ſub finem Quadrageſimæ.

§. II.

De loco ſacrarum Ordinationum.

PRIORIBUS ſæculis, ſæviente mundo & diabolo adverſus Eccleſiam, non erant determinata loca. Sed, pace Eccleſiæ reddita, in medio Eccleſiæ conſecrati ſunt Miniſtri, ut docet Theophilus Alexandrinus Epiſcopus in commonitorio can. 6. quo jubet ut conſecrandus Pontifex:
“ Ordinet in media Eccleſia, quia, *in-*
„ *quit*, Eccleſia pacem habente, decet
„ præſentibus Sanctis Ordinationes pro
„ Eccleſiis fiant. „

Græci, Epiſcopatum, Presbyteratum, Diaconatum in ſanctuario ante altare conferunt, inferiores vero Miniſtros Subdiaconos, & Lectores extra ſanctuarium in Diaconico, vel longe ab altari ad portam Templi ſpecioſam ordinant, ut ſubnotat Morinus de Ordinationibus. Eamdem conſuetudinem viguiſſe quondam in Eccleſia Latina ſcribit Amalarius Lib. 2. de divinis officiis cap. 6.

Demum, ſi de Epiſcopis loquamur, certum eſt de more antiquo debuiſſe in propria ſua Eccleſia conſecrari, ut colligitur ex Concilio 3. Romano ſub Bonifacio II. Papa, & Aurelianenſi IV. can 5. vel etiam in Metropolitana Eccleſia. Hoc ipſum ante annos circiter 400. in Turonenſi Metropoli obſervabatur. Obſerves tamen de via extraordinaria, Ordinationes poſſe fieri in privatis locis; non enim ſemel ſolitarii ſic ordinati ſunt Presbyteri, ut ſcribit Theodoretus in Philothei cap. 3. 13. & 19.

§. III.

Modus ſeu ritus ſacrarum Ordinationum.

QUONIAM jam multus ſermo fuit in ſecunda parte hujus tractatus de ſacris Ordinationibus, maxime de iis quæ a Græcis aliiſque Orientalibus ſiunt, ſufficit unum aut alterum Ritum Latinum hic texere.

ORDO I.

Ex Pontificali MS. Cadurcenſi ab annis 800. *exarato, & in Bibliotheca Colbertina n.* 6170. *aſſervato.*

Incipit ordo de ſacris Ordinibus benedicendis.

PSALMISTA, *id eſt Cantor poteſt abſque licentia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dante ei Presbytero, vel potius Epiſcopo antiphonarium in manus dicente ſibi:* “ Vide ut quod ore cantas,
„ corde credas; & quod ore credis,
„ operibus probes. „

Ordinatio Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, & Acolythi eadem quæ in S. Gregorii Sacramentorum libro edito a Menardo pag. 232. *ſed in Ordinatione Oſtiarii hic traditi ei Epiſcopus claves* de altari. *In Ordinatione Lectoris, pro* ſpectante plebe, *legitur*, expectata plebe. *In Ordinatione Acolythi deſiderantur iſta verba:* “ Accipite geſtato-
„ rium, &c. „

Qualiter ordinatur Subdiaconus in Romana Eccleſia.

Cap. S. Gregorii Papæ.

SUBDIACONUS *cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum, de manu vero Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium. Exhibeatur in conſpectu Epiſcopi patena & calix vacuus, & dicat Epiſcopus.*

“ *Accipite* & videte cujus miniſterium
„ vobis traditur: Et ideo ſi uſque nunc
„ fuiſtis tardi ad Eccleſiam, amodo de-
„ betis eſſe aſſidui; ſi uſque nunc ſomno-
„ lenti, amodo vigiles; ſi uſque nunc
„ ebrioſi, amodo ſobrii; ſi uſque nunc
„ inhoneſti, amodo caſti; oblationes
„ quæ veniunt in altare, panes propoſi-
„ tionis appellantur. De ipſis oblationi-
„ bus tantum debet in altari poni, quan-
„ tum populo juſſit ſufficere, ne aliquid
„ putridum in ſacrario remaneat. Pallæ

„ quæ

„ quæ ſunt in ſubſtratorio in alio vaſe debent lavari, in alio corporales pallæ. „ Ubi pallæ corporales lavatæ fuerunt, „ nullum linteamen ibidem aliud debet „ lavari: Et ipſa aqua in Baptiſterio debet „ mergi. Ideo vos admoneo tales vos exhibere ut Deo placere poſſitis. „

Tradat ei calicem & patenam.

Ordinatio Subdiaconi.

OREMUS Deum ac Dominum noſtrum, „ ut ſuper ſervum ſuum ill. &c. *ut in ſacramentario ſancti Gregorii Papæ.*

Benedictio Subdiaconi.

Domine, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris, &c. *ut in ſacrament. ſancti Greg.*

Huc uſque quartus gradus.

Incipit ſermo Innocentii Papæ de ſeptem gradibus Eccleſiæ ordinandis.

“ *Hæc* autem ſingulis in gradibus obſervanda ſunt tempora. Si ab infantiæ Eccleſiaſticis miniſteriis noſtra dicerit exempla, & inter Lectores uſque in vigeſimum annum continua obſervatione perduraverit. Exinde ſi majori ætate jam acceſſerit, ita tamen ut poſt Baptiſmum ſtatim ſe divino cultui mancipare deſiderat, & ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinque annis teneatur. Et tunc Catholicus ſive Subdiaconus quatuor annis ſit, & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi mereatur, accedat: in quo ordine quinque annis ſi inviolabiliter vixerit, hærere debet, ut melius inveniat. Exinde ſuffragantibus meritis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, ſi acutior vita illum ad bonos mores perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit. Hac tamen lege ſervata: neque bigamus, neque revertens, ſive pœnitens a maximis criminibus ad hos gradus poſſit admitti: Alioquin defenſores Eccleſiæ, qui ex Laicis fiunt unius viri, ſi in ſupradicta obſervatione teneantur, & ſi vita, & ſi moribus, & ſcientia Scripturarum meruerit, in ordine Clericatus admitti debet.

Ordinatio Diaconi.

Diaconi cum ordinantur, ſolus Epiſcopus qui eos benedicit, manum ſuper capita illorum ponat, & dicat: Reliqui vero Sacerdotes juxta manum Epiſcopi, capita ut illorum tangant: quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur.

Ad ordinandum Diaconum.

Oremus, Dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum, &c. *ut in Sacramentario ſancti Gregorii Papæ.*

“ *Exaudi*, Domine, preces noſtras, &c. „ *ut in Sacr. ſancti Greg.*

“ *Domine*, Deus omnipotens, preces „ noſtras clementer exaudi, ut quæ noſtro ſunt gerenda ſervitio, tuo benignus proſequaris auxilio; & quos ſacris „ myſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione juſtifices.

Conſecratio.

Adeſto, quæſumus, omnipotens Deus, honorum dator, &c. *ut in Sacr. ſancti Greg.*

Hic induuntur ſtolis ad conſummandum Diaconatus officium.

Commune votum permaneat, communis oratio proſequatur, &c. *ut in Sacr. ſancti Greg.*

Domine ſancte, ſpei, fidei, gratiæ & profectuum munerator, &c. *ut in Sacr. ſancti Greg.*

Oratio ad ſtolas vel planetas benedicendas, quando Levitæ ſeu Presbyteri ordinandi ſunt, aut ordinati quidem eſſe reperiantur.

“ *Deus* invictæ virtutis trimphator, & „ omnium rerum Creator ac Sanctificator; intende propitius preces noſtras; „ & has ſtolas ſive planetas leviticæ ac „ ſacerdotalis gloriæ Miniſtris tuis fruendas proprio ore benedicere ac ſanctificare, conſecrareque digneris, omneſque eis utentes, tuiſque miniſteriis a „ nobis indignis conſecratis vel conſecrandis aptos, & tibi in eis devote & „ amabiliter ſervientes, gratos efficere „ concedas, & nunc & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea

Poſtea imponet ſtolam ſuper collum Levitæ dicens hanc orationem.

" *In* nomine ſanctę Trinitatis, & uni-
,, cæ divinitatis, accipe ſtolam quam ti-
,, bi Dominus per humilitatis noſtræ fa-
,, mulatum, & per manus noſtras acci-
,, piendam præparavit, per quam ſcias ſar-
,, cinam Domini Dei tui cervicibus tuis
,, impoſitam, & humilitatem, atque in
,, adminiſtrationem te eſſe connexum, &
,, per quam te cognoſcunt fratres tui Mi-
,, niſtrum Dei eſſe ordinatum, ut qui in
,, Diaconatus miniſterio es conſtitutus,
,, leviticæ benedictionis ordine clare-
,, ſcas, & ſpirituali converſatione præ-
,, fulgens, gratia ſanctificationis clare-
,, ſcas: Sed & in Chriſto Jeſu ſtabilis
,, perſeveres ac firmus, quatenus hoc quod
,, per hanc ſtolam ſignificatur in die di-
,, ſtricti judicii ante tribunal Domini ſi-
,, ne macula repræſentari valeas, ipſo
,, auxiliante cui eſt honor & gloria in
,, ſæcula ſæculorum.

Ordinatio Presbyterorum.

Presbyteri cum ordinantur, Epiſcopus allocutionem faciat ad plebem ſicut ſupra. Et intervallo facto, incipiant litaniam. Hac expleta, manum ſuper capita eorum ponat, necnon & circumſtantes Presbyteri manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſupra capita illorum teneant: Et dicat Epiſcopus orationes duas has.

Oremus, dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, &c.

Exaudi, Domine, preces noſtras, &c. *ut in Sacr. ſancti Greg.*

Hic mutat ſtola.

Conſecratio.

Domine, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, munerum auctor & diſtributor omnium dignitatum &c. *ut in Sacr. ſancti Greg.*

Benedictio & conſecratio manuum Sacerdotis. Ante unctionem.

Benedic, Domine, & ſanctifica has manus Sacerdotis N. ad conſecrandas hoſtias, quæ pro delictis & negligentiis populi offeruntur, & ad cetera benedicenda, quæ ad uſus populi neceſſaria ſunt; & præſta quæſumus, ut quæcumque benedixerint, benedicantur; & quæcumque ſacraverint, ſacrentur, Salvator mundi, qui vivis & regnas, &c.

Conſecratio manuum de oleo & chriſmate.

Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus, Domine, de oleo ſancto, & ſanctificentur per iſtam unctionem, ſanctamque benedictionem, ut quæcumque benedixerint, benedicta ſint, & quæcumque ſanctificaverint, ſanctificata permaneant. Per &c.

Conſecratio capitis cum oleo.

Ungatur & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione in ordine ſacerdotali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Hic veſtiantur caſulis.

" *Benedictio* Dei Patris, & Filii, &
,, Spiritus ſancti, deſcendat ſuper te, &
,, hac ſacerdotali veſte indutus, prote-
,, ctus & munitus eſſe valeas ab omnibus
,, impugnationibus malignorum ſpirituum,
,, & ſis benedictus, & offeras hoſtias pla-
,, cabiles pro peccatis atque offenſionibus
,, populi omnipotenti Deo, cui eſt honor
& gloria. ,,

Benedictio Presbyterorum.

" *Sit* vobis communis oratio, fratres,
,, ut hic qui in adjutorium & utilitatem
,, veſtræ ſalutis eligitur, Presbyteratus
,, benedictionem divini muneris indul-
,, gentia conſecratur, & ſancti Spiritus
,, ſacerdotalia dona privilegio virtutum
,, ne impar loco deprehendatur, obti-
,, neat. ,,

Alia.

Deus, ſanctificationum omnium auctor,
,, cujus vera conſecratio plena benedictio
,, eſt, ſuper hunc famulum tuum N.
,, quem ad Presbyterii honorem ad N.
,, Eccleſiam dedicamus, gratiam tuæ be-
,, nedictionis infunde, ut gravitate actuum
,, probet ſe eſſe omnium ſeniorem his

,, inſti-

„ inſtitutis diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus inſtituit, ut in lege tua „ omnipotens Deus, die ac nocte meditans, quod legerit, credat; quod crediderit, doceat; & quod docuerit, imitetur. Juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendat, „ probet, admonitione confirmet; ut purum atque immaculatum myſterii donum cuſtodiat, & per obſequium plebis „ tuæ corpore & ſanguine Filii tui, immaculata benedictione transformetur ad inviolabilem charitatem, & in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis „ Chriſti, in die juſti & æterni judicii, „ conſcientia pura, fide plena, Spiritu „ ſancto plenus appareat, te largiente; „ qui vivis, &c.„

In ordinatione Pontificis incipit ordo.

Antiqua SS. Patrum inſtitutio, &c. ut infra ordine ſequenti. Ita quoque examinatus, & plene inſtructus cum conſenſu Clericorum & Laicorum ac conventu totius Provinciæ Epiſcoporum, maxime Metropolitani, vel auctoritate, aut præſentia ordinetur.

Ordinatio Epiſcopi.

Epiſcopus cum ordinatur, primo progreditur Domnus Metropolitanus cum cuncto Clero ad Eccleſiam, ubi ipſam fieri vult ordinationem. Veniens autem ante altare, mox ut vult indicat Cantori, & mox incipit ad introitum, Congregate illi, *vel* Benedicat hodie Deus; *cum Pſalmo*, Deus deorum, & gloria. *Cumque introitum finierit, non dicatur* Kyrie eleiſon, *ſed Domnus Metropolitanus dicit.* Gloria in excelſis Deo, *&* Pax vobiſcum: *Et duo Epiſcopi teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ejus & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, manibus ſuis caput ejus tangant.*

Benedictio Epiſcoporum.

Oremus, dilectiſſimi nobis, ut huic viro ad utilitatem Eccleſiæ provehendo, benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per.

Alia.

Adeſto ſupplicationibus noſtris, &c.

Alia.

Propitiare, &c. *ut in Sacram. ſancti Greg.*

Conſecratio Epiſcopi.

„ *Deus*, honorum omnium, Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ ſacris „ famulantur Ordinibus: Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris „ afflatu inter cetera cæleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti ſacerdotali inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra „ juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de „ exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli „ deeſſet ætati. Cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies „ obtineret, apud nos certiora eſſent „ experimenta rerum quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus noſtræ mentis ornatus „ eſt, & Pontificalem gloriam non jam „ nobis honor commendat veſtium, ſed „ ſplendor animarum: quia & illa quæ „ tum carnalibus blandiebantur obtutibus, „ ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant, & proinde huic famulo „ tuo, quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc, quæſumus, Domine, gratiam largiaris; ut quicquid „ illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis „ varietate ſignabant, hoc in ejus moribus actibuſque clareſcat. Comple Domine in Sacerdote tuo, myſterii tui „ ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum, eum cæleſtis unguenti flore ſanctifica. Hoc, Domine, „ copioſe in ejus caput influat, hoc in oris „ ſubjecta decurrat, hoc in totius corporis „ extrema deſcendat, ut tui ſpiritus, vel „ interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat: Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. „ Sint ſpecioſi munere tuo pedes ejus ad „ evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, myſterium reconciliationis in verbis, & factis, & vir-

,, & virtutibus, & ſignis, & prodigiis.
,, Sit ſermo ejus & prædicatio non in
,, perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtute. Da ei, Domine, claves regni cœlorum; utatur, nec glorietur poteſtate quam tribuis in ædificationem, & non in deſtructionem; quodcumque ligaverit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolverit ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerit peccata, detenta ſint; & quorum dimiſerit, tu dimittas. Qui benedixerit ei, ſit benedictus; & qui maledixerit ei, maledictionibus repleatur. Sit fidelis ſervus & prudens, quem conſtituat Dominus ſuper familiam tuam, ut des illis cibum in tempore neceſſario, & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit ſolitudine impiger, ſit ſpiritu fervens, oderit ſuperbiam, diligat veritatem, nec eam umquam deſerat, aut laſſitudine aut timore ſuperatus non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem. Non dicat bonum malum, nec malum bonum. Tribuas ei, Domine, cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam tuam, plebem univerſam. Sis ei auctoritas, ſis ei firmitas, ſis ei poteſtas. Multiplices ſuper eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam miſericordiam tuam tuo ſemper munere idoneus, tua gratia poſſit eſſe devotus. Per &c. ,,

Conſecratio manuum.

,, *Unguantur* manus iſtæ, & ſanctificentur, & in te Deo deorum ordinentur. Unguo has manus oleo ſanctificato, & chriſmate unctionis purificato, ſicut unxit Moyſes verbo oris ſui manus ſancti Aaron germani ſui: Et ſicut unxit Spiritus ſanctus per ſuos flatus manus ſuorum Apoſtolorum, ita unguantur manus iſtæ, & ſanctificentur, & conſecrentur, ut in omnibus ſint perfectæ in nomine tuo Pater, Filiique tui, atque æterni Spiritus ſancti, qui es unus & ſummus Deus omnium, vivorum & mortuorum, manens in ſæcula ſæculorum. ,,

Modo mittendum eſt oleum ſuper caput ejus.

,, *Unguatur* conſecretur caput tum cæleſti benedictione in ordinem Pontificalem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

,, *Pax* tibi. Et cum ſpiritu tuo. ,,

Cum datur baculus.

,, *Accipe* baculum Paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitiis ſæviens, in ira judicium ſine ira tenens: cum iratus fueris, miſericordiæ reminiſcens. ,,

Hic datur annulus. Sequitur.

" *Accipe* annulum Pontificalis honoris, ut ſis fidei integritate munitus. ,,

Oratio ad Pontificem ordinandum, quæ addi debeat in conſecratione.

,, *Deus* honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur Ordinibus. Deus qui Moyſen famulum tuum, &c. *uſque quod ait*. Et idcirco huic famulo tuo N. quem Apoſtolicæ Sedis Præſulem & Primatum omnium qui in orbe terrarum ſunt, Sacerdotum, ac univerſalis Eccleſiæ tuæ Doctorem dediſti, & ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti: Hanc, quæſumus, Domine, gratiam largiaris, tribuas cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Per &c. ,,

Modo mittendus eſt in cathedra Epiſcopali ita dicens.

Omnipotens Pater, ſancte Deus æterne, &c. *ut ſupra in Pontificali Egberti.*

Alia.

" *Domine* Jeſu Chriſte, tu præelegiſti, &c. *ibid.*

Benedictio ejuſdem Sacerdotis.

Populus te honoret, &c. *ibid.*

O R-

ORDO II.

Ex MS. Pontificali Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. quod uſui fuit Radbodo Epiſcopo.

Incipit ordo vel examinatio in ordinatione Epiſcopi.

" ANTIQUA SS. Patrum inſtitutio docet & præcipit, ut is qui ad Ordi-
" nem Epiſcopatus eligitur, maxime ut
" legimus in canone Carthaginenſi, antea
" diligentiſſime examinetur cum omni
" charitate de fide ſanctæ Trinitatis, & in-
" terrogetur de cauſis & moribus, quæ
" huic regimini congruunt, & neceſſaria
" ſunt retineri ſecundum Apoſtoli dictum:
" Manus nemini cito impoſueris, & ut
" etiam is qui eſt ordinandus antea eru-
" diatur qualiter ſub hoc regimine con-
" ſtitutum oporteat converſari in Eccle-
" ſia Dei, ut inexcuſabiles ſint qui ei ma-
" nus ordinationis imponunt. Eademque
" auctoritate & præcepto interrogemus
" te, dilectiſſime frater, charitate ſincera,
" ſi omnem prudentiam tuam, quantum
" tua capax eſt natura, divinæ Scripturæ
" ſenſibus accommodare volueris. "

Reſponſio: " Ita ex toto corde volo in om-
" nibus obedire & conſentire. "

Interrogatio: " Vis ea quæ ex divinis Scri-
" pturis intelligis, plebem cui ordinandus
" es, & verbis docere & exemplis? *Re-*
" *ſpondit*, Volo. "

" *Vis* mores tuos ab omni malo tempe-
" rare, & quantum poteris Domino adju-
" vante, ad omne bonum commutare? *Re-*
" *ſpondit*, Volo. "

" *Vis* caſtitatem & ſobrietatem cum Dei
" auxilio cuſtodire, & docere? *Reſpondit*,
" Volo.

" *Vis* ſemper in divinis eſſe negotiis man-
" cipatus, & terrenis negotiis vel lucris
" turpibus eſſe alienus, quantum te huma-
" na hæc fragilitas conſentiat poſſe? *Re-*
" *ſpondit*, Volo. "

" *Vis* humilitatem & patientiam in te-
" metipſo cuſtodire, & alienos ſimiliter
" docere? *Reſpondit*, Volo. "

" *Pauperibus* & peregrinis omnibus in-
" digentibus vis eſſe propter nomen Do-
" mini affabilis & miſericors? *Reſpondit*,
" Volo. "

Et dicatur ei: " Hæc omnia & cete-
" ra bona retribuat tibi Dominus & cuſto-
" diat te, atque corroboret in omni bono.
" *Et reſpondeant omnes*: Amen.

" *Credis* ſecundum intelligentiam tuam
" & capacitatem ſenſus tui ſanctam Tri-
" nitatem, Patrem, & Filium, & Spi-
" ritum ſanctum, unum Deum omnipo-
" tentem, totamque in Trinitate deita-
" tem coeſſentialem, & conſubſtantialem,
" coæternam & coomnipotentem, uniuſ-
" que voluntatis, poteſtatis & majeſtatis,
" Creatorem omnium creaturarum, a quo
" omnia, per quem omnia, in quo om-
" nia quæ ſunt in cœlo & in terra, vi-
" ſibilia & inviſibilia & ſpiritualia? *Re-*
" *ſpondit*: Aſſentio & ita credo. "

" *Credis* ipſum Filium Dei, Verbum
" Dei, æternaliter natum de Patre, con-
" ſubſtantialem, omnipotentem & æquum
" per omnia Patri in divinitate tem-
" poraliter natum de Spiritu ſancto, &
" Maria ſemper Virgine, cum anima ratio-
" nali, duas habentem nativitates; unam
" ex Patre æternam, alteram ex matre
" temporalem, Deum verum, & homi-
" nem verum, proprium in utraque natura,
" atque perfectum, non adoptivum, nec
" phantaſticum, unicum & unum Filium
" Dei in duabus naturis, ſed in unius per-
" ſonæ ſingularitate, impaſſibilem & im-
" mortalem divinitate, ſed in humanita-
" te, pro nobis & pro ſalute noſtra paſſum
" vera carnis paſſione, & ſepultum, &
" reſurgentem a mortuis tertia die vera
" carnis reſurrectione, die xl. poſt reſurre-
" ctionem cum carne qua reſurrexit & ani-
" ma aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad
" dexteram Patris; inde venturum judica-
" re vivos & mortuos, & reddentem uni-
" cuique ſecundum opera ſua, ſive bona
" fuerint, ſive mala? *Reſpondit*, Aſſentio,
" & per omnia credo. "

" *Credis* & jam Spiritum ſanctum hunc
" plenum & perfectum, verumque Deum
" a Patre & Filio procedentem, coæqua-
" lem, & coeſſentialem, coomnipoten-
" tem, & coæternum per omnia Patri,
" & Filio? *Reſpondit*, Credo. "

" *Credis* hanc ſanctam Trinitatem, non
" tres Deos, ſed unum Deum omnipoten-
" tem, æternum, inviſibilem, & incom-
" mutabilem? *Reſpondit*. Credo. "

" *Credis* ſanctam, catholicam, & apo-
" ſtolicam unam eſſe veram Eccleſiam, in
" qua

„ qua unum datur Baptiſma , & vera „ omnium remiſſio peccatorum? *Reſpondit*, Credo. „

„ *Anathematizas* etiam omnem hæreſim extollentem ſe adverſus hanc ſanctam Eccleſiam catholicam? *Reſpondit*, Facio. „

“ *Credis* etiam veram reſurrectionem „ ejuſdem carnis, quam nunc geſtas, & „ vitam æternam? *Reſpondit*, Credo. „

„ *Credis* etiam novi & veteris Teſtamenti, legis & Prophetarum, & Apoſtolorum unum eſſe Auctorem Deum & „ Dominum omnipotentem? *Reſpondit*, Credo. „

„ *Hæc* tibi fides augeatur à Domino ad „ veram & æternam beatitudinem, dilectiſſime frater in Chriſto? *Et reſpondeant omnes*, Amen. „

Qualiter ordinetur Epiſcopus in Roma.

Epiſcopus cum ordinatur, primo progreditur Domnus Metropolitanus &c. ut in primo ordine.

Benedictio Epiſcoporum.

“ *Adeſto* ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. „

Alia.

“ *Propitiare*, Domine, ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc „ famulum tuum cornu gratiæ ſacerdotalis, benedictionis tuæ in eo funde virtutem. Per Dominum noſtrum Jeſum „ Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti, „ per omnia ſæcula ſæculorum. „

“ *Dominus* vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo. „

“ *Surſum* corda. R. Habemus ad Dominum. „

“ *Gratias* agamus Deo noſtro. R. Dignum & juſtum eſt. „

“ *Vere* dignum & juſtum eſt, æquum „ & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique „ gratias agere, Domine ſancte Pater „ omnipotens, æterne Deus, honorum „ omnium, Deus omnium dignitatum „ &c. „ *ut in primo.*

Super oblata.

“ *Hæc* hoſtia, Domine, quæſumus „ emundet noſtra delicta, & ſacrificium „ celebrandum ſubditorum tibi corpora, „ menteſque ſanctificet. Per, &c. „

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quam & tibi offerimus, etiam pro famulo tuo N. quem ad Epiſcopatus ordinem promovere dignatus es; quæſumus Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona cuſtodias, ut quod divino munere conſecutus eſt, divinis effectibus exequatur, dieſque noſtros..

Ad complendum.

“ *Hæc* nos communio, Domine, purget a crimine, & cæleſtis remedii faciat „ eſſe conſortes, Per Dominum, &c.

Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero.

“ *Vide* ut quod ore cantas, corde credas, & quod ore credis, operibus probes. „

Ordinatio Oſtiarii.

Oſtiarius cum ordinatur ab Archidiacono inſtruatur, qualiter in domo Dei debeat converſari pro miniſtratione ejus.

Præfatio Oſtiariorum.

“ *Deum* Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecamur, ut hos famulos ſuos „ NN. benedicere dignetur, quos ad officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt, „ ut ſit ei fideliſſima cura in diebus & noctibus, ad diſtinctionem horarum certarum, ad invocandum nomen Domini, „ adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, „ qui cum eo vivit, & regnat Deus in „ unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ore-

Oremus. *Diaconus*. Flectamus genua. Levate.

" *Domine* ſancte, Pater omnipotens, ,, æterne Deus, benedicere digneris hos ,, famulos tuos NN. Oſtiarios, ut inter ,, janitores Eccleſiæ pareant obſequio, & ,, inter electos tuos partem tuæ merean- ,, tur habere mercedis. Per &c.

Tunc tradet Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens:

,, *Sic* agite quaſi reddituri Deo ratio- ,, nem pro his rebus, quæ iſtis clavibus ,, recluduntur.

Et tradet eis Diaconus oſtium Eccleſiæ.

Ordinatio Lectorum.

Præfatio.

,, *Oremus*, dilectiſſimi, Deum Patrem ,, omnipotentem, ut ſuper hos famulos ,, ſuos NN. quos in ordinem Lectorum di- ,, gnatur aſſumere, benedictionem ſuam ,, clementer effundat: quatenus diſtincte ,, legant, quæ in Eccleſia legenda ſunt, ,, & eadem operibus impleant.

Benedictio Lectorum.

,, *Domine* ſancte, Pater omnipotens, ,, æterne Deus, benedicere digneris fa- ,, mulos tuos NN. in officium Lectorum: ,, ut aſſiduitate lectionum diſtincti ſint & ,, ornati, & eorum modulis ſpeciali de- ,, votione gratiæ reſonent Eccleſiæ. Per.

Poſt hæc tradet eis Epiſcopus codicem in quo lecturi ſunt, dicens ad eos.

,, *Accipite* & eſtote verbi Dei relato- ,, res, habituri, ſi fideliter & utiliter ,, impleveritis officium, partem cum his, ,, qui verbum Dei miniſtraverint.

Ordinatio Exorciſtarum.

Præfatio.

,, *Deum* Patrem omnipotentem ſuppli- ,, ces deprecamur, ut hos famulos ſuos ,, NN. benedicere dignetur in officium ,, Exorciſtarum, & ut ſint ſpiritales im- ,, peratores ad abiiciendos dæmones de ,, corporibus obſeſſis cum omni nequitia ,, eorum multiformi, adjuvante Domino ,, mino noſtro Jeſu Chriſto. Qui cum eo vi- ,, vit & regnat in unitate Spiritus ſancti.

Benedictio Exorciſtarum.

,, *Domine* ſancte, Pater omnipotens, ,, æterne Deus, benedicere digneris hos ,, famulos tuos NN. in officium Exorci- ,, ſtarum, & ad impoſitionem manuum, ,, & oris officium eos eligere digneris, ,, ut imperium habeant ſpirituum im- ,, mundorum, probabiles ſint medici Ec- ,, cleſiæ, gratiæ curationum virtute con- ,, firmati. Per &c.

Poſt hæc accipiant de manu Epiſcopi librum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi dicente ſibi Epiſcopo.

,, *Accipite*, & commendate memoriæ, ,, habete poteſtatem imponendi manum ſu- ,, per energumenum, ſive baptizatum, ſi- ,, ve Catechumenum.

Ordinatio Acolythorum.

Præfatio.

" *Deum* Patrem omnipotentem ſuppli- ,, citer deprecemur, ut hos famulos ſuos ,, NN. benedicere dignetur in ordinem ,, Acolythorum: quatenus lumen viſibile ,, manibus præferentes, lumen quoque ,, moribus præbeant.

Benedictio.

,, *Oremus*, Domine ſancte, Pater omni- ,, potens, æterne Deus, qui ad Moyſen ,, & Aaron locutus es, ut accenderentur ,, lucernæ in tabernaculo teſtimonii, be- ,, nedicere & ſanctificare digneris hos fa- ,, mulos tuos NN. ut ſint Acolythi in Ec- ,, cleſia tua. Per Dominum &c.

Poſt hæc accipiant ceroferarium cum cereo, ut ſciant ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiant & urceolum ad ſuggerendum vinum in Eucbariſtiam corporis ET SANGUINIS *Chriſti*.

Ordinatio Subdiaconorum.

Præfatio.

,, *Oremus* Deum ac Dominum noſtrum, ,, ut ſuper ſervos ſuos, *& ut in Sacram*. ,, D. *Greg*.

Bene-

Benedictio.

,, *Domine* ſancte, Pater omnipotens
,, æterne Deus, benedicere digneris hos
,, famulos tuos, *ut in Sacram. D. Greg.*

Tunc Subdiaconus, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili, ac manutergium, & dicat Epiſcopus.

,, *Videte* cujus miniſterium vobis tradi-
,, tur; & ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi
,, ad Eccleſiam, amodo debetis eſſe aſſi-
,, dui; ſi uſque nunc ſomnolenti, amodo
,, vigiles; ſi uſque nunc ebrioſi, amodo
,, ſobrii; ſi uſque nunc inhoneſti, amodo
,, caſti: ideo vos admoneo, vos tales ex-
,, hibere, ut Deo placere poſſitis.

Ordinatio Diaconi.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit manum ſuper caput illius ponat: quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.

Prefatio.

" *Oremus*, dilectiſſimi, Deum Patrem
,, omnipotentem, *& ut in Sacram. D.*
,, *Greg.*

Benedictio.

,, *Exaudi* Domine preces noſtras &c.
ut in eodem Sacram.

Conſecratio.

" *Adeſte* quæſumus omnipotens Deus.
ibidem.

Poſt hæc accipiat de manu Epiſcopi textum Evangeliorum dicente Epiſcopo.

,, *Accipite* poteſtatem legendi in Eccle-
,, ſia Dei Evangelium tam pro vivis,
,, quam pro defunctis in nomine Domini.

Ordinatio Presbyteri.

Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput ipſiue teneant.

Præfatio de Presbyteris.

,, *Oremus*, dilectiſſimi, Deum Patrem,
,, omnipotentem &c. Exaudi, Domine,
preces noſtras, *& ut in Sacram. D. Greg.*

Conſecratio.

,, *Domine* ſancte, Pater omnipotens.
ibidem.

Expletis autem orationibus, accipiens Chriſma faciat crucem ſuper manus eorum dicens.

,, *Conſecrare* & ſanctificare digneris,
,, Domine, manus iſtas per iſtam unctio-
,, nem, & noſtram benedictionem: ut
,, quæcumque couſecraverint, conſecren-
,, tur, quæcumque benedixerint, bene-
,, dicantur & ſanctificentur. Per. &c.

Hoc facto, accipiat patenam cum oblatis, & cal'cem cum vino, & det eis dicens.

,, *Acc pite* poteſtatem offerre ſacrificium
,, Deo, miſſamque celebrare tam pro vi-
,, vis, quam pro defunctis.

ARTICULUS TERTIUS.

Caſus circa ſacrum Ordinis Sacramentum diſcutiuntur, & ſolvuntur.

Quæritur.

Primo, Utrum peccet Epiſcopus ſacros conferens Ordines alterius diœceſis ſubditis?

RESPONDEO, quondam prohibitum fuiſſe ſic fieri, ut patet ex canone 18. Concilii Sardicenſis, qui quidem uſus ſemper obtinuit quamdiu Clerici alicui Eccleſiæ affixi erant. Sic colligitur ex Bonifacio VIII. cap. *Cum nullus* 3. de tempore ordinat. in 6. his verbis: " Cum
,, nullus Clericum parœciæ alienæ, præ-
,, ter ſuperioris ipſius licentiam debeat
,, ordinare; ſuperior intelligitur in hoc ca-
,, ſu Epiſcopus de cujus Diœceſi eſt is qui
,, ad ordines promoveri deſiderat, oriun-
,, dus; ſeu in cujus Diœceſi beneficium
,, obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet, li-
,, cet alibi natus fuerit, domicilium in
,, eadem. ,, Sed ex jure novo Clericus poteſt a quolibet Epiſcopo ordinari, ut ſtatui-

tuitur in comitiis Cleri Gallicani anni 1655. modo in aliena Diœceſi domicilium elegerit, ſin minus debet a proprio Epiſcopo habere litteras pro ordinatione dimiſſorias. Porro ut aliquis dicatur habere domicilium in loco, debet illic res ſuas tranſmittere, a ſede non diſceſſurus, ut habetur leg. *cives* 7. cod. *de incolis &c.* lib. 10. tit. 3. 9. Rurſus leg. *nec ipſi* 2. cod. eod. tit. ubi hæc habentur: " Nec ipſi ,, qui ſtudiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, ,, niſi decem annis tranſactis, eo loco ſedes ſibi conſtituerent. ,, In Gallia tamen tres ſubſequentes anni pro domicilio conſtituendo ſufficiunt.

Secundo, Num oriundus ex Diœceſi Pariſienſi, ſed Canonicus ab uno aut altero menſe Eccleſiæ Meldenſis, qui tamen quatuor aut ſex ab hinc annis, commoratur apud Epiſcopum Sueſſionenſem cujus eſt Secretarius, poſſit ab uno ex his Epiſcopis ordinari.

RESPONDEO affirmative: a primo quidem juxta Decretalem Bonifacii modo laudatam. *De cujus Diœceſi eſt is qui ad ordines promoveri deſiderat, oriundus*. Item & ab Epiſcopo Meldenſi, cum ibi per ſuam præbendam affixus ſit ejus Diœceſi, modo eam non obtinuerit in fraudem juriſdictionis proprii Epiſcopi, ut declarat Innocentius III. in cap. *Cum dilectus* 8. de religioſis Domibus lib. 3. tit. 36. Demum ab Epiſcopo Sueſſionenſi, quia Præſul poteſt ſuum ordinare domeſticum, ea conditione quod a tribus annis illi famuletur, ut declarat Concilium Tridentiuum Seſſ. 23. de reform. cap. 9. hinc ille Secretarius non indiget litteris dimiſſoriis Præſulis Diœceſis cujus eſt oriundus; ita enim domeſticus eſt, ut Epiſcopus teneatur, tribus elapſis annis, illi conferre beneficium, vel aliud officium quo vitam ſuam ſublevare queat, donec beneficium occurrat illi conferendum. Ita Cabaſſutius Lib. 1. theor. & prax. cap. 14. num. 10.

Tertio, Utrum Clericus in Bleſenſium Diœceſi Tonſuratus, poſſit promoveri ad ſacros ordines in altera Diœceſi, in qua beneficium ſimplex ducentarum circiter librarum poſſidet?

RESPONDEO negative, quandoquidem juxta præſentem diſciplinam aliquis poteſt abſque reſidentia beneficium ſimplex habere; quocirca ille ordinandus eſt ab Epiſcopo ſui domicilii.

Quarto, Utrum Metropolitanus in Diœceſi unius e ſuis ſuffraganeis, poſſit Clericum ſacris ordinibus initiare?

RESPONDEO negative. Ita Gloſſa in Clementina Archiepiſcopo II. de privilegiis, & exceſſ. privilegiat. V. *etiam celebrare*. Immo Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de reformat. cap. 8. hoc prohibet ſub pœna ſuſpenſionis: " Si ſecus fiat, ,, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus. ,, Sic propugnat S. Thomas in 4 diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. in argumento *Sed contra* ℣. 2. " Non licet, *inquit*, uni ,, Epiſcopo in Diœceſi alterius Epiſcopale officium exercere ſecundum ſtatuta ,, canonum. ,,

Quinto, Utrum ordinatus ab Epiſcopo ſchiſmatico, hæretico, vel degradato ſit vere ordinatus?

RESPONDEO valide fuiſſe ordinatum, tametſi non licite. Hoc ipſum ex ipſo Concilio Nicæno can. 8. colligitur, ubi hæc habentur: " Hi vero qui ab iſtis *Novatianis* veniunt, ſi forte Epiſcopus fuerit, habeat Sacerdotii dignitatem. ,, Videas velim, ſacram Synodum non præcipere reordinationem. Idem ſtatuit Concilium Epheſinum part. 2. Act. 7. ubi ſuſcipit Clericos ad meliorem frugem revertentes, quamvis ab Hæreticis ordinatos: " Et ſi quidem anathematizaverint juxta ,, ea quæ in prædicta Synodo ſcripto pronuntiata fuit, ſi Clerici fuerint, maneant Clerici. ,, Idem docent Optatus Millevitanus Lib. 3. contra Donatiſtas cap. 10. S. Auguſtinus Epiſt. 223. num. 2. & Lib.

Lib. 1. de Baptiſmo cap. 1.ſubſcribit Nicolaus I. Epiſt. 9. ad Michaelem Imperatorem poſt medium: Non prætereundus eſt textus loci S. Auguſtini mox citati: " Ita redeuntes, *inquit*, qui priuſquam ,, recederint ordinati ſunt, non utique ,, rurſus ordinantur. ,,

Sexto, An Petrus valide ſit ordinatus Sacerdos, tametſi Epiſcopus tangendum illi præbeat calicem vacuum?

RESPONDEO affirmative, juxta probabiliorem ſententiam, tametſi ex inadvertentia miniſter omiſerit apponere vinum & aquam in calice; nam Concilium Florentinum in decreto unionis ait: " Sextum Sa,, cramentum eſt Ordinis, cujus materia ,, eſt illud, per cujus traditionem conſer,, tur ordo, ſicut Presbyteratus traditur ,, per calicis cum vino, & patenæ cum ,, pane porrectionem.,, Idem colligitur ex S. Thoma hic q. 17. art. 5." Quia, *ait*, ,, principalis actus Sacerdotis eſt conſecrare ,, corpus & ſanguinem Chriſti; ideo in ip,, ſa datione calicis ſub forma verborum ,, determinata character Sacerdotalis im,, primitur. ,,

Septimo, Utrum qui non tangunt inſtrumenta ab Epiſcopo exhibita, ſint vere ordinati?

RESPONDEO 1. Diaconum v. g. eſſe ordinatum Sacerdotem licet non tangat inſtrumenta, quia juxta probabiliorem ſententiam, ſola impoſitio manuum eſt materia eſſentialis, dicente Apoſtolo ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. Concinit Concilium 4. Carthaginenſe can. 3. " Pre,, sbyter, *inquit*, cum ordinatur, Epi,, ſcopo eum benedicente, & manum ſu,, per caput ejus tenente, etiam omnes ,, Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ,, ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput ,, illius teneant. ,,

Reſpondeo 2. Subdiaconum valide ordinari ſicut Diaconum, quamvis inſtrumenta non tangat propter eamdem rationem; ibidem enim Concilium Carthag. ait: " Diaconus, cum ordinatur, ſolus Epi,, ſcopus qui eum benedicit, manum ſu,, per caput illud ponat. Et de facto legitur in Actibus Apoſtolorum Diaconos per ſolam impoſitionem manuum ab Apoſtolis fuiſſe ordinatos.

Reſpondeo 3. Subdiaconum quoque, omiſſo inſtrumentorum contactu, poſſe ordinari per ſolam manus impoſitiouem, ut uſus invaluit apud Græcos, tum quia juxta graviſſimorum Theologorum placita Subdiaconatus non eſt Sacramentum, & hoc poſito, non requiritur abſolute materia & forma determinata. Si quis tamen in his caſibus magna animi perturbatione concutiatur, poterit conſulere Epiſcopum, qui re maturius ponderata, ſuppleꝛe in ſecreto quod deeſt, valebit.

Octavo, Num ſuſcipiens ordines, prætermiſſo Baptiſmo, valide ordinetur?

RESPONDEO negative, quia Baptiſmus eſt omnium Sacramentorum janua: Concilium Compendienſe in cap. *Si quis 1. de Presbytero non baptizato* Lib. 3. tit. 43. ait: " Si quis Presbyter ordinatus depre,, henderit ſe non eſſe baptizatum, ba,, ptizetur, & iterum ordinetur. Sic pro,, pugnat S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. ar. 1. quæſtiunc. 3. in corp.

Nono, Num recte ordinetur qui omittit vel Tonſuram clericalem?

RESPONDEO bene eſſe ordinatum, ſi ſolam omiſerit Tonſuram, cum non ordinatus ſit per ſaltum, & hoc propter duo: primo quidem ex eo quod ordinari per ſaltum eſt ordinem majorem, omiſſis minoribus, ſuſcipere, ut propugnant multi Theologi, in primis Suarez Tom. 1. in 3. part. ſummæ, D. Thomas diſput. 31. ſectione 1. Secundo quia Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de reformat. cap. 4. 5. 6. 11. 12. 13. ubi mentionem facit de ordinibus, nuſquam nominat tonſuram, & de facto juxta ejus definitionem non eſt niſi præparatio ad ordines.

Reſpondeo 2. vel ipſa Confirmatione omiſſa, valide eſſe ordinatum, tametſi peccaverit mortaliter, quia Confirmatio non eſt de neceſſitate abſoluta ſalutis, ſed ſolum de congruentia ait D. Thomas in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 2.

Non abſimili ratione Epiſcopus ad ſacros rite promovet ordines ſervum, quia libertas non eſt de neceſſitate ordinis; modo perſo-

perſona ſe ordinari conſentiat ; S. Thomas in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. in corp. ubi dicit talem non eſſe ordinandum, tum ſubdit : " Si tamen pro-
„ movetur, ordinem ſuſcipit ; quia li-
„ bertas non eſt de neceſſitate Sacra-
„ menti, licet ſit de neceſſitate præ-
„ cepti, cum non impediat poteſtatem,
„ ſed actum tantum. „

Decimo, Utrum ab examine propulſus, ſe tamen ſubtiliter inter ordinandos induens, ſit vere ordinatus, tametſi Epiſcopus publice declaraverit ſuam non eſſe intentionem ordinare eos qui examen, vel declinavere, vel ab examinatoribus de facto propulſi ſunt?

RESPONDEO non licite quidem, ſed valide eſſe ordinatum, ea ductus ratione, quod Epiſcopus, non obſtantibus emiſſis prius obteſtationibus, intendat vere ordinare omnes quos cæremoniis initiat. Ita Caballutius Lib. 2. theor. & prax. cap. 16. num. 15. & Ludovicus Bail in examine ordinandorum. Sic colligitur ex Innocentio III. in cap. *Solicitudinem* 54. *de appellationibus* Lib. 2. tit. 28. Gloſſa vero in cap. *tua nos* 26. de ſponſalibus & matrimonio 5. *mulierem*. Ita loquitur : Sed pone quod aliquis proteſtetur
„ coram pluribus, quod omnia quæ di-
„ cet, vel faciet, non faciet, animo con-
„ trahendi matrimonium ; & poſtea publi-
„ ce dicat : conſentio in te .. in caſu iſto
„ dico, quod Eccleſia judicare debet pro
„ Matrimonio : quia recurrendum eſt ad
„ communem verborum intelligentiam ..
„ talia enim verba non poſſent ſervire
„ ſuæ intentioni. Præterea, ſi probet,
„ quod illa verba, proteſtatus fuit primo ;
„ potuit poſtea recedere ab illa volunta-
„ te, & conſentire in illam : & hoc
„ videtur per illud, quod poſtea publice
„ facit. „

Undecimo, Num Epiſcopus qui propria auctoritate Jacobum Diaconum ordinavit die Epiphaniæ, tunc occurrente die Jovis, peccaverit?

RESPONDEO Prælatum peccaſſe mortaliter, eo quod legem Eccleſiæ in re gravi violaverit : & ordinatus incurrit ſuſpenſionem. Sic pronunciavit Alexander III. in cap. *de eo* 3. de tempore ordinationum & qualit. ordinand. Concinit Tridentinum Seſſ. 23. cap. 8. de reformat. Item & Urbanus III. in cap. *cum quidam* 8. de temp. ordinat. ubi ait : " Epiſcopum
„ qui die quo non debuit ordines cele-
„ bravit, canonica diſciplina corrigere,
„ & ordinatos a ſuſceptis ordinibus tan-
„ diu reddere debes expertes, donec apud
„ nos reſtitutionis gratiam conſequantur. „

Duodecimo, Utrum filia, quæ hominis habitu induta nomen ſuum dat militiæ Regis, duobus vero in bello expletis annis habitum religionis in monaſterio virorum petiis, ubi profeſſa & in ſacris litteris edocta, ſacros ſuſcepit Ordines, de facto dicendo Miſſam, conſecraverit?

RESPONDEO nequaquam: ſic propugnat ſanctus Thomas in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. in corpore his verbis : " Etſi mu-
„ lieri exhibeantur omnia quæ in Ordi-
„ nibus ſuis fiunt, Ordinem non ſuſci-
„ pit : quia, cum Sacramentum ſit ſi-
„ gnum, in his quæ in Sacramento agun-
„ tur, requiritur non ſolum res, ſed ſi-
„ gnificatio rei .... cum ergo in ſexu fe-
„ mineo non poſſit ſignificari aliqua emi-
„ nentia gradus, quia mulier ſtatum ſub-
„ jectionis habet, ideo non poteſt Sacra-
„ mentum ordinis ſuſcipere. „

De diſpoſitionibus, ritibus, & caſibus, Sacramentum Matrimonii ſpectantibus.

ABSOLVIMUS eadem methodo quæ dicenda ſuperſunt de Sacramentis, inquirendo ſcilicet, num diſpoſitiones & ritus pro Matrimonio admittendi ſint. Tum & de caſibus circa hanc materiam occurrentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam ſint diſpoſitiones ad Matrimonium chriſtiane contrahendum requiſita?

QUÆDAM diſpoſitiones ſe tenent ex parte animæ : quædam, ex parte Eccleſiæ, quædam etiam ex parte temporis, & loci.

§. I.

De Diſpoſitionibus animæ.

PRIMO: Requiritur ſtatus gratiæ; & hoc non una probat ratio. I. Quia Matrimonium eſt Sacramentum vivorum, cujus ſuſceptio ſanctitatem exigit, ne ſuo defraudetur effectu. II. Eſt expreſſio ſeu repreſentatio unionis Chriſti & cum Eccleſia, & utique cum noſtra anima. Catechiſmus Romanus non ſilet iſtam rationem parte 2. de Matrimonio num. 1. his verbis: " Sed quoniam ut idem Apoſtolus teſtatur, *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*; & Matrimonium magnis & divinis bonis ornatum eſt, ita ut inter alia Catholicę Eccleſiæ Sacramenta vere & proprie numeretur: ac Dominus nuptiarum celebritatem præſentia ſua honeſtarit, ſatis apparet, ejus doctrinam tradendam eſſe, cum præſertim liceat animadvertere tum ſanctum Paulum, tum Apoſtolorum principem, quæ non ſolum ad dignitatem, ſed etiam ad officia Matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate ſcripta reliquiſſe. Divino enim Spiritu afflati optime intelligebant, quanta, & quam multa commoda ad Chriſtianam ſocietatem pervenire poſſent, ſi fideles Matrimonii ſanctitatem cognitam haberent, & inviolatam ſervarent; contra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximaſque calamitates & detrimenta in Eccleſiam importari. „

Secundo: Priori huic diſpoſitioni accedat caſta converſatio, accedat oratio, accedant & jejunia, ne loco benedictionis præ incontinentia incurrant maledictionem, ſicut contigit ſeptem primis viris Saræ ab Aſmodæo ſuffocatis & oppreſſis, quem quidem compeſcuit Raphael Angelus in gratiam caſti Tobiæ, cujus generatio cum Sara benedicta eſt.

Quia vero caſtitas conjugatorum Matrimonium antecedere debet, non abs re erit hic aliquid de concomitante & ſubſequente diſpoſitione eloqui.

Tertio: Cum Matrimonium ſit Sacramentum, ea qua par eſt reverentia ſuſcipiendum eſt, qua de cauſa injungit Apoſtolus 1. Cor. 7. *Ut qui habent uxores, tamquam non habentes ſint ..., Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*. Id eſt, ut Matrimonio fideles conjungantur, non ut expleant libidinem, ſed potius juxta Creatoris & Salvatoris intentionem, ut prolem ſuſcipiendam in fide rite inſtituere ſibi præſcribant; hinc prioribus ſæculis novi conjuges pro reverentia Sacramenti biduo, aut triduo, aut ſaltem ipſa nuptiarum nocte ſeſe continebant. Hoc non levius ſubindigitant & Concilia, & veterum ſtatuta. Concilium Carthaginenſe quartum cap. 13. hæc de hoc momento ſtatuit: " Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt a Sacerdote a parentibus ſuis, vel Paranymphis offerantur: qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant. „ Eadem laudat verba Egbertus in Excerptis cap. 88. eadem quoque veluti ex Concilio Valentino cap. 101. refert Burcardus Lib. 9. cap. 5. Idem legitur in Lib. 7. Capitularium Regum Franciæ cap. 463. vel 163. eo enim loci ſtatuitur, ut deſponſati: " Biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant, ut bonæ Soboles generentur, & Domino ſuis actibus placeant. „

Iſte uſus quondam obtinuit apud Græcos; namque in reſponſionibus canonicis Timothei Alexandrini Epiſcopi, interrogatus num. 13. quibus diebus abſtinendum eſſet a congreſſu Matrimoniali? Reſpondet: " Neceſſario Sabbato & die Dominico abſtinere oportet, quia ſpirituale ſacrificium in eis Domino offertur, „ S. Cæſarius Serm. 142. Novæ appendicis S. Auguſtini injungit ut: " Semper ſupervenientibus feſtivitatibus, caſtitatem, *ante plures dies*, etiam cum propriis uxoribus, cuſtodiant.

Hoc ipſum antiquitus injungitur toto Quadrageſimæ tempore, juxta illud Theodulphi Aurelianenſis in ſuo Capitulari nu. 43. " Quia nihil pene valet jejunium, quod conjugali opere polluitur. „ Concinit S. Auguſtinus Serm. 207. qui eſt tertius in Quadrageſima: " Adulteria, *ait*, & fornicationes ſemper execranda & fugienda: his autem diebus & a conjugibus temperandum eſt. „

Pro more quoque fuit poſitum ut conjugati toto Adventus tempore ſe continerent. Sic ſtatuit S. Cæſarius ſupra laudatus Serm. 116. in appendice S. Auguſtini.

§. II.

§. II.

De Diſpoſitionibus ex parte Eccleſiæ prærequiſitis.

PRIMOQUIDEM quaſdam Eccleſia exigit conditiones in perſonis, videlicet, ut Matrimonium inter conſanguineos & affines non celebretur: Plura de hoc momento dicere ſuperſedeo, cum ſupra, ubi de impedimentis, tum impedientibus, tum dirimentibus actitatum ſit.

Secundo: Eccleſia ægre tulit ſecundas nuptias, ut ſcribit S. Ambroſius Lib. de viduis cap. 11. hinc eas non niſi quibuſdam legibus permiſit. Primaquidem ut vidua nonniſi uno anno a defunctione mariti elapſo nuberet. Sic colligitur ex actis S. Mengoldi Martyris apud Bollandum 8. Februarii. Sic etiam colligitur ex codice Theodoſiano Lib. 3. tit. 8. de ſecundis nuptiis. Secunda, ut vidua novum non celebraret Matrimonium niſi accederet conſenſus & Sacerdotis & populi, ut habetur Lib. 6. Capitularium Regum Francorum n. 408. his verbis: " Quibus prohibetur, ne Chriſtiani, viduas abſque ſuorum Sacerdotum conſenſu, & conniventia plebis ducere præſumant. " Tertia, viduæ iſtæ privabantur benedictione nuptiali; ſic legitur apud S. Cæſarium Serm. 289. in appendice novæ editionis S. Auguſtini. Demum nubentes ſecundo, pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur, ut habetur in Concilio Ancyrano can. 19. Neocæſarienſi can. 3. & Laodicæno can. 1.

§. III.

De Tempore & loco celebrandarum Nuptiarum.

SANCTA Eccleſia Deum in ſuis viciſſim operationibus Hierarchicis attendens, & ad illud Eccleſ. 1. *Omnia tempus habent*, quædam præfixit tempora pro luctu, quædam pro feſtivitatibus celebrandis, quædam etiam pro gaudio & fœderibus inter homines conſignandis; hinc & tempora pro celebritate nuptiarum prænotavit.

Primoquidem Concilium Ilerdenſe apud Gratianum 33. q. 4. prohibuit ne nuptiæ celebrarentur quibuſdam temporibus quæ his verbis determinat: " Non oportet a Septuageſima uſque in octavas Paſchæ & tribus hebdomadibus ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ, & ab adventu Domini uſque poſt Epiphaniam nuptias celebrare: Quod ſi factum fuerit, ſeparentur. "

Concilium Nemauſenſe anno 1284. de eodem momento ſic ſtatuit: " Ab Adventu uſque ad octavas Epiphaniæ; & a Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ completas, & a tribus diebus ante Aſcenſionem uſque ad Dominicam primam poſt Pentecoſten. " Vetat ne celebrentur nuptiæ; qui quidem uſus ad noſtra uſque tempora ex parte obtinuit. Dixi ex parte, namque aperiuntur tertio poſt Epiphaniam die uſque ad diem cinerum quo clauduntur. Aperiuntur vero ſecunda die poſt Dominicam in Albis, uſque ad Dominicam primam Adventus, qua clauduntur.

Jam ſi de hora ſermonem inſtituamus, Concilium Turonenſe anno 1583. *ait*: " Omnes conjunctiones conjugum ...... non ante ſolis ortum .... celebrari debere decernimus. " Remenſe eodem anno adunatum plura dicit. " Matrimonii benedictio, *ait*, non niſi ſub finem Miſſæ, cui interfuerint contrahere volentes, nec ante quartam matutinam, nec poſt meridiem conferatur. Peccare autem graviter admonemus eos qui nocte, vel clanculum benedictionem nuptialem ſibi dari procurant propter me tum maleficii. "

Concinit Synodus Rotomagenſis anno 1072. & cap. 13. vetat: " Ne nuptiæ in occulto fiant, neque poſt prandium, ſed ſponſus & ſponſa jejuni a Sacerdote jejuno in Monaſterio benedicantur. " Acta Eccleſiæ Mediolanenſis ſimilia parte 2. ſtatuunt, nuptiæ: " Mane & non a prandio, nec vero unquam nocte. " celebrentur.

Demum aliquid de loco hic reſpergere non injucundum erit. Certum eſt Eccleſiam exigere nuptias in loco publico celebrari; quippe quæ Matrimonia clandeſtina ſempre abhorruerit. Iſaac Lingonenſis Epiſcopus Tit. 5. cap. 6. *ait*: " Nuptiæ fieri debent in Eccleſia coram populo. " Acta Eccleſiæ Mediolanenſis p. 2. *ante altare majus*. Vulgo tamen, vel iſtis etiam temporibus ad valuas Eccleſiæ cele-

celebrantur, ut videre eſt in multis Ritualibus. Si contingat ſponſum, vel ſponſam diverſæ Diœceſeos eſſe, vel etiam diverſæ Parochiæ, ad ſponſæ Eccleſiam procedendum eſt. Sub Anathematis interminatione prohibetur ne in privatis oratoriis Matrimonium contrahatur, ut habent ſtatuta Synodalia Guillelmi majoris Epiſcopi Andegavenſis Spicilegii Tom. 11. ita & Concilium Senonenſe ſub Triſtando Archiepiſcopo art. 4. c. 5. Spicilegii tom. 5.

Synopſis eorum, quæ in ſectione ſcripta ſunt.

PRIMO: Requiruntur diſpoſitiones ex parte animæ, videlicet ſtatus gratiæ; quandoquidem Matrimonium eſt Sacramentum vivorum.

Secundo: Ex parte perſonarum, v. g. ut non ſint conſanguineæ, vel etiam affines,

Tertio: Ex parte Eccleſiæ, nimirum quod nuptiæ non celebrentur niſi matutinis horis, & hoc palam & in Eccleſia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ritibus in celebratione Nuptiarum celebrandis.

Nicolaus Papa I. in reſponſione ad conſulta Bulgarorum cap. 3. nonnullos ſapientiſſimos præſcribit pro celebratione nuptiarum ritus, qui ad ſubſequentes abſque negotio reducuntur.

Primo quidem præcedere debent ſponſalia, quæ ſunt futurarum nuptiarum promiſſa fœdera, quæ ex Concilio Remenſi anno 1583.: " Non niſi coram Parocho, „ vel ejus Vicario idque in Eccleſia, & „ non alibi, niſi de Ordinarii licentia „ gratis concedenda quatuor, vel tribus „ ſaltem teſtibus præſentibus, atque ſine „ aliqua juvennm petulantia fieri debent. „

Secundo: Conficiuntur tabulæ Matrimoniales, quæ conditiones futuri Matrimonii continent. De his mentionem facit S. Auguſtinus Serm. 332. ex quibus concludit deſponſatos aliud præter filiorum, aut filiarum procreationem intendentes, contra fidem in tabulis datam facere.

Tertio: Tum ſponſus porrigit ſponſæ arrhas, videlicet annulum, quem propterea *annulum pronubum* appellat Tertullianus L. de cultu feminarum. De eo mentionem facit Gregorius Turonenſis L. de vitis Patrum cap. 20.

Quarto: Contractus Matrimonii conſenſu firmatur: Conſtitutiones Richardi Epicopi Sarum anno 1217. cap. 56. ſic jubent exprimi: " Præcipimus quod ſacerdotes „ doceant perſonas contrahentes hanc „ formam verborum in Gallico, vel in „ Anglico: Ego N. Accipio te N. in „ in meam. Similiter & mulier dicat: „ Ego accipio te in meum. In his enim „ verbis conſiſtit vis magna, & Matri„ monium contrahitur. „

Quinto: Deſponſati mutuo ſibi dexteram ſibi tradunt. Sic propugnat Tertullianus L. de velandis virginibus cap. 11. " Ad „ deſponſationem velantur, quia & cor„ pore & Spiritu maſculo mixtæ ſunt „ per oſculum & dexteras, per quæ pri„ mum reſignarunt pudorem ſpiritu. „

Sexto: Dum cantatur benedictio, velum purpureum in ſignum pudoris ſuper ſponſum & ſponſam expanditur. Sic innuit Ambroſius L. de virginitate cap. 15.

Demum, ut obſervat Nicolaus Papa ſupra citatus, egrediuntur de Eccleſia coronas in capitibus geſtantes. Gregorius Turonenſis Lib. 1. cap. 42. coronæ nuptialis meminit. Sed ut hæc omnia clarius innoteſcant, quidam per ordinem recenſendi ſunt ritus ex antiquis Ritualibus excerpti.

ORDO I.

In quo varii ad benedicendas nuptias referuntur Ritus.

Ex Gelaſiano Miſſali & MSS. codicibus Remenſi & Gellonenſi annorum 900.

Incipit actio nuptialis.

" ADESTO, Domine, ſupplicationibus „ noſtris, & inſtitutis tuis, quibus propa„ gationem humani generis ordinaſti, be„ nignus adſiſte: ut quod te auctore jungi„ tur, te auxiliante ſervetur. Per Domi„ num &c. „

Item alia.

" *Quæſumus* omnipotens Deus, inſtitu„ ta providentiæ tuæ pio favore comi„ tare,

Digitized by Google

„ tare, & quos legitima Societate conne„ ctis, longæva pace cuſtodi: Per Do„ minum. „

Secreta.

" *Adeſto*, Domine, ſupplicationibus „ noſtris, & hanc oblationem famulo„ rum tuorum NN. quam tibi offerunt „ pro famula tua illa, quam ad ſtatum „ maturitatis, & ad diem nuptiarum per„ ducere dignatus es, placidus & beni„ gnus adſume, ut quod tua diſpoſitione „ expeditur, tua gratia compleatur. Per „ Dominum &c.

" † Qui fœdera nuptiarum blando con„ cordiæ jugo & inſolubili pacis vincu„ lo nexuiſti, ut multiplicandis adoptio„ num filiis ſanctorum connubiorum fe„ cunditas pudica ſerviret: Tua enim, „ Domine, providentia, tuaque gratia „ ineffabilibus modis utrumque diſpenſa, „ ut quod generatio ad mundi edidit or„ natum, regeneratio ad Eccleſiæ per„ ducat augmentum &c.

Infra actionem.

" *Hanc* igitur oblationem famularum „ tuarum, illorum & illarum, quam tibi „ offerunt pro famula tua illa, quæſumus „ Domine, placatus accipias; pro qua „ majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, „ ut ſicut eam ad ætatem nuptiis con„ gruentem pervenire tribuiſti; ſic eam „ conſortio maritali tuo munere copula„ tam, deſiderata ſobole gaudere perfi„ cias, atque adoptatam ſeriem cum ſuo „ conjuge provehas benignus annorum: „ Dieſque noſtros &c.

Infra actionem ad trigeſimum, vel annualem nuptiarum.

" *Hanc* igitur oblationem, Domine, „ famulorum tuorum, illorum & illarum, „ quam tibi offerunt ob diem trigeſi„ ſimum conjunctionis ſuæ, vel annualem, „ quo die eos jugali vinculo ſociare digna„ tus es; placatus ſuſcipias deprecamur: „ Ob hoc igitur reddunt tibi vota ſua Deo „ vero & vivo, pro quibus tremendæ pie„ tati tuæ ſupplices fundimus preces; ut „ pariter bene & pacifici ſeneſcant, & vi„ deant filios filiorum ſuorum uſque in ter„ tiam & quartam progeniem, & te bene„ dicant omnibus diebus vitæ ſuæ. Per „ Chriſtum Dominum. Quam oblatio„ nem &c. „

Percomples canonem plenarium, & dicis orationem Dominicam; & ſic cantas benedictionis orationem, his verbis.

" *Deus* qui mundi creſcentis exordio „ multiplicata prole benedicis, propitiare „ ſupplicationibus noſtris, & ſuper hanc „ famulam tuam opem tuæ benedictionis „ infunde, ut in conjugali conſortio affe„ ctu compari, mente conſimili, ſancti„ tate mutua copulentur. Per &c.

„ *Pater* mundi conditor, naſcentium „ genitor, multiplicandæ originis inſtitu„ tor, qui Adæ comitem tuis manibus ad„ didiſti, cujus ex offibus oſſa creſcentia „ parem formam admirabili diverſitate ſi„ gnaret: Hinc ad totius multitudinis in„ crementum conjugalis thori juſſa con„ ſortia, quo totum inter ſe ſæculum „ conligarent, humani generis fœdera ne„ xuerunt. Sic enim tibi, Domine, pla„ citum, ſic neceſſarium fuit, ut quia longe „ eſt & infirmius, quod homine ſimilem „ quam quod tibi feceras additus fortiori „ ſexus infirmior, ut unum efficeres ex „ duobus; & pari pignore ſoboles mixta „ maneret, tunc per ordinem flueret ege„ ſta poſteritas, & priores ventura ſeque„ rentur. Nec ullum ſibi finem in tam „ brevi termino, quamvis eſſent caduca, „ proponerent. Ad hæc igitur datæ ſint „ inſtituta venturæ. Quapropter hujus fa„ mulæ tuæ, Pater, rudimenta ſanctifi„ ca, ut bono & proſpero ſociata conſor„ tio, legis æternæ juſſa cuſtodiat, me„ mineritque Domine non tantum ad licen„ tiam conjugalem, ſed ad obſervantiam „ fidei ſanctorum pignorum delegatam: „ fidelis & caſta nubat in Chriſto, imi„ tatrixque ſanctarum permaneat femina„ rum. Sit amabilis ut Rachel viro ſuo; „ ſapiens ut Rebecca, longæva & fidelis, „ ut Sara, nihil ex hac ſubdolus ille au„ ctor prævaricationis uſurpet, nexa fidei „ mandatiſque permaneat feminarum, ſer„ viens Deo vero devota muniat infirmi„ tatem ſuam robore diſciplinæ, uni thoro „ juncta contactus vitæ illicitos fugiat. Sit „ verecundia gravis, pudore venerabi„ lis, doctrinis cæleſtibus erudita. Sit

Digitized by Google

„ fecunda in ſobole, ſit probata & inno-„ cens, & ad beatorum requiem uſque ad „ cæleſtia regna perveniat. Per &c.„

Poſt hæc dicis, Pax vobiſcum. *Et ſic eos communicat. Deinde poſteaquam communicaverint, dicis ſuper eos benedictionem, his verbis.*

“ *Domine* ſancte, Pater omnipotens, „ æterne Deus, iteratis precibus, te ſup-„ plices exoramus, pro quibus apud te „ ſupplicator eſt Chriſtus: conjunctiones „ famulorum tuorum fovere digneris, „ benedictiones tuas excipere merentur; „ & filiorum ſucceſſibus fecundentur: nu-„ ptias eorum ſicuti primi hominis con-„ firmare dignare: Avertantur ab eis „ inimici omnes inſidiæ, ut ſanctitatem „ Patrum etiam in ipſo conjugio imiten-„ tur, qui providentia tua, Domine, „ conjungi meruerunt. Per &c.

Item poſt communionem.

“ *Exaudi* nos, Domine ſancte, Pater „ omnipotens, æterne Deus, ut quod „ noſtro miniſtratur officio, tua benedi-„ ctione potius impleatur. Per &c.

ORDO II.

Ex MSS. Miſſali Redonenſi, ab annis circiter 700. ſcripto, & in Bibliotheca S. Gatiani Turonenſi aſſervato.

Incipit ordo ad ſponſum & ſponſam benedicendum.

Inprimis veniat Sacerdos ante oſtium Eccleſiæ indutus alba atque ſtola cum benedicta aqua: qua aſperſa, interroget eos ſapienter utrum legaliter copulari velint; & quærat quomodo parentes non ſint, & doceat quomodo ſimul in lege Domini vivere debeant? Deinde faciat parentes ſicuti mos eſt dare eam, atque ſponſum dotalitium dividere, cunctiſque audientibus legere, ipſumque ſuæ ſponſæ libenter dare. Annulo quoque benedicto, in nomine ſanctæ Trinitatis, eam in dextera manu ſponſare faciat, atque honorare auro vel argento, prout poterit ſponſus. Poſtremo benedictionem inibi faciat quæ in libris continetur. Qua finita, intrando in Eccleſiam, Miſſam incipiat. Sponſus autem & Sponſa candelas ardentes in manibus tenentes & offertorium, Miſſam audientes offerunt, & antequam Pax Domini, *dicatur, ante altare ſub pallio, vel alio quolibet opertorio, ſicut mos eſt, eos benedicat: ad ultimum prædictus ſponſus pacem de Presbytero accipiat, ſuaque ſponſæ ipſe ferat.*

Benedictio ſuper annulum.

“ *Creator* & Conſervator humani ge-„ neris, dator æternæ ſalutis, omnipo-„ tens Deus, tu permitte Spiritum ſan-„ ctum Paraclitum ſuper hunc annulum. „ Per &c.

Alia.

“ *Benedic* Domine, Annulum iſtum, „ ut in ujus figura pudicitiam cuſtodiant. Per &c.

„ *Pſal.* Manda Deus virtuti tuæ, *uſque* argento.

Benedictio ſuper ſponſum & ſponſam.

“ *Benedicat* & cuſtodiat vos Deus Pa-„ ter oſtendatque Dominus faciem ſuam „ vobis, & miſereatur veſtri. Convertat „ Dominus vultum ſuum ad vos, & det „ vobis pacem. Impleatque vos Chriſtus „ omni benedictione ſpiritali in remiſſio-„ nem peccatorum, ut habeatis vitam æ-„ ternam. Per &c. „

“ *Pſalm.* Beati omnes qui timent Do-„ minum *uſque ad finem.*

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Ja-„ cob, ipſe vos conjungat, impleatque „ benedictionem ſuam in vobis.

Alia.

“ *Benedic*, Domine, de cœlis hanc „ conventionem, & ſicut miſiſti Ange-„ lum tuum, Raphaelem ad Tobiam & „ Saram filiam Raguelis; ita digneris, „ Domine, mittere benedictionem tuam „ ſuper hos adoleſcentes, ut in tua carita-„ te conſiſtant, & in amore tuo vivant, „ & ſeneſcant, & multiplicentur in lon-„ gitudinem dierum. Per &c.

Alia.

“ *Deus* Abraham, Deus Iſaac, Deus „ Jacob, benedic adoleſcentes iſtos, & „ ſemen ſemina vitæ æternæ in menti-„ bus

,, bus eorum, ut quidquid pro utilitate didicerint, hoc facere cupiant per Jeſum Chriſtum recuperatorem hominum filium tuum unigenitum, qui tecum vivit & regnat &c.

Miſſa ſponſi & ſponſæ.

“ *Benedicta* ſit ſancta Trinitas &c.

ORDO III.

Ex MS. Pontificali Monaſterii Lyrenſis annorum 600.

Benedictio ſuper ſponſum & ſponſam.

Ante omnia veniant ad januas Eccleſiæ ſub teſtimonio plurimorum qui thoro maritali conjungendi ſunt: & requiratur conſenſus utriuſque a Sacerdote, & fiat recapitulatio de dote mulieris, & ponantur denarii aliqui in medium pauperibus diſtribuendi, & tunc demum detur femina a patre, vel amicis ſuis, quam vir recipiat in fide Dei, & ſua ſanam & infirmam quamdiu vixerit ſervandam, & per manum dextram teneat eam, Sacerdote inchoante hoc modo.

,, *Manda* Deus virtuti tuæ &c. *uſque*, qui probati ſunt argento, Gloria Patri. Sicut &c.

Deinde benedicat Sacerdos annulum dicens:

“ *Creator* & Conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis, tu, Domine, mitte benedictionem tuam ſuper hunc annulum. Per &c.

Oremus.

“ *Benedic*, Domine, hunc annulum, quem nos in tuo ſancto nomine Bene†dicimus, ut quæ eum ſignaculum fidei deſponſata portaverit, in tua pace conſiſtat; & in fidei integritate devota permaneat, & in amore tuo ſemper vivat, creſcat, & multipliciter in longitudinem dierum. Per Chriſtum Dominum &c.

Hic accipiat ſponſus annulum, & una cum Sacerdote in tribus digitis dextræ manus ſponſæ imponat, dicens ad primum digitum: In nomine Patris. *Ad ſecundum*, & Filii. *Ad tertium*, & Spiritus ſancti. *Et ſic imponat in uno digito ſiniſtræ manus eumdem annulum: & ibi relinquat, ut eum deinceps in ſiniſtra ferat, ad differentiam gradus Epiſcopalis, ubi annulus in ſignaculum integræ caſtitatis in dextra manu publice eſt portandus. Et tunc dicat.* Dominus vobiſcum.

“ *Deus* Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob ſit vobiſcum, & ipſe vos conjugat, impleatque benedictionem ſuam in vobis. Qui vivit &c.

Oremus.

“ *Bene*†*dicat* vos Deus Pater, cuſto†diat vos Jeſus Chriſtus, illu†minet vos Spiritus ſanctus, oſtendatque Dominus faciem ſuam in vobis & miſereatur veſtri. Convertat vultum ſuum ad vos, & det vobis pacem, impleatque vos omni benedictione ſpirituali in remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, ut habeatis vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hæc introducantur in Eccleſiam, & proſternant ſe in medio Eccleſiæ dicente Sacerdote.

“ *Beati* omnes qui timent Dominum, *uſque in finem*, Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum & ancillam tuam. Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

Oremus.

“ Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, bene†dic adoleſcentes iſtos, & ſemina ſemen vitæ æternæ in mentibus eorum, ut quidquid pro utilitate ſua didicerint, hoc facere cupiant. Per Jeſum Chriſtum Filium tuum, recuperatorem hominum. Qui tecum vivit &c.

Oremus.

“ *Reſpice*, Domine, & bene†dic de cœlis conventionem iſtam, & ſicut miſiſti ſanctum Angelum tuum Raphaelem ad Tobiam & Saram filiam Raguelis;

,, guelis; ita digneris, Domine, mitte-
,, re bene † dictionem tuam ſuper iſtos
,, adoleſcentes, ut in tua voluntate per-
,, maneant, & in tua ſecuritate conſi-
,, ſtant, & in amore tuo vivant & ſene-
,, ſcant, & digni atque pacifici fiant, &
,, multiplicentur in longitudinem die-
,, rum. Per &c. ,,

Oremus.

" *Reſpice*, Domine, propitius ſuper
,, hunc famulum tuum, & ſuper hanc fa-
,, mulam tuam, ut in nomine tuo bene †
,, dictionem cæleſtem accipiant, & fi-
,, lios filiorum ſuorum uſque in tertiam
,, & quartam generationem incolumes vi-
,, deant, & in tua fidelitate ſemper per-
,, ſeverent, & in futura cæleſtia regna
,, perveniant. Per &c.
" *Omnipotens* Deus, qui primos paren-
,, tes noſtros Adam & Evam ſua virtute
,, copulavit; ipſe corda & corpora veſtra
,, ſanctificet, & bene † dicat, atque in ſo-
,, cietate & amore veræ dilectionis con-
,, jungat. Amen.
,, *Bene † dicat* vos Dominus, omni be-
,, nedictione, efficiatque vos dignos in
,, conſpectu ſuo, & abundet in vobis di-
,, vitias gloriæ ſuæ, & erudiat vos verbo
,, veritatis, ut ei corpore pariter & men-
,, te placere valeatis. Amen.
*Poſt hæc introductis illis in chorum Ec-
cleſiæ ad dextram partem, & ſtatuta mu-
liere ad dextram viri, incipiatur Miſſa de
ſancta Trinitate*. Benedicta ſit ſancta Tri-
nitas. Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis
Deo &c.

Oratio.

" *Omnipotens* ſempiterne Deus, qui de-
,, diſti famulis tuis &c. ,, *Deinde alia*.
" Exaudi nos omnipotens & miſericors
,, Deus, ut quod noſtro miniſtratur offi-
,, cio, tua benedictione potius implea-
,, tur. Per.
Epiſtola. " Neſcitis quia corpora veſtra
,, membra ſunt Chriſti. ,, *Graduale*.
" Benedictus es Domine. ,, ℣. Benedi-
cite. Alleluia. Benedictus es Domine.
Evangelium. " Acceſſerunt ad Jeſum Pha-
,, riſæi tentantes eum, & dicentes: Si
,, licet homini dimittere uxorem ſuam.,,
Credo in unum Deum. *Offert*, " Bene-
,, dictus ſit Deus Pater. ,, *Secreta*. " San-
,, ctifica, quæſumus, Domine Deus,
,, Trinitas. ,, *Alia Secreta*: " Adeſto,
,, Domine, ſupplicationibus noſtris; &
,, hanc oblationem, quam tibi offerimus
,, pro famulis tuis, quos ad ſtatum matu-
,, ritatis, & ad diem nuptiarum perdu-
,, cere dignatus es, placatus ac benignus
,, aſſume. Per. ,,
Præfatio. " Qui cum unigenito, &c. ,,
Poſt Sanctus, *Proſternant ſe in orationem,
extento pallio ſuper eos, quod teneant quatuor
homines ad quatuor cornua, & antequam
dicatur*, Pax Domini, *faciat Presbyter
hanc orationem ſuper illos*. Dominus vobiſ-
cum.

Oremus.

" *Propitiare*, Domine, ſupplicationi-
,, bus noſtris, & inſtitutis tuis, quibus
,, propaginem humani generis ordinaſti,
,, benignus aſſiſte; ut quod te auctore con-
,, jungitur, te auxiliante ſervetur. Per
,, Chriſtum Dominum noſtrum. ,,

Oremus.

" *Deus*, qui poteſtate virtutis tuæ de
,, nihilo cuncta feciſti, qui depoſitis uni-
,, verſitatis exordiis, homini ad imagi-
,, nem Dei facto ideo inſeparabile mu-
,, lieris adjutorium condidiſti, ut femi-
,, neo corpori de virili dares carne prin-
,, cipium, docens quod ex uno placuiſſet
,, inſtitui, numquam licere disjungi.
,, Deus, qui tam excellenti myſterio con-
,, jugalem copulam conſecraſti, ut Chriſti
,, & Eccleſiæ ſacramentum præſignares
,, in fœdere nuptiarum. Deus, per quem
,, mulier conjungitur viro, & ſocietas
,, principaliter ordinata ea benedictione
,, donatur: quæ ſola nec per originalis
,, peccati pœnam, nec per diluvii eſt ab-
,, lata ſententiam: reſpice propitius ſuper
,, hanc famulam tuam, quæ maritali jun-
,, genda conſortio, tua ſe expetit prote-
,, ctione muniri. Sit in ea jugum dilectio-
,, nis & pacis: fidelis & caſta nubat in
,, Chriſto, imitatrixque ſanctarum perma-
,, neat feminarum. Sit amabilis ut Rachel
,, viro, ſapiens ut Rebecca, longæva &
,, fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus
,, ſuis ille auctor prævaricationis uſurpet:
,, nexa fidei mandatis permaneat: uni

,, thoro

„ thoro juncta, contactus illicitos fugiat: „ muniat infirmitatem ſuam robore diſci- „ plinæ. Sit verecundia gravis, pudore „ venerabilis, doctrinis cæleſtibus erudi- „ ta. Sit fecunda in ſobole, ſit probata „ & innocens, & ad optatam veniat ſe- „ nectutem, ut videat filios filiorum ſuo- „ rum uſque in tertiam & quartam ge- „ nerationem, & ad Beatorum requiem, „ atque ad cæleſtia regna perveniat. Per „ &c. „

Poſt hæc ſequatur. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, & Agnus Dei. *Tunc ſurgant ab oratione, & accipiat ſponſus pacem a Sacerdote, & ferat ad ſponſam oſculandam, & neminem alium, nec ipſe, nec ipſa, ſed Clericus poſt ipſum a Presbytero pacem accipient, ferat aliis ſicut ſolitum eſt*.

Communio. „ Benedicimus Deum. „

Poſtcommunio. “ Proficiat nobis, „

“ *Deus* omnipotens, inſtituta providen- „ tia tuæ pio amore comitare, ut quos „ legitima ſocietate connectis, longæva „ pace cuſtodias. Per &c. „

Poſt Miſſam benedicatur panis & vinum in vaſculo, & guſtent in nomine Domini.

Benedictio.

Oremus.

“ *Benedic*, Domine, iſtum panem, & „ hunc potum, & hoc vaſculum ſicut be- „ nedixiſti quinque panes in deſerto, & „ ſex hydrias in Cana Galilææ, ut ſint „ ſani & ſobrii atque immaculati omnes „ guſtantes ex eo, Salvator mundi. Qui „ vivis. „

Nocte vero cum ad lectum pervenerint, accedat Presbyter, & benedicat thalamum dicens:

“ *Benedic*, Domine, thalamum iſtum, „ & omnes habitantes in eo: ut in tua „ pace conſiſtant, & in tua voluntate „ permaneant, & in amore tuo vivant, „ & ſeneſcant, & multiplicentur in lon- „ gitudinem dierum. Per. „

Deinde facit ſuper eos benedictionem dicens:

“ *Benedicat* Deus corpora & animas „ veſtras, & det ſuper vos benedictio- „ nem, ſicut benedixit Abraham, Iſaac & „ Jacob. Amen. „

“ *Manus* Domini ſit ſuper vos, mit- „ tatque Angelum ſuum ſanctum, qui „ cuſtodiat vos omnibus diebus vitæ ve- „ ſtræ. „

ARTICULUS TERTIUS.

Proponuntur & ſolvuntur caſus de Matrimonio.

Quæritur

Primo. *Utrum Matrimonium ſub conditione contractum, ſit validum?*

RESPONDEO negative, ſi opponatur ſubſtantiæ Matrimonii, v. g. procreationi prolis, aut fidei matrimoniali, ita ut ſolvat indiſſolubilitatem, vel etiam ſub conditione peccati, Accipiam te ea conditione ut furto iterum atque iterum committendo me adjuves: Sic docet S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. in corp. hæc enim tria bona ſcilicet prolis procreatio, fides conjugalis, & Sacramentum ſunt de ſubſtantia Matrimonii. Sic etiam colligitur ex Alexandro III. in cap. *De illis* 3. de condit. appoſitis in deſponſationibus lib. 4. tit. 5. ſecus vero ſi conditio ſit honeſta.

Reſpondeo II. Validum eſſe Matrimonium quo Joannes accipit Barbaram in ſuam uxorem ea conditione, ut pater conſentiat, tametſi primum diſſentiat, ſed tribus elapſis menſibus tandem conſentit, modo deſponſati in eadem permaneant voluntate donec pater conſentiat. Sic propugnat Navarrus Manual. cap. 23. num. 63. Quidam tamen Theologi contendunt conditionis adimpletionem faciendam eſſe coram Parocho & teſtibus. Neque etiam deſunt qui propugnent validum eſſe matrimonium ſi pater aperte non diſſentiat, juxta illud axioma: *Qui tacet conſentire videtur*. Hanc affert rationem Bonifacius VIII. Reg. 43. de regulis Juris in 6.

Reſpondeo III. Validum quoque eſſe matrimonium, quod Arnaldus iniit cum Catharina, ea conditione, ut pater ſuus conſentiat quem credit vivum, & tamen mortuus eſt, quandoquidem conditio eſt de impoſſibili, cum mortui non ſint

ſint de hoc mundo; hinc perinde eſt hac ſi nulla appoſita eſſet conditio. Ita Gregorius IX. cap. *Si conditiones* de condit. appoſitis.

Reſpondeo 4. Matrimonium ſub mutua virginitatis conditione, ſecundum quoſdam, eſſe validum, eo quod uterque ſponſus cedat juri & poteſtati quæ eſt ad invicem; e contra vero ſecundum ceteros, eo quod conditio opponatur bono matrimonii, ſcilicet proli. Sic pronuntiat Gregorius IX. in cap. *Si conditiones* fin. D. condit. appoſitis: " Si conditiones, " *inquit*, contra ſubſtantiam matrimonii inſerantur . . . . . . matrimonialis " contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu. " Concinit expreſſe ſanctus Thomas in 4. diſt. 28. q. 1. art. 3. ubi ſibi proponit hoc argumentum his verbis: " Conſentio in te ſub " conditione, quod non cognoſcas me. " Tum reſpondet: " Illa conditio explicita, " non ſolum actui, ſed poteſtati contrariatur carnalis copulæ; & ideo eſt contraria matrimonio. "

Reſpondeo 5. Validum non eſſe matrimonium quod Andreas iniit cum propinqua in quarto gradu, conditione obtinendi diſpenſationem, tametſi Papa eam poſtea conceſſerit, cum tunc temporis ad contrahendum eſſent incapaces; hinc obtenta diſpenſatione, coram Parocho, iterum conſenſus reiterandus eſt. Ita Sylveſter de Priero V. Matrimonium 3. q. 4.

Secundo. *Utrum mulier annis ſolum novem nata valide contrahat matrimonium cum juvene annorum quatuordecim.*

RESPONDEO 1. Jura prohibere mulieribus nubere antequam 12. annos attigerint, juvenes vero ante 14. Hinc mortaliter peccant, ſi ante tempus a lege præſcriptum matrimonium contrahant. Sic definit Alexand. III. in caput *Continebatur* 6. de deſponſ. impub. Validum eſt tamen ſi mulier poſſit procreare: quod quidem non unum probat exemplum; Genebrardus enim Lib. 4. ad annum 1341. recenſet puellam novem annorum anno 1562. concepiſſe prolem, & in lucem edidiſſe ex adoleſcente ejuſdem ætatis. Sanctus Thomas hanc propugnat ſententiam in 4. diſt. 36. quæſt. unica art. 5. in corp. quod univerſaliter verum eſt, modo ut diximus, non adſit impotentia, tunc ex jure naturali irritum eſt matrimonium.

Tertio. *An furioſus poſſit valide contrahere matrimonium in lucidis intervallis?*

RESPONDEO affirmative, cum pro iſtis caſibus poſſit habere intentionem validam ſuſcipiendi Sacramenta, v. g. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, & Extremam-Unctionem, quamvis tutius ſit illi non nubere. Reſponſio eſt divi Thomæ in 4. diſt. 34. unica art. 4. in corp. ubi ait pro lucidis intervallis: " Si " *ille* contrahit, matrimonium eſt. "

Idem dicendum de eo, qui ſurdus & mutus ſimul, conſentiente femina, nuberet, cum nutibus ſuum poſſet declarare conſenſum. Sic pronuntiat Innocentius III. in cap. *Cum apud* 23. de ſponſal. & matrim. " Nam & ſurdi & muti poſſunt " contrahere matrimonium per conſenſum " mutuum ſine verbis. " Secus vero ſi ſimul uterque exiſteret ſurdus, mutus, & cæcus, quippe qui in iſto caſu conſenſum ſufficienter exprimere non queat, quod tamen abſolute neceſſarium eſt ad Sacramenti validitatem, ut propugnat divus Thomas in 4. diſt. 28. quæſt. unica art. 3. in corp.

Quarto: *Num peccet juvenis pauper ſed nobilis, ſolius lucri cauſa mulierem divitem, quæ proceſſit in diebus ſuis, pro uxore eligens?*

RESPONDEO peccare mortaliter defectu motivi debiti, ſecus vero mulier, cum hoc Eccleſia quotidie permittat ſenibus, quibus etiam incumbit intendere prolem, cum quandoque contingat mulierem ſexagenariam concipere, & alia matrimonii bona ad ſalutem ordinare velle.

Quinto. *An validum ſit matrimonium quum una ex partibus paupertatem occultat, quæ ſi manifeſta foret, non contraheretur matrimonium?*

RESPONDEO validum eſſe matrimonium, quia error non eſt in ſubſtantia. Sic reſpondent communiter Theologi; ſi tamen interrogatus a filia num aliqua habeat

habeat bona, & mentiatur, peccat mortaliter.

Sexto : *Utrum validum ſit matrimonium, cum Sacerdos omiſit iſta verba :* Ego vos conjungo ?

RESPONDENT aliqui recentiores Theologi negative, propugnantes Sacerdotem eſſe ſacramenti Matrimonii Miniſtrum, ut Eſtius in 4. ſentent. diſt. 26. ff. 10. & 11. E contra vero ſanctus Thomas in 4. diſt. 26. q. 1. art. 1. ad. 2. propter rationem oppoſitam, maxime cum matrimonia clandeſtina in quibuſdam regionibus valida ſint. Nec mirum, nullibi in antiquis manuſcriptis reperies iſtam formulam ab ore Sacerdotis ſuper conjuges prolatam : *Ego vos conjungo* : Sed tantum preces ad Deum directas, ut contrahentes benedicere, conſociare, protegere & cuſtodire dignetur. Ut videre eſt in Gelaſiano Miſ. & MSS. codicibus Remenſi & Gellonenſi annorum 900. In MS. Miſſali Redonenſi, ab annis circiter 700. ſcripto in Bib. S. Gatiani aſſervato. In MS. Pontificali Monaſterii Smyrnenſis Turonenſis annorum 600. & aliis; quod argumentum eſt Parochum non eſſe ſacramenti Miniſtrum, ut ſuo probavimus loco. Quid reſpondeas velim, ſi mulier omiſſis verbis, Sacerdote expoſtulante num Jacobum pro ſponſo velit habere, & ſolum reverentiæ ſignum adhibeat? Tenent Theologi ejus conſenſum iſto ſigno ſufficienter exprimi.

Septimo : *Utrum Barbara ad Eccleſiam ducta ut contrahat matrimonium, pro qua, ipſa ſilente, ejus pater reſpondet eam velle nubere cum Joanne, vere matrimonium celebret ? ubi & de ſimulatione conſenſus multa ſubnotantur pro caſuum reſolutionibus ?*

RESPONDEO 1. ordinarie loquendo ratum eſſe matrimonium ; præſumitur enim virginem ſuum exprimere conſenſum ore paterno : ſi tamen interius contradicat, nullum eſt matrimonium. Sic cenſet S. Thomas in 4. diſt. 29. in expoſit. textus legis *Hujus* 1. ff. 2. ff. de pactis : " Quantum, *inquit*, ad forum conſcientiæ, ſi interius diſſentiat puella, quamvis exterius non reclamet, non eſt matrimonium. "

Angelicus Doctor ibidem in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. ad. 4. affirmat Claudium qui ficte præbuit conſenſum ut cum Joanna nuberet, non poſſe cum altera nubere, & hoc propter quamdam publicam honeſtatem, tum quia conſenſus fictus eſt contra bonam fidem Joannæ, quæ ſincerum præbuit ; hinc in tali caſu ſponſus, antequam aliam ducat, tenetur Joannam ducere in uxorem, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis, & hoc ut ſatisfaciat juſtitiæ, juxta illud Innocentii III. in cap. officii 14. de teſtam. & ultimis volunt. L. 3. tit. 26. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

Aliter ſentiendum eſt ſi alicujus Princeps vel Villæ Dominus fingeret ſe matrimonio conjungi cum filia ruſticana, & aliquo tempore velut maritus cum ea inhabitaret, tum aliquo elapſo tempore, declararet Parocho ſe ſolum ſimulaſſe matrimonium contrahere. Ratio a priori ea eſt, quod ſecundum judicium viri prudentis propter immenſam inter partes diſproportionem conſenſus non cenſeretur ſufficienter expreſſus, cum hoc totum ludicrum appareat : quæ quidem ratio colligitur ex S. Thoma mox citato, exigente æqualem conditionem feminæ cum marito : E contra vero ſi ſponſa melioris ſit conditionis, ex eodem ſancto Doctore vere contrahit, tametſi ſponſus ſit inferioris, favor enim pro marito ampliandus eſt : " Quia, *inquit*, præſumi probabiliter poteſt quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit. "

Reſpondeo 2. in caſu quo Jacobus finxit nubere cum Lucia, & reclamante conſcientia, cum ea habitare renuit, ſed cum altera vere & ex animo contraxit matrimonium, ficte celebratum cum Lucia nullum eſſe, ſed ſecundæ mulieri adhærere debere, tametſi Judex in foro contentioſo eum ſub interminatione excommunicationis, reclamante Lucia, ad illam redire cogat : Hinc non obſtante excommunicatione, in alienam terram poteſt ſecedere, ut citra ſcandalum cum vera uxore vivat. Sic propugnat S. Thomas in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 3. " In tali caſu, *ait*, Eccleſia compellit eum ad ſtandum cum prima uxore, quia judicat ſecundum ea quæ foris apparent : nec decipitur in juſtitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet

„ bet potius excommunicationem ſuſtine-
„ re quam ad primam uxorem accedere,
„ vel debet in alias regiones remotas fu-
„ gere. „ Idem docet Quodlib. 5. art.
15. ad 2.

Reſpondeo III. Matrimonium irritum eſſe in caſu quo Lucius fingens conſentire matrimonio cum Berta, ea conditione quod teſtetur ſe eſſe virginem, cum tamen de facto non ſit, animo fornicario acceſſerit ad eam, & poſtea ab eadem receſſerit, quia inquit Innocentius III. in cap. *tua fraternitas* fin. de adulteriis & ſtupro & in cap. *Intelleximus* in 6. eod. tit. *Paria crimina compenſatione mutua delentur*. Sic propugnat Sylvius in Supplem. Sum. D. Thomæ q. 45. art. 4. quæſito 1.

Octavo: *Utrum adoleſcens & puella qui ſibi mutuo promiſerunt intra tres menſes inire matrimonium, ea conditione quod ille qui promiſſis non ſteterit, mille argenteos alteri ſolvat, teneatur ad ſolvendam ſummam ille qui a promiſſione ſecedit?*

RESPONDEO affirmative, cogendus eſt non tamen cenſuris adoleſcens qui non ſtat promiſſis, ut cum puella nubat. Primum patet, neceſſe quippe eſt aliqua pœna mulctari qui non ſtat promiſſis: Sic ſtatuunt & volunt jura: Secundum utique, eo quod multa ex coactione matrimonium celebrandi inconvenientia ſequantur. Sic definit Lucius III. Papa in cap. *Requiſivit* 17. de ſponſ. matrim. " Cum libera, *inquit*, „ debeant eſſe matrimonia, monenda eſt „ potius, *pars adverſaria* quam cogenda; „ cum coactiones difficiles ſoleant exitus „ frequenter habere. „

Nono: *Num teneat Matrimonium Andreæ cum Anna opulentiſſima in terra alienigena conſiſtente, omiſſo parentum conſenſu adoleſcentis, quem quidem conſenſum propter locorum diſtantiam non poteſt habere?*

RESPONDEO valere, quia adeſt parentum conſenſus præſumptio ea potiſſimum ratione, quod totum cedat in filii bonum, nec refert quod Andreas nondum ſit emancipatus, ſed ſolum vigeſimum attigerit annum.

Idem dicendum de filio, qui ut primum emancipatus exiſtit, inſciis parentibus, contrahit matrimonium: Sic habetur in Jure Romano leg. *Filius* 25. ff. *De ritu nuptiarum*, his verbis: " Filius " emancipatus etiam ſine conſenſu patris „ uxorem ducere poteſt, & ſuſceptus fi- „ lius ei hæres erit. „

Decimo: *An valeat Matrimonium hominis ad mortem per ſententiam latam addicti, qui induſtria e carcere ſolutus ad regni confines perrexit, & ibi iniit matrimonium?*

RESPONDEO valere quoad Sacramentum, tametſi quoad contractum civilem non ponderet: Cum enim Matrimonium ſit contractus naturalis & liber, non impeditur ratione imminentis periculi vitæ, cum nequidem non irritum ſit Matrimonium cum excommunicato denuntiato initum, ut propugnat Domnus Brillion in Dictionario Sententiarum Senatus V. excommunic. num. 63.

Undecimo: *Num parentes, tuta conſcientia, poſſint denegare dotem filiabus, aut filiis emancipatis, qui, prætermiſſo eorum conſenſu, nubunt?*

RESPONDEO non poſſe, eo quod jura hujuſmodi matrimonia rata habeant. Sic declarat Henricus IV. anno 1606. Sic Ludovicus XIII. 1629. Circa iſtud momentum attendendum eſt ad Regum ſtatuta, & locorum conſuetudinem.

Duodecimo: *Num valeat matrimonium Domicellæ nobilis, ſed pauperrimæ cum plebejo, divitiis affluente, contra voluntatem patris, qui ne a nobilitatis honore excidat, in votis habet potius eam ad terras alienigenas mittere?*

RESPONDEO valere; non enim cum tanto detrimento tenetur patri obedire, maxime cum matrimonium ſit de jure naturæ, hinc & ſibi pro vita pacifice ducenda conſulere poteſt.

Deci-

Decimo-tertio: *An valeat matrimonium illius, qui data Jacobo procuratione, ut ejus nomine cum Joanna nuberet, die vero immediate ſequenti prolapſus eſt in dementiam, ſicque Jacobus pro ipſo contraxit Matrimonium eo tempore quo ille non erat contrahendi capax?*

RESPONDEO valere Matrimonium, cum ſuum dederit libellum, eo tempore quo erat ſui compos, adeoque cum intentione virtuali quæ ſufficit ad Sacramentum. Nuntius igitur pro ipſo nupſit. Sic propugnat Caballutius, juris can. theor. & prax. Lib. 3. cap. 19. n. fin. Alias, *inquit*, ſequeretur Matrimonium ne quidem validum eſſe, cum Orator nomine Principis tunc dormientis, cum aliqua Duciſſa nubit. Idem defendunt Henriquez Lib. 11. de Matr. cap. 4. n. 4. & alii.

Decimo-quarto: *Vir ficte nubens, & matrimonium animo quoque ficto conſummans, ſed poſtea mutatus, vere vult ducere eam cum qua ficte jam contraxerat: Hoc poſito quæritur num requiratne ut coram teſtibus & Parocho renovetur conſenſus?*

RESPONDEO ſufficere ut interius & in ſecreto renovet conſenſum, nec neceſſe eſſe ut hoc impedimentum, vel ipſi aperiat uxori, quæ ex parte ſua vere conſenſit. Ita S. Thomas, S. Bonaventura, & S. Antoninus. Primus quidem in 4. diſt. 29. q. unica art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2. ſic loquitur: " Ex conſenſu libero iſtius ,, qui prius coactus eſt, non fit Matrimo- ,, nium: niſi in quantum conſenſus præ- ,, cedens in altero adhuc manet in ſuo vi- ,, gore. ,,

Alter in 4. diſt. 29. q. 2. n. 3. eamdem ſic ſolvit difficultatem: " Dicendum ,, quod tunc incipit obligari, & non ra- ,, tione conſenſus alieni tantum, ſed ra- ,, tione ſui, qui præceſſerat in actu, & ,, erat in habitu &c. ,,

Tertius demum 3. part. Summæ Theolog. tit. 1. cap. 7. Si poſtea, *inquit*, ta- ,, cite conſentiat, & libere, perſona li- ,, gata in conſenſu priſtino perſiſtente ve- ,, rum efficitur Matrimonium, & tunc ,, uterque ligatus eſt: quia, quamvis taci- ,, tus conſenſus per ſe non ſufficeret; ta- ,, men ſufficeret cum expreſſione exterio- ,, ri quæ præceſſit. ,,

Decimo-quinto; *Duo contrahunt Matrimonium cum impedimento criminis; Petitur, utrum, obtenta diſpenſatione, omiſſis teſtibus, ſatis ſit utrumque conjugem renovare mutuo conſenſum interiorem.*

RESPONDEO opus eſſe, ut iterum cum ſolemnitate nubant, ſi crimen fuerit publicum, & hoc juxta Concilii Tridentini placitum Seſſ. 24. de reformat. cap. 1. quod ad infinita prope mala ex matrimonio clandeſtino abroganda, voluit matrimonium publice celebrari: ubi igitur impedimentum eſt publicum, non ſufficit conſenſus interior renovatus. E contra vero ſi ſolis conjugibus notum ſit crimen, ea tamen conditione & obſervatione virum non poſſe petere debitum, ſi mulier impedimentum ignoraverit, donec obtenta diſpenſatione vir prudenter ſimul & ſubtiliter ejus obtinuerit conſenſum. Ita communiter Auctores Theologi, in primis Sylvius in Supplem. S. Thomæ q. 45. art. 2. concluſ. 3. his verbis: " Quædam ſunt obſervanda. Primum: ,, Non eſſe neceſſe ut cauſa nullitatis ma- ,, trimonii exprimatur ei, qui nihil ſcit ,, de impedimento: Secundum, ſufficere ,, ut perſona, quæ eſt impedimenti con- ,, ſcia, dicat alteri ſe in prius matrimonium ,, non conſenſiſſe defectu ſufficientis inſtru- ,, ctionis, & propterea petere ut conſen- ,, ſum ſuum ambo renovent; cum enim ,, conſenſus fuerit invalidus, apparet poſſe ,, appellari non conſenſum: Tertium, ſuf- ,, ficere ſi novus conſenſus procedat ex co- ,, gnitione, non quidem expreſſa, nullita- ,, tis matrimonii, ſed æquivalenti; veluti, ,, ſi conſcius impedimenti ſolicitet alium ,, in ſui amorem, & dicat: ita tibi affi- ,, cior, ut ſi non eſſet inter nos matrimo- ,, nium, nihilominus te acciperem, & jam ,, de facto ita te accipio. Numquid tu ſimi- ,, liter? Si reſpondeat quod ſic; vel eo affe- ,, ctu ſe cognoſcant, matrimonium conva- ,, leſcit." Quia, *ait Silvius*, ignarus im- ,, pedimenti non ſolum intendit permanere ,, in matrimonio prius contracto, ſed et- ,, iam inire novum, *ait Sylvius*, ſi prius ,, non fuerit validum.,, Concinit Alexander III. in cap *Propoſitum* 1. de eo qui duxit

in

tiquitatem : Tertio in Monaſtico Anglicano, quod non ſine magna Dei providentia ab ipſis Anglicanis Schiſmaticis & Hæreticis juris publici factum, fidem illibatam Sacramentorum, tum Sacrificii incruenti, invocationis Sanctorum, & Purgatorii traditione vera ita roboratam exprimit, ut nullus Proteſtantium illud negaverit, niſi in fide hoſpitem & peregrinum prorſus ſe probaverit. Quarto demum in canonibus Concilii Tridentini, qui pro aſtruendis ſingulis de fide circa Sacramenta articulis, non ſine Spiritus ſancti afflatu conditi ſunt.

Conſenſio Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali circa Sacramenta.

SUPERVACANEUM foret hic cuncta quæ ſingulas cujuslibet Sacramenti partes ſpectant enarrare. Sufficit meminiſſe decreti unionis Græcorum cum Latinis, cum eo loci nulla ſit pro Sacramentis inter utramque Eccleſiam diſceptatio. Quia tamen Proteſtantes Sacramenta in multis eſſentialibus infectantur, operæ-pretium eſt hic breviter texere palmaria cujuslibet Sacramenti in utraque Eccleſia confecti, ut affulgeat concordia pro Sacramentis tum in Oriente tum in Occidente, & non remaneat in ore loquentium perverſa redargutiones. Synodus Florentina in decreto unionis, & ſimul inſtructionis pro Armenis dicit, quodlibet Sacramentum tribus confici, rebus ſcilicet tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri habente intentionem faciendi quod facit Eccleſia: Igitur ſufficit hic oſtendere quænam ſit materia, quænam forma, quinam tandem cujuslibet Sacramenti miniſter in utraque Eccleſia, ſicque apparebit in ictu velut oculi mira Orientis & Occidentis pro quolibet Sacramento conſociatio. Unde ſit

ARTICULUS PRIMUS.

De Baptiſmo.

A Materia ducit exordium oratio, ut cuncta clara methodo dilucidentur.

§. I.

De Materia Baptiſmi in utraque Eccleſia.

SICUT Latini, ſic & Græci duplicem diſtinguunt Baptiſmi materiam, alteram ſcilicet remotam, alteram vero proximam. Apud Latinos eſt aqua naturalis, ut compertum habemus ex omnibus Ritualibus, & ſic uſus obtinuit. Non abſimili modo & in Eccleſia Græca, ita Arcudius c. 8. de Baptiſmo quod probat auctoritate Jobi monachi dicentis: "Præterea in ſacris myſteriis uni Presbytero licet una conſecrata aqua multos ſimul baptizare." Idem propugnat S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto c. 27. Idem Simeon Theſſal. idem Patriarcha Jeremias, idem Gabriel Philadelphienſis & Gabriel Protoſyncelus. Iſte pag. 89. ait: Materia ſacramenti Baptiſmi eſt aqua naturalis & ſimplex." Tum Syrurgus qui capitulum 16. Cyrilli Lucaris Calvinianæ Hæreſis morbo laborantis, ubi ait aquam naturalem non eſſe abſolute pro Baptiſmo neceſſariam, ſed ejus loco vinum & lac poſſe apponi, irrefragabilibus debellat argumentis.

Si de materia proxima loquamur, certum eſt Græcos & Latinos convenire eſſe materiæ remotæ applicationem.

§. II.

De Forma Baptiſmi in utraque Eccleſia.

Apud Latinos hæc eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: apud Græcos vero: *Baptizatur ſervus vel ſerva Dei. N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Sic Gabriel Philadelphiæ Antiſtes in libello de Sacramentis, ſic Joannes Moſcho, qui vitam ineunte 7. ſæc. agebat, in Prato ſpirituali c. 176. Rituale Jacobitarum Severi Antiocheni in officio Baptiſmi Syr. MS. non abſimilem profert, ſicut & Euchologium græcum pag. 365. Coptitæ eamdem habent cum Latinis formam etiam quoad Sillabas, ut patet ex Rituali Copt. Arab. MS. eadem ſubſtantialiter forma legitur in confeſſione Orthodoxa quam miniſter inter baptizandum pronuntiat.

§. III.

De Miniſtro Baptiſmi in utraque Eccleſia.

IN Eccleſia Latina miniſter ordinarius & ſolemnitatis Baptiſmi eſt Epiſcopus, tum & Presbyter, immo ex commiſſione Diaconus, ut ſuo probavimus loco; extraordinarius vero quilibet etiam Laicus etiam Paganus, etiam mulier, quia Baptiſmus eſt de neceſſitate ſalutis. In Eccleſia Orientali idem uſus obtinuit. Sic docet Arcudius c. 11. De miniſtro extraordinario extat canon 13. Nicephori CP. Patriarchæ: " Pro neceſſitate, *inquit*, etiam " ſimplex Monachus, ſimiliter & Diaco- " nus baptizat. " De Laicis & ſæcularibus ejuſdem Nicephori canon 16. ſic habet: " Infantes non baptizatos, ſi quo loco re- " periatur quis, ubi non ſit Sacerdos, baptizari; " præcipit. Idem approbat confeſſio Orthodoxa & ſic redditur latine: " Baptiſmus juxta ordinem non niſi per " Presbyterum legitime ordinatum confer- " tur; ſed in caſu neceſſitatis perſona ſæ- " cularis vir aut femina iſtud poteſt ad- " miniſtrare Sacramentum utendo materia " congrua, quæ eſt aqua ſimplex & natu- " ralis, addendo verba prædicta, in no- " mine Patris, & Filii, & Spiritus ſan- " cti, triplicem faciendo immerſio- " nem. "

ARTICULUS SECUNDUS.

De Confirmatione.

SICUT in priori Sacramento, ſic & in Confirmatione tria veniunt diſcutienda, alterum de materia, alterum de forma, tertium de Miniſtro.

§. I.

De Materia Confirmationis in utraque Eccleſia.

MATERIA Confirmationis apud Latinos eſt impoſitio manuum cum unctione olei balſamo commixti, ita Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 7. ita S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 26. Praxis Eccleſiæ invaluit ut impoſitioni manuum adderetur unctio.

Apud Græcos præter impoſitionem manuum adhibetur etiam unctio olei & balſami. Hinc iſtud Sacramentum ex odoris fragrantia dicitur a Patribus, χρίσμα μύρου ἐλαίου. Sic etiam vocatur a Syris, Coptitis, & Æthiopibus, ſic a Gregorio Protoſyncello Synopſ. myſter. pag. 110. Eamdem pro iſto Sacramento aſſignat materiam Simeon Theſſalonicenſis de Sacram. c. 65. pag. 62. & ſeq.

§. II.

De Forma Confirmationis in Oriente & Occidente.

LATINI hanc habent pro Confirmatione formam: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Ita communiter Theologi.

Quidam autumant hanc eſſe apud Græcos juxta Euchologium: *Tu Domine omnium Rex, miſericors dona ei, & ſignaculum largitionis Sancti & omnipotentis, adorandique tui Spiritus.* Tum ſignando Chriſmate per modum crucis in fronte, in oculis, in naribus, in ore, auribus, pectore, manibus, & pedibus baptizatum, ait *Signaculum largitionis Spiritus ſancti.* Quæ quidem forma coincidit cum Latina. Synodus 7. generalis Act. 4. & 8. non abſimili modo eamdem profert formam: *Ut enim*, ait, *in regeneratione per Baptiſmum, & ſtola & ſignaculum doni Spiritus ſancti, ita etiam in regeneratione per pœnitentiam.*

§. III.

De Miniſtro Confirmationis.

DIXIMUS in 3. p. tractatus Diſſer. 2. Miniſtrum Confirmationis ordinarium eſſe Epiſcopum, extraordinarium vero ſimplicem Sacerdotem ſummi Pontificis privilegio munitum.

Idem ſentiunt Græci. De ſimplicibus Presbyteris non una eſt opinio; uſus enim obtinuit apud illos ut iſti Confirmationem adminiſtrent, ſed contendimus eos hoc non niſi ex privilegio obire munus cum cer-

tum

Digitized by Google

tum ſit eos non fuiſſe prioribus Eccleſiæ ſæculis hujus Sacramenti Miniſtros, quod non levius ſubnotat S. Chryſoſt. Hom. 18. in acta Apoſtolorum his verbis: " Virtu-,, tem quidem acceperant *inferiores Mini-,, ſtri*, faciendi ſigna, non autem dandi ,, aliis Spiritum ſanctum. ,, His accedit Arcudius, qui hic Lib. 2. cap. 14. ſuſo calamo probat ſimplicem Sacerdotem non niſi Miniſtrum extraordinarium eſſe Confirmationis.

ARTICULUS TERTIUS.

De Euchariſtia.

QUATUOR dogmata hic breviter in ſenſu utriuſque Eccleſiæ tractanda ſunt, ut juxta ſcopum utriuſque Eccleſiæ affulgeat conſenſus. Primoquidem de materia hujus Sacramenti. 2. De forma. 3. De præſentia vera corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia 4. De Sacrificio.

§. I.

De Materia.

APUD Latinos materia Euchariſtiæ eſt panis triticeus, illeque azymus. Panis quidem juxta illud 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſu in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit, accepite & manducate &c.* Cui concinit Florentinum in decreto unionis, triticeus vero, quia ex D. Thoma ſolus eſt panis verus & uſualis. Tandem azymus, ut probat praxis Eccleſiæ, tum & Leo IX. Epiſt. adverſus Michaelem Cærularium. Et vero hunc morem a Chriſto promanatum eſſe ſatis innuunt Evangeliſtæ. Matth. enim 26. habetur Chriſtum manducaſſe Paſcha *prima die azymorum* hoc eſt luna 14. terminante, quod innuit S. Joan. cap. 13. dicens, *ante diem feſtum Paſcha*; hoc eſt prima die azymorum, ſeu feſto azymorum in Vigilia ad Veſperam.

Apud Græcos materia Euchariſtiæ utique eſt panis triticeus; ſic habetur in Florentino in decreto unionis, nec in hoc Græci quidquam reprehenſione dignum in Latinis invenere: hinc Arcudius Lib. 3. cap. 3. pag. 232. ait: " Græcorum an-,, tiqui Patres numquam in hac re, ut ,, neque in ceteris Romanam Eccleſiam, ,, membra, caput, auſi ſunt reprehende-,, re. ,, Diſcrepant ſolum, quod fermento utantur illi; ſed quod panis ſit azymus vel fermentatus, eſt ſemper ſubſtantialiter panis; hinc iſta diverſitas non niſi accidentalis evadit.

Vinum vitigineum eſt altera Euchariſtiæ materia, & in hoc fuit ſemper & eſt mira utriuſque Eccleſiæ conſenſio, ut patet ex Concilio Florentino in decreto Eugenii Papæ.

§. II.

De Forma in utraque Eccleſia uſitata.

FAMILIARES ſunt in Eccleſia Latina iſtæ formæ, *Hoc eſt corpus meum &c. Hic eſt ſanguis meus*, ut docet S. Thomas hic q. 68. art. 1. apud Græcos eædem ſunt ſubſtantialiter, nec diverſitatem niſi leviorem & prorſus accidentalem reperies; quod aliquibus exemplis illuſtrari poteſt. In Liturgia S. Jacobi fratris Domini optimæ notæ habetur: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. Hic eſt ſanguis meus teſtamenti novi, qui pro vobis, & pro multis fidelibus effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.*

In Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi legitur: *Hoc eſt enim vere corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.*

Tum, *Hic enim eſt ſanguis meus vere, ipſe qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam*. Et ſic de ceteris.

§. III.

De præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia, & de Miſſa ſacrificio.

TANTA eſt inter utramque Eccleſiam de præſentia reali Chriſti in ſanctiſſimo altaris Sacramento concordia, ut hoc probationibus non indigeat. Et vero Latini & Græci ſunt circa hoc unius labii. Inter La-

Latinos hanc docent veritatem Ambroſius L. de iis qui initiantur ad fidem, cap. 9. Optatus Milevitanus L. 6. contra Parmenianum. S. Auguſtinus L. 17. de civ. Dei cap. 20. &c. Inter Græcos vero Juſtinus Martyr Apol. 2. Cyrillus Alexandrinus L. 4. in Joan. cap. 2. Gregorius Nyſſenus Orat. Catechetica, Cyrillus Jeroſolym. Catech. 5. myſtag. &c.

Neque vero relinquitur ambigendi locus de mente Orientalium & Occidentalium pro ſacrificio Miſſæ. Utriuſque Eccleſiæ Liturgiæ illud annuntiant: apud Latinos Miſſa Mozarabica, Romana altera quæ legitur in ſacramentario Magni D. Gregorii Papæ, tertia quæ eſt in Miſſali Salisburgenſi in Anglia: apud Græcos quadraginta circiter juxta Renaud. To. 11. 11. Liturgiarum Orient. Suffragantur Concilia, ut Nicænum ſecundum generale pro Græcis, pro Latinis vero Tridentinum ex profeſſo adverſus Calviniſtas. Tum & Patres Latini & Græci: in primis inter Latinos S. Cyprianus Epiſt. ad Cæcilium, Hieronymus Epiſt. ad Marcellam, Auguſtinus L. 83. quæſt. 61. Et alii qui paſſim docent Chriſtum fuiſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, adeoque ſacram confeciſſe Euchariſtiam. Inter Græcos vero Clemens Alexandrinus L. 4. Strom. non procul a fine, Chryſoſtomus L. 6. de Sacerdotio: Euſebius Cæſarienſis L. 5. Demonſt. Evang. maxime Concilium Nicænum 1. can. 18. tum Epheſinum in declaratione Anathematiſmi undecimi. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

De Pœnitentiæ Sacramento.

UTRAQUE Eccleſia admittit Pœnitentiæ Sacramentum, ut ſuſe probat Renaudotius Tom. 5. perpetuitatis fidei Lib. 3. & 4. quatuor impræſentiarum reponenda ſunt, videlicet de materia, forma, confeſſione ſacramentali, & Miniſtro.

§. I.

De Materia Pœnitentiæ juxta Orientales & Occidentales.

OSTENSUM eſt ſupra omni argumentorum genere materiam Pœnitentiæ remotam eſſe peccata, proximam vero actus pœnitentis, maxime vero contritionem. Jam vero ſi de Græcis loquamur, non minus erat in uſu hæc materia, ut liquet ex canonibus pœnitentialibus multorum Conciliorum in Oriente adunatorum, ubi fit mentio de pœnitentia laborioſa, de confeſſione peccatorum, & eorumdem abſolutione, ut habet can. 9. Concil. Neocæſ. can. 3. 32. 51. 68. 69. apud S. Baſilium, in primis can. 4. Apl. S. Greg. Nyſſ.

Orientales in tractatibus quos adverſus Cyrillum Lucarem & Calviniſtarum errores ediderunt, maxime vero Simeon Theſſal. Meletius Piga, Gabriel Philadelphienſis fuſo calamo de hoc momento ſcribunt. Non omittendus Jeremias Patriarcha CP. reſp. 1. adverſus Lutheranos Witembergenſes p. 87. ubi ait: Opus eſt, „ ut qui ſua deponit peccata, confitea- „ tur cuncta in quantum recordatur, & „ hoc cum corde contrito & humilia- „ to. „

§. II.

De Forma.

NOTA eſt omnibus forma pro abſolvendis peccatis apud Eccleſiam Occidentalem: Eadem prope eſt apud Orientales: tametſi enim quaſdam fundant preces ante abſolutionem, vere tamen abſolvunt, vel abſolute dicendo, *Ego te abſolvo*, vel ſic per modum deprecationis: *Deus te abſolvat*. Arcudius Lib. 4. pag. 373. hanc refert abſolutionis formam a Patriarcha Antiocheno datam his verbis: *Quæcumque oblivione vel verecundiæ cauſa confiteri prætermiſiſt, ita quoque condonet ipſi miſericors Deus, qui eſt benedictus in ſæcula.* Ibidem de Jeremia Patriarcha laudato cap. 11. reſp. 1. ad Lutheranos confutandos, ſic loquitur. *Quicquid vero peccatorum aut propter oblivionem omiſerit, aut propter verecundiam obticuerit; oramus miſericordem & mitiſſimum Deum, ut*

ti.

vi hæc quoque remittantur, & confidimus ea ipſi remiſſum iri. Duo hic obſervat Arcudius, primum, per peccata ob verecundiam omiſſa, non intelligi ea quæ ex determinata malitia reticent. Alterum vero formam abſolutionis apud Græcos eſſe deprecatoriam.

§. III.

De Confeſſione Sacramentali quoad praxim.

SUO loco validiſſimis argumentis ex traditione depromptis probavimus dogma Confeſſionis, eſſe eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ partem, quam quidem inter omnia Sacramentorum dogmata temerare conantur Proteſtantes, quocirca ejus praxim & diſciplinam juvat ſpecialiter demonſtrare.

Diſciplina pro Confeſſione ſingulorum peccatorum emittenda in Eccleſia Occidentali.

PRIMO: Singulis Dominicis Fideles olim accedebant ad Epiſcopos, ut ſua deponerent peccata. S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus dies potiſſimum Dominicos ad id muneris impendere ſolebat, teſte Honorato Maſſilienſi Epiſcopo in ejus vita cap. 13. ex antiqua tamen Eccleſiæ diſciplina, omnes initio Quadrageſimæ, vel die Dominica, vel feria quarta ante Dominicam primam ſingulari præcepto tenebantur peccatores confiteri Epiſcopo, vel ejus Vicario. Id teſtantur non modo omnes antiqui libri Pontificales Rituales, qui ante annos 800. aut 900. & ultra deſcripti ſunt, verum etiam varii Conciliorum canones, & Pontificum ſtatuta.

Concilium Agathenſe apud Reginonem Lib. 1. cap. 29. & apud Burcardum Lib. 39. cap. 26. “ In capite, *inquit*, Quadrageſimæ omnes Pœnitentes qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pęnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis. „ Idem non obſcure innuit Concilium Rhemenſe anno 639. cap. 8. decernens ut nemo: “ Tempore Quadrageſimæ pœnitentium confeſſiones audiat præter Paſtorem. „ Clarius Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Epiſtola Synodica ad Parochos, Spicilegi Tom. 2. “ Feria quarta ante Quadrageſimam plebem ad confeſſionem invitate. „

Regino Prumienſis Abbas Lib. 2. cap. 65. inter alia quæ ab Epiſcopo Parochias viſitante de Laicis inquiri jubet: “ Si, *inquit*, aliquis ad confeſſionem non veniat, vel una vice in anno, id eſt, in capite Quadrageſimæ, & pęnitentiam pro peccatis ſuis ſuſcipiat. „ Idem docent admonitiones Synodales in appendice ad Reginonem a Stephano Balutio editæ. Hinc Concilium Meldenſe anno 845. cap. 76. ſtatuit ut: “ Nemo comitum, aut quiſquam ex judiciaria poteſtate poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes Pęnitentes manus impoſitionem ad vacandum ſolummodo Pęnitentiæ ac divinis officiis accipiunt, placitum aut malum tenere præſumat. „

S. Adalardus Abbas Corbejenſis Lib. 1. ſtatutorum cap. 2. Spicilegii tom. 4. Monaſterii operariis concedit laboris manualis remiſſionem: “ Primo die jejuniorum Quadrageſimæ, ut ſpatium habeant confeſſiones renovare. „ Denique in antiquo ordine confeſſiones edendæ Codicis Turonenſis ante annos 800. exarati, inter alia Pęnitens ſic ſe accuſat, quod: “ In quadrageſima, *ſicut conſtitutum eſt*, confeſſus non fui.

Secundo: Confeſſio poſtea facta eſt ter in anno juxta conſtitutum in univerſa Occidentali Eccleſia promulgatum & acceptatum. Innocentius III. in Concilio Lateranenſi non nihil immutavit in hac diſciplina præcipiendo omnibus utriuſque ſexus, ut ſemel ſaltem in anno ſua deponerent peccata. Nonnulli tamen Pontifices ad ternam in anno confeſſionem plebem ſuam adſtringebant. Extat ea de re Chrodegangi Epiſcopi Metenſis, qui ante annos 950. cum pietatis laude florebat, decretum in regula, quam Canonicis dedit cap. 32. “ In uno quoque anno tribus vicibus, id eſt, in tribus Quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in uno quoque Sabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo. „ Illud decretum ſuſceperunt quædam aliæ Eccleſiæ, nam in MS. Codice Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. habetur: “ Hæc eſt ratio Pęnitentiæ, & confeſſionis noſtræ, quæ coram Domino & Sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ ſunt, id eſt, in anno quoque tribus vicibus

„ bus, id eſt in Quadrageſimis populus „ fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti „ faciat, & qui plus fecerit, melius fa- „ cit. Monachi in uno quoque Sabbato, „ & Clerici canonici in tertio Sabbato con- „ feſſionem faciant, cum Epiſcopo, aut „ priori ſuo. „

Ternam confeſſionem in anno etiam præſcribunt Concilia. Toloſanum anno 1228. cap. 3. Albienſe anno 1254. cap. 9. Spicilegii tom. 2. conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum cap. 25. conſtitutiones S. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis cap. 17. Synodus Wigornienſis anno 1290. cap. 16.

Non deſunt exempla quibus frequens uſus confeſſionis comprobatur. Otto Bambergenſis Epiſcopus ac Pomeranorum Apoſtolus in hortatione ad Piriſſenſes, quæ refertur in ejus vita L. 2. cap. 17. apud Surium 2. Julii, vult ipſos quater in anno confeſſionem facere, tum & communicare. In Eccleſia Lingonenſi utriuſque ſexus fideles tempore Rogationum ſua quondam deponebant peccata, ut refertur in Chronico Spicilegii tom. 1. ſimiliter & Angli ante Natale Domini, ut ſcribit Egbertus Eboracenſis Epiſcopus in Dialogo. Ingraveſcente infirmitate, referente Gregorio Mag. L. 1. Dial. cap. 12. infirmi; imminente vero vitæ periculo in pugna danda milites, ut obſervat Mabillonius in præfatione ad ſæc. III. Bened. parte 1. huic obediebant legi: immo & ante peregrinationem viatores; ſic annuntiat Alcuinus Epiſt. 46. Ad Damætam. Martenus Lib. 1. de Tit. tom. 2. cap. 6. art. 2. num. 16. allatis pro eodem momento factis, tum ſic concludit. " Præterire non „ debeo nonnullos olim, uti nunc uſus „ apud pios pleroſque viros obtinet, con- „ feſſionis ſacramentum quotidie frequen- „ taſſe: Id de Monachis teſtatur Jonas „ Aurel. Epiſcopus in Lib. 1. de inſtitutio- „ ne Laicali „ ... Et ne quis ſolis Monachis id ſingulare extitiſſe autumat, Ludovicum Pium Imperatorem profero, qui per Drogonem Metenſem Epiſcopum fratrem ſuum: " Quotidie confeſſionis ſuæ munus, „ ſacrificium Spiritus contribulati ... af- „ ferebat; „ ſic habetur in ejus vita apud Cheſnium tom. 2. Hiſt. Franc.

Tertio Pœnitentia privata depoſitis armis & baculis, cum ſumma humilitate fieri debet, ut habetur in antiquo ordine Romano apud Alcuinum capite jejunii. Hanc humilitatem, ut amplius exhiberet Pippinus Rex: " Non dedignatus eſt gra- „ tia confeſſionis diſcalceatus ſanctum vi- „ rum adire, ejuſque imperio parere. „ Ut habent acta S. Victoris apud Bollandum 7. Maji.

Praxis confeſſionis Sacramentalis in Eccleſia Orientali.

MULTI tractatus Arabes & Syriaci, anonymi quidem, ſed excerpti e Patrum ſcriptis, tum ex operibus & Aſcomonini qui nono florebat ſæculo, & Dionyſii Barſalibi, qui duodecimo. Uterque erat Jacobita, prior inter Coptitas celeberrimus, poſterior apud Syros venerabilis. In uno ex illis tractatibus pervetuſto expreſſa fit mentio de confeſſione ſingulorum peccatorum facienda Sacerdoti tamquam de diſpoſitione prævia, eaque neceſſaria ad ſacram Communionem. In altero ſic habetur: " Nullus poteſt remiſſionem peccato- „ rum obtinere, niſi cum circumſtantiis „ aperiat Sacerdoti, ut ab eis abſolva- „ tur. „ Tertius ſimilia complectitur; ut videre eſt apud Renaudotium, Tom. 5. perpet. fidei L. 3. cap. 5. ubi & alia innumera pro eodem momento adſunt ſuffragia. Ergo &c.

§. IV.

De Miniſtro.

EODEM modo apud Græcos ſicut apud Latinos ſolus Sacerdos approbatus, eſt Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ; ſic habetur in confeſſione Orthodoxa: ſic in tractatu Meletii Syrurgi, ſic in reſp. 7. Jeremiæ Patriarchæ CP. & in aliis ſcriptoribus. In primis in Auctore diverſarum homiliarium Venetiis ann. 1560. Juris publici factarum, maxime homilia in quartam Dominicam Quadrageſimæ, ubi omnia quæ ſpectant Pœnitentiæ ſacramentum, ne uno quidem articulo excepto, adamuſſim explicat; ſic loquitur de Sacerdote abſolvente: " Miniſter Jeſu Chriſti & diſ- „ penſator ejus Myſteriorum debet in ipſo „ Chriſti tribunali ſedere ...... tenere „ utramque clavem Petro collatam, quæ „ virtute paſſionis Jeſu Chriſti vim habent „ ligandi & ſolvendi, hoc eſt pœniten- „ tem

Digitized by Google

„ tem a damnatione æterna liberare &c. „ Concinit Damaſcenus Studita Theſſalonicenſis „ qui varias utique vulgavit Homilias ann. 1618. & 1628. " Tametſi, *inquit*, homini confitearis peccata, vere tamen Deo confiteris, & ipſe eſt „ qui tibi condonat peccata, namque ſi „ homo abſolutionem confert, prius a „ Deo eam conferendi accepit poteſta„ tem. „

ARTICULUS QUINTUS.

De Extrema-Unctione.

ORIENTALES utique conveniunt cum Latinis circa Extremam-Unctionem, quam etiam habent, ut novæ legis Sacramentum: Igitur ordini propoſito adhærentes, breviter oſtendimus, quænam ſit materia, quænam forma, quinam vero Miniſter Sacramenti Extremæ-Unctionis in utraque Eccleſia.

§. I.

De Materia Extremæ Unctionis.

DUPLEX eſt materia iſtius Sacramenti juxta omnium Theologorum placita. Una remota, altera vero proxima. Si de Latinis loquamur, certum eſt oleum olivarum eſſe materiam remotam, unctionem vero proximam. De remota apertus eſt S. Jacobi locus Epiſt. c. 5. ubi de Extrema Unctione ſermo eſt his verbis: *Ungentes eum oleo*. Ita Innocentius Papa I. Gregorius vero Magnus: Tum & Catechiſmus Rom. num. 5. part. 2. de Extrema-Unctione, ubi hujus materiæ congruitatem ex ejus miris effectibus deducit, ait, " Oleum præterea ſanitatem reſti„ tuit, hilaritatem affert, & lumini „ tamquam pabulum præbet: Tum vero „ ad recreandas defatigati corporis vires „ maxime accommodatum eſt. „ Altera par ſeipſam prodit, cum uſus olei fiat per unctionem, quocirca S. Jacobus, ait, *ungentes eum*. Simili modo ratiocinandum eſt de Eccleſia Orientali. Ita Arcudius Lib. 5. c. 1. his verbis: „ Materia hujus „ Sacramenti, quod inſtar medicinæ cu„ juſdam ſpiritalis confertur, eſt purum „ oleum, quod non ſit permixtum cum „ aliis aromatibus inſtar unguenti confir„ mationis. Oleum, inquam, quod ſit „ aptum ad mitigandum & ſanandum do„ lores corporis. „

Similia proferunt de iſto Sacramento omnes Orientales. Sic propugnat Simeon Theſſalonicenſis de Sacr. pag. 63. ubi ſic loquitur: " Sanctum oleum nobis ex tra„ ditione collatum eſt, tamquam cære„ monia ſacra, quæ eſt divinæ miſeri„ cordiæ typus ad liberationem & ſanctifi„ cationem eorum qui a peccatis ad Deum „ convertuntur, quodque non ſolum produ„ cit peccatorum remiſſionem, verum et„ iam morbos ſanat. „ Allatius pro hoc momento laudat Jobium monachum, & fidei profeſſionem Joannis Paleologi Andronici, II. Imperatoris CP. filium, Gabrielem Philadelphiæ, Synodum Cypri, reſponſiones Jeremiæ Patriarchæ ad Theologos Wittembergenſes. De conſenſione L. 3. c. 15. p. 198.

§. II.

De Forma.

IN utraque Eccleſia forma eſt deprecatoria, & hoc pro ſanitate corporis reſtauranda, tum pro peccatorum reliquiis abſtergendis. Utraque Eccleſia pro iſta forma uſurpanda citat verba D. Jacobi, *Orent ſuper eum .... Et oratio fidei ſalvabit infirmum*.

Latini formam modo abſoluto pronuntiant, dicendo: *Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum &c.* Sic colligitur ex Concilio Trid. cap. 1.

Apud Græcos in Euchologiis eſt deprecatoria: ſic enim habetur: " Pater ſan„ cte, animarum & corporum medice, „ qui filium tuum unigenitum D. N. J. C. „ omnem morbum curantem, & ex mor„ te nos liberantem miſiſti; Sana quoque „ ſervum tuum N. e detinente illum cor„ poris infirmitate, & vivifica illum per „ Chriſti tui gratiam: interceſſionibus ſu„ per omnes S. Dominæ noſtræ Deiparæ „ & ſemper Virginis Mariæ, protectio„ nibus venerandarum ſupercæleſtium vir„ tutum incorporearum, virtute pretio„ ſæ, ac vivificæ Crucis, honorandi glo„ rioſi Prophetæ præcurſoris & Bapti„ ſtæ Joannis, Sanctorum glorioſorum &

Digitized by Google

„ toto orbe celebrium Apoſtolorum, Sanctorum glorioſorum & victoriis Clarorum Martyrum, & Deiferorum Patrum noſtrorum, Sanctorum medicorum mercede non conductorum Coſmæ, & Damiani, & Cyri & Joannis, Pantaleonis & Hermolai, Sampſonis & Diomedis, Phocii & Aniceti, Sanctorum & juſtorum, Dei parentum Joachim & Annæ, & omnium Sanctorum, Amen. Quia tu es fons ſanitatum, & Chriſte & Deus noſter, & tibi gloriam referimus Patri & Filio, & ſancto Spiritui, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. „

Idem colligitur ex Meletio Syrurgo Refut. 15. art. Cyrilli MSS. ex Doſitæo in Synodo Jeroſolymitana an. 1682.

§. III.

De Miniſtro.

OMNES Catholici qui ſeptem admittunt Sacramenta, tametſi ſchiſmatici, non alium quam ſimplicem Sacerdotem admittunt Miniſtrum, cum expreſſe dicat B. Jacobus jamjam laudatus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ*.

Sic uſus invaluit in Eccleſia Latina, ut omnia referunt Ritualia. Concinit S. Auguſtinus Lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum c. 16.

Pro Eccleſia Græca teſtis eſt Simeon Theſſalonicenſis apud Arcudium Lib. 5. c. 3. Ibidem de hoc momento loquens ait: " Septem autem numero Presbyteros Græcorum Eccleſia exigit, ſive propter ſeptem peccata mortalia, ſive quia ſeptenarius numerus in ſacra Scriptura valde commendatur, & non caret myſterio. „

ARTICULUS SEXTUS.

De Ordine, & Matrimonio.

APUD univerſalem Eccleſiam, materia Sacramenti Ordinis ſunt inſtrumenta tangenda; vel impoſitio manuum, quæ eſt apud Orientales familiaris; cum enim Chriſtus non determinaverit materiam Ordinis in individuo, reliquit Eccleſiæ poteſtatem eam individualiter aſſignandi; hinc quod ordinetur Sacerdos, per ſolam manuum impoſitionem, vel etiam ei addendo inſtrumenta, nihil refert. Quocirca Eccleſia Latina in Concilio Florentino, Clemens VIII. & alii Pontifices in congreſſu cum Græcis habito, nihil reprehenſione dignum in materia Sacramentorum invenere. Arcudius Lib. 6. c. 3. ubi de ordinationibus Græcorum agit, quamvis impoſitionem manuum pro materia cuilibet Ordini eſſentialem nominet, non ſilet tamen inſtrumenta: " Ut facilius, *inquit*, diſcernere valeamus quænam ſit materia ſacrorum Ordinum apud Græcos, Nota ex his, quæ recenſuimus, quod in primis Lectori, Subdiacono, Diacono, Presbytero & Epiſcopo, cum ordinantur, imponuntur manus a Pontifice, eſtque id commune omnium. Deinde peractis orationibus conſecratoriis, lectori porrigit Pontifex librum epiſtolarum canonicarum cum actibus Apoſtolicis, Subdiacono præbet vaſa, urceolum, & lebetem una cum mantili ad infundendam aquam Pontifici. Diacono exhibet flabellum quo arcet muſcas & pulveres &c. „

Si de Forma loquamur, nihil eſt aliud apud Græcos præter orationem, ut advocetur Spiritus ſanctus ſuper ordinandos dum illis manus imponuntur. Ita Syrurgus debellando capitulum 15. confeſſionis Cyrilli Lucaris Calvinianæ, ubi explanat auctoritate Scripturæ ſuffultus, ſacram ordinationem, & ſic redditur: " Nonne nobis apparet Spiritum ſanctum ea ſtatuiſſe quæ obſervari debebant ab his qui ad Epiſcopatum erant promovendi. Primoquidem, ut ſuſciperent ordinationem, & preces illorum qui jamjam ordinati fuerant, tum & ſuum adimplerent miniſterium. „ Multa alia argumenta in medium adducit Renaudotius, Tom. 5. perpetuitatis fidei Lib. 5. c. 4. de Ordine, ubi probat ordinationes Orientalium ſub præſcripta materia, & forma, ſicut in Occidente fieri. De forma Latinorum loqui ſuperſedeo, cum ſit in Pontificali Romano, & qualibet, cuilibet etiam ordinationi reſpondeat. Suo loco oſtenſum eſt a nobis Formam ordinationum eſſe abſolutam,

De Miniſtro pauciora dicere juvat, cum nulla fuerit inter Orientales & Occidentales de hoc controverſia, & ſi excipias heterodo-

Digitized by Google

ſodoxos, non alium quam Epiſcopum ſacrarum Ordinationum habebis Miniſtrum, ut patet ex Conc. 4. Cartag. pro Latinis. Ex Epiphanio vero Hæreſ. 56. pro Græcis, maxime ex Dionyſio de Eccleſ. Hierar. & ex aliis, ut videre eſt apud Renaudotium, ibid. Lib. 5. cap. 7. 8. 9. & 10. ubi agit de ordinatione Diaconorum, Presbyterorum & Epiſcoporum.

Tandem ad Matrimonii Sacramentum convertitur oratio: Orientales ſicut Occidentales illud habent, ut contractum tum naturalem, tum civilem, tum etiam Sacramentalem, cujus materia eſt corporum traditio; forma, utriuſque conjugis conſenſus expreſſus, miniſtri vero ipſi contrahentes. Unum ſupereſt pro hoc momento quærendum: Num Orientales habeant Matrimonium ut Sacramentum? Et reſpondemus affirmative, ut liquet ex variis Conciliis in Oriente adunatis, ex Epiſt. Baſil. ad Amphiloch Sufficiat pro hoc momento teſtimonium Syrurgi debellantis art. 15. Cyrilli Lucaris, ubi ſic loquitur: " Omnes Eccleſiæ ex traditione Apoſtolorum didicerunt honorabile connubium inter Sacramenta eſſe annumerandum." Non omittenda confeſſio Orthodoxa q. 115. ubi hæc habentur: " Sextum Sacramentum eſt Matrimonium, quod fide mutua a conjugibus data confertur, & benedicitur per Sacerdotem." Audis fidem, tum de numero ſeptenario Sacramentorum, tum de cujuslibet eſſentia ab Apoſtolis ad nos uſque in utraque Eccleſia diſſeminatam, & fluxu perenni atque illibato perſeverantem.

Appendix Ritualium a D. Launojo Doctore quondam Sorbonico collectorum, quæ in Biblio heca Religioſorum Parienſium Ordinis S. Franciſci de Paula ad plateam regiam aſſervantur.

ULTRO fatemur manuſcripta, eaque antiquiſſima, ut ſuo retulimus loco, religionem & fidem Sacramentorum continere; neque vero negamus Euchologia Græcorum, & quædam etiam veluti Ritualia de eodem momento mentionem facere; quia tamen pro Ritualibus uſus obtinuit ab anno præſertim 1450. operæ pretium eſt ea quoad ſubſtantiam hic texere, ut Heterodoxi obſtrepentes intelligant numerum Sacramentorum ab univerſali Eccleſia ante prætenſam eorum reformationem, immo vel ab ipſis ſuis Eccleſiis quondam Catholicis, admiſſum & præoccupatum fuiſſe, quod quidem ex Ritualibus argumentum non levius eſt pro veritate aſtruenda, maxime cum etiam multi ex Proteſtantibus Germaniæ, Angliæ aliarumque regionum litterati non ſine laudabili curioſitate Pariſios appulſi, quaſi quadam aviditatis conſpiratione Ritualia illa inviſenda ad Conventum noſtrum Minimorum ad Plateam regiam, ſæpius veniant.

Rituale Dignenſe MS. anno 1450. exaratum.

MULTA præcontinet illud perantiquum Rituale. In eo habentur:

1. Benedictio cinerum.
2. Benedictio Ramorum.
3. Miſſa de beata Maria in Adventu, quæ incipit, *Rorate cæli deſuper*. Secreta & orationes concinunt cum noſtris, ſed canon omittitur, quia ſupponitur.
4. Altera de beatiſſima Virgine a Nativitate Domini uſque ad Purificationem eodem ritu deſcripta, hoc eſt cum orationibus & ſecretis tantum. Introitus ſic ſe habet. *Vultum tuum deprecabuntur*. Evangelium ſecundum Lucam: *In illo tempore Paſtores loquebantur &c.*
5. Tertia Miſſa de eadem Deipara a Purificatione uſque ad Paſcha, quæ incipit: *Salve ſancta parens*; & ſimilis eſt noſtræ.
6. Quarta Miſſa de eadem beatiſſima Virgine, cujus hoc eſt initium: *Salve ſancta parens*. Evangelium ſecundum Joannem: *In illo tempore ſtabant juxta crucem &c.*

In his omnibus ſupponitur canon.

7. Litaniæ Sanctorum: In eis invocantur ſequentes Dei amici.

Sancte Stephane,	ora &c.
S. Eme,	ora &c.
S. Clete,	ora &c.
S. Clemens,	ora &c.
S. Blaſi,	ora &c.
S. Saturoine,	ora &c.
S. Punti,	ora &c.
SS. Abdon & Senen,	ora &c.
S. Georgi,	ora &c.
S. Domine,	ora &c.
S. Joannes Chryſoſtome,	ora &c.
S. Marcelline,	ora &c.

8. Ho-

S. Honorate, ora &c.
S. Verne, ora &c.
S. Ludovice, ora &c.
S. Martha, ora &c.
S. Margarita, ora &c.
S. Clara, ora &c.
S. Columba, ora &c.
S. Brigitta, ora &c.
S. Anna, ora &c.
S. Thecla, ora &c.
S. Eugenia. ora &c.
S. Barbara, ora &c.
S. Scholaſtica. ora &c.
S. Conſortia, ora &c.
S. Felicitas, ora &c.
S. Perpetua, ora &c.
S. Appolonia, ora &c.

Deinde ſequuntur ſuffragia cum variis orationibus paululum a noſtris diſcrepantibus. Sed valde utilibus, & tempori accommodatis.

8. Benedictiones nubium ad propellendas tempeſtates, quibus adjungitur Miſſa, quæ incipit: *Lux fulgebit hodie ſuper nos*. Epiſtola ex Iſaia: *Hac dicit Dominus: Spiritus Domini ſuper me*. Et iterum alia Epiſtola, beati Pauli: *Chariſſime apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri &c.* Evangelium ſecundum Lucam: *In illo tempore Paſtores loquebantur ad invicem, tranſeamus &c.* Omittitur canon, poſtea ſequuntur orationes piæ ad expellendas aereas poteſtates: deinde eſt iterata benedictio nubis cum variis orationibus ad mala imminentia fuganda. Obſerves velim canonem eſſe noſtro prorſus ſimilem: & ponitur in uno aut altero Rituali pro ceteris.

9. Benedictio ignis magnifica in Purificatione beatæ Mariæ.

10. Ritus faciendi aquam benedictam noſtro affinis, & ejuſdem aquæ aſperſionis.

11. Benedictio cerei in Sabbato ſancto noſtræ non abſimilis: Tum & benedictio fontium.

12. Ritus mirabilis & omni acceptione dignus ad expellenda maleficia, & homines ab eis ſolvendos: Ibi leguntur orationes mirabiles per modum exorciſmi & deprecationis, cum variis Evangeliis ad compeſcendam dæmonum poteſtatem.

13. Ordo quo Eccleſia quondam uſa eſt, ad Catechumenum faciendum, qui quidem ritus maxime ſolemnis eſt, & innumeras prope complectitur tum orationes, tum benedictiones.

14. Ritus deſponſationis, qui etiam celebris eſt.

15. Ritus ungendi infirmos cum iſta forma, *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid peccaſti per viſum, per auditum, per guſtum, per odoratum, per tactum, per inceſſum pedum, per ardorem libidinis. &c.*

16. Trintenarius S. Gregorii Papæ cum ritu & ordine quibus Miſſæ celebrandæ ſunt.

17. Benedictio fructuum.

18. Benedictio clibani.

19. Ordo tenendus ad benedicendas arrhas & ſponſam. In iſto ritu adſunt Litaniæ ſpecialiſſimæ, quæ ſic ſe habent.

Pater de cælis Deus, miſerere ei.
Fili Redemptor mundi Deus, &c.
Spiritus ſancte Deus, &c.
Sancta Trinitas unus Deus, &c.
S. Maria, intercede pro ea.
S. Virgo Virginum, intercede &c.
S. Chorus Angelorum, intercede pro ea.
S. Chorus ſpirituum cæleſtium &c. intercede pro ea.
S. Chorus Patriarcharum, intercede pro ea.
S. Chorus Apoſtolorum &c.
S. Chorus Martyrum &c.
S. Chorus Confeſſorum &c.
S. Chorus Sacerdotum & Doctorum &c.
S. Chorus Levitarum &c.
S. Chorus Canonicorum &c.
S. Chorus Clericorum &c.
S. Chorus Monachorum &c.

Deinde ſequuntur orationes, ut perfectâ ſanitate gaudeat ſponſa, & ab omni moleſtia ſit immunis: Adſunt etiam orationes faciendæ, ut primum defuncta erit.

20. Benedictio campanæ.

Rituale Bolonienſe pervetuſtum.

Multa ſunt in hoc Rituali.

PRIMO: Quidem benedictio fontium, cujus ritus non eſt noſtro abſimilis.

2. Baptiſmus maſculorum, deinde feminarum per immerſionem: In eo ritu fiunt exorciſmi ad expellendum dæmonem

nem

nem ab anima parvuli. Fit & aqua benedicta modo ſolito. Ibi etiam expoſtulatur profeſſio fidei, quæ ſic incipit. *Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ*. Patrini reſpondeant *Credo &c.* ſi conſtet parvulum non fuiſſe baptizatum, pure & ſimpliciter abſque conditione baptizatur, & adhibentur unctiones ſolitæ.

3. Officium ſponſalium percelebre, cum Miſſa ſolemni & benedictione annulorum: refertur etiam benedictio thalami.

4. Ordo ad viſitandum infirmum, & oleo ſancto ungendum. Recitantur Pſalmi pœnitentiales, cum Litaniis Sanctorum, in quibus etiam fit mentio ſanctorum Cleti, Clementis, Sixti, Saturnini, Chryſoſtomi, Mauritii, Euſtachii, Hilarii, Germani, Eligii, Albini, Juliani, Romani, Audoeni, Leonardi, Ludovici, & ſanctarum Petronillæ, Scholaſticæ, Suſannæ, Genovefæ, Appoloniæ, Anaſtaſiæ, Auſtrebertæ, Honorinæ, Priſcæ, Eccleſiæ, Fidei, Spei, & Charitatis. Deinde Sacerdos procedit ad inungendum infirmum, dicendo: *Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris*. Quibus dictis, fiunt unctiones ſolitæ, & datur ſacra Euchariſtia infirmo ſi neceſſe fuerit, dicendo: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi ad ſalutem corporis & animæ, in vitam æternam. Amen*. Sequitur ſuſa animæ commendatio; denique officium defunctorum, ubi & veſperæ, & matutinæ referuntur: adeſt etiam Miſſa cum canone conſueto. Ibi habentur: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ, ut quot quot ex hac altaris participatione Sacro-ſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus omni benedictione cæleſti & gratia repleamur* Tum ſequens oratio: *Hæc ſacro-ſancta commixtio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat mihi & omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & ad vitam æternam capeſcendam præparatio ſalutaris*.

5. Miſſa de Spiritu ſancto, & multiplex de beatiſſima Maria, juxta temporum varietates.

Rituale Carnotenſe MS. 1489.

Capita quæ continentur in hoc Rituali.

PRIMO: Variæ Benedictiones de computo, & benedictio campanæ.

2. Ritus ſeparandi leproſos.

3. Benedictio in menſa.

4. Miſſa de tribus Mariis. Miſſa in Dominica prima Adventus, & de Nativitate Domini. Item triplex de Circumciſione Domini, una de Epiphania, altera in Septuageſima, Officium de Cruce, in die Paraſceves, in die Aſcenſionis, in die Pentecoſtes, de ſanctiſſima Trinitate, de Sacramento altaris, ubi eſt proſa *Lauda Sion*; de beata Maria, pro defunctis. Benedictio aquæ in Baptiſmo maſculorum, quæ fit cum exorciſmis & unctionibus, & profeſſione fidei. Deinde ſequitur Baptiſmus feminarum.

5. De ritu pœnitentiæ generalis faciendæ: Item modus adminiſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ infirmis, & Extremam-Unctionem. In iſto, recitatis Pſalmis Pœnitentialibus, dicuntur Litaniæ Sanctorum, in quibus fit mentio ſanctorum Lini, Cleti, Clementis, Diati, Symphoriani, Carauni, Emani, Thomæ, Sergii, Bacchi, Dionyſii, Mauritii & Euſtachii, præter ſolitos Martyres: item & ſanctorum Confeſſorum Leonis, Yvi, Hylarii, Leo-bini, Laudobari: Item & ſanctarum Mariæ Ægyptiacæ, Margaretæ, Fidei, Spei, & Charitatis, Perpetuæ, Scholaſticæ. Poſtea procedit Sacerdos, præmiſſis aliis orationibus, ad unctionem quinque ſenſuum.

6. Ritus celebrandi Matrimonium, cum Miſſa & benedictione thalami.

7. Officium cinerum, & jejunii, & in Dominica palmarum, ſicut & in die ſanctæ-veneris, in Sabbato ſancto, cum benedictione fontium.

8. Canon Miſſæ de verbo ad verbum ſimilis noſtro, maxime in conſecratione panis & vini, ſicut & multa alia de Sacramento altaris in die Paſchæ.

9. Ritus confitendi peccata in die Paſchæ proprio Sacerdoti, & alia obſervanda in ceteris Dominicis.

10. Variæ Miſſæ, 1. De Angelis, deinde de Dedicatione Eccleſiæ, poſtea de SS. Petro, Andrea, Joanne, & Nicolao,

Digitized by Google

lao, præſertim vero de annunciatione B. Virginis, cum officio defunctorum.

Rituale Conſtantienſe MS. an. 1464.

Varia iſtud Rituale præcontinet, quæ iſto ſequuntur ordine.

Primo: Refertur benedictio aquæ ſicut in præcedentibus.

2. Baptiſmus maſculorum & feminarum etiam ut in præcedentibus; hoc eſt cum magno exorciſmorum apparatu, profeſſione fidei, & abrenunciatione Satanæ; tum ſicut & impræſentiarum Baptiſmus fiebat per infuſionem aquæ cum unctione ſolita.

3. Officium ſponſarum cum Miſſa ſolemni.

4. Fuſa unctio infirmorum cum forma & unctione ad ſingulos ſenſus, ſicut nunc obſervatur. In Litaniis fit commemoratio ſanctorum Martyrum, præter ſolitos, Cleti, Clementis, Sixti, Georgii, Thomæ, Chriſtophori, Dionyſii & Sociorum, Mauritii & Sociorum, Euſtachii & ſociorum; ſanctorum Confeſſorum præter ſolitos, Hilarii, Germani, Ægidii, Albini, Juliani, Laudi, Romani, Audoeni, Leonardi, Ludovici; ſanctarum Virginum præter ſolitas, Mariæ Ægyptiacæ, Felicitatis, Perpetuæ, Petronillæ, Annæ, Scholaſticæ, Margaretæ, Suſannæ, Appoloniæ, Barbaræ, Fidei, Spei, & Charitatis.

5. Fuſa animarum commendatio, fuſumque officium defunctorum.

6. Canon Miſſæ, ubi initium, *Te igitur Clementiſſime Pater &c.* prorſus noſtro ſimile eſt: forma panis, *Hoc eſt enim corpus meum.* Forma vini: *Hic eſt enim Calix ſanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti, myſteriorum fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Memento duplex, ſcilicet pro vivis & alter pro defunctis.

7. Miſſa multiplex, ſcilicet de Spiritu ſancto, de B. Maria in Adventu, de B. Maria uſque ad Purificationem, & altera communis, & Evangelium pro altera Miſſa, quod ſic incipit, *Stabat juxta crucem &c.* Tum Miſſa pro defunctis cum variis orationibus ad diverſos accommodandis & tumulatio tam pro viris, quam pro mulieribus; & Miſſa contra peſtem.

8. Benedictio peregrinorum.

9. Præcepta Eccleſiæ, cum variis orationibus Gallico idiomate, primo pro ſummo Pontifice, deinde pro Clero Romano, pro ſtatu ſæculari, pro Dominis &c.

10. Tenor Bullæ indulgentiarum de Sacramento Euchariſtiæ.

Rituale ſeu Manuale Viennenſe anno 1500.

Multa ordine ſequenti digeſta habet hoc Rituale.

Primo: Adeſt ritus conferendi Baptiſmum eo prorſus modo quo in ſuperioribus deſcribitur.

2. Nec laudatis ritibus abſimilis eſt ordo ungendi infirmos. In Litaniis cum aliis Sanctis fit commemoratio ſanctorum Abel, Henoc, Noe, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Job, Moyſes, Aaron, Ioſue; deinde & Prophetarum, ſcilicet Eliæ, Eliſæi, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, Oſeæ, Joelis, Amos, Abdiæ, Jonæ, Zachariæ; ſanctorum Martyrum Lini, Cleti, Clementis, Xiſti, Cornelii, Cypriani, Mauritii & ſociorum, Dionyſii & ſociorum; Irenæi & ſociorum: Deſiderii, & Appolinaris. Sanctorum Confeſſorum Martialis, Germani, Mamerti, Aviti, & Maximi. Sanctarum Virginum Scholaſticæ, Veronicæ, Columbæ & Blandinæ cum ſociis.

3. Sic fiunt infirmis unctiones: *Inungo te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te Spiritus immundus, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi &c.* Obſerves velim hanc Extremæ-Unctionis formam non eſſe deprecatoriam, ſed abſolutam.

Ad caput: *Ungo caput tuum de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ut in ore militis unctus præparatus ad luctam poſſis aereas ſuperare catervas per Chriſtum &c.* Unctio ad ceteros ſenſus fit ſemper in prima perſona, fit etiam ad collum, ad guttur, & ſcapulas, cum forma correſpondente; deinde ſequitur commendatio animæ, tum officium defunctorum, & ſepulturæ.

4. Variæ ſunt Miſſæ, una de Spiritu ſancto, alia in honorem ſanctæ Crucis, alte-

Digitized by Google

altera de B. Virgine, ad quam ſequitur officium defunctorum.

5. Ritus ſeparandi leproſos. Canon miſſæ noſtro non abſimilis, niſi quod in forma panis, particula *enim* omittitur, non tamen in forma calicis. Vidi manuſcriptum in Bibliotheca regia antiquiſſimum litteris quaſi Romanis ſed deauratis exaratum, in quo particula, *enim*, utique deeſt in forma panis.

Rituale ſeu Manuale Uticenſe MS. an. 1500.

Sequuntur ea quæ in iſto Rituali referuntur.

PRIMO: Ritus proceſſionis in feſto Purificationis, quæ ſic incipit: *Adorna thalamum tuum &c.*

2. Benedictio cinerum & impoſitio.

3. Benedictio palmarum & proceſſio.

4. Officium ſanctæ Crucis in Paraſceves.

5. Benedictio cerei & fontium.

6. Proceſſio Rogationum, cum Litaniis Sanctorum, in quibus ſit commemoratio ſanctorum Martyrum Theodoreti, Lini, Cleti, Clementis, Bandili, Privati, Marcelli, Policarpi, Ignatii, Blaſii, Valentini, Quinidi, Georgii, Vitalis, Pontii, Urbani, Felicis, Nicomedis, Bonifacii, Apollinaris, Donati, Tiburtii, Agapiti, Ruphi, Antonini, Victorii, Gorgonii, Calixti, Capraſii, Evariſti, Quintini, Pontiani, Griſogoni, Saturnini, Cornelii, Cypriani, Marcellini, & Petri, Timothei & Simphoriani, Chriſtophori, & Cucuſtis, Nazarii, & Celſi, Juſti, & Paſtoris, Juliani, Baſiliſci, Donatiani, Rogatiani, Primi, & Feliciani, Ciritii, Julittæ, Marci, Marcellini, Felicis & Audaris, Chriſanti & Dariæ, Mauritii cum ſociis, Dionyſii cum ſociis, Irenæi cum ſociis, Tiburtii cum ſociis, Alexandri cum ſociis, Pancratii cum ſociis, Deſiderii cum ſociis, Baſilidis cum ſociis, Victoris cum ſociis, Tiberii cum ſociis, Romani cum ſociis.

Item ſanctorum Confeſſorum, Firmini, Ferreoli, Leonis: Hilarii, Bylari, Fifredi, Honorati, Boniti, Sulpicii, Joannis, Athanaſii, Aleri, Euſebii, Ludovici, Cæſarii, Germani, Remigii, Brici, & Verani.

Item ſanctarum Marthæ, Felicitatis, Perpetuæ, Petronillæ, Fidei, Eulaliæ, Leocadiæ, Priſcæ, Emerentinæ, Scholaſticæ, Potentianæ, Margaretæ, Chriſtinæ, Sabinæ, Euſemiæ, Theclæ, Columbæ. Eo loci eſt etiam ritus ſpecialis pro aſperſione aquæ in feria tertia & quarta Rogationum.

7. Proceſſio corporis Chriſti.

8. Proceſſio in Dominicis diebus.

9. Variæ commemorationes, & orationes maxime contra peſtem.

10. Benedictio panis charitatis, item metalli, fuſæ campanæ benedictio, crucis peregrinorum, baculi peregrinorum, & altera contra peſtem animalium.

11. Receptio Prælati.

12. Benedictio furni calcis.

13. Baptiſmus maſculorum & feminarum, ut ſupra.

14. Ritus conficiendi Matrimonii Sacramentum.

15. Ritus eximius pro adminiſtratione Euchariſtiæ infirmis, & poſtea pro Extrema-Unctione, ubi pro more recitantur Pſalmi pœnitentiales: in Litaniis quæ iſtis Pſalmis conjunguntur præter Sanctos de quibus ex conſuetudine fit mentio, commemorantur inter ſanctos Martyres SS. Theodoretus, Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Blaſius, Ignatius, Alexander, Urbanus, Tiburtius, Valerianus, Mauricius cum ſociis, Dionyſius cum ſociis, Irenæus cum ſociis, Hippolytus cum ſociis, Julianus cum ſociis, Victor cum ſociis, & alii ſancti Confeſſores, ac ſanctæ Virgines ut in ceteris Ritualibus. Non omittitur ſancta Praxedes. Unctio in hominibus fit in renibus, in umbilico vero ſi ſint mulieres.

16. Fuſa fit animæ commendatio; adjungitur paſſio Chriſti ſecundum Joannem. Ibi etiam adeſt officium ſepulturæ adultorum, & puerorum.

17. Ritus abſolvendi ab excommunicatione. Ibi etiam refertur Evangelium pro feſto Nativitatis Chriſti, & alterum in die Epiphaniæ.

Rituale Remenſe MS. an. 1504.

PRIMO: Modus baptizandi maſculum & feminam, fit aqua benedicta, fuſus exorciſmus, & profeſſio fidei, ſicut in prioribus.

2. Mo-

2. Modus proclamandi banna.
3. Benedictio nuptialis.
4. Commendationes faciendæ diebus Dominicis.
5. Benedictio cereorum.
6. Benedictio cinerum. I. Recitantur Pſalmi pœnitentiales. II. Sanctorum Litaniæ, in quibus fit etiam commemoratio ſanctorum Lini, Cleti, Clementis, Marcelli, Calixti, Nicaſii cum ſociis, Hippolyti, Georgii, Dionyſii cum ſociis, Mauricii cum ſociis, Quintioi, Symphoriani, Mauri cum ſociis, Timothei, Apollinaris. Item ſanctorum etiam Confeſſorum, Remigii, Sixti, Siricii, Vivardi, Rigoberti, Reoli, Juliani, Germani, Baſilii, Eligii, Hilarii, Ludovici, Theodoriti, Theodulphi, Baſoli, Fiacrii: denique etiam ſanctarum Virginum ac mulierum, Annæ, Mariæ Ægyptiacæ, Felicitatis, Perpetuæ, Barbaræ, Chriſtinæ, Scholaſticæ, Claræ, Eutropiæ, Fidei, Petronillæ, Genovefæ, Columbæ, Marthæ, Gertrudis, Bonæ, Dodæ, Juſtinæ.
7. Benedictio palmarum.
8. Formula gallico idiomate conſcripta pro facienda confeſſione generali, deinde datur ſeu deſcribitur abſolutio.
9. Officium in die ſancta Veneris.
10. Officium in ſancto Paſchæ Sabbato, ubi fit benedictio cerei Paſchalis & fontium.
11. Ibi etiam aliquid habetur de officio pro vigilia Pentecoſtes.
12. Modus rite ſuſcipiendi Sacramentum Euchariſtiæ.
13. Modus purificandi mulieres poſt partum, item ejiciendi leproſos, & benedicendi campanam.
14. Fuſus ritus adminiſtrandi Extremam-Unctionem, & modus inhumandi defunctos cum officio; ibi etiam adeſt commendatio animarum.
15. Miſſa multiplex, nimirum pro ſponſalibus, alia de Spiritu ſancto, altera de ſancta Maria, & altera pro defunctis.
16. Canon Miſſæ noſtro prorſus ſimilis.
17. Multæ aliæ animarum commendationes & commemorationes communes.

Denique variæ formę: primoquidem Teſtamenti faciendi: deinde litterarum teſtimonialium bannorum; item boni ſtatus: item & reſcripti tum pro citatione, tum etiam pro inductione in alicujus hæreditatis poſſeſſionem.

Rituale Pariſienſe ſeu Manuale MS. an. 1504.

Iſtud Rituale multa præcontinet notatu digna, quæ hic numerantur.

PRIMO: Benedictio aquæ diebus Dominicis.
2. Benedictio cerei Paſchalis, & fontium.
3. Baptiſmus maſculorum, & feminarum ritu ſupra laudato.
4. Modus faciendi ſponſalia cum Miſſa nubentium.
V. Ritus conferendi Extremam-Unctionem. In Litaniis quæ poſt Pſalmos pœnitentiales referuntur, fit etiam commemoratio ſanctorum Martyrum Lini, Cleti, Clementis, Dionyſii cum ſociis, Euſtachii cum ſociis, Georgii, Chriſtophori, & Valentini. Item & ſanctorum Confeſſorum Leonis, Remigii, Germani, Marcelli, Leobini, Mauri, Ludovici, Yvi. Item & ſanctarum Virginum ac Mulierum Mariæ Ægyptiacæ, Felicitatis, Annæ, Margaretæ, & Genovefæ.
7. Miſſa de Spiritu ſancto, & de B. Maria, pro requie defunctorum, ubi adeſt canon Miſſæ per omnia noſtro ſimilis. Sequuntur Veſperæ defunctorum, cum vigiliis, & commendationes animarum ſuo ritu delineatæ. Poſtea apponitur Miſſa pro defunctis. Tum & ritus ſepulturæ.
7. Variæ inſtructiones, ut ritus benedicendi peregrinantes, quibus apponitur & benedictio baculi. Item forma teſtamenti faciendi, litteræ teſtimonialis bannorum proclamandorum pro matrimonio contrahendo, litteræ teſtimonialis boni ſtatus, reſcriptum pro citatione: Ruſus aliud reſcriptum commune, & forma epochæ.

Rituale ſeu Manuale Macloνienſe anno 1504.

PRIMO: Incipit a benedictione cerei Paſchalis & fontium, in vigilia Paſchatis.
2. Sequitur Baptiſmus maſculorum & feminarum, eodem ritu quo ſupra, ubi obſervandum eſt in his ritualibus Baptiſmum

ſimum conferri ſub conditione, quando aliquod emergit circa tanti Sacramenti ſuſceptionem dubium.

3. Adeſt modus celebrandi ſponſalia cum Miſſa nubentium & benedictione thalami.

4. Ritus conferendi Extremam-Unctionem ut ſupra cum Litaniis omnino ſimilibus iis quæ referuntur in Rituali Pariſienſi, cum Miſſa de Spiritu ſancto, & de B. Maria, vigiliæ defunctorum, commendationes animarum, miſſa pro defunctis, ſepultura corporum.

Ibi etiam referuntur formulæ ſicut in Pariſienſi.

5. Affulgent etiam mandata Dei, & formulæ confeſſionis generalis tempore Paſchatis faciendæ.

6. Modus ſeparandi leproſos.

Rituale Lexovienſe MS. an. 1507.

Multa ficut & alia Ritualia repræſentat ordine ſequenti.

Primo: Baptiſmus maſculorum & feminarum eo modo quo ſupra.

2. Benedictio nubentium cum Miſſa de ſanctiſſima Trinitate.

3. Unctio infirmorum eodem etiam ritu quo ſupra, in Litaniis Sanctorum etiam commemorantur inter Martyres Linus, Clemens, Deſiderius, Dionyſius cum ſociis, Euſtachius cum ſociis, Chriſtophorus, Blaſius: Inter Confeſſores utique leguntur Hilarius, Germanus, Laudus, Albinus, Audoenus, Romanus, Ægidius, Eligius. Denique inter ſanctas Virgines & mulieres Maria Ægyptiaca, Perpetua, Felicitas, Margareta Columba, Juliana, Euphemia, Petronilla, Scholaſtica, Fides, Spes, & Charitas.

4. Abſolutio populi in cœna Domini: deinde ſequitur tumulatio mulierum.

5. Fuſa animarum commendatio, cum officio defunctorum & tumulatione.

6. Ordo Miſſæ, cum variis Præfationibus, juxta Feſtorum celebritatem: tum & canon Miſſæ noſtro prorſus ſimilis.

7. Miſſa de Spiritu ſancto, de B. Maria in Adventu, in Nativitate Domini, uſque ad Purificationem. Altera a Purificatione uſque ad Paſcha, & altera communis. Item Miſſa pro defunctis, & altera pro pluvia habenda.

8. Forma teſtamenti, litteræ teſtimonialis bannorum, citationis, item reſcripti inductionis in poſſeſſionem alicujus terræ, pecunia numerata adeptæ.

9. Mandata Dei diebus Dominicis exponenda, cum formula confeſſionis generalis.

10. Benedictiones communes, item benedictio & campanæ.

11. Modus ſeparandi Leproſos.

Rituale Petragoricenſe MS. anno 1509.

Sequuntur ea quæ in hoc Manuali referuntur.

Primo: Benedictio aquæ, cum proceſſione poſt aquæ benedictionem.

2. Ritus baptizandi maſculos & feminas.

3. Modus adminiſtrandi ſacramentum Matrimonii cum Miſſa de ſanctiſſima Trinitate pro nubentibus, & benedictione thalami.

4. Formula de pœnitentia generali facienda, ubi adſunt inſtructiones populi.

5. Modus portandi & adminiſtrandi ſacram Euchariſtiam, & poſtea Extremam-Unctionem. In Litaniis fit commemoratio ſanctorum Fronti, Martialis, Georgii, Remori ſeu Bemori, Sycarii, Eutropii, Hilarii, Leonis, Eparchi, Ægydii, Phardulphi. Commemorantur inter virgines & ſanctas mulieres, Margareta, Radegunda, & Urſula cum ſodalibus. Adeſt etiam commendatio animarum; deinde vero officium pro mortuis, & potiſſimum ſepulturæ.

6. Benedictio candelarum, cinerum, & palmarum cum Proceſſione in palmis. Item & benedictio cerei Paſchalis, fontium, panis, novorum fructuum; benedictio in peſte animalium, & in menſa; benedictio campanæ, benedictio tempore tempeſtatis, & aliæ communes.

7. Commendationes faciendæ in diebus Dominicis.

8. Miſſa de ſancto Spiritu, de B. Maria, & pro defunctis. Canon Miſſæ noſtro ſimilis.

9. Modus ſeparandi leproſos.

10. Formulæ teſtamenti, litteræ teſtimonialis bannorum, teſtimonialis boni ſtatus, reſcriptum quo quis bona empta poſſidere incipit: item pro citatione, & aliud commune.

11. Ad

Digitized by Google

11. Ad calcem eſt iteratum officium Extremæ-Unctionis. Eſt etiam iterata benedictio fontis, & ritus benedictionis baculi pro peregrinantibus.

Rituale Sagienſe MS. an. 1515.

Referuntur quæ in Manuali adſunt.

PRIMO: Baptiſmus maſculorum & feminarum eodem ritu quo ſupra.

2. Viſitatio infirmorum. In litaniis poſt Apoſtolos fit memoria ſancti Martialis, quem iſtius Diœceſeos populi ut ſuum Apoſtolum ſpecialem habent. Inter Martyres fit memoria ſanctorum Cleti, Clementis, Sixti, Georgii, Chriſtophori, Dionyſii cum ſociis, Euſtachii cum ſociis. Inter Confeſſores commemorantur SS. Germanus, Ægidius, Albinus, Julianus, Avertinus, Gaſſianus, Romanus, Audoenus, Leonardus, & Ludovicus. Inter ſanctas Virgines & Mulieres celebrautur SS. Maria Ægiptiaca, Felicitas, Perpetua, Petronilla, Scholaſtica, Margareta, Suſanna, Genoveſa, Apollonia, Barbara, Honorina, Fides, Spes, & Charitas. Poſtea fuſum officium defunctorum, cum multiplici De Beata Maria Miſſa. Canon refertur noſtro non abſimilis. Ibi etiam refertur officium tumulationis tum virorum, tum mulierum.

3. Abſolutio peregrinorum.

4. Modus ſeparandi leproſos.

5. Benedictio campanæ brevis, forma teſtamenti, Epochæ, & aliorum reſcriptorum ut in aliis Manualibus. Mandata Dei ſingulis Dominicis explicanda.

Rituale Claramontanum MS. anno 1518.

Ubi hæc habentur.

PRIMO: Baptiſmus maſculorum & feminarum ut in aliis Ritualibus.

2. Modus adminiſtrandi Matrimonium, cum Miſſa nubentium, & benedictione thalami.

3. Variæ inſtructiones pro pœnitentibus cum formula confeſſionis generalis.

4. Modus adminiſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctionis infirmis: In Litaniis ſermo habetur inter Martyres ſanctorum Synphoriani, Dionyſii cum ſociis, Mauritii cum ſociis, Euſtachii cum ſociis. Inter Confeſſores ſanctorum Leonis, Yvi, Gaſſiani, Guillelmi, Hilarii: Inter ſanctas Virgines & Mulieres ſanctarum Mariæ Ægyptiacæ, Margaretæ, Scholaſticæ, Fidei, Spei, & Charitatis.

In omnibus unctionibus ſic loquitur Sacerdos: *Per iſtam ſacri olei unctionem, & Dei benedictionem, & manus noſtræ impoſitionem remittat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum*. Rurſus *Per iſtam ſacri olei unctionem, & Dei benedictionem, & manus noſtra impoſitionem remittat tibi*, &c.

Deinde hæc habentur. Presbyter videns eum in agone mortis debet ipſum abſolvere ab omnibus peccatis etiam Papæ reſervatis, & ab omni ſententia excommunicationis in ipſum lata a jure, & ſtatuto Synodali, vel Provinciali, etiam ab homine, cautione data de ſatisfaciendo juratoria, aut bonorum ceſſione: nihilominus tamen excommunicatus manet in foro judicali: & propter hoc caret Eccleſiaſtica Sepultura; niſi ſuper hoc proviſum fuerit; & oſtendat ſibi crucem in manibus ſuis, dicendo, &c.

Sequitur officium ſepulturæ, tam pro adultis, quam pro parvulis.

5. Variæ adſunt benedictiones, maxime aquæ benedictæ, Cinerum, Palmarum, Fontium, in vigilia tum Paſchæ, tum Pentecoſtes, deinde & benedictio campanæ.

6. Ibidem leguntur commendationes faciendæ diebus Dominicis, modus fulminationum faciendarum, de computo, de ſeparatione leproſorum.

7. Liber Jeſu Chriſti pro ſimplicibus piis refertur orationibus, cum Symbolo, & Mandatis tum Dei, tum Eccleſiæ.

8. Ibi etiam adſunt variæ litterarum inſtructiones.

9. Variæ Præfationes, Canon Miſſæ noſtro ſimilis. Miſſa de Spiritu ſancto, de Beata Maria, & pro defunctis.

10. Paſſio Domini ſecundum Matthæum, & Joannem.

Ri-

Rituale, ſeu Manuale Ebroicenſe 1521.

In quo multa comprehenduntur.

PRIMO: Benedictio aquæ per Dominicas.
2. Benedictio Fontium in Paſcha & Pentecoſte.
3. Baptiſmus maſculorum, & feminarum eo modo quo in aliis.
4. Officium ſponſalium cum Miſſa de SS. Trinitate.
5. Benedictio panis & vini in Eccleſia.
6. Benedictio thalami.
7. Unctio infirmorum. In Litaniis inter Apoſtolos fit mentio S. Martialis: Inter Martyres ſanctorum Cleti, Clementis, Xiſti, Saturnini, Dionyſii cum ſociis, Nicaſii cum ſociis, Mauritii cum ſociis, Euſtachii cum ſociis. Inter ſanctos Confeſſores SS. Taurini, Laudulphi, Gaudi, Germani, Aquilii, Ægidii, Columbani, Aleri, Leonardi, Ludovici: Inter ſanctas Mulieres & Virgines SS. Mariæ Ægyptiacæ, Felicitatis, Perpetuæ, Petronillæ, Annæ, Scholaſticæ, Margaretæ, Suſannæ, Genovefæ, Apolloniæ, Barbaræ, Auſtrebertæ, Honorinæ, Priſcæ, Aureæ, Fidei, Spei, & Charitatis.
8. Commendatio animarum pro viris, & altera pro mulieribus.
9. Officium defunctorum.
10. Præfationes cum canone reſpondente noſtro, qui nunc eſt in uſu.
11. Miſſæ de Spiritu ſancto, de beata Maria omni tempore, de requiem cum commemorationibus.
12. Inhumatio pro viris, & altera pro mulieribus.
13. Abſolutio peregrinorum.
14. Benedictio panis diebus Dominicis.
15. Proſa de beata Maria.
16. Miſſa de Recordare; & altera contra peſtem.
17. Formula teſtamenti, & litterarum teſtimonialium pro bannorum conclamatione. Item boni ſtatus: Item reſcripta pro citatione, pro Epoca, & inductionis in poſſeſſionem bonorum adeptorum.
18. Mandata Eccleſiæ cum permultis commendationibus.
19. Confeſſio generalis in die Paſchatis facienda.
20. Benedictiones communes: Benedictio ligni & campanæ.
21. Modus ſeparandi leproſos.

Manuale Lexovienſe 1523.

Contenta in iſto Rituali.

Primo: Benedictio aquæ per Dominicas.
2. Baptiſmus maſculorum & feminarum.
3. Officium ſponſalium cum Miſſa de Trinitate & benedictione thalami.
4. Unctio infirmorum: In Litaniis inter ſanctos Martyres commemorantur Linus, Clemens, Deſiderius, Dionyſius cum ſociis, Mauritius cum ſociis, Euſtachius cum ſociis, Chriſtophorus, Blaſius: Inter SS. Confeſſores Hilarius, Germanus, Laudus, Albinus, Audoenus, Romanus, Ægidius, Eligius: Inter ſanctas Mulieres, & Virgines, Maria Ægyptiaca, Perpetua, Felicitas, Margareta, Columba, Juliana, Euphemia, Petronilla, Scholaſtica, Fides, Spes, & Charitas.

Viri in renibus unguntur, mulieres vero in umbilico.

5. Commendatio animarum cum officio defunctorum, & tumulationis corporum.
6. Abſolutio populi in capite jejunii: Item & in Cœna Domini.
7. Præfationes cum canone noſtro non abſimiles. Miſſa de Spiritu ſancto, de beata Maria in Adventu, de eadem a Nativitate uſque ad Circumciſionem: De eadem a Purificatione uſque ad Paſcha: Rurſus a Paſchate uſque ad Trinitatem.
8. Orationes communes, & Miſſa pro defunctis.
9. Forma teſtamenti, litteræ teſtimonialis bannorum, litteræ teſtimonialis vitæ optime inſtitutæ.
10. Reſcriptum pro citatione, item & pro bonorum adeptorum poſſeſſione.
11. Præcepta Eccleſiæ per Dominicas recitanda & exponenda.
12. Confeſſio generalis die Paſchæ facienda.
13. Benedictiones peregrinorum & ceterorum, tum & campanæ.
14. Modus ſeparandi leproſos.

Digitized by Google

Rituale Æduenſe MS. 1523.

Orde rerum quæ in hoc volumine continentur.

PRIMO: Baptiſmus maſculorum & feminarum.

2. De Pœnitentia & confeſſione cum forma abſolutionis a cenſuris.

3. Modus adminiſtrandi Viaticum infirmis realiter continens corpus & ſanguinem Chriſti.

4. Modus adminiſtrandi Extremam-Unctionem. In Litaniis poſt Apoſtolos fit memoria SS. Lazari, Martialis & Saturnini: Inter ſanctos Martyres SS. Nazarii, Celſi, Leodegarii, Quintini, & Georgii: Inter ſanctas Mulieres & Virgines SS. Felicitatis & Perpetuæ.

5. Modus conferendi Sacramentum Matrimonii cum Miſſa in nuptiis & benedictione thalami.

6. Benedictio Cinerum & Palmarum.

7. Officium adorationis ſanctæ Crucis.

8. Benedictio cerei Paſchalis.

9. Præparationes ad Miſſam cum Canone noſtro ſimili; ubi & de ſanctiſſimo Altaris Sacramento.

10. Miſſa de ſancta Maria multiplex; deinde de Angelis, de Spiritu ſancto, & pro defunctis, de ſancto Lazaro Martyre.

11. Formula confeſſionis generalis tempore Paſchæ faciendæ, cum commendationibus quolibet die Dominico peragendis.

12. Officium defunctorum, & de ſepultura etiam parvulorum.

13. Ritus variarum benedictionum, puta Agni Paſcalis, campanæ, &c.

14. Modus ſeparandi leproſos; & variç formulæ perutiles pro teſtamentis & reſcriptis faciendis.

Ordinationes Diœceſis Sueſſionenſis 1524.

Index titulorum hic contentorum.

PRIMO: Præparatio ad Synodum.

2. Ordo Synodi.

3. De Sacramentis & Sacramentalibus.

4. De Baptiſmo.

5. De Confirmatione.

6. De Pœnitentia.

7. De Euchariſtia.

8. De Ordinibus.

9. De Matrimonio, & qualiter Parochi in cauſis Matrimonialibus ſe debeant gerere.

1. De Extrema Unctione.

11. De obſervatione Feſtorum.

12 De vita, moribus, & converſatione Clericorum.

13. De Exhortationibus, denunciationibus, & inhibitionibus faciendis per Preſbiteros Parochiales.

14. De Confratriis.

15. De queſtoribus Clericis ignotis & peregrinis.

16. De Teſtamentis, Eccleſiis & Cœmeteriis.

17. De officio Decanorum Chriſtianitatis.

18. De modo & forma præſcripta exequendi litteras noſtras, & Curiarum noſtrarom Eccleſiaſticarum.

19. De libertate & immunitate Eccleſiarum.

20. De leproſis.

Obſervandum eſt cuncta quæ reſpiciunt ſeptem Sacramenta & Sacramentalia, tum in genere tum in particulari ibi pertractari.

Manuale Tollenſe MS. 1524.

In hoc opuſculo ſequentia continentur.

PRIMO: Calendarium pro Feſtis celebrandis.

2. Benedictio aquæ, quæ fit Dominicis diebus.

3. Baptiſmus maſculorum & feminarum.

4. Ordo ad viſitandum infirmum, ubi de Extrema-Unctione, de commendatione animarom, & de ſepultura: In Litaniis inter ſanctos Martyres mentio fit SS. Genſulphi, Blaſii, Georgii, Pancratii, Mauritii, & Dionyſii: Inter Confeſſores SS. Manſueti, Hilarii, Maurimini, Apri, Gerardi, Leonis, Ananiani, Dedalti, Germani, & Ægidii: Inter ſanctas Mulieres & Virgines, SS. Felicitatis, Perpetuæ, Libariæ & Mennæ.

Forma unctionis: *Inungo te de oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in* *ulla*

ulla compagine membrorum. Inungo caput tuum de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis unctus præparatus ad luctam, poſſis aereas ſuperare catervas: Per Chriſtum.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur, Per Chriſtum, & ſic proportionaliter de ceteris.

5. Commendationes animarum cum officio ſepulturæ parvulorum & adultorum.

6. Benedictio multiplex, ſcilicet Fontium, thori maritalis, baculi peregrinantium; ſimiliter panis & vini.

7. Miſſa ſponſalium cum benedictione ſponſæ.

8. Modus ſeparandi leproſos.

9. Inſtructiones morientium.

10. De Indulgentiis pro concomitantibus corpus Chriſti.

11. Benedictio novorum fructuum, cereorum, palmarum, & incenſi.

12. Commendationes diebus Dominicis faciendæ.

13. Modus abluendi altaria.

14. Formula teſtamenti, litteræ teſtimonialis reſcripti, & ſimilium, ut ſupra in aliis.

Manuale Sylvanectenſe MS. 1526.

Ordo rerum.

BENEDICTIO aquæ luſtralis.

Baptiſmus maſculorum & feminarum.

Ritus ſponſalium, & contrahendi Matrimonium per verba de præſenti: Datur argentum ſponſæ veluti dos cum benedictione thalami.

Ritus adminiſtrandi Extremam-Unctionem. In Litaniis inter Martyres commemorantur SS. Linus, Cletus, Clemens, Dionyſius cum ſociis, Euſtachius cum ſociis, Georgius, Chriſtophorus, Valentinus: Inter Confeſſores, SS. Regulus, Leo, Remigius, Gregorius, Germanus, Franbaldus, Claudius, Anianus, & Ludovicus: Inter ſanctas mulieres & Virgines, ſanctæ Felicitas, Anna, Genovefa, Barbara, Margareta & Prothaſia.

Officium defunctorum, & animarum commendationes cum ritu ſepulturæ.

De Sacramento Pœnitentiæ, ubi explicantur omnes partes cum forma, & materia: & declaratur quibus debeant confiteri Sacerdotes, ſcilicet Decani, Canonici, & Capellani, cum regulis confeſſionis rite faciendæ.

Formula teſtamenti, litteræ teſtimonialis bannorum, &c.

Rituale Aniceuſe MS. anno 1527.

Tabula rerum.

PRÆPARATIO ad Miſſam & orationes poſt ſacram communionem.

Miſſa in Adventu; altera in media nocte Nativitatis; altera in aurora, & altera meridiana: Miſſa S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apoſtoli, ſanctorum Innocentium, pro die Circumciſionis, & altera in Epiphania.

Benedictio Palmarum cum Miſſa: Item Miſſa in Cœna Domini, & in Sabbato ſancto cum benedictione cerei Paſchalis, & Fontium. Miſſa in die Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis.

Miſſa S. Antonii Abbatis, ſancti Sebaſtiani, in die Purificationis, ſancti Joſeph, in Annuntiatione Beatæ Mariæ, ſancti Claudii, ſancti Lazari Epiſcopi & Martyris, in Nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ, in feſtivitate SS. Petri & Pauli, & Dedicatione Eccleſiæ, ſanctæ Annæ, in die Transfigurationis cum benedictione uvarum, in Aſſumptione B. Mariæ, beati Rochi, S. Bartholomæi, in Nativitate beatæ Mariæ, in feſto S. Michaelis Archangeli, & omnium Sanctorum, ſanctæ Barbaræ, in Conceptione beatæ Mariæ: Miſſa communis de Apoſtolis, unius Martyris, plurium Martyrum, unius Confeſſoris Epiſcopi, unius Confeſſoris non Epiſcopi, unius Virginis. Miſſa in tempore Paſchali quorumcumque Sanctorum, a Paſchate uſque ad octavas Pentecoſtes: Miſſa pro ipſo Sacerdote: Miſſa beatæ Mariæ, pro die Dominica, & pro qualibet hebdomodæ feria cum Canone Miſſæ noſtro non abſimili: Miſſa de beatiſſima Maria in Adventu, de BB. Maria infra octavam Nativitatis, de BB. Maria infra octavam Epiphaniæ, de BB. Maria in tempore Paſchali, de BB. Maria infra octavam Aſcenſionis, de BB. Maria infra octavam Pentecoſtes: de pietate BB. Mariæ Virginis ſtantis ante crucem: Miſſa pro ſponſalibus cum benedictio-

ne conjugum : Miſſa de S. Spiritu, de ſancta Cruce, de quinque Chriſti Plagis : Miſſa pro infirmis, pro defunctis, & pro vitanda mortalitate.

Benedictio aquæ luſtralis.

Ritus baptizandi maſculos & feminas.

Modus adminiſtrandi Extremam-Unctionem : In Litaniis inter Apoſtolus fit mentio ſancti Sylæ : Inter Martyres ſanctorum Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Germani, Juliani, Mauritii cum ſociis, Auſtremani, Irenæi cum ſociis, & Saturnini : Inter Confeſſores SS. Hilarii, Brici, Martialis, Remigii, Germani, Leonis, Iſidori, Euſebii, Belidi, Boniti, Aviti, Maximi, Maximiani, Georgii, Evodi, Venerandi, Præjecti, Quintini, & Scutari, Inter ſanctas Mulieres & Virgines, ſanctarum Felicitatis, Fidei, Marthæ, Perpetuæ, Petronillæ, Theclæ, Affræ, Columbæ, Eugeniæ, Scholaſticæ, Priſcæ, Balbinæ, Radegundis, Julianæ, Georgiæ, Chriſtinæ, Conſortiæ, Brigidæ, Gallæ, Euphemiæ, & Tulliæ.

Forma Extremæ - Unctionis hæc : *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam benigniſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per*, *&c.* Ad partes imparticulari : *Ungo pectus tuum de oleo ſancto ut hac unctione protectus, fortiter perſiſtere valeas adverſus aereas catervas, præſtante Domino noſtro*. Ad ſcapulas : *Ungo has ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum de oleo ſacrato, ut ex omni parte protectione munitus jacula diaboli ſuperare, impetus viriliter contemnere, ac procul peſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere, præſtante Domino noſtro, &c.* Ad oculos : *Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur, per Dom, &c.* Sic & unctio ad guttur &c.

Officium mortuorum & ſepulturæ.

Variæ benedictiones, videlicet incenſi, ſportæ, baculi, &c. Item benedictio panis, domus novæ, & ad cruces quæ in viis & plateis ad ciendos tranſeuntium pietatis affectus apponuntur.

Manuale Bellicenſe anno 1527. MS.

Series contentorum.

PRIMO : Benedictio aquæ : Finita vero Benedictione, aſpergitur populus cum hac antiphona : *Aſperges me &c.* cum iſta vero tempore Paſchali : *Vidi aquam egredientem, &c.*

2. Ordo ad Catechumenum faciendum, deinde ad baptizandum : Benedictio fontis.

3. Ritus Extremæ - Unctionis, & ſic habetur : *Per iſtam unctionem & ſuam miſericordiam piiſſimam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, per auditum, per guſtum, ſive per loquelam, per odoratum, per tactum, per inceſſum pedum, per ardorem libidinis*. Et unctio fit in ſingulis ſenſibus. *Poſtea recitantur Pſalmi Pœnitentiales, & omiſſis Litaniis, variæ recitantur piæ orationes.*

4. Officium ſepulturæ.

5. Variæ benedictiones, videlicet Cinerum, cujuſcumque operis, panis, putei novi, candelarum, ignis, carnis, ovium vel avium, caſei, loci, ſeu domus, uvæ, vel ficuum.

6. Miſſæ ſolemnes de Nativitate, de Circumciſione, de Epiphania, in die Paſchæ, Aſſenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti, ſancti Joannis Baptiſtæ, aſſumptionis BB. Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.

7. Ars Muſicæ.

Rituale Cathalaunenſe MS. 1529.

Series contentorum.

COMPUTUS cum pluribus regulis.

Benedictio aquæ diebus Dominicis.

Baptiſmus maſculorum & feminarum.

Formula litterarum teſtimonialium pro matrimonio contrahendo cum benedictione annuli, ſolemnitate ſponſalium : Miſſa de SS. Trinitate, & benedictione thalami.

Purificatio mulierum.

Inſtructio generalis ad ſacramentum Pœnitentiæ conferendum in die Paſchæ cum confeſſione generali.

Ritus adminiſtrandi infirmis ſacram Euchariſtiam, & Extremam - Unctionem. *Recitantur breves Litaniæ.*

Manuale Rhemenſe MS. 1530.

Summa contentorum.

MODUS baptizandi Maſculum & femellam.

Benedictio nuptialis.

Varia benedictiones.

* *Modus* adminiſtrandi ſacræ Euchariſtiæ Sacramentum.

Modus pro ejectione leproſorum.

Miſſa dicenda in eorum obitu.

De Extremæ-Unctionis Sacramento.

Modus inhumandi defunctum, Vigiliæ mortuorum, & commendationes animarum.

Variæ Miſſæ, videlicet pro ſponſalibus, de ſancto Spiritu, de Beata Maria, de defunctis.

Quædam inſtructiones pro Parochis.

Miſſale, ſeu Sacramentarium Mimatenſe MS. an. 1530.

Synopſis rerum.

VARIÆ Miſſæ, nempe de corona ſpinea Domini, de ſancto Privato Martyre, de Dominica prima Adventus.

Tres Miſſæ Nativitatis Domini: Miſſæ ſancti Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, SS. Innocentium, Circumciſionis Domini.

Miſſa de Apparitione.

Benedictio palmarum cum Miſſa.

Miſſa in cœna Domini, & Sabbato ſancto cum benedictione cerei Paſchalis.

Miſſa in die ſancto Paſchæ, in Aſcenſione Domini, in die ſancto Pentecoſtes, de corpore Chriſti, de SS. Trinitate.

Miſſa S. Antonii, S. Sebaſtiani: Miſſa Purificationis B. Mariæ cum benedictione candelarum: Miſſa S. Joſeph, & Annuntiationis B. Mariæ; Miſſa S. Claudii, S. Lazari, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Miſſa in Dedicatione Eccleſiæ, Miſſa S. Annæ; Miſſa in transfiguratione Domini, Miſſa Aſſumptionis B. Mariæ, S. Rochi, S. Bartholomæi, Nativitatis B. Mariæ, S. Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, beatæ Barbaræ, *Miſſa Conceptionis B. Mariæ*.

Deinde ſequuntur commune Sanctorum, Præfationes plurimæ, canon Miſſæ, & commune B. Mariæ Virginis in ſingulis hebdomadis diebus, & omnibus anni tempeſtatibus, una cum Miſſis correſpondentibus.

Poſtea, Miſſæ pro ſponſalibus, de S. Spiritu, de Cruce, de quinque Chriſti plagis, pro infirmis, pro defunctis, pro vitanda mortalitate.

Benedictio aquæ quæ fit ſingulis Dominicis.

Ordo ad viſitandum infirmum, & adminiſtrandum ei Extremæ-Unctionis Sacramentum.

Benedictio fontium in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes.

Liber uſuum antiquiſſimorum Ciſtercienſis ordinis Pariſiis 1531.

Summa præcipuorum Capitulorum.

PRIMO: Quomodo a Nativitate Domini uſque ad Septuageſimam diebus Dominicis officia Miſſarum diſponantur ſingulis annis.

1. *De* capite jejunii, ſeu feria quarta Cinerum.

Ordo in ramis palmarum.

4. *De* Cœna Domini, Paraſceve, & Vigilia Paſchæ.

5. *De* Feſtis mobilibus totius anni.

6. *De* Rogationibus.

7. *Quo* ordine Miſſæ agantur privatis diebus.

8. *De* numero collectarum ad Miſſas.

9. *Qua* ſeptimana jejunia quatuor temporum in menſe Septembri agenda ſint.

10. *De* Vigiliis, de octavis Domini, & Sanctorum.

11. *Quibus* temporibus, & quo ordine celebrandum ſit officium defunctorum.

12. *Quo* ordine dicantur collectæ pro defunctis.

13. *Quomodo* ſe gerant Sacerdos, & Miniſtri ad Miſſas feſtivas.

14. *De* Miſſis in quibus unus tantum miniſter eſt.

15. *Quo* ordine benedicatur aqua, & quomodo conventus ſe habeat ad Miſſas.

16. *De* Miſſis privatis. Quibus diebus duæ Miſſæ cantantur.

17. *Quando* debeant fratres ad pacem & communionem ire.
18. De laudibus, capitulo, & confeſſione.
19. De vigiliis uſque ad tertiam, de veſperis, de collatione.
20. De potu poſt Veſperas, & poſt Nonam.
21. Qualiter ſe agant fratres poſt Completorium.
22. Quo ordine inungantur infirmi.
23. De vigiliis circa defunctum.
24. Quo ordine Miſſæ & Collectæ pro defuncto, præſente corpore, dicantur.
25. Ritus adminiſtrandi ſacram Euchariſtiam hoſpitibus infirmis.
16. De hebdomadario Sacerdote.
26. Quare dicantur ſeptem Pſalmi Pœnitentiales ſexta Feria in Ordine Ciſtercienſi.

Multo plura ſunt Ritualia, quæ hic delineare ſuperfluum foret; attamen ut traditio de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis inconcuſſa perſeveret, cetera quidem recenſere non pigebit; ſed brevitatis cauſa, ea ſolum quæ in eis ſunt ſpecialia annotabimus.

Ordinarium Sacramentorum ſecundum ritum Diœceſis Nemauſenſis anno 1533. exaratum.

MODUS abſolvendi mortuos quando eorum celebratur anniverſarium.
Benedictio & impoſitio crucis proficiſcentium in ſubſidium terræ ſanctæ.
Ritus induendi novum religioſum.
Benedictiones Dormitorii, refectorii, coquinæ & putei.
Evangelium notatu dignum ad Matutinas in apparitione Domini.
Symbolum S. Athanaſii.
Orationes manuſcriptæ ad propellenda maleficia quibus impeditur procreatio prolis.

Ordinarium ad ritus & ceremonias Diœceſis Magalonenſis ann. 1533.

RITUS adorandi crucem in die Paraſceves.
Modus fulminationum.
Forma abſolutionis in articulo mortis.
Comminatio adverſus peſtem, tonitrua, ſiccitatem, tempeſtates, & inundationes &c.

Manuale celebris Confraternitatis civium Pariſienſium &c.

PRECES & ſuffragia pro infirmis confratribus.
Officium inhumationis confratrum.
Origo, & obligationes ſeu regulæ confraternitatis.

Manuale Eccleſiæ Antiſiodorenſis, ann. 1536.

RITUS confeſſionis, & examinis peccatorum.
De Sacramento Confirmationis ſuſcipiendo &c.

Oeconomia domus Domini, ſeu liber Sacramentorum ad uſum Eccleſiæ Toloſanæ, ann. 1538.

ORDO, Miſſarum S. Amatoris.
Benedictio novæ domus.
De perſona baptizanda, ubi de monſtro.
De Confirmatione, & ſacræ Euchariſtiæ cuſtodia. Abjuratio tempeſtatum ordinata per S. Grandenem ab omnibus Hiberniæ Doctoribus approbata.
Modus concionandi idiomate Toloſano.

Manuale Abrincenſis Eccleſiæ 1539.

Proſa de beata Maria.

ABSOLUTIO pœnitentium in capite Jejunii. Modus recipiendi pœnitentes in Cœna Domini &c.

Manuale Ambianenſe ann. 1451.

BENEDICTIO armorum.
In benedictione aquæ Luſtralis non dicitur, Adjutorium &c.

Manuale Trecenſe ann. 1541.

MODUS reconciliandi Eccleſiam &c.

Manuale Lugdunenſe ann. 1452.

CASUS Papales & Epiſcopales.

Modus

Modus ſuſcipiendi confeſſionem infirmi.

Ritus communicandi Epiſcopum infirmum, & ſimplicem Presbyterum.

Reconciliatio pœnitentis in articulo mortis.

Ritus reconciliandi Eccleſiam violatam.

Orationes dicendæ ſuper agonizantem cum paſſione Domini ſecundum Joannem.

Exorciſmus D. Ambroſii efficaciæ mirabilis ſuper Energumenos facieudus.

Manuale Metenſe ann. 1543.

DE pueris cum ſale expoſitis.

De mulieribus in partu morientibus.

Juramentum obſtetricum.

Benedictio carnium, ovium, agni Paſchalis, ovorum, caſei, panis, vini, domus, novorum fructuum, uvarum &c.

Manuale Rothomagenſe ann. 1544.

QUONIAM hic, hunc de Sacramentis tractatum prælo mandamus, non injucundum erit Diœceſi, fuſiori calamo iſtud exhibere Manuale.

Series contentorum.

PRIMO: Benedictio pro ſingulis Dominicis.

2. Benedictio ignis & incenſi in vigilia Paſchæ.

3. Benedictio cerei Paſchalis & fontium.

4. Baptiſmus maſculorum & feminarum.

5. Officium ſponſalium de futuro, tum & aliorum per verba de præſenti.

6. Miſſa ſponſalium de SS. Trinitate.

7. Benedictio panis & vini in Eccleſia.

8. Benedictio thalami.

9. Benedictio panis per Dominicas.

10. Viſitatio parvulorum & adultorum infirmorum, iſtorum unctio, & commendatio animarum.

11. Officium defunctorum.

12. Miſſa de S. Spiritu cum Proſa, &c. BB. Maria cum Proſa, & pro defunctis.

13. Abſolutio peregrinantium ad regionem longinquam.

14. Miſſa contra peſtem, *Recordare* &c.

15. Præparatio ad bene moriendum cum piis orationibus; tres ibi adſunt pro agonizantibus.

17. Benedictio navium.

Manuale Meldenſe ann. 1546.

OBSERVATIONES ad Miſſam ex Gelaſio Papa, ſeu Baſilio Cæſarienſi.

Miſſa de Cruce & de S. Sebaſtiano.

Speculum Sacerdotum celebrare volentium &c.

Ordinarium Urgellitanum ann. 1548.

ORDINATIO Cantus pro omnibus Horis & Hymnis.

Formulæ venditionis hæreditatis patrimonii, vel beneficii conferendi Clerico, contractus Matrimonialis &c.

Exorciſmus contra locuſtas, quo ſæpius fugantur, vel etiam in brevi moriuntur, ut experimento, ſcimus, comprobatum eſt.

Abſolutio a culpa & pœna in articulo mortis.

Abſolutiones quædam defunctorum.

Benedictio panis & fructuum in feſto S. Blaſii, aquæ in die S. Agathæ; fœniculi in feſto S: Ægidii; panis & aliarum rerum in ſolemnitate S. Lupi; frumenti, & feminum in die S. Rupi.

Adminiſtratio ſacræ Euchariſtiæ tempore interdicti: Item in triduo ante Paſcha; immo & damnatis ad mortem.

Manuale Albigenſe ann. 1553.

RITUS celebrandi Matrimonium. Finita Miſſa, ſponſus, accepta hoſtia a Sacerdote, medietatem dat ſponſæ. Tum conjuges eadem nocte viſitat Sacerdos, ut probet num cuncta ſint proſpera, & ſi opus ſit, orationibus compeſcit dæmones ne deſponſatis noceant: legitur in libro Tobiæ cap. 8. dæmonem Aſmodæum occidiſſe ſeptem primos viros Saræ ipſa conjugii nocte, eo quod animo irreverenti & infrunito ad virginem accedere tentaſſent; quocirca ne quid ſimile, aut maleficium contingat Chriſtianis, optaret ſancta Mater Eccleſia, ut primo aut altero, vel etiam tertio nuptiarum die ab uſu Matrimoniali temperarent.

Benedictio panis in die S. Agathæ, herbarum in die Aſſumptionis BB. Virginis, & vini in die S. Joannis Baptiſtæ.

Obſerves velim 1. Iſta Ritualia eſſe magni ponderis, quippe quæ ex antiquiſſimis MSS. ſint excerpta, non enim ex aliis fontibus auctores qui, ea ipſa ſcripſerunt, habuere monumenta. 2. Fidem omnium Sacramentorum, ne uno quidem excepto aſtruere. 3. Proteſtantes non levius confundere, cum multa ante fucatam & ementitam Lutheri, & Calvini reformationem Sacramentorum dogmata exhibeant; quandoquidem prior hæreſiarca anno ſolum circiter 1520. poſterior vero verſus annum 1533. ſuos de Sacramentis ſeminaverint errores; Ritualia vero ab anno 1450. & conſequenter ante ortum ſchiſma & hæreſim jam fidem Eccleſiæ Romanæ avitam de ſacris & ſacramentalibus ſignis continebant, contentam vero frequentare docebant.

Quædam monumenta pro fide ſeptem Sacramentorum excerpta ex libro, cui titulus eſt, Monaſticum Anglicanum, auctore doctiſſimo Domino D. Dug Dale ſectæ Anglicanæ Doctore.

OPUS iſtud ad confirmandam fidem Sacramentorum, præſertim vero ſacrificii Miſſæ, invocationis Sanctorum, tum & precum pro animarum in Purgatorio detentarum refrigerio perutile eſt, cum Eccleſiæ Anglicanæ a primis ſæculis, maxime a ſeptimo per S. Auguſtinum Monachum ad Regem Eduardum VIII. uſque, fidem illibatam referat. Et vero in tribus voluminibus in folio, fideli calamo ſedium Epiſcopalium, Abbatiarum, immo, & diverſi ordinis Monaſteriorum exhibet fundationes, quibus Reges & Proceres Angli ob inſignem fidem & virtutem non ſemel jure merito Angeli dicti, bona annui & perpetui reditus magnificentiſſime aſſignarunt pro victu & veſtitu altaris Miniſtrorum, iis potiſſimum conditionibus, ut modo preces pro animarum refrigerio, modo incruentum Miſſæ ſacrificium Deo in honorem Deiparæ & Sanctorum offerrent.

Qua igitur innixi ratione ementitæ reformationis doctores fidem ſacrificii, quam eorum pii & ſapientiſſimi Patres ſuis fundationibus fovere, & in perpetuum enutrire ſategerunt, abnegant? Quo fato invocationem Sanctorum debellare non deſinunt? Numquid cultum hunc tot juſtorum & ſanctorum Angliæ calculo & veneratione munitum evacuabunt? Quorſum Purgatorium abjiciunt dum innumeri prope & inter antiquos Anglos Illuſtriſſimi, qui ultimum in pace Chriſti clauſerunt diem, hanc ad nepotes ſuos, dictis & factis tranſmiſere veritatem? nam ſi negent, religionem, non niſi negativam habent, hoc eſt ſectam omni vera religione expertem.

Re vera quidem, non alia eſt apud Presbyterianos, quippe qui omnibus ferme illudant Sacramentis, & cetera, paucis exceptis, Eccleſiæ dogmata temerare gloriantur. Non alia, vel apud ipſos Epiſcopos affulget; namque a ſchiſmate & hæreſi defecit vera Paſtorum legitimorum ſucceſſio, adeoque & ordinatio, ut ſupra oſtenſum eſt, maxime propter tria. Primo quidem ex eo, quod ordinator intendit dumtaxat non Epiſcopum verum, ſed merum, ut Zuingliani & Lutherani faciunt, Miniſtrum inſtituere, quæ intentio dubio procul non ſufficit, quandoquidem non eſt talis qualem exigit concilium Florentinum, ut ſcilicet Sacramentorum Miniſter intendat facere quod facit Eccleſia. 2. Temerat etiam apud Anglos Ordinatot formam, dicendo ſolum dum aliquem Epiſcopum inaugurat: *Accipe poteſtatem verbum Dei ſincere prædicandi*; ut ſcribit D. Champnei Lib. de vocat. Miniſt. & D. Fitz Lib. 3. cap. 6. ſed ex divo Thoma 3. p. q. 60. art. 8. forma deflorata per reſciſſionem verborum eſſentialium, qualis eſt modo allata, cum ne quidem implicite effectum principalem conſecrationis Epiſcopalis ſignificet, evacuat Sacramentum: Ergo &c. 3. Vel ipſi Angli Præſules non dubitant, prætermiſſo Presbyteratu, aliquem ordinare Epiſcopum, quod certe argumentum eſt, eos nullam genuinam pro Epiſcopis habere ordinationem, quandoquidem juxta omnium Theologorum placita, etiam eorum qui propugnant Epiſcopatum eſſe ordinem a presbyteratu diſtinctum, nullus, prætermiſſo Presbyteratu, Epiſcopus valide inaugurari queat.

Sufficiat impræſentiarum aliena, ex Monaſtico Anglicano hic texere teſtimonia, ut nullus inter Anglos, vel doctiſſimus, vel etiam propria conſcientia pro vera

reli-

religione amplectenda ſtimulatus audeat abnegare Miſſæ ſacrificium, cum monumenta apud ipſos omni acceptione digna illud dari conclament: nullus ita cæcutiat, ut neget invocationem Sanctorum, quos Anglicanæ nationis Patres, ſicut pietate & fide, ſic & antiquitate venerabiles, dictis, & factis fundationibus in perpetuum colendos eſſe annuntiant. Nullus ad Spiritus erroris ſic attendat, ut Purgatorium abjiciat, cum omnes ferme Eccleſiarum Angliæ quondam preces pro mortuorum refrigetio exhiberent.

Argumentum ad hominem adverſus Anglos recentiores obſtrepentes contra doctrinam Sacramentorum,

Quo ſacrificium Miſſæ, invocatio Sanctorum, & Purgatorium aſtruitur.

INCASSUM contra hæc fidei dogmata inſurgunt Anglo-recentiores, qui pro hac religione duces habent, vel ipſos ſuos Patres ſicut fide perantiqua, ſic eruditione celebres: Atqui res ſie ſe habet. Ergo &c. Probatur minor. Ex multis chartis fundationum pro dogmatibus recenſitis factarum, innumeras prope trita in folio volumina pro his momentis referunt. Inſtar omnium ſint ſequentia.

Ex primo Tomo.

PROFERIMUS unam celeberrimam anno circiter 705. factam ab Archiepiſcopo Eborum ad celebrandas Miſſas pro ſalute vivorum & requie defunctorum: " Uni-
„ verſis ſanctæ Matris Eccleſiæ Filiis ad
„ quos præſentes litt. pervenerint. Joan
„ nes permiſſione divina Eborum Ar-
„ chiepiſcopus, Angliæ primas, & ſedis
„ Apoſtolicæ legatus ſalutem in ſinceris
„ amplexibus Salvatoris. Cum inter cete-
„ ra ſalvationis & reparationis humanæ
„ ſuffragia, Celebratio Miſſarum, in qui-
„ bus pro ſalute vivorum, & requie de-
„ functorum Deo Patri Deus filius immola
„ tur, merito ſit judicanda præcipua, &
„ divinæ miſericordiæ præ ceteris ... Di-
„ gnum duximus ea quæ multiplicatio-
„ nem Miſſarum, & divini cultus aug-
„ mentum reſpiciunt, favore proſequi
„ gratioſo. Sane &c. „ Titulus hic eſt. *Pro ordinatione cujuſdam cantariæ quatuor capellanorum in Eccleſia de* KirKeby Blows. Ad marginem vero habetur. Ex regiſtro quodam nuncupato Domeſday penes decanum & Capitol. Ebor. fol. 59.

Ex carta Inæ Regis: " Illud autem
„ omnipotentis Dei & perpetuæ Virgi-
„ nis Mariæ, & BB. Petri & Pauli,
„ & omnium interceſſione Sanctorum, in-
„ terdictione interdico, ne in ipſa Gla-
„ ſtonienſi Eccleſia, nec in Eccleſiis ſibi
„ ſubditis ... nec in earum capellis, ſed
„ nec in inſulis, aliqua interveniente oc-
„ caſione, Epiſcopus Cathedram ſibi Epi-
„ ſcopalem ſtatuere, nec Miſſas ſole-
„ mnes celebrare, nec Eccleſias dedica-
„ re, nec ordines facere, nec aliquid
„ omnino diſponere præſumat, niſi ab
„ Abbate, vel a fratribus invitatus fue-
„ rit. „ Anno 729.

In charta Edgari Regis, ſic habetur,
" Anno Domini nonginteſimo ſexageſi-
„ motertio Rex Edgarus dedit ad uſum
„ Monachorum ... hæc ornamenta, ſto-
„ lam cum manipulo, & caſulam incom-
„ parabilem. „

In *charta Godefridi habetur donatio, ut fundantur preces pro refrigerio animarum, his verbis:* " Hæc omnia volo, ut præ-
„ dicti Monachi teneant libere, quiete,
„ & pacifice, ſine omni exactione, &
„ conſuetudine & ſervitio ſæculari, in
„ liberam & perpetuam eleemoſynam
„ pro ſalute animæ meæ, & uxoris
„ meæ, & omnium liberorum meorum,
„ & pro anima Patris mei ... Ita quod
„ Monachi de Acra facient ibi divina
„ officia &c.

Ex charta Richardi Comitis Cornubiæ:
" Anno 1251. nono Novembris vigilia S.
„ Leonardi Comes Richardus ſolemniter
„ & magnifice nimis fecit dedicari Ec-
„ cleſiam de Hales ... Erant autem in
„ memorata dedicatione præſentes Domi-
„ nus Rex & Regina, & fere omnes An-
„ gliæ magnates & Prælati, Epiſcopi ve-
„ ro tredecim, qui omnes MISSAM de die
„ dedicationis celebrarunt. „ Tom. 1. Monaſt. Anglic. ſic quoque ſcribit Mathæus Pariſius Hiſt. Anglor. pag. 827. num. 40.

Ex Tomo Secundo.

FUNDATIO *in Abbatia de prato in Agro Norfolcienſi:* " Anno Incarnationis Do-
„ mini

Digitized by Google

„ mini noſtri J. C. 1126. . . . Anno il-
„ luſtris Regis Henrici filii Regis Joan-
„ nis primo . Celebrata eſt in dicta Eccle-
„ ſia MISSA per Magiſtrum Walzoin-
„ gham tunc decanum de Burnham. „ &c.

Ex *charta Regis Joannis de Capellaria de Blya :* " Joannes Dei gratia &c. omnibus
„ ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis &c. no-
„ verit univerſitas veſtra quod nos pro ſa-
„ lute animæ noſtræ & pro ſalute anima-
„ rum bonæ memoriæ Henrici Regis pa-
„ tris noſtri, & fratris noſtri Henrici Re-
„ gis Junioris qui in Eccleſia Rotomagenſi
„ habent ſepulturam, & omnium Ante-
„ ceſſorum noſtrorum, ad petitionem Do-
„ minæ noſtræ Aliannræ Anglorum Regi-
„ næ, conceſſiſſe, & præſenti charta no-
„ ſtra confirmaſſe Deo , & Beata Mariæ
„ Rotomagenſi, & venerabili Patri noſtro
„ Valtero Rotomagenſi Archiepiſcopo &
„ omnibus ſucceſſoribus ſuis canonicis in
„ prædicta Eccleſia Deo ſervientibus in
„ puram & perpetuam eleemoſynam , Ca-
„ pellariam de Blya, cum omnibus perti-
„ nentiis ſuis. „

Ex *Synodo Celichyth. ſeu Celichytenſe in Anglia anno* 8.6. *ſub Stephano* 4. *can.* 10. " Decimo jubetur, *inquiunt Patres* , &
„ hoc firmiter ſtatuimus aſſervandum
„ . . . . ut quandocumque aliquis ex nu-
„ mero Epiſcoporum migraverit de ſæ-
„ culo, tunc pro anima illius præcipimus
„ ex ſubſtantia unius cujuſque rei deci-
„ mam partem dividere & diſtribuere
„ pauperibus in eleemoſynam . . . Prorſus
„ orationes & eleemoſynas quæ inter nos
„ ſpecialiter condictas habemus, id eſt,
„ ut ſtatim per ſingulas Parochias in ſin-
„ gulis quibuſque Eccleſiis , pulſato ſi-
„ gno , omnis famulorum Dei cœtus
„ ad baſilicam conveniat , ibique pari-
„ ter Pſalmos pro defuncti anima decan-
„ tent. „

Non abſimilia jam dixerant paulo ante, ſcilicet can. 2. ibid : " Ubi Eccleſia ædi-
„ ficatur, a propriæ Diœceſis Epiſcopo
„ ſanctificetur . . . Poſtea *Euchariſtia* quæ
„ ab Epiſcopo per idem miniſterium con-
„ ſecratur, cum aliis reliquiis condatur
„ in capſula, ac ſervetur in eadem baſi-
„ lica . „

Rurſus canone 5. ibid. " Interdictum eſt
„ ut nullus permittatur de genere Scoto-
„ rum in alicujus Diœceſi ſacrum ſibi mi-
„ niſterium uſurpare, neque ei conſentire
„ liceat ex ſacro ordine aliquod attinge-
„ re, vel ab eis accipere in Baptiſmo,
„ aut in celebratione Miſſarum , vel et-
„ iam Euchariſtiam populo præbere, quia
„ incertum eſt nobis unde, & an ab ali-
„ quo ordinentur. „

Audis Miſſæ ſacrificium celebratum pro ſalute vivorum & requie defunctorum : Audis Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens , quippe quæ quondam cum reliquiis Sanctorum in lapide altaris concluderetur . Audis invocationem BB. Mariæ, & Sanctorum fuiſſe ab antiquis frequentatam. Neque vero replicare poſſunt Heterodoxi hæc eſſe commenta humana ad illudendum ſimplicibus decurſu temporum propoſita , cum iſta fidei puncta vel ipſi Anglicanæ Eccleſiæ adhuc vagienti coæva ſint ; anno ſcilicet 705. namque verſus illam ætatem fides ab Auguſtino Monacho in inſula propagata, tum ſubſequentibus ſæculis, nimirum anno 727. 816. nutrita, tandem ad regem Eduardum VIII. uſque perſeveravit . Si jam recentiores Angli hæc & ſimilia ut novitates & commenta ventilent , concedant igitur ab Auguſtino non fidem, ſed mendacia pro fide accepiſſe, quod eſt ab omni ſana mente alienum.

Eja agite amici, & in Chriſto per Baptiſmum fratres, in Deum & Eccleſiam Romanam ſolam Agni veram & immaculatam ſponſam credite ; retractare non pudeat, quod propugnando in æternum cruciabit. Namque, ut verbis Guitmundi Archiepiſcopi Averſani utar : " Quare
„ moriemini gratis? Non talis hæc diſ-
„ putatio eſt, quæ utrobique valeat le-
„ viter compenſari. Non hic ſicut in
„ ſcholis, pro victoria, aut ſicut in judi-
„ ciis, pro quibuslibet terrenis commodis
„ agitur : Sed, ſicut coram Deo, pro vi-
„ ta æterna atque cæleſti diſputatur : fal-
„ ſam etenim partem ſempiterna mors de-
„ vorat, veram autem vita æterna coro-
„ nat. Quocirca juſto examine veſtra &
„ noſtra perpendite, ſi quid dignum contra
„ nos habetis, afferte : ſi non habetis, ad-
„ quieſcite. Quare moriemini gratis? „

Cano-

Canones Concilii Tridentini.

De Sacramentis in genere. Seſſ. 7.

CANON I.

SI quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem: videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit.

VIII.

Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit.

IX.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.

X.

Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; anathema ſit.

XI.

Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; anathema ſit.

XII.

Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.

XIII.

Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos

Digitized by Google

vos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.

De Baptiſmo. ibidem.

CANON I.

SI quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto; ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, Baptiſmum qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ; anathema ſit.

VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint; anathema ſit.

IX.

Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo; anathema ſit.

X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema ſit.

XI.

Si quis dixerit, verum & rite collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema ſit.

XII.

Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo; anathema ſit.

XIII.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe, ac propterea, cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ; anathema ſit.

XIV.

Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an

Digitized by Google

an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant; anathema ſit.

De Confirmatione, ibidem.

CANON I.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quam Catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, injurioſos eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacræ Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem; anathema ſit.

De Euchariſtia, Seſſ. 13.

CANON I.

SI quis negaverit in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum: ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute; anathema ſit.

II.

Si quis dexerit in ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento, remanere ſubſtantiam panis & vini, una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti; negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

III.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt; & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtivâ peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum, & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema ſit.

VIII.

VIII.

Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter, ac realiter; anathema ſit.

IX.

Si quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit.

X.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare; anathema ſit.

XI.

Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

De Pœnitentia Seſſ. 14.

CANONI.

Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam, non eſſe vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.

II.

Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ ſacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema ſit.

IV.

Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum eſſe Penitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum, illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema ſit.

VI.

Digitized by Google

VI.

Si quis negaverit, Confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quę ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.

VIII.

Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.

IX.

Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat: aut dixerit, non requiri confeſſionem Pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit; anathema ſit.

X.

Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere; aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum: Quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem; anathema ſit.

XI.

Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat; anathema ſit.

XII.

Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatisfactionemque Pœnitentium non eſſe aliam quam fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.

XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam Pœnitentiam eſſe tantum novam vitam; anathema ſit.

XIV.

Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium

ficium mortis Chriſti obſcurantes; anathema ſit.

XV.

Si quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolveodum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas conſiteotibus, agere contra finem clavium, & cootra inſtitutiooem Chriſti; & fictionem eſſe, quod virtute clavium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema ſit.

De Sacramento Extremæ-Unctionis. ib.

CANON I.

SI quis dixerit; Extremam-Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, Extremæ-Unctionis ritum & uſum, quem obſervat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Jacobi Apoſtoli; ideoque eum mutandum, poſſeque a Chriſtianis abſque peccato contemni; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos; ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit.

De Communione ſub utraque ſpecie & parvulorum. Seſſ. 21.

CANON I.

SI quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſigulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam, non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit.

III.

Si quis negaverit, totum & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem & auctorem, ſub una panis ſpecie ſumi, quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti conſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem; anathema ſit.

De Sacrificio Miſſæ. Seſſ. 22.

CANON I.

Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes; aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit.

III.

III.

Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, & ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio, in cruce peracto, per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, canonem Miſſæ errores continere, ideoque abrogandum eſſe; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam Officia pietatis; anathema ſit.

VIII.

Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas; anathema ſit.

IX.

Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe; aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere; aut aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem; anathema ſit.

De Sacramento Ordinis. Seſſ. 23.

CANON I.

SI quis dixerit, non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum; vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantum, & nudum Miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines, & majores, & minores, quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum; ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, ſacram Unctionem qua Eccleſia in ſancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, ſed contemnendam, & perniciosam eſſe, ſimiliter & alias Ordinis cæremonias; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem; vel ordines ab ipſis collatos ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe; aut eos, qui nec ab Eccleſiaſtica, & canonica poteſtate rite Ordinati, nec Miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi, & Sacramentorum miniſtros; anathema ſit.

Si quis dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos, & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum; anathema ſit.

De Sacramento Matrimonii Seſſ. 24.

CANON I.

Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum; neque gratiam conferre; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.

V.

Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem qui cauſam adulterio non dedit, non poſse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſsa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ dimiſso adultero, alii nupſerit; anathema ſit.

VIII.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges, quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſse decernit; anathema ſit.

IX.

Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſsos, poſse Matrimonium contrahere, contractumque validum eſse, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare Matrimonium, poſseque omnes

omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam voverint, habere donum; anathema ſit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus, tentari.

X.

Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio; anathema ſit.

XI.

Si quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam; aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Eccleſia in illis utitur, damnaverit; anathema ſit.

XII.

Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos; anathema ſit.

Decretum de Indulgentiis, Seſſ. 25.

Cum *poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit; atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: ſacro ſancta Synodus indulgentiarum uſum, Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant: in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur.*

MONITA.

Non ſemel contingit quoſdam unum articulum, alio prætermiſſo, legere; ex quo ſequitur eos vel non ſatis capere quæſtionem quam diſcutiunt, eo quod alterius, quæ eſt poſterioris principium, non recordentur; vel etiam quia ad eam ne quidem attendant, quod ſane ſic movet in mente tragœdias, ut ſenſum genuinum Auctoris in adulterinum ſumant. Quocirca quædam momentoſa de tractatu Sacramentorum, quem juris publici ann. 1725. fecimus ad cautelam prænotanda pro majori veritatis elucidatione exponimus.

Primo: 3. part. diſſ. 5. art. 5. ſect. 2. pag. 571. dicimus hæc ſola verba Evangelica: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe formam eſſentialem Euchariſtiæ. Ibidem ſect. 4. pag. 647. citra errorem non poſſe defendi, Euchariſtiam confici poſſe per ſolam Spiritus ſancti invocationem propugnamus: hinc ſi quando dicimus formas apud Græcos eſſe deprecatorias. I. Loquimur in ſententia aliorum, quos refert Morinus Lib. de Sacr. Ord. Exer. 5, cap. 1. II. Contraria eſt noſtra opinio, quam omni argumentorum genere ſtabilimus loco mox laudato. III. Neque vero credimus Theologos Catholicos tribuere Græcis formas pro omnibus ferme Sacramentis deprecatorias, omiſſis verbis Evangelicis, maxime in Baptiſmo, Euchariſtia, & Pœnitentia, ſed ſic loqui de Græcis, eo quod quaſdam immiſceant formis orationes. IV. Abſolute reputamus erroneam ſententiam, qua quis propugnaret Euchariſtiam ſola Spiritus ſancti invocatione valide fieri. Sic loquimur diſſ. 3. art. 5. pag. 573. *Diſputant Theologi de formis panis & vini a Chriſto præſcriptis; num ſcilicet verba omnia Canonis pro calice conſecrando ſint eſſentialia vel non? Majori animorum contentione diſceptatum eſt de formis Græcorum, quæ multas habent tum antecedentes, tum conſequentes orationes; hinc non ſine temeritate poſuerunt aliqui, Sacerdotem ſola Spiritus ſancti advocatione per ſolas preces, omiſſis verbis Evangelicis, poſſe conſecrare.*

Secundo. 2. part. diſſ. 6. VI. §. exquiſitis argumentis probamus ordinationes factas ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simonia-

niacis, Degradatis, Excommunicatis, validas quidem eſſe, non tamen licitas. Ergo nè inanis eſt probatio, quum defendimus ordinationem ParKeri vacuam fuiſſe, eo quod, a Catholicis non ſit facta, ſed ab Hæreticis? abſit. Eo enim loci loquimur ſolum de Hereticis Angliæ qui Eduardi VI. tempore in ordinando nec habebant intentionem faciendi quod facit Eccleſia, videlicet faciendi Epiſcopum, ſed merum ex commiſſione Miniſtrum, ut faciunt Zuingliani, nec forma ab Eccleſia preſcripta utebantur, quippe qui eam in eſſentia deflorarent. Hoc ipſum patet ex hiſtoria critica Schiſmatis Angliæ, quam ut diſſertationis principium legendum & ſupponendum proponimus.

Tertio demum Diſſ. 7. de Matrim. inſtit. pag. 2109. dicimus virum, mortua uxore, ante matrimonium conſummatum poſſe contrahere Matrimonium cum ſorore uxoris defunctæ ſine diſpenſatione; ſed, re maturius diſcuſsa, propugnamus diſpenſationem eſſe neceſſariam; tametſi enim non adſit impedimentum affinitatis, adeſt tamen publicæ honeſtatis, quod quidem, ut ſupra diximus, dirimit Matrimonium contractum, impedit vero abſolute & prohibet contrahendum.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

005665541

Digitized by Google

Digitized by Google